

JO. ALBERTI FABRICII

LIPSIENSIS

S. THEOLOGIAE INTER SUOS D. ET PROF. PUBL.

BIBLIOTHECA LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ AETATIS

CUM SUPPLEMENTO

CHRISTIANI SCHOETTGENII

JAM A P. JOANNE DOMINICO MANSI

CLERICO REG. CONG. LUCENSIS MATRIS DEI

IN PATRIA DEMUM ARCHIEPISCOPO

E MSS. editisque Codicibus correcta illustrata aucta

POST EDITIONEM PATAVINAM AN. 1754.

NUNC DENUO EMENDATA ET AUCTA, INDICIBUS LOCUPLETATA

Accedunt in fine vetera plura monumenta

TUM A FABRICIO OLIM TRADITA, CUM A CL. MANSIO PRIMO ADIECTA

TOMUS III.

cui accedunt veteres rhythmi de vita monastica

GA — HYG

FLORENTIAE

TYP. THOMAE BARACCHI ET F.

MDCCCLVIII

Apud J. Molini

ILLUSTRI ATQUE ERUDITISSIMO

VIRO

JOANNI GRAMMIO

Potentiss. Danorum Regis
a Consiliis, Tabulisque Publicis et Bibliotheca:
Graecarum litterarum Doctori Publico
Celeberrimo in Academia Hafniensi,

S. D.

JO. ALBERTUS FABRICIUS

Nolui committere, Vir insignissime, ut pro tot praeclaris benevolentiae Tuae in me muneribus atque humanitatis documentis non aliquod exstaret publicum meae in Te observantiae testimonium, pignusque animi mei Virtuti Tuae atque constanti et dexterrimo bonas litteras juvandi studio deditissimi. Non sunt, fateor obscuriorum temporum scriptores, quos in hoc opere recensendos mihi sumsi, ita plerique comparati, ut accuratissimae atque cultissimae doctrinae Viro offerri mereantur: Ea tamen est eruditionis Tuae utilis ac delectabilis amplitudo et intelligentia, ut caliginem etiam mediae et infimae aetatis tenebras feliciter honesti atque amoeni penetres ingenii Tui lumine, pulchrasque et spectatu dignas doctrinae imagines illustrare illarum quoque adminiculo et umbra docte noveris. Confido itaque laborem meum qualemcunque etiam in his ad studiosorum usus collocatum, non omnino displiciturum aequitati Tuae, ac saltem probatum iri meum hanc Tibi partem illius consecrare gestientis animum, qui nihil magis refugio quam ingratus videri adversus tam multa atque exquisita testimonia voluntatis in me Tuae: et nihil desidero magis quam ut amori porro me Tuo ut soles, digneris habere quam commendatissimum. DEUS ter Optimus Maximus diu Te valere et laetum vivere jubeat, literarum praesidium atque decus.

Scripsi Hamburgi IV. Id. April. A. C. CIↃ IↃ CC. XXXV.

AD LECTOREM

Octo jam litteras primores Bibliothecae hujus, sive Lexici Bibliothecarii, profligatas esse video, et gaudeo per illas dimidiam fere partem operosi hujus, quod mihi imposui, oneris seu operis me jam absolvisse. Neque tamen, cum tria jam illius excreverint Volumina, puto in alienis vel inutilibus lusam operam, aut de excurrente prolixitate conquerendi causam aequis lectoribus datam a me fuisse: quin ab omnibus, qui amplitudinem argumenti et scriptorum mihi dicendorum multitudinem aut varietatem intelligunt cogitantque, spero me hoc consequuturum, ut quod de immoderatius, extensa actione sua promittebat sibi Plinius *, *possint me in universitate longissimum, brevissimum in partibus judicare.* Quod itaque detexendum adhuc telae praesentis mihi restat, ut similiter absolvere proxime, sicut sum exorsus, ac perficere mihi liceat, Optimi Numinis opem benignissimam iterum iterumque supplex imploro, et Tuam, Lector, benevolentiam ac favorem, hallucinationibusque meis veniam pudenter ac modeste expeto.

* Lib. IX. Epist. 4.

BIBLIOTHECA

MEDIÆ ET INFIMÆ

LATINITATIS

GABRIEL de Barulo Apuliae, sive *Barletta*, Ord. Praed. circa A. 1470. Concionator insignis, licet *sermones* sub ejus nomine post primam edit. Lugd. 1505. saepius vulgatos, prorsus eo indignos contendit Leander Albertus in descriptione Italiae p. 370. Vide Jacobum Quetif t. 1. p. 844.

GABRIEL BIEL, Spirensis, inter scholasticos nomen eximium: ex concionatore Moguntino a) Praepositus Ecclesiae Collegiatae Uracensi in Würtenbergia. Hujus consilio usus est in condenda A. 1477. Academia Tubingensi, Comes Würtemb. ac primus postea Dux EBERHARDUS comitemque inde adscivit in suscepto Romam A. 1478. itinere, una cum Lud. Nauclero Cancellario, Petro Jacobo Arlanensi et Joanne Reuchlino. Ex illo itinere redux annis quibusdam interjectis ab A. 1484 Philosophiam et Theologiam Tubingae docuit, ac denique nomen dedit Ordini Fratrum de communi vita b) sive Caputianorum, diemque obiit anno ante Everhardum, suum Principem A. 1495. aet 65. Ejus scripta, in quibus multa passim reperiuntur quae testibus eum Veritatis c) ante instaurata per Reformationem sacra fecerunt accenseri, haec sunt: d)

a) Jo Jacobus Moserus in vitis Professorum Tubingens. Ordinis Theol. decade 1. Tubing. 1718. 4. pag. 24. seq. et 33. ubi de hoc scriptore diligenter et accurate.

b) Trithemius c. 905.

c) Moserus p. 29. seq. B. Gottlieb Wernsdorsius de Gabriele Biele Antipapista, Witeb. 1719. 4.

d) Warthonus ad Caveum, Hendreich pandect. Brandemburg. p. 571. Moserus p. 31. seq.

Lectura super Canone Missae ab EGGELINGO Brunswicensi, Moguntiae ad Clerum habita, et a Bielio aucta ac recensita. Reutlingae 1488. Tubing. 1498. Basil. 1510. 1515. Lugd. 1517. fol. et in quarta forma Lugd. 1542. 1612. Venet. 1567. 1576. Brixiae itidem et Parisiis atque Bergomi. Ex hoc opere *compendiaria elucidatio*, nescio quo auctore contracta, prodiit Coloniae 1532. 8. et Bergomi 1574. 12.

Sermones de festivitatibus CHristi, quos habuit Moguntiae in Ecclesia Metropolitana S. Martini. Editi in 4. sine anni nota locive.

Sermones de festis S. Mariae, itidem in 4.

Sermones Dominicales de tempore et Sanctis per totum annum, editi 1499. et Basileae 1519. Brixiae 1583. 4.

Sermones medicinales tempore pestis, contra pestilentiam et mortis timorem: quibus subjicitur quaestio: *utrum regnante morbo epidemiae liceat, prosit, expediat suspectas personas et loca fugiendo vel repellendo, eam declinare? Basileae 1519. 4.*

Sermo de historia Dominicae Passionis, Reutling. 1498. et curante FLORENTIO DIEL. S. Theol. Lic. Moguntiae 1509. 4. et Basil. 1519. 4.

Collectorium sive epitoma ex *Guilelmo* OCCAM in IV. libros Magistri sententiarum. Tubing. 1502. fol. 3. Vol. et cum supplemento in IV. librum. Brixiae 1574. 4. tribus Vol. Basil. 1512 1588. et Lugd. 1514. fol. Supplementum vero *Wendelini* STEINBACHII in XXVII. Distinctiones ultimas, vulgatum Tubing. 1520.

De Monetarum potestate et utilitate, Reutling. 4. Norimb. 1542. 4. et cum *Matthaei Boissii* additionibus, inter tractatus varios de monetis, earumque mutatione ac falsitate, Colon. 1574. 8. et ex recensione *Marquardi Freheri*, cum Nic. ORESMIO etc. Lugd. 1505. 4. et in *Davidis Thomani* actis publicis monetariis, Augustae Vindel. 1692. fol pag. 271.

Defensorium contra aemulos suos *de obedientia sedis Apostolicae*, ad Pium II. A. 1462. una cum sermonibus Bielii. Basil. 1519. 4.

Traditur Ethica Aristotelis a) publicis Concionibus exposuisse, sicut ab aliis etiam factum testatus est in Apologia Augustanae Confessionis Melanchthon pag. 62. *Audivimus quosdam pro Concione, ablegato Evangelio, Aristotelis Ethica enarrare.*

* Commentariorum in Magistrum sententiarum quos hic nomine collectorii designat Fabricius, Brixiensis editio an. 1574 non quidem tribus in 4. Voluminibus, sed quatuor absolvitur, cui accedit quintum supplementum Wendelini Heimbachii. Incipit vero supplementum illud a distinctione 28 Magistri, non vero a 27 ut hic Fabricius. In fine legitur Epistola ad Christianae Theologiae auctores Galli Mulleri Fulsemburgensis, qua docemur Vendelinum hunc obiisse an. 1519. die 14 Januari *sepultum apud S. Petrum in Sylva Scambuch ad pedes praestantissimi Magistri sui Gabrielis.* Ex quo deducimus minus vere scripsisse quosdam Gabrielem hunc Biel vitam suam ad usqus 1500. prorogasse.

GABRIEL Garafolus *de Spoleto*, Augustinianorum Vicarius Generalis Marchiae Tarvisinae A. 1420. atque inde Regens Conventus S. Spiritus Venetiis et An. 1429. b) Episcopus *Lucerinus* in Apulia defunctus An. 1430. Scripsit *contra Fraticellos* c) *et sermones in Evangelia* quae in feriis Quadragesimae, Dominicis, aliisque Festis recitantur.

* *Gabriel* de *Garofolus* non Lucerinus in Apulia, sed Nucerinus in Campania Episcopus decessit an. 1433. ut P. Gandolfo de CC. Augustinianis p. 224. definit, et Ughellius tom. 7. pag. 526. confirmat. quare falli Fabricium nostrum constat, qui Ughellium de hoc Augustiniano scriptore siluisse scribit, Memorat illum quidem, et non inter Lucerinos quo Fabricius quaesivit, sed inter Nucerinos Episcopos. Praeter opera hic indicata sunt etiam ejus *sermones de diebus* festis B. M. V. qui nescio an unquam prodierint.

Robertus sive *Rupertns* GAGUINUS, Belga, Doctor Decretorum atque Ordinis Maturinorum sive S. Trinitatis et redimendorum Captivorum minister generalis, defunctus Parisiis A. 1502. 22. Maji. d) Vide Trithemium c. 914. Jovium, Auberti Miraei elogia Belgica pag. 176. Jac. Gaddium de scriptoribus non Ecclesiasticis, Valerium Andream et Franciscum Sweertium, Isaaci Bullartii Academiam scientiarum tom. 1. pag. 137. Labbeum tom. 2. de S. E. pag. 297. Justum Rycquiqum Centur. nov. Epist. 85. Thomae Pope Blount censuram scriptorum et Vossium in historicis latinis p. 663. ubi de opere ejus praecipuo, quod est:

Compendium super Francorum gestis, libris X. a Pharamundo usque ad A. 1497. 4. atque addito libro undecimo, qui in A. 1499. desinit; Paris. 1500. 1504. fol. et 1507. 1511. 1514. 8. et sub titulo: *Annalium rerum Gallicarnm* cum supplemento *Huberti Velleji*, Senatorii Advocati usque ad A. 1520. Paris. 1521. 4. et 1522. 1528. 8. atque Lugd. 1524. Paris 1554. fol. et cum supplemento usque ad Henricum II. Francof. apud Wechelos 1577. fol. cum praef. Jo. Wolfii, et Paris. 1582. fol.

Historia Ludovici XII. Gallice in Dionysiano majori Chronico Galliae usque ad

a) Moserus l. c. Jo. Ulricus Pregitzer in Suevia ac Wirtenbergia sacra pag. 110. Baelius in Lexico voce *Aristote*, nota (v). Heumanni Acta Philos. tom. 1 pag. 713. tom. pag. 528. sq. Bibl. Schraederiana n. 3223.

b) Ita Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag. 222. licet apud Ughellum tom. 8 p. 321. inter Episcopos Lucerinos Gabrielis nulla mentio.

c) Trithemius c. 735. de S. E.

d) Alii 1501. sed vide Oudin. t. 3 p. 2612.

Annum 1513. continuato Paris. 1514. fol. tomo tertio et 1538. 4. Vide Jacobum Longum Bibl. Histor. Gallic. n. 7501. seq. et 7274. ubi de majori illo Chronico Dionysiano, cujus breviatorem esse Gaguinum contendit Mezeraeus. Caetera Gaguini scripta sunt:

Passio S. Richardi pueri Martyris, Paris. A. 1179 ex editione Paris. 1598. in Actis Sanctor. tom. 3. Martii 25. p. 593.

Epistolae Paris. 1498. 4. 1521. 4. et deinde forma minore.

Orationes quas multas et elegantissimas laudat Trithemius, sed paucae cum Epistolis viderunt lucem.

De misera hominis conditione carmen. Incip. *Inter multa quibus se.* Itemque aliud *de variis in Ecclesia Ordinibus*, et *Dialogus in desides et ignavos.* Paris. 1598.

De conficiendis versibus sive de *arte metrorum,* vel, ut Trithem. *de arte metrificandi.* Paris. 1498. 4 Phorcae 1505.

Epigrammata ibid.

Decertatio *de conceptione S. Mariae Virginis* ad Arnoldum Bostium Carmelitam, contra Vincentium de Bandelis de Castro, Ord. Praed. Carmen hexametrum, editum in 4. Paris. 1598 et 1617, 8. Incip. *Est mihi mens aequis te.*

De eodem argumento Defensio, soluta Oratione Latine et inde Gallice.

Gallica versio commentariorum Julii Caesaris, jussu Caroli VIII. Galliarum Regis composita. Paris. 1488 et 1539, fol.

Liber postumus non ante An. 1545 editus sed An. 1480 concinnatus ab auctore, quem inscripsit: *la ruine de bon repos ou le passetems de l'oisiveté.* Vide scriptum cui titulus: Essais de litterature tom. 2. pag. 182.

Le Conseil profitable contre les ennuis et tribulations du Monde. An. 1518 ex Latino Joannis Pici, Comitis Mirandulani.

GAJETANUS, supra CAJETANUS t. 1. pag. 296.

Guilelmus GAINESBURG sive GAINOBURGUS Anglus, Ord. Minor. Episcopus Wigorniensis An. 1310. cujus *Quaestionum subtilium* liber laudatur a Lelando c. 507.

Huic *Disceptationum* alterum et *Sermones ad Clerum* addunt Baleus IV, 91, Pitseus pag 401 et Waddingus pag. 152, sq.

Antonius GALATEUS, Liciensis, qui in patria An. 1517, 12 Novemb. obiit. De hoc supra in ANTONIO tom. 1. p. 117, sq. Ejus vitam scriptam a Joan. Baptista Polydoro nuper accepimus insertam tom. nono sylloges Venetae a) 1733, 12. pag. 293 cui jungenda Gabrielis Groddeckii, τȣ μακαριτȣ Trias litteraria Gedan. 1702, 4. et ex eadem Clariss. W. E. Tentzelii Bibliotheca curiosa An. 1704, pag. 405, seq. et celeberr. Heumanni Acta Philosophor. parte XVII. pag. 766, seq. Ex illa Triade liceat hoc loco notare, praeter ea Galatei quae Basileae 1558, 8. junctim edidit et Vincentio Capello, Patricio Veneto, dicavit Joannes Bernardinus Bonifacius, Oriae Marchio, quae sunt: 1) *de situ Japygiae*, 2) *descriptio Urbis Cassipolis* ad Petrum Summontium, 3) *De villa Laurentii Vallae*, 4) Epitaphium *Alphonsi, Regis Neapolitani*: 5) liber *de situ elementorum*, 6) *de situ terrarum.* 7) *Argonautica* sive *de peregrinatione*, 8) libellus duplex *de mari et aquis, et de fluviorum generibus.* Praeter haec, inquam, laudatus Groddeckius testatur in Bibliotheca Amplissimi Senatus Gedanensis servari haec Galatei scripta inedita, b) donata a Bonifacio, qui naufragium passus An. 1591. Gedani consedit, ibique diem obiit. 9) Librum *de optimo et corrupto genere philosophandi* ad Franciscum Joannis et Pauli Presbyterum Cardinalem Surrhetanum, Codicem in quarta, ut vocant, forma, sedecim plagularum: *Fabellam,* qua innocentiam suam, adversus Clerum agit, ad modum satyrae conscriptam ad Marcum Antonium Ptolomaeum, Lupiensem Episcopum, addita etiam *Epistola* ad Belisarium Aquaevivum, Neritinorum Ducem, ejusdem formae et magnitudinis. Ingens *volumen epistolarum* in fol. centum et viginti septem plagularum, quarum hicce est Catalogus: Ad Mariam Lusitanam *de*

a) Raccolta de' opuscoli scientifici et filologici.

b) Inter alia Galateum in iisdem in superstitiones illorum temporum acerrime declamitare Groddeckius annotat.

Hypocrisi: ad Franc. Caracciolum *de beneficio indignis collato:* ad Ill. Aquaevivum Apologeticon: ad eundem *de gloria contemnenda:* ad Maximum Pancratium *de dignitate disciplinarum:* ad Belisarium Aquaevivum: ad Loisium Lauretanum *de laudibus Venetiarum* (ejus meminit Bernard. in dedicat. epist. ad Loisium Georgium) ad Ferdinandum Ducem Calabriae cohortatio: ad Hermolaum Barbarum *de Philosophis Graecis, inprimis Themistio:* ad Chrysostomum *de morte Patris:* Ad eundem *de Morte Lucii Pontani:* ad Marcum Antonium, Lupiensem Episcopum *de distinctione humani generis et nobilitate*: ad Hieronymum Carbonem *de morte Jo. Joviani Pontani:* ad Chrysostomum *de villae incendio:* ad Accium Sincerum Sannazarium *de inconstantia humani animi:* ad Altilium: ad Ferdinandum Arragonium Campanorum Principem: ad ill. Bonam Sforciam: ad ill. Comitem Potentiarum: ad Chrysostomum: ad Catholicum Regem Ferdinandum. ad Nicolaum Leonicenum, Medicum: ad Chrysostomum *de Prospero Columna:* ad eundem *de pugna tredecim equitum:* ad Julium II. Pontif. Max. ad Aquaevivum: ad Maramontium, *singulari de pugna veterani et tironis militis:* ad Petrum Summontium: ad Belisarium Aquaevivum: ad Ugonem Martellum, Episcopum Lupiensem: ad Joannem et Alphonsum Castriotas: ad Eleazarum Caesareae Augustae commorantem: ad Belisarium Aquaevivum.

Petrus Columna, a patria GALATINUS, eoque notior nomine, Apulus Ord. Minor. L. Puccio Cardinali familiaris, a) Poenitentiarius Leonis X, et Philosophiae ac Theologiae Professor Romae scripsit ad Maximilianum I, dialogorum more inter Joannem Reuchlinum, Hogstratanum et Galatinum, *de arcanis Catholicae Veritatis libros XII*, quibus pleraque Religionis Christianae capita contra Judaeos ex S. Scriptura Veteris Test. ex Talmude et Rabbinicis scriptis confirmantur et illustrantur. Prima editio operis jussu Leonis X, suscepti et Anno 1516 absoluti vidit lucem Orthonae maris Adriatici, 1518, fol. quam insecutae sunt Basileenses 1550, 1561, 1591, fol. Francof. 1603, 8. 1612 et 1672, fol. cum Joan. Reuchlini libris III, de Kabbala. De hoc Galatino, qui multa RAYMUNDO MARTINI, vel pedissequo Martini PORCHETO *Sylvatico* suo debet, sed plura etiam adjunxit: consulere juvabit B. D. Joannem Benedictum Carpzovium prolegomenis ad Raymundi pugionem, Colomesium in Italia Orientali, nupera Venerando Wolfio nostro in lucem data pag. 25, seq. et Wolfium ipsum Bibl. Hebr. tom. 1. p. 971 tom. 2. pag. 1006 et 1275 tom. 3. pag. 923. Diarium Eruditorum Italiae tom. 18. pag. 288 ubi de Alex. Thomae Arcudii Galatina litterata: et tom. 20. pag. 228, ubi de Dominici de Angelis opere de vitis eruditorum Salentinorum: D. Joannem Fabricium, Helmst. Tom. 2. pag. 380. Wagenseilii Sotam pag. 202. Thomam Crenium tom. 1 methodor. pag. 528 et parte 3 animadvers. p. 72. Imbonatum Bibl. Latino Hebr. pag. 193 et Leonardum Nicodemum in additionibus ad Biblioth. Neapolitanam Nicolai Toppi pag. 281, seq.

Sicut ab Arcudio confutantur illi qui ex-judaeis Galatinum praeter rem adscribunt, (ut *B. Esdram Edzardum* a) nostrum alii, alii NICOLAUM *Liram*, de quo infra suo loco:) sic laudatus Wolfius b) diversum esse docet Galatinum a Petro, quem Lipmannus Judaeus apostatam Judaeorum adversarium perstringit.

Caetera Galatini scripta sunt *opus de Theologia* dicatum Paulo III. et quinque distributum partibus, singularumque pluribus libris, quorum argumenta videri possunt apud Waddingum p. 280. seq.

Commentaria ampla in Apocalypsin ad Carolum V. MSS. in Biblioth. Vaticana et Franciscanorum Arae Coeli.

Opus *de Ecclesiae Catholicae institutione, deformatione et reformatione,* quatuor Volum.

Ostium apertum sive *de recta S. Scripturae interpretatione.*

De anima intellectiva et *de homine*, ad

a) Waddingus pag. 297. seq. Bibliothecae Ord. Minor.

a) Vide t. 2 memoriar. Hamb. p. 1035.
b) T. 3 Bibl. Hebr. p. 923.

Cardinalem Rudolphum Pium, Carpensem.

De septem Ecclesiae temporibus et statibus ad Franciscum de Angelis Cardinalem Quinonium, Ord. Minor.

De cognoscendis pestilentibus hominibus, refellendisqne eorum versutiis, ad Cardinalem Andream de Valle.

De Angelico Pastore.

Expositio cujusdam vaticinii Romani subobscuri, et *de vaticiniis SS. Methodii, Cataldi et Cyrilli.*

De optimi Principis diademate, ad Ferdinandum Regem Catholicum.

Vixit adhuc Galatinus A. 1532. quo ád Cardinalem Quinoninum scripsit *de sanctissimo Eucharistiae Sacramento*. Orationem suam *de Dominica circumcisione* ad Leonem X. allegat lib. XI. de arcanis Cathol. veritatis cap. 7.

Et lib. XII. c. 7. *In alio opere quod in sex distinctum libros, juxta articulorum* HOGOSTRATI *distinctionem, propediem DEO favente me in lucem editurum spero, amplissimus dabitur vobis disputandi locus.* Nec hoc unquam lucem vidit.

Epistola ad Joannem Reuchlinum, inter Reuchlinianas.

GALBERTUS Notarius, scriptor *vitae Caroli Boni*, Comitis Flandriae et Martyris A. C. 1127. quae exstat in Actis Sanctorum tom. 1. Martii 2. pag. 189-219. cum notis Henschenii. Vide et infra, GUALTERUS Archidiaconus.

GALEOTUS *Martius*, Narnensis e Narna Umbriae: cum Bononiae bonas litteras docuisset, Praefectus studiis Joannis Corvini, Regis Hungariae F. ad eundem scripsit *de* Patris ejus, *Matthiae Corvini* Regis *egregie, sapienter, jocose dictis ac factis*: qui ex editione Viennensi, Maximiliano II. Imp. dicata, A. 1563. deinde recusus est inter scriptores rerum Hungaricarum, Francof. 1600. f. p. 362-390. Alia ejus scripta sunt, liber *de doctrina promiscua*, Florent. 1548. 8. Lugd. 1552. 12. Francof. 1602. 12. et Italice a Franc. Serdonati Florent. 1615. 8. *De homine et ejus partibus*, Basil. 1516. 4. *De rebus vulgo incognitis* lib. III. ad Matthiam Corvinum Regem, Oporino qui voluerat edere surrepti, sed ex Biblioth. Regis Galliae restituendi. Vide Mich. Neandri praef. ad erotemata Graecae Linguae pag. 219. et Labbei Bibl. MSS. p. 373. seq. *Apologeticum* adversus Georgium Merulam, qui librum ejus de homine reprehenderat, Basil, 1517. 4. De Galeoto et Palinodia ejus, ac morte quam arvina et obesi ventris onus ei attulit, videndus Vossius lib. 3. de Hist. Lat. tom. 1. pag. 659. seq.

* Opusculum de homine an prodierit Basileae an. 1517. ignorare me penitus fateor; compertum tamen habeo eodem ipso anno una cum accusatione Merulae, et apologetico adversus Georgium Merulam typis Taurinensibus prodiisse in 4. Ibi vero in fronte ipsa operis legimus editionem illam praecessisse Mediolanensem *exenteratam* nempe evisceratam, sive quod editio illa mutila prodierit, sive mendis scatuerit. Annus certus ejus editionis Mediolanensis mihi penitus ignotus est. Postquam haec scripseram in fine operis quaedam legi quae exenterationem hanc Mediolanensem explicant. Ita enim ibi: *In hoc volumine continentur haec tria digna et erudita opuscula scilicet Galeottus de homine exteriore et inferiore qui prius impressis deerat. Georgius Merula in Galeottum, et rursus Galeotti refutatio obiectorum in librum de homine a Georgio Merula.*

GAJUS, vide CAJUS, ibid p. 296.

GALFREDUS, *Gallofridus, Gaulfridus, Walfridus, Gaudefridus, Godefridus Goffridus Goiffredus, Joffredus, Gaufredus, Galdfridus, Galfridus, Ganfredus, Gaufridus* Alievantus, (apud Lelandum c. 412. *Alienandus*: Alegri p. 291. *Aleyquantas*.) Carmelita, Doctor Oxon. circa A. 1340. scripsit Commentarios *in Lucam*: et *Lecturam* Sententiarum, sive *in Sententias* Petri Lombardi, cui addidit coronidem, *Syllabum Originalium*. Pitseus p. 438. *Tabulam Originalium* vocat: et *Sermones* quoque ac *Quaestiones ordinarias* hujus Galfredi memorat ex Balei V. 39.

GALFREDUS *Altaecumbae* sive *Altaetumbae* Abbas, infra *Claraevallensis.*

GALFREDUS *Arthurus*, et GALFREDUS *Asaphensis* Episcopus, infra *Monemuthensis.*

GALFREDUS *Aspaldus*, Mathemathicus et Philosophus Anglus, qui docuit Oxoniae

scripsitque *in Aristotelem de generatione*. Illum commentarium evolvisse se testatur Lelandus. Vide Pitseum p. 840.

GALFREDUS Autisiodorensis, a) per annos tredecim B. Bernardi Monachus adeoque non diversus a Galfredo Claraevallensi de quo infra. Idem Doctorem antea habuerat Petrum Abaelardum, de quo haec affert Albericus in Chronico ad An. 1142. p. 296. *Ego mihi Magistrum aliquando fuisse recordor, qui pretium nostrae redemptionis evacuans, nihil aliud nobis in sacrificio passionis commendabat nisi virtutis exemplum, et amoris incrementum. Et quod Scripturae perhibent, humanum genus pretioso illo sanguine de potestate diaboli esse redemptum, in eo solo constare dicebat, quod exemplum nobis exhibitum est usque ad mortem pro veritate et justitia certandi, et adhibitum est velut quoddam amoris incentivum cum ex impenso amore occasio data est reamandi. Sed beatus Bernardus sic imitandum praedicabat Dominum patientem, et reamandum amantem, ut principalem, hujus sacrificii causam velut agni caput, redemptionem in eo profiteretur et adoraret humanam. Tria namque specialia nobis in sua passione Christus exhibuit, exemplum virtutis, incendium amoris, redemptionis sacramentum. Quod tertium si evacuatur secundum magistrum Petrum, non prodesse caetera poterunt: et cum dicatur,* b) caput agni cum pedibus ejus et intestinis vorabitis, *Magister Petrus caput omittens, pedes et intestina vorabat tantummodo.* Vide infra GALFREDUS *Claraevallensis.*

GALFREDUS Babion, Anglus, cujus librum *de potestate Regia*, et *Sermones* laudat e Lelando Pitseus pag. 840.

GALFREDUS, sive GODEFRIDUS *de Bello loco*, (al. *Beaglerius*) Ordinis Praedicatorum, Ludovici sancti, Francorum Regis, per viginti annos ab eleemosynis et confessionibus, scripsit jussu Gregorii X. *de vita et sancta conversatione Christianissimi hujus Ludovici*, qui regnavit ab Anno 1226. ad 1270. et cui morienti sacra *Galfredus* Tuneti administravit. Extat in Andreae du Chesne tom. V. pag. 444-465. post Claudii Menardi editionem Paris. 1617. 4, cum Joinvilio et aliis ad Ludovici IX. historiam facientibus monumentis, de quibus Jacobus Longus pag. 358. Bibliothecae historicae Galliarum. Ex illa excerptam dederat Surius 25. Augusti.

GALFREDUS *Benedictinus*, vide infra, GALFREDUS *Malaterra.*

GALFREDUS *Brito*, Ordinis Minorum, defunctus An. 1316. Ejus Expositio Vocabulorum difficilium sacrae Scripturae, versibus hexametris quae incipit: *Difficiles studeo partes, quae Biblia gestat, pandere.* MS. in variis Bibliothecis. Vide Jacobi le Long Bibliothecam Biblicam pag. 652. et infra GUIDO *de Perpiniano.*

GALFREDUS de Oratorio, Ordinis Benedictini, ab An. 1136. ad 1158. Archiepiscopus *Burdegalensis*, cujus exstant V. *Epistolae* ad Sugerium Abbatem, editae cum Sugerianis: et Sermones quidam MSS. et Commentarius in 50. primores Psalmos Davidis. Vide Oudinum tom. 2, pag. 1193 seq. et infra, SUGERIUS.

GALFREDUS *Burtonensis*, Anglus, qui circa Annum 1216. traditur scripsisse *Vitam S. Moduennae*, sive *Monennae*, Virginis et Abbatissae in Hibernia. Vide supra, *Gulielmus* EDDIUS, tom. 2, p. 493. seq.

GALFREDI *Canonici*, cognomento *de Britolio*, circa Annum 1170. et Subprioris S. Barbarae, et aliorum ad eum Epistolae LII. apud Edmundum Martene tom. 1. anecdotorum pag. 494-555. Epistola XXVIII. *vitam B. Hamonis* mittit, et legendam commendat fratribus Coenobii Baugeziensis.

GALFREDUS *Cardinalis*, infra, *Monemuthensis.*

GALFREDUS Episcopus *Carnotensis*, cui An. 1092. a) deposito successit IVO, interfuit Concilio Senonensi An. 1080. sed nullis scriptis clarus fuit. Alter. autem, qui eidem Ivoni An. 1116. successit GAUFRIDUS, sive GOFFRIDUS *des Lieves*, le-

a) Gaufridi Cantoris Autisiodorensis A. C. 1145. mentio in S. Bernardi Epistola 429.

b) Exod. XII. 9.

a) Vide Sammarthanorum Galliam Christianam t. 2 p. 487. seq. et 489. seq.

gatus Aquitaniae ab Innocentio II. missus est, et vita, doctrina ac prudentia Ecclesiam Carnotensem illustravit, cujus Epistolae quaedam editae a Dacherio tom. 3, pag. 154. seq. et tom. 13, pag. 304. spicilegii (editionis novae tom. III, pag. 480. 489. 490. 492.)

GALFREDUS *Chaucerus*, Poëta nobilis Anglus, vixit adhuc An. 1402. notante Baleo, licet recentius Epitaphium An. 1400. obiisse referat. Pleraque Anglice scripsit edita Lond. 1565. et 1602. fol. Ex illis versus quibus Galfridus de Vinosalvo et Richardus Rex perstringitur, adducit Seldenus praefatione ad decem scriptores p. XLI. Sed nonnulla etiam Latine ab eo composita et omnia fere Latina a) facta ex Anglicis, scribit Pitseus pag. 573. seq. ubi longus, sicut et apud Baleum VII. 24. scriptorum ejus Catalogus, in quibus et Anglica metaphrasis Boëthii librorum de consolatione Philosophiae.

GALFREDUS Autissiodorensis, ex Petri Abaelardi disciplina venit ad S. Bernardum, ejusque per plures annos notarius, inde *Ignacensis* primum Ord. Cisterc. mox *Claraevallensis*, deinde *Fossae novae* in Italia, ac tandem post An. 1180. *Altaecumbae* b) in Sabaudia Abbas. De eo diligenter Oudinus tom. 2, pag. 1494. seq. qui Vitam produxisse probat usque ad An. 1215. quo Joachimi Abbatis dogmata constat damnata esse ab Innocentio III. in Concilio IV. Lateranensi. Scripta ejus haec feruntur:

Vita S. Bernardi libris III. cum libro *de ejus miraculis*: et *sermone* in die memoriae illius sacro, edita a Mabillonio et aliis cum Bernardi operibus, ut dixi tom. 1, pag. 206. seq.

Epistola de morte ejusdem An. 1153. scripta ad Eskilum, Archiep Ludensem, vulgata a Baluzio tom. V. Miscell. pag. 453.

Vita S. Petri, Archiepiscopi Tarentasiensis, defuncti An. 1175. edita a Surio, 8. Maji, Chrysostomo Henriquez in fasciculo Ord. Cisterc atque a Papebrochio in Actis Sanctorum tom. 2. Maji pag. 323. ut Gallicam Belgicamque versionem Vischio memoratas praeteream.

Epistola de transsubstantiatione aquae mixtae vino in sanguine CHristi, ad Henricum Cardinalem Albanensem, apud Baronium ad An. 1188. n. XXVIII.

Ad eundem Cardinalem *de gestis in Concilio Remensi* An. 1148. adversus *Gilbertum Porretanum*, apud eundem Baronium ad An. 1148. et in Conciliorum tomis.

Liber contra Petrum Abaelardum, memoratus Thrithemio c. 387. quem vidi, inquit pag. 1497. laudatus Oudinus, MStum et editioni paratum in manibus Bertrandi Tissier, Prioris Bonifontis in Tierascia, cum altero ejusdem Gaufridi opusculo *de vestibus sacerdotalibus*

Sermones in festum *S. Joannis Baptistae*, et *in festum S. Martini*, editi a Combetisio in Bibl. Concionatoria. Longe plures *sermones* ejus duobus Voluminibus in fol. servari in Bibliotheca Claraevallensi, ab eodem Oudino notatum; qui eos apud eundem Tissierium vidit, Opera Gaufredi junctim vulgare molitum.

Liber *de contemtu Mundi*, et *sermones quidam* et *notulae in orationem Dominicam*, inter scripta S. Bernardo tributa vulgatae.

Libri VI. Commentariorum in Cantica MSti in Variis Bibliothecis, perinde ut *Sermones XIX. in Apocalypsin*. Vide Oudinum tom. 2, pag. 1496. Jacobum Longum Bibl. Biblicae pag. 739. et Carolum Vischium Bibl. Cisterciensis pag. 120.

Liber sepulchrorum Clarae vallis, sive *de personis illustribus in Clara valle sepultis* citatur in Chrysostomi Henriquez Menologio Cisterciensi.

Caeterum Parabolarium sive librum parabolarum ad S. Bernhardum, quem idem Vischius MStum ex Bunderio memorat, ipse pag. 133. rectius tribuerat GUIDONI monacho filiationis Claraevallensis, qui Abbatem suum laudat Julianum sive Jordanum, vel pag. 253. ODONI Ceritonensi sive Shirtonensi Anglo. Certe Gaufredi non esse, probat Oudinus pag. 1498.

a) Parum hoc videtur mihi credibile, qui Pitseum Balei verbis non recte intellectis deceptum suspicor.

b) Vide Edmundum Martene tom. 2 novae collectionis p. 706.

GALFREDUS Sacrista de *Coldingham* in Scotia, *de statu Ecclesiae Dunelmensis* ab Anno 114. ad 1214. in Warthoni Anglia sacra tom. 1. pag. 718-731. subjuncta pag. 732. *Roberti* de GRAYSTANES, Dunelmensis Episcopi, continuatione usque ad Annum 1337. et pag. 756-784. GUILELMI *de Chambre*, usque ad Annum 1559.

Johannis GALFREDI, dicti *Collectarii*, Lectura *in primum et secundum Decretalium* cum Postillis Celsi Hugonis Dissuti. 1514. fol.

Mauritius GALFREDUS, *Dominicanus*, circa Annum 1364. scriptor *vitae S. Ivonis*, Presbyteri Trecorii, in Britannia Armorica, sive minore, defuncti An. 1503. Exstat in Actis Sanctorum tom. IV. Maji 19 pag. 581-608. cum notis.

GALFREDUS *Eglinus*, Anglus, Mathematicus, cujus *prophetiarum* librum Pitseus pag. 841. memorans hoc affert specimen : *Asinus coronatus turbabit regnum.*

GALFREDUS Anglus, Monachus *Finchalensis*, infra pag. 27.

GALFREDUS, sive GODEFRIDUS *de Fontibus*, Anglus, Ordinis Minorum, Theologus et Guardianus Parisiensis, dictus *Doctor Venerandus* teste Waddingo pag. 143. Scripsit *de Infantia S. Edmundi*, Archiepiscopi Cantuariensis, qui An. 1240 obiit: Expositionem *in regulam S. Francisci*, *in IV*, *libros Sententiarum* et *Quodlibeta.*

GALFREDI, Abbatis *Fontismensium*, Commentarium *in Proverbia* MS. in Bibliotheca Claraevallensi, memorat Jacobus le Long Bibliotheca Biblica pag. 739.

GALFREDUS *Grandefeldus*, patria Anglus, Augustinianus in Coenobio Northamptonensi circa Annum 1340 cujus *Lecturas Theologiae*; *Sermones*, *Determinationes* et *Epistolas* memorat Baleus V, 51. Pitseus p. 444. Elssius encomiastico Augustiniano pag. 226.

GALFREDI *de Grimovilla*, aliunde mihi non noti, *Summam* in Bibliotheca Sangermannensi Cod. 344 evolvisse se Cangius testatur.

GALFREDUS *Grossus*, Monachus Tironiensis in Gallia, Ordinis Benedictin. circa An. 1130 scripsit *vitam B. Bernhardi, Abbatis primi Tironiensis* in dioecesi Carnotensi Galliae, defuncti An. 1114 ad *Gaufredum*, Episcopum ab An. 1116. Carnotensem, editam cum notis a Johanne Baptista Soucheto, cum Catalogo Abbatum Tironiensium, Parisiis 1649, 4. et in Actis Sanctorum tom. 2. Aprilis 14. pag. 222 cum notis Henschenii. Vide Oudinum tom. 2. pag. 1113.

GALFREDUS *Hardeby*, sive *Hardibius*, Anglus, Monachus et Provincialis Augustinianus, et Regi Angliae Eduardo III, a Confessionibus, Theologus clarus circa Annum 1360 teste Lelando c. 420 qui ejus librum *de perfectione Evangelicae paupertatis* memorat. Et hunc et alterum *de vita Evangelica* Richardo Armachano oppositum ab eo fuisse, Elssius pag. 227 encomiastici Augustiniani e Pitseo testatur. Caetera scripta ei tributa sunt : *Lecturae in Vetus et Novum Testamentum*, *Postillae Scripturarum. Ordinariae quaestiones. Quodlibeta Oxoniensia. Determinationes. Sermones de tempore et de Sanctis* : et Liber *de rebus gestis Ordinis Augustiniani.* Vide Baleum VI, 6 et Pitseum pag. 491.

GALFREDUS *Hemlingtonus*, S. Albani in Anglia Monachus Ord. S Benedicti, circa An. 1150 a Pitseo p. 215, seq. traditur scripsisse *historiam Alexandri Magni libris quinque* ad Radulphum Abbatem : a Baleo X, 50 *de gestis Macedonum* ad eundem Radulphum, quem ipsum auctorem operis habuit Gualtherus, ejusdem Abbatiae Bibliothecarius. De alio hujus nominis Alexandreidos auctore infra, *Philippus* GUALTHERUS.

Joannes GALFREDUS, supra *Galfredus Collectarius.*

Magister GALFREDUS sive *Stephanus Landavensis*, frater Urbani, Landavensis Ecclesiae circa An. 1119. Episcopi, *de Vita S. Theliavi Episcopi Landavensis*, circa An. 560 in H. Warthoni Anglia sacra t. 2. pag. 662-666.

GALFREDUS *Lingius*, Anglus, Ord. Minor. auctor. *Chronici* ab orbe condito ad An. 390. Vide Vossium pag. 543.

GALFREDUS *de Malaterra*, e Norman-

nia, Gallus, Monachus Ord. Bened. scripsit de conquaestu regnorum Siciliae, Calabriae et Apuliae, sive *de Roberti* Guiscardi et fratris ejus *Rogerii* Bossi, Principum Normannorum *rebus* utraque *Sicilia* tempore suo *gestis* ab An. 1099 libros IV, ad Georgium, Catanae Episcopum, editos primum dicatosque Antonio Augustino ab Hieroymo Surita, Caesaraugustae 1578. fol. cum ALEXANDRO *Telesino*, et in tomo tertio Hispaniae illustratae, Francofurti 1606. fol. inde in Carusii scriptoribus Siculis, Panormi 1723. fol. et in Muratorii scriptoribus Italiae tomo V. addita etiam utrobique alterius scriptoris appendice ab Anno 1027. ad 1262. nec non in tomo quinto Thesauri Antiquitatum Siciliae Burmanniani. Novam emendatiorem editionem ex duobus MStis parabat Antonius de Amico, Messanensis. Duos ex hoc uno Galfredos facit Vossius p. 390 et 770.

GALFREDUS *Marshallus*, Anglus, Monachus Ordinis Benedictini, Glasconiensis, Philosophus, cujus *Repertorium Dialectices* et *Repertorium Geometriae* a Pitseo p. 842. celebratur.

GALFRIDUS, Monachus Finchalensis Ord. Cisterc. scripsit *Vitam S. Godrici*, Eremitae in Anglia An. 1170. extincti, quam ex prolixiore relatione REGINALDI, Monachi Dunelmensis, ait se contraxisse. Exstat in Actis Sanctorum tom. V. Maji 21. pag. 70-85.

GALFREDUS *Monemuthensis* a) Archidiaconus, postea Episcopus *Asaphensis*, b) sive, quod idem est, *Elviensis*, c) circa Annum 1151. cujus exstat *Chronicon* sive *Historia Britonum* ab Ænea et Bruto ad mortem Cavalladri, An. CHristi 189. subiuncta hac peroratione: *Reges autem illorum, qui ab illo tempore in Gualliis successerunt KARADOLO Lancarbanensi*, contemporaneo meo *in hac materia scribendos permitto. Reges vero Saxonum GUILLERMO* Malmesburiensi *et HENRICO* Hontendonensi: *quos de Regibus Britonum tacere jubeo, cum non habeant illum librum Britannici sermonis, quem GUALTERUS, Oxenofordensis Archidiaconus ex Britannia advexit, quem de historia eorum veraciter editum in honore praedictorum Principum hoc modo in Latinum sermonem transferre curavi.* Ex Britannico idiomate Latine translatum lib. XII. ad Robertum, Claudiocestriae sive Glocestriae Ducem, editumque in Britannicarum rerum scriptoribus apud Commelin. et Lugd. 1587. fol. una cum *Pontici* VIRUNII Tarvisini a) historia Britannica, ex Galfrido in compendium (omissis fabulosis) contracta et divisa in libellos VI. p. 93. Virunii compendium prodierat Augustae Vindelicorum 1534 et Heidelbergae 1542 et ex Davidis Porelli recensione Lond. 1585 8. Galfridi historia ex IV. Codicibus MStis edita apud Ascensium ab Ivone Cavellato, Parisiis 1519, 4. in libros IX, dividitur ita, ut liber primus libros Commelinianae editionis quatuor primores complectatur. Itaque de CHristi sacris per Lucium in Britanniam illatis editio Parisiensis disserit libro secundo, Commeliniana quinto libro: In Parisiensis libro quarto exstant Prophetiae Ambrosii MERLINI, a Galfredo dicatae Alexandro Lincolniensi: quae in Commeliniana occupant librum septimum, ut de Arthuro est liber IX, seqq. de quo Parisiensis lib. VI, sq. Exstat saepissime MS. in Angliae Bibliothecis. b) *Nonnum Galfredum* appellant alii: c) alii *Galfredum Arthurum*, quod Arthuri Regis gesta d) diligentius descripsit: *Cardinalem* e) etiam sunt, qui faciunt, quod tanquam non satis certum omitto. Quae in Chronico Sigeberti Gemblacensis ad Annum 470 seq. de Rege Arthuro et aliis rebus Britannicis ex

a) Monemuthensem ab Asaphensi male distinguit Hallervordus de Hist. Lat.

b) Chron. Normann. apud Andream du Chesne pag. 986. Matthaeus Paris. ad Annum 1551. *Eodem anno Gaudefridus Arthurus factus est Episcopus Sancti Asaph in Norvallia, qui historiam Britonum de lingua Britannica transtulit in Latinam.*

c) Lelandus de scriptoribus Britannicis c. 161.

a) Diarium Eruditorum Italiae t. XXIV. p. 255.

b) Vide Oudinum tom. 2 p. 1415.

c) Arnoldus Wion tom. secundo lingni Vitae pag. 871.

d) Fallitur Sandius, qui pag. 350. ad Vossium suspicatur *Arthuri* nomen corruptum ex Archidiacono.

e) Eggs. purpura docta tom. 2 p. 69.

Galfredo leguntur, scriptore profitente se nec lectori velle subtrahere *historicam narrationem quae nuper de Britannico* f) *in Latinum translata est*, haec non possunt esse a Sigeberto illo qui An. 1113 diem obiit, nec leguntur in Veteri Codice S. Victoris Parisiensis, ut testatur Antonius Rufus in praef. ad editionem Sigeberti primam, Paris. 1513, 4. apud H. Stephanum avum: sed videntur addita fortasse a Roberto de Monte qui Sigebertum continuavit. Ex Guafridi Asaphensis Episcopi de rebus Britannicis Codice Vaticano 944 narrationem *de S. Ursula* refert Baronius ad Martyrolog. Rom. 21 Octobr. et tuetur in Annalibus ad Annum 383 n. 3, seq. Hunc scriptorem Cambdenus in Britannia pag. 116 vocat *virum sane antiquitatis bene peritum, sed fide ut videtur, non antiqua, tot Milesias nugas passim ex ingenio suo interserit.* Sinistre etiam de Gaufredo, ante Cambdenum, et de fide ejus Guilelmus Neuburgensis in prooemio suae Historiae, ubi narrata de Arthuro et Merlini divinatione, commentis et fallaciis adscribit. Similes Joan. Withmanstedii et Joannis Twini de Gaufredo censuras affert Degoreus Whear methodo legendi historias sect. 28 quorum ille *poëticum potius esse* scriptorem *quam historicum*, hic *Homerum Britannicum* et *mendaciorum patrem* esse judicat. Fabulosam ejus historiam vocat etiam Barthius ad Britonem pag. 552. Sed ex ingenio suo interseruisse fabulas negant viri docti, et interpretem potius quam fictorem fabularum habent, quibus vera etiam multa, in recentioribus potissimum temporibus adjuncta pretium adjungunt. Vide Joannem Baleum II, 86. Vossium de historicis Lat. pag. 419, seq. Pitseum pag. 217 et Joan. Priseum in Historiae Britannicae defensione, Lond. 1573, 4. Joannem Lelandum in assertione Arturi, Lond. 1544 4. Lambecium tom. 2. Bibl. Vindob. p. 468 seq. et Guil. Nicolsonum in Bibliotheca historica Angliae, Anglice edita pag. 37 edit. in fol. Quod vero Pitseus scribit a Matthaeo Paris Galfredum appellari *interpretem fidum*, sive ut apud Nicolsonum est, *interpretem verum*, apud Matthaeum non reperio. Caetera scripta quae Galfredo tribuuntur, haec sunt:

Versio *Prophetiarum* a) *Ambrosii Merlini* ad Alexandrum Episc. Lindensem sive Lincolniensem.

Vita Merlini Caledonii (non Chalcedonii, ut apud Wionum tom. 2. pag. 871.) Carmine ad Robertum Lincolniensem.

Commentarius in prophetias Merlini utriusque.

Ad Gualterum Oxoniensem Archidiaconum, Epistolae.

De exilio Ecclesiasticorum.

In fragmentum Gildae. b) Incip. *Gildas vir grandis auctoritatis in historia.*

Diversi generis carmina.

Memoratur etiam *vita Arthuri Regis*, ab Galfredo scripta, sed de Arthuro, dictum ab illo in Chronico, sicut de Merlino quoque. Vide Oudinum tom. 2, pag. 1110.

Liber *de corpore et sanguine Domini* habet potius auctorem GUILELMUM Abbatem S. Theodori ad Remos.

GALFREDUS *de Monte* Abbas S. Honorati, cujus Tractatum *de potestate et auctoritate Concilii Basileensis* An. 1431. habiti memorat Sanderus III. Bibliothec. MSS. Belgii pag. 39. qui incipit: *Quia video nonnullos.* Et *Dialogum* nescio an eodem auctore, *Hierarchiae subcoelestis inter Orthodoxum, Catholicum et Catechumenum.* Incipit: *Instantia mea quotidiana.*

* Galfredi huius tractatus super materia

f) In praefatione miratum se ait Galfridus, *et Beda in Commentariis suis nihil prodidissent de Regibus qui ante incarnationem Christi Britanniam inhabitaverunt, nihil etiam de Arthuro aliisque compluribus: Talia igitur mihi et de talibus multoties cogitanti obtulit GALTERUS Oxoniofordensis Archidiaconus, vir in Oratoria arte atque in exóticis historiis insigniter eruditus, quendam Britannici sermonis librum vetustissimum, qui a Bruto Britonum Rege primo usque ad Cadualladrum filium Cadvallonis, gesta et annales omnium continue et ex ordine perpulchris orationibus nobis proponebat. Rogatu igitur illius ductus, tametsi intra alienos hortulos phalerata verba non collegerim, agresti stylo propriisque calamis contentus, Codicem illum in Latium sermonem transferre curavi* etc.

a) Eadem haec quae in historia lib. IV. (VII.)

b) *Breviarium Gildae* Wionus appellat.

S. Concilii factus in Basilea an. 1436. Fabricio ex uno Sandero, notus, et eius opinione, quantum coniicio, adhuc ineditus, prodiit excusus absque loco et anno in 8. teste Lambekero Catal. Biblioth. civ. Vindobon. pag. 159.

Mauritius GALFREDUS, supra, *Dominicanus.*

GALFREDUS *de Oratorio*, supra, Archiepiscopus *Burdegalensis.*

GALFREDUS *de Romevallis*, Anglus, Ordinis Cisterciensis, cujus *Homilias* typis mandatas a Rainero Wolfio refert Pitseus pag. 842.

GALFREDUS natione Brito, ex Decano Cenomanensi *Rothomagensis* ab An. 1111. ad 1128. Archiepiscopus, sapientia et litterarum scientia, eloquentia et eruditione celebratus. Vide Ordericum Vitalem, cui *Goiffredus* vocatur pag. 840. 846. 849. et 866. seq. et Hommeyi supplementum Patrum pag. 503.

GAUFRIDUS, Diaconus *Toletanus* (Jofre de Loaysa) seculo XIII. labente scripsit supplementum sive Continuationem Historiae Hispanicae ROBERTI *Toletani*, Hispanice quidem, non Latine: sed quem Latine ipso rogante vertit ARNALDUS *de Cremona* Canonicus Toletanus. Vide Nicolaum Antonium tom. 2. Bibl. vet. Hisp. pag. 64. Opus adhuc delitescens MS. in Bibliothecis Galliae et Hispaniae, cujus Caput CCXXI. laudatur ab Arnoldo Olhenarto in Notitia Vasconiae cap. 17. pag. 378. seq.

GALFREDUS *de Trano*, sive *Tranensis*, Subdiaconus Ecclesiae Romanae et Capellanus Pontificis, qui praeter Quaestiones varias scripsit libros quinque *super titulis Decretalium.* Vide Trithemium cap. 491. sive ut Henricus Gandavensis cap. 55. composuit *summam de omnibus quae continentur in codice novi Juris* (Pontificii) *secundum ordinem Rubricarum.*

GAUFREDUS toparcha *Villae Harduini*, a) hoc loco a me pratereundus, quia Gallice non Latine, quanquam bona fide scripsit *Historiam captae* a Francis Venetisque An. 1204. *CPoleos*, libris IX. de quo opere dixi tom. VI. Bibl. Gr. lib. e. 5. §. 31. neque aliud habeo in praesenti quod addam, nisi praeclarum hoc opus, rarissimeque antea, obvium ex Cangii recensione esse recusum superiore anno 1733. Venetiis in nova scriptorum Histor. Byzantinae editione. Omitto propter eandem rationem GALFREDUM, qui circa An. 879. scripsisse traditur historiam veteris Liguriae, de qua vide sis Jacobi Longi Biblioth. Historicam Galliae n. 15256.

a) Meminit Albericus ad Annum 1202. p. 425. et An. 1205. pag. 459. Chronici.

GALFRIDUS sive GUALTERUS *de Vino Salvo* b) (Vine sauf) stirpe Normannus, gente Anglus (unde *Anglici* cognomen) clarus circa initia seculi XIII. et superstes adhuc post An. 1245. Scripsit, cum Romae versaretur, ad Innocentium III. *Poëtriam novam* c) sive carmen hexametrum de arte dictandi, versificandi et transferendi, incipit: *Papa stupor mundi.* Nam quod initium ponunt Carminis de arte dicendi, Baleus III. 38. et Pitseus pag. 262. *Neustria sub clypeo Regis defensa Richardi*, est versus poëtriae 366. Et quod laudant *Carmen ad Guilelmum Cancellarium*, Incip. *Quod Papae scripsi munus speciale*: est in Poëtria v. 2095. (2120. seq.) *Monodia in obitum Regis* (Richardi) v. 366. seq. *Ad Caesarem Henricum pro liberando Rege* v. 2075. seq. (2099. seq.) Quod iidem dicunt carmine et prosa scriptum de arte dicendi a Galfrido, videntur usi Codice, cui adjuncta expositio, vel liber ejusdem argumenti, qui incipit: *Tria sunt circa quae.* Poëtriam carmine hexametro versuum 2114. ex quatuor MSS. edidit Polycarpus Leyserus in historia poëmatum medii aevi pag. 862-978. Halae Magdeb. 1721. 8. Deinde separatim Helmst. 1724. 8. in usum praelectionum pu-

b) Selden. Praefat. ad X. scriptores pag. XXXIX. et tom. 2 Opp. p. 1166. Polycarpus Leyserus in hist. poëtarum medii aevi pag. 855. seq. Perperam de *Nine salvo* apud Johannem Bromtonum pag. 1280. ubi versus ex libro ejus *de eloquentia*, quibus obitum Richardi Regis deplorat, qui leguntur in Poëtria v. 366. seq. Obiit Richardus ille Anno 1200. Aliis corruptius Gaufridus iste appellatur *Mestisauf.*

c) Velut artem tersius genus carminis pangendi, quam rhythmici barbarique quod hactenus invaluerat. Ita Seldenus.

blicarum, in qua editione sunt versus 2138. Specimen operis produxerat Seldenus praef. ad X. scriptores pag. XXXIX. seq. Nam editionem Viennae Austriae apud Wolfgangum Zazium, quam memorat Pitseus, nec ipse nec Leyserus viderant.

De statu curiae Romanae carmen versuum 1026. interlocutoribus Ganfrido et Aprile, editum a Mabillonio tom. 4. Analect. pag. 535. (edit. novae pag. 369-376.) qui illis temporibus tam felicis ac facilis venae poetam extitisse miratur. Ante Mabillonium, quod illum fugit, hoc Carmen ediderat Matthias Flacius inter varia doctorum piorumque virorum de corrupto Ecclesiae statu poëmata Basil. 1557. 8. pag. 418-454. Varias Lectiones utriusque editionis annotavit laudatus Leyserus pag. 979. 985. Auctior est Mabilloniana editio exordio versuum 48. Incip. *Pastor Apostolicus de cardine solis ad undas.* Flacianae initium a versu: *Nuper Apostolica Guafridus sede relicta.*

De Ecclesiae calamitatibus, cujus scripti ipse facit mentionem v. 5.

> Ille mihi dixit: tu qui nuper cecinisti
> Ecclesiae lacrymas, scribe, resume stylum.

Tractatus prosa scriptus *de plantatione arborum et conservatione fructuum, ubi de modo inserendi arbores aromaticas, fructus conservandi, vites et vina cognoscendi, vina inversa seu deteriora reformandi* MS. Cantabrigiae, notante Caveo. Ab hoc scripto cognomen ei *de Vino salvo* tributum, verisimilis conjectura est Oudini t. 2, p. 1677.

Historia seu *itinerarium* Richardi *Anglorum Regis in terram sanctam*, ab An. 1177 ad 1190. sine auctoris nomine et mutila in Bongarsii gestis DEI per Francos tom. 1, pag. 1150. sed integra et Gaufrido auctori restituta in Thomae Galei scriptoribus Histor. Angl. tom. 2, pag. 247.

Carmen duplex, hexametrum alterum, alterum elegiacum in ejusdem *Richardi*, gloriosi Regis laudem. ibid. pag. 430.

A Pitseo memorantur praeterea nescio quod *Enchiridion* quod cum *Medulla Grammaticae* MS. in Angliae Bibliothecis: tum *liber de rebus Ethicis*, cujus etiam mentionem facit Baleus: nec non *de promotionibus et persecutionibus* Galfridi *Eboracensis Archiepiscopi.* Sed *poëma super Maccabaeos* quod sub Galfridi nomine in Bodlejana exstat, Oudinus pag. 1679. notavit esse Petri de Riga: sicut poëma *de gestis Alexandri* M. non Galfridum auctorem habet sed GUALTHERUM, de quo infra.

GALFREDUS Coenobita Monasterii S. Martialis Lemovicensis et Prior ab Anno 1167. *Vosiensis* (Vigeois) in Dioecesi Lemovicensi, scriptor insignis Chronici a Roberto Pio sive An. Chr. 886. ad 1184. ad sacrum S. Martialis Conventum et universum Clerum Lemovicini climatis. Edidit Labbeus tom. 2. Bibliothecae novae MSS. pag. 279-342.

GALFRIDUS *Watertonus*, Buriensis in Anglia Monachus Ord. Bened. circa A. 1350. Ej. *Homilias* et *in Salutationem Angelicam* laudat Lelandus c. 330. Praeterea *Moralitates Psalterii* memorantur a Baleo V. 93. nec non *Collationes Monasteriales* et *Mariale.* Eadem ex Baleo Pitseus pag. 474.

Joannes de GALLANDIA, infra GARLANDIA.

GALLUS *Antipater*, qui circa An. 300. Imperatorum quorundam Vitas scripserat, *ancilla*, a) *honorum* et *historicorum dehonestamentum* dicitur a Trebellio Pollione in Claudio secundo c. v.

GALLUS Hibernus, Confessor, S. Columbani Discipulus, Abbas apud Arbonam in Germania, defunctus A. C. 640. aetat. 95. b) cuius memoria recolitur in Martyrologiis XVI. Octobris. Ejus vita libris duobus a WALAFRIDO *Strabo* scripta exstat apud Surium 16. Octobr. et in Thomae Messinghami florilegio sanctorum Hiberniae pag. 255. et pag. 294. Memoria ex Notkero

a) *Ancilla*, ancillariolus pro assentatore, unde *ancillari*. Vide Casauboni et Salmasii notas. Sunt qui legunt, *Gallus Annius, pater ancillariorum.* Sed Trebellius, ut Cellario probe observatum, imitatus est locum Salustii, cui Fusidius dicitur *ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum* lib. 1. hist. cap. 9. ita enim recte *pro bonorum* legendum esse vidit Rivius, quod secuti novissime Clarissimi Viri, Wassius pag. 12. et Gottlieb Cortius p. 942.

b) Caveus ex Balei XIV. 14. et Jacob. Waraeus de scriptoribus Hiberniae p. 20.

ad 16. Octobr. et de translatione ejus 16. Novembr. atque RATPERTI c) versus de festivitate S. Galli. Et pag. 415. *Sermo* ab eo dictus in templo S. Stephani in consecratione Joannis Episcopi Constantiensis An. 614. Hunc primus ediderat Canisius T. V. antiquar. Lect. parte 2. pag. 986. (edit. novae Basnagianae tom. 1. pag. 784.) deinde recusum in supplemento Bibl. Patrum Paris. tom. 1, pag. 678. et in Lugdunensi Bibl. tom. XI. pag. 1046. et separatim cum Casp. Barthii notis Francof. 1623.8. *Ecclesiae vero gubernandae formam* et *monita salutaria ad Wulmarum* Presbyterum, quae memorat Baleus, intercidisse vel certe edita non esse existimo, certo inter Galli opuscula a Barthio edita, quod vir praeclarus conjiciebat, non exstant, nihil enim Galli praeter sermonem, jam memoratum Barthius edidit. *Epistolam* brevem *ad Desiderium* ab An. 1635. Cadurcensem Episcopum, quem *Dominum semper suum et Apostolicum Patrem* Gallus *peccator* appellat, vulgavit Jacobus Usserius in Epistolis Hibernicis pag. 23. In ea mentio de clade Massiliensi. Hujus S. GALLI celebre *monasterium* in Suevia Ord. Bened. de quo Goldastus in Alemannicis. Vide supra tom. 1, pag. 7 atque epigrammata et hymni sacri, illustrium Virorum illius Monasterii in tom. V. parte 2. Antiquar. Lect. Henr. Canisii, (edit. novae tom. parte 3. p. 185. seq.) *Chronicon* brevissimum monasterii S. Galli ab An. Chr. 691. ad 814. apud Baluzium tom. 1. Misc. pag. 494. 495. Denique *Jodoci Mezleri*, Coenobitae San-Galliensis de Viris illustribus Monasterii S. Galli libri duo An. 1606. in scripti et editi Bernardi Pezii tom. 1. Anecdotorum parte 3. p. 555

GALLUS junior, natione Germanus, Abbas Ord. Cisterc. Coenobii Aulae Regiae prope Pragam in Bohemia, Regum Mausoleis celebris, circa An. 1370. scripsit *Resolutiones dubiorum et difficultatum quae a statu religioso quempiam avocare possent.* Praeterae *Malogranatum* sive Dialogum inter Patrem et Filium, tribus libris: de statu triplici incipientium, proficientium et perfectorum. Prodiit Colon. 1476. fol. et 1481. sine loco 4. et 1487. fol. Laudat Trithemius cap. 652. *sermonesque* ejusdem Galli *ad fratres* memorat. Malogranatum etiam in Belgicam linguam versum narrat Vischius Bibl. Cisterc. p. 118. qui argumenta librorum ejus refert his verbis, Agit autem primus liber, de statu incipientium, sub tribus distinctionibus, 1. est. de conversione hominis ad Deum, 2. de contritione et confessione; 3. de satisfactione.

Liber 2. agit de statu Proficientium, tribus etiam distinctionibus, quarum prima agitur, de vitiorum detestatione, 2. de virtutum operatione, 3. de Tentationum perpessione.

Liber 3. agit de Statu perfectorum, sub tribus distinctionibus; Prima est de cordis munditia, 2. de Dei et proximi charitate, 3. de Creatoris omnium contemplatione.

*Huius, ut arbitror, Galli nomine Magistri Galli praenotati, sermones quidam de tempore servat MS. Codex meus membranaceus eodem illo, quo Gallus vixit tempore scriptus. sunt vero sermones XIX.

Jodocus GALLUS Rubeaquensis, Theologus et Antistes Spirensis, cujus opusculum *Nosce te ipsum* lucem vidit Heidelbergae 1480. ipse diem obiit An. 1516. Vide Cornelii Beughemii incunabula typographiae pag. 64.

GALLUS Aruernorum sive Claromontensis Episcopus, si Surium et Vossium sequimur S. Boniti, laudatiss. Aruernorum seculi octavi initio Episcopi vitam scripsit: Sed coaevus anonymus scriptor Vitae S. Boniti in Actis Sanctor. tom. 1. Januar. 15. pag. 1070. in prologo tantum testatus est *vitam Elidii* (sive Illidii, vulgo S. Allyre, cujus memoria V. Junii colitur) *et Galli*, Episcoporum Arverniae, *luculento stylo prolatam* exstare, vitam autem Boniti a Gallo scriptam non memorat. Galli hujus primi a) istius nominis Episcopi Claromontani ex Gregorii Tur. Vitis Patrum cap. 6. Vita obvia cum notis, in Actis Sanctor. 1. Julii pag. 105.

c) Confer Biblioth. Patrum Lugd. tom. XXVII p. 510. seq.

a) Vide Sammarthan. tom. 2 Galliae Christ. p. 524. seq. et de Gallo II. Aruernorum Episcopo circa A. 649. p. 526.

GALO sive GALLO, GUALO, UVALO *Carnotensis*: discipulus Ivonis: ex *Bellovacensi* Episcopo denique, commendante Epistol. 144 Ivone Episcopus *Parisiensis* A. 1105. atque *Cardinalis* et Legatus Paschalis II. ad Boleslaum Ducem Poloniae, defunctus An. 114. Ejus *Decretum* quo Monialibus propter libidinum intemperantiam ab Ecclesia S. Eligii Paris. expulsis *Monachos Fossatenses* XII. cum Priore instituit, exstat apud Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae p. 425. seq.

GALO S. Mariae in Porticu Diaconus a) Cardinalis, Innocentii II. in Franciam An. 1208. Legatus, quem Rigordus apud Chesneum tom. V. p. 49. vocat *jurisperitum*, *bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum, Ecclesiae beati Dionysii benevolum et devotum.* Hujus *Statuta Synodalia* sive *Constitutiones*, capitula decem leguntur in tomis Conciliorum et in Bibliothecis Patrum Paris. 1589. et 1644. tom. VI. subjunctis GUILELMI ab An. 1220. Parisiensis Episcopi additionibus Capitulorum XVI. Confer Bulaeum tom. 2. Academiae Paris. p. 16. et tom. 3. p. 44.

GALTERUS, GALTHERIUS, infra GUALTERUS.

GALVANUS sive GUALFANEUS *Flamma*, Mediolanensis, Ord. Praed. diem obiit An. 1344. scripsit *Manipulum florum*, qui *flos florum* aliis, sive *Chronica Mediolanensis*, ab Originibus Urbis ad A. C. 1336. quam cum ANONYMI continuatione usque ad Annum 1371. vulgavit celeberrimus Muratorius XI. Scriptorum Italiae. Ejusdem laudatissimi Viri industriae debemus tom. XIV. ejusdem thesauri editum Gualfanei *Commentarium de rebus gestis Azonis*, (cui Manipulum florum An. 1330. auctor dedicaverat) *Luchini et Johannis*. Vicecomitum Mediolanensium ab An. 1328. ad 1342. Caetera ejus scripta, inedita omnia, apud Jacobum Quetifum tom. 1. pag. 617. seq. aliosque memorantur haec: *Historia Universalis, Chronica Imperatorum, Chronica Ordinis Praedicatorum* et *Vita S. Dominici: Chronica extravagans* in tres partes distincta. *Politia novella. In Aristotelis Ethicam, Politicam, Oeconomicam, Rhetoricamque* et *in Libellum de Sphaera. Summa casuum conscientiae. Sermones de tempore et de sanctis.* Vide Philippum Picinellum in Athenaeo eruditorum Mediolanensium pag. 231. seq. Caeterum scriptorum quibus in manipulo florum Galvanus profitetur usum se esse, afferuntur hi tituli: 1) Gotofredi liber qui dicitur memoria seculorum. 2) Titus Livius. 3) Jacobus Januensis. 4) Paulus. 5) Historia Ecclesiastica. 6) Historia Romana. 7) Stephanardus Ord. Praed. 8) Bonvesinus. 9) Jacobus Laudensis. 10) Registrum Communitatis 11) Ptolemaeus Episcopus Ord. Praed. 12) Sicardus Episcopus, Cremonensis. 13) Acucipius. 14) Martiniana, Ord. Praed. 15) Eutropius. 16) Graphia aurea Urbis. 17) Dacius. 18) Arnolphus. 19) Chronica Paduana. 20) Registrum Potestativum. 51) Historia beati Barnabae. 22) Historia omnium Archiepiscoporum Mediolanensium.

GALVINUS sive GAVINUS *Duglas*, supra DOUGLAS tom. 2. pag. 477.

Angelus GAMBILIO sive da GAMBELLONA, (de GAMBELLIONIBUS) a) Aretinus. Vide ANGELUS.

Petrus Andreas GAMMARUS a Casali Bononiensis, discipulus Joannis Campegii JCtus ab An. 1500. ac deinceps, scripsit adhuc tiro *de veritate et excellentia Legalis scientiae*, deinde *tres Topicorum libros* ad eruenda in Legum facultate argumenta, tum *de extensionibus* quem subtilissimum et utilem tractatum vocat Marcus Mantua p. 44. nec non *de rerum permutatione*. De filiis ejus JCtis *Laurentio* et *Thoma* aliisque filiis tribus dignitate et virtute illustribus *Antonio Maria, Bartholomaeo* et *Marco Antonio* videndus Pancirollus II. 133. De *Bernardino Glaricino* GAMMARO, Bononiensi qui in Patria et Florentiae jus docuit, atque An. 1528. rebus humanis va-

a) Non diversus videtur apud Guil. Armoricum T. V. Chesnei p. 89. GVALA *Cardinalis Presbyter*, quem in Franciam a Papa missum scribit ad Annum 1216. Caeterum fallitur G. Joseph Eggs qui Tom. 1. purpurae doctae p. 59. Statuta illa Synodalia refert ad Galonem Canotensem.

a) Supra tom. 1 p. 95.

ledixit, adi Mantuam pag. 452. Hujus ni fallor Gammari est *excussio materiae de servitute.*

Henricus GANDAVENSIS, infra, HENRICUS.

Historiam Ecclesiae GANDERSHEIMENSIS Cathedralis ac Collegiatae Diplomaticam debemus Clarissimo Viro *Joanni Christophoro Harenbergio* a) qui eam magno conquisitam studio atque fide elucubratam edidit hoc ipso anno Hannoverae 1734. fol. In ea praeter varias disquisitiones, veteribus monumentis et diplomatibus, atque Actis Publicis illustratas, exstat erudita *de Abbatissis Gandersheimensibus* tractatio, cui pag. 451. *Hutumodae*, primae Abbatissae vita ab AGIO Presbytero a) et Monacho Corbejensi scripta, et a celeberrimo Joanne Georgio Eccardo in quaternione veterum monumentorum Lips. 1720. fol. primum edita, praemittitur una cum *dialogo de obitu ejusdem* scripto versibus Elegiacis pag. 460. nec non HROSWITÆ Canonissae Gandersheimensis de constructione primordiisque ac fundatoribus Coenobii Gandersheimensis. Carmen Hexametrum ex duobus MSS. emendatius post editiones illustris Leibnitzii tom. 2. scriptorum Brunsuicens. p. 319. An. 1710. fol. et laudatissimi Viri Jo. Georgii Leuckfeldii in Antiquitatibus Gandersheimensibus, vulgatis Germanice Guelpberbyti 1709. 4. pag. 410. Vide et infra HENRICUS *Bodo*.

Albertus GANDINUS sive de GANDINO Aretinus, vel ut alii Cremensis, a) JCtus in causis criminalibus cognoscendis Perusii, Florentiae, Senis et Bononiae magna scientiae laude claruit post An. 1300. Liber ejus *de maleficiis*, quem post ODONEM et GUIDONEM Guzarium composuit, inter praeclaros de hoc argumento habetur, prodiit et plus simplici vice separatim, et cum Angelo de GAMBILIONIBUS Venet. 1573, 4. 1598, fol.

GANFREDUS, supra GALFREDUS.

Guilelmus de GANNATO sive GANNATENSIS Ord. Praed. circa An. 1370 praeter Commentarios in IV, libros sententiarum, aliosque tractatus speculativos et morales, scripsit *de vera innocentia matris DEI*, ubi XL, auctoritatas adversus sententiam de immaculata conceptione: cui Minorita nescio quis opposuit *Repercussorium adversus adversarium innocentiae Matris DEI.* Vide Quetifum tom. 1. pag. 674, seq.

GANSFORTIUS, vide *Joannes* WESSELUS.

Dinus de GARBO, Medicus Florentiae, An. 1360. Vide DINUS, tom. 2. pag. 446.

Thomas de GARBO, Dini f. de cujus *summa Medicinali*, et aliis scriptis, post Lindenium et Merklinum, Joannes Jacobus Mangetus Biblioth. Medicae tom. 1. pag. 431 et Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum pag. 513. Hic est Thomas Florentinus, quem non inferiore ingenio famave Patri scribit Philippus Jacobus Bergomensis ad An. 1355.

GARCIAS, infra, GARSIA.

GARGILIUM *Martialem*, quo loco habuerit Vopiscus, docet in vita Probi c. 2. *Mihi id animi fuit, non ut Sallustios, Livios Tacitos, Trogos atque omnes disertissimos imitarer viros, in vita Principum et temporibus disserendis: sed Marium Maximum, Suetonium Tranquillum, Fabium Marcellinum*, Gargillium Martialem, *Julium Capitolinum, Ælium Lampridium caeterosque qui haec et talia non tam diserte quam vere memoriae prodiderunt.* Alexandri Severi vixisse temporibus, et vitam illius Imperatoris, qui A. C. 235 obiit, tradidisse docet Lampridius in Alexandri vita c. 37. *Habuit quotidie milii sine pipere sextarios quatuor, cum pipere duo: ne sit longum omnia inserere quae* Gargilius Martialis, *ejus temporibus scriptor singulatim persequutus est; omnia illi ad modum et rationem sunt praebita.* Nullam video causam dubitandi, idem ne sit hic de quo Cassiodorus c. 28. Divin. Lect. *De hortis scripsit pulcherrime Gargilius Martialis, qui et nutrimenta olerum et virtutes eorum diligenter exposuit.* Hoc opere usum se profitetur Palladius, qui in libris de re

a) Vide infra, WICHBERTUS.

a) Vide Pancirollum II. 46. de claris Juris Interpretibus.

rustica Gargilium frequenter laudat, edit. Commelinianae pag. 544, 545, 576, 578, 581, 589, 593, 598, 618, 619, 636. Laudat et librum ejus *de Hortis vel Hortorum cultura* Servius ad Georgicor. IV, 148. Ex corpore Gargilii hujus excerptum *de cura boum* fuit MS. in Biblioth. Jsaaci Vossii, hodie in Biblioth. Leidensi. Sed Martialis hujus reliquias typis Lipsiensibus exscriptas proxime videbimus in luculenta scriptorum rei Rusticae et Vegetii veterinarii editione, quam parat vir eruditissimus Joannes Matthias Gesnerus. De aliis Gargiliis et Gargilianis, Joannes Glandorpius in Onomastico historiae Romanae pag. 378.

GARINUS Ord. Praed. jussu Hugonis ab An. 1331 ad 1341. Magistri Ordinis scripsit An. 1340. Legendam *de vita et miraculis B. Margaretae* Virginis Ord. Praed. filiae *Regis Ungariae,* defunctae An. 1271. Exstat apud Surium 28 Januar. et in Actis Sanctor. tom. 2. Januar. pag. 900-906.

GARIOPONTUS, *Wariampotum*, *Raimpotum*, *Warmipotum*, *Guaripotum* alii appellant. *Garnipulus manipulos Galeni surripiens* dicitur Valesco de Taranta. *Garinponum* vocat Matthaeus Silvaticus Mantuanus, jubilatus et classicus inter Medicos sui temporis. Vixit autem Silvaticus circa An. 1330 quo tempore paulo antiquiorem esse Gariopontum putabat Reinesius pag. 359. Var. Lect. et lib. III. cap. 12. Sed in illarum defensione, Andreae Rivino opposita, ad Seculum undecimum referri debere ostendit ex testimonio Petri Damiani, qui An. 1072 obiit. In hujus enim Epistolis libri V. Epistola 16 ad Pandulfum Clericum haec verba reperiuntur, quae etiam Barthius laudat ad Zachariam Mitylenaeum pag. 279. *Dicam quod mihi Garimpontus senex, vir videlicet honestissimus et apprime literis eruditus medicus retulit.* Africanum nescio quo auctore faciunt Lindenius, Merklinus, Mangetus: In Italia scripsisse, sed a Salernitanis doctoribus venenorum, eruditionem accepisse, putat Reinesius, qui Salerni in regno Neapolitano, collegii Salernitani membrum postea factum fuisse Gariopontum indubitanter affirmandum censet pag. 144 defensionis. Christianum esse scriptorem, minimeque graece, quod voluerunt aliqui, sed latine scripsisse ostendit Barthius IV, 14. Adversar. Ejus *passionarius de aegritudinibus a capite usque ad pedes* post Lugdunenses editiones prodiit Basileae An. 1531, 4. 1536, 8. quem ex Galeni, Æginetae, Alex. Tralliani et Theodori Prisciani libris compositum esse, jam ante annos 400, viderat Simon Januensis, qui Synonymorum librum composuit. Ex Plinio quoque aliqua descripsisse Barthius observat, ex Theodoro autem Prisciano integra capita XIII, comportavit notante Reinesio, a) *sed adeo perverse, ut videre hominis stuporem et indignari simul satis haud possimus, quippe quae non intelligeret omisit consulto, quae intelligere se putaret, male tamen descripsit, in pluribus sententiam sui auctoris plane evertit, interdum ab eo in leviculis dissentit, quasi plagii culpa propterea eum ab eo excmtura forent, et omnino varie exercet mangoninm etc.* Galeno ita usus est Gariopontus, ut Galeni etiam nomine ejus passionarius a quibusdam allegaretur, quod et *duobus libellis dynamidiarum* sive *experimentorum* Garioponti factum esse animadvertit Reinesius pag. 528. Var. Lect. ubi illus libros vero auctori restituit. Passionarius in edit. Lugd. 1516 et 1526, 4. praefert nomen *Galeni,* junctos habens libros tres: de febribus, de febribus typicis, et de symptomatibus febrium. In fronte haec verba editor posuit: *Galeni Pergameni passionarius doctis multum desideratus, aegritudines a capite ad pedes usque complectens, in quinque libros divisus etc. Lege igitur et ni tibi mens hebes fuerit, eundem Galeni et non alterius (ut falso quidam credunt) esse perpendes.* Hic passionarius multum discrepans ab editis fuit in Biblioth. Renati Moreau, teste Labbeo Bibl. MSS. pag. 218. De eodem subjungam locum ex ecloga Oxonio Cantabrigiensi, uti eum adducit Renatus Moreau prolegom. ad scho-

a) Lib. III. cap. 12. Var. Lect. vide et p. 510. 514. 643. 690. etc. defension. pag. 76. 145. etc. Barth. in Adversar.

lam Salernitanam p. 11. *Liber iste merito Passionarius vocitatur, quia de passionibus agit, quem quidam Galenum composuisse asserunt, sed non est verum, quia hujus libri diversi fuerunt auctores, scilicet Alexander, Galenus atque Priscianus, et non simul neque uno consensu, sed semotim de passionibus corporis, et prout cuique est visum, tractaverunt, sed Tehodorus Priscianus collegit, et a semet ipso et a quibusdam additis aliter quam nunc, sic ordinavit. Febres enim utpote universales in tractatu praemisit, deinde caetera quasi particularia subjungit, id est de cephalea et aliis hujusmodi. Secundum quosdam vero non praedicti plures unum librum composuerunt, sed unus scilicet Paulus composuit. Sed sive hi, sive illi composuerunt*, Warmipotus quidam Medicus Salernitanus, *videns eum in multis esse falsum, in pluribus verum, utpote in omnibus inordinatum, cum quibusdam clericis optimis sibi adhibitis hunc librum, in quantum ejus et eorum scientia diligens potuit, emendavit, et ordinem tractatus praedictum transmutavit, et errata diluendo, superflua resecando, ambiguaque reserando, prout nunc ordinavit, a particularibus incipiens ad similitudinem totius integri.*

Joannes Andreas GARISENTUS, Poëta circa An. 1491. non notus mihi nisi ex Clarissimi Koenigii Bibl.

Joanaes GARLANDIUS sive de GARLANDIA (vitiose *Gerlandus* vel *de Gallandia)* Anglus, Grammaticus et Poëta clarus circa An. 1040 cujus haec a Bostono Buriensi in majore Catalogo atque inde a Baleo II, 48 et Pitseo pag. 184, seq. memorantur:

De *Mysteriis Ecclesiae* Carmen ad Fulconem Episcopum Londinensenm, et in illud Commentarius. Incip. *Anglia quo tendis, tua dum.* MS. Cantabrigiae, atque inter Codices Eccles. Vigorniensis et in Biblioth. Bodlej. n. 2195 11 et Guelpherbyti, ex quo Codice prologum et primum caput affert Polycarpus Leyserus in historia Poëseos medii aevi pag. 339.

Unum omnium. Incip. *Commoda neglectis dum quaerunt.*

Epithalamium B. Mariae Virginis. Incip. *Nobilis erigitur Mundi praefecta.* MS. in Bibl. Cottoniana.

De miraculis ejusdem. Incip. *Fecit DEUS mirus mirum, dum.*

Satyricum opus incip. *scribo novam tandem satyram.*

De Poenitentia, carmine elegiaco. MS. in Bodlejana n. 2195, 7. et inter libros Tho. Gale. n. 266.

Aurea Gemma.

Computus, imitatus, Bedam, et tabula Paschalis. MS. in Bibl. Bodlej. n. 2072, 16, 6137, 112. atque inter libros Guil. Laudi num. 1487, 16. et Digbaei num. 1657, 56 nec non Dublini in Collegio SS. Trin. n. 471.

Ortolanus.

Cornutus, sive Disticha hexametra moralia, edita Haganoae 1489. *Morale Scholarium.* Vide Catalogum MSS. Angliae tom. 2. pag. 233.

De accentu, incip. *Ecclesiae sacrae normam qui noscere quaeris.* ibid.

De orthographia MS. in Biblioth. Guelpherbytana, unde primos versus affert Clariss. Leyserus pag. 340.

Si quis in Ecclesia legis usquam verbula diva
Ut vites vitia, sis doctus in orthographia.

Liber metricus in Catalogo MSS. Angliae tom. 2. pag. 246 n. 8599 fortasse ab uno superiorum haud diversus.

Opus Synonoymorum sive multivocorum quod incipit: *ad mare ne videar latices deferre, camino Igniculum etc.* versibus hexametris 707 ex Codice Guelpherbytano edidit laudatus Leyserus pag. 312-338.

Opus Æquivocorum, incipit: *Augustus, ti, to, Caesar vel mensis habeto. Augustus, tus, ui, vult divinatio dici.* MS. eodem Codice Guelpherbyt. id. pag. 338.

Dictionarius sive de *dictionibus obscuris*, non carmine sed prosaria oratione, fragmentum in MSS. Biblioth. Gudianae pag. 575. n. 356.

Diversus, ut videtur, a superiore, licet eundem faciat Oudinus tom. 2. pag. 609, seq. *Joannes* GARLANDIUS, Medicus, cujus *Compendium Alchymiae* prodiit Basileae 1560, 8. cum expositione ARNOLDI *Villanovani* qui circa 140 floruit: atque

iterum Basil. 1571, 8. cum Laurentio Ventura de ratione conficiendi lapidis Philosophici. Inter Codices MSS. Ashmoleanos n. 7642 habetur Anglice hujus Garlandii *liber de Mineralibus*.

* In MS. Codice Taurinensi inter Latinos 968. continetur opusculum hoc titulo : *distigium Magistri Joannis de Garlandia.* Opus est prosa oratione, ut coniicio, non metrice scriptum, nec unquam prodiisse arbitror sicut nec caetera huius scriptoris opera; nisi forte scriptum, hoc ad alterum eiusdem nominis medicae artis scriptorem pertinuerit, quod magis credo. Vix autem credo postremum Joannem de Garlandia authorem *Compendii Alchymiae* diversum esse a priori illo Joanne plurium operum scriptore, ut et libelli *Ortolani*, cum libellus iste nihil sit aliud, quam compendium Alchymiae, cujus praefatio incipit *Ego quidem hortulanus ab horto vel ab arce maritima dictus.* Liber *de mineralibus* exstat impressus in fine operis Synonimorum Basileae 1560 ubi et alter eius libellus *de praeparatione Elixir* a Fabricio praetermissus.

GARNERIUS Monachus scriptor *Vitae S. Valeriani*, editae a Petro Francisco Chiffletio cum FALCONIS Chronico Trenorciensi, Divione 1664, 4. Alius ni fallor de quo Albericus ad Annum 1200. GARNERIUS *Episcopatum Lingonensem dimisit, ita quod autoritatem ordinandi et Ecclesias consecrandi obtinuit a summo Pontifice, qui aliquos novos libros compilavit, et novos tractatus et sermones subtiles satis ipse composuit.* Nullam hujus Garnerii mentionem inter Episcopos Lingonenses invenio apud Sammarthanos tom. 2. Galliae Christianae pag. 661.

GARNERUS, infra, GUARNERUS.

GARSIAS Monachus *Cuxamensis*, circa An. 1040. cujus *Epistola ad Olivam*, Episcopum Ausonensem in Hispania Tarraconensi de initiis Monasterii Cuxamensis, et de sacris reliquiis in eo custoditis edita a Baluzio in Marca Hispanica p. 1072. 1082.

GARSIAS *Eugui*, Bajonensis in Gallia Episcopus circa An. 1392. scriptor *Compendii Historici de rebus regni Navarrae*, nescio an editi. Vide Nicolaum Antonium tom. 2. Bibl. veteris Hispanae IX. 7. §. 374. p. 122. qui pag. 263. memorat alterum rerum Navarrenarum scriptorem incertae aetatis GARSIAM *Lupi de Roncesvalles.*

GARSIAS Hispalensis, JCtus circa An. 1285. *commentarium in V. libros Decretalium* affectum reliquit, summae quam *Pisanellam* vocant nonnulla adjecit, et *in sextum Decretalium* glossas edidit. Vide Trithemium c. 509. et Nicolaum Antonium tom. 2. lib. VIII. 6. §. 242. p. *Bibl. vet. Hisp.* 62. Guidum Pancirollum III. 12. de claris Juris interpretibus. Omitto *Fortunium Garsiam*, JCtum itidem Hispanum, sed juniorem, qui saeculo decimo sexto scripsit, aliosque bene multus itidem juniores, qui Garsiae nomine inter Hispanos non infrequenti sunt usi, de quibus laudatus Antonius in Bibliotheca Hispanica recentioris aetatis.

Petrus GARSIAS de Xantiva, circa An. 1492. oppugnavit theses *Joannis* PICI Mirandulani, lucubrationemque suam dicavit Innocentio VIII. Pontifici.

GARSIAS *Menesius*, Episcopus Eborensis An. 1473. Romae ad Xystum IV. habuit disertam Orationem, Romae eopse anno, atque deinde a Caspare Barreiros Lusitano editam. Huic orationi cum interfuisset Pomponius Laetus, ad Xystum. *Pater sancte*, inquit, *quis est iste barbarus qui tam diserte loquitur?*

Joannes GARSO, (*Garzo* sive *Garzonius*) Bononiensis, Philosophus, Medicus et Historicus, defunctus An. 1506. Ejus vitam nuper tradidit vir eruditus Christianus Schoetgenius. a) Mihi scripta ejus referre satis fuerit. Sunt igitur.

1) *Vitae Joannis Evangelistae*, et *SS. Antonii, Augustini, Laurentii, Gervasii* et *Protasii*, *Agathae*, *Vincentii*, *Dominici*, *Petri* Veronensis Martyris, *Thomae* Aquinatis, *Christophori* Cananei, *Petronii*, Bonon. 1503. et 1505. 4. et pars etiam in Leandri Alberti, qui Garzonem praeceptorem suum laudat. sylloge de Viris illustribus Ordinis Dominicani, ibid. 1517. fol.

a) Diplomatische und curieuse Nachlese der Historie von Ober-Sachsen parte 2. p. 329. seq.

2) *De miseria humana.* Argentor. 1505. 4.

3) *De rebus Saxoniae, Thuringiae, Libonotriae: Misniae et Lusatiae* et *de bellis Friderici Magni* sive *Admorsi lib. II.* ad illustrissimum Federicum Saxoniae Ducem scripti post An. 1486. editique Basil. 1518. 4. cum praefatione *Erasmi Stellae* ad Georgium Ducem: quem Stellam sine magna causa pro auctore horumce librorum habuere: tum ibidem in opere Historiarum An. 1546. 8. et cum Reineri Reneccii notis et vita Viperti Comitis Groicensis sive Groitzschensis Francof. 1580. fol. et in scriptoribus rerum Lusaticarum Christiani Godofredi Hosmanni cum observationibus W. E. Tentzelii, Lips. 1719 fol. et in J. Burch. Menkenii scriptoribus tom. 2. pag. 999. cum notis Reinecii, Tentzelii, aliorumque, Lips. 1728. fol. et Germanice, Henrico de Lindena interprete a) Norimb. 1546. 4. 1550 4. et cum Viperti Comitis vita curante Reinero Reineccio, Islebiae 1584. 4. et in Georgii Hanii Historia Martisburgica Lips. 1606. fol. p. 345.

4) *De dignitate urbis Bononiae, Commentarius* in Clarissimi Muratorii scriptoribus rerum Italicarum t. XXI. b) Mediol. 1732. f.

Caetera ejus inedita adhuc sunt: *De rebus Ripanis. Historia de bello Mauritano* ad Bartholomaeum Ghisillardum. *De rebus gestis Joannis I. Bentivoli*, et *de laudibus ac rebus gestis Joan. Bentivoli II. de gestis Thaddaei*, populi Bononiae Domini. *De bello Bononiensium cum Joanne Galeatio, Alberto Estensi et Francisco Gonzaga: de bello cum Mutinensibus, de bello Veneto, de bello Bononiensium in Claternates. De bello ab Alberto Principe cum Federico et Theodorico liberis gesto. Opus practicum* ex variis auctoribus collectum, quod MS. servatur in Biblioth. Paulina Lipsiensi *Orationes, Declamationes* et *Epistolae* quarum paucae quaedam inter Antonii Codri opera, edita Basil. 1540. 4.

Joannes GASCOINUS, Anglus, JCtus, circa 1382. Oxoniae cum undecimaliis Doctoribus electus fuit sub Guilelmo Bertono Academiae Cancellario, ad causam Joannis Wiclefi cognoscendam, quo in examine haereseos condemnatus est. Inde *librum adversus Wiclefum* Pitseus pag. 541. ei tribuit. Idem ad eum quoque refert *Vitam S. Hieronymi.* sed quam Thomae Gascoini potius esse mox videbimus.

Thomas GASCOIGNUS, sive *Vasconius, Vasconiensis*, patria Eboracensis Cancellariatu Universitatis Oxoniensis functus, et defunctus An. 1457. a) auctor *Lexici Theologici*, ex quo excerpta varia historica nuper cum Gualtero Hemingfortensi vulgavit Thomas Hearne, Oxonii 1732. 8. Ex eodem adhuc inedito Antonius Wood tom. 1. Historiae et Antiquitat. Oxon. pag. 58. seq. affert nonnulla de more *postillandi* in Cathedras Ecclesiasticas Angliae illato jam ab An. 1204. Alia ex eodem Lexico tom. 2, pag. 107. ubi etiam notat scriptam ab eo *Vitam S. Hieronymi*, quam Joanni Gascoino tribuunt Pitseus ac Vossius: tum *Ordinarias Lectiones* et *Sermones in Evangelia.* Vitam Hieronymi ad Thomam diserte referunt Codices MSti, incip. *Anno Dominicae incarnationis* 333. Video etiam Thomae adscribi etiam a Baleo VIII. 22. et Pitseo ipso pag. 651. qui praeterea quoque memorant ejus *Veritates ex Scripturis*, et *de septem fluminibus Babyloniae.* Post haec, notatum ab Oudino tom. 3. pag. 2459. est, inedita in Bibliothecis Angliae servari Thomae hujus: *Epistolam* ad quendam Doctorem Theologiae *de eo quod factum est in Concilio Florentino* An. 1439. *Relationem de decollatione Richardi Scroop*, Archiepiscopi Eboracensis, factae jussu Henrici VI. *Querimoniam de vitiosa electione Archiepiscopi Cantuariensis* An. 1443. *De causis miseriarum, temporibus Regis Henrici VI. De Indulgentiis. Ad Psalmos Davidis, notata quaedam. S. Brigittae* Scotae quoque, cui plurimum tribuebat, *Vitam* ex Anglico Latine vertit et notis illustravit.

GASPAR *de Perusio*, idem *Gaspar de Rossi*, JCtus dein Episcopus Frequentinus in Patria Academia, qui An. 1414. Concilio Constantiensi interfuit, scripsit

a) Chronica Friderici I. des Freudigen, Landgrafen in Thuringen, durch Fab. Gerson.

b) Acta Erud. 1731. p. 449.

a) Emendandum quod Pitseus pag. 651. ait clamisse An. 1460.

tractatum *de Beneficiorum reservationibus* editum in Oceano Juris sive tractatu tractatuum tom. XV, pag. 244.

* Qui opus de reservationibus beneficiorum dedit Gaspar de Perusio Frequentinum Episcopum agebat, ut legitur in MS. Codice Bibliothecae Felini 248. in quo idem opusculum legitur.

GASPAR *Veronensis* Italus; *Chronicon de gestis Pauli II.* Pontificis, qui An. 1471 diem obiit, MS. Romae in Biblioth. Barberina, teste Gabriele Naudaeo apud Lud. Jacobum pag. 320. Biblioth. Pontificiae, cujus primum excogitatorem illo loco vocat Naudaeum. * Commentarium scripsit in aliquot Juvenalis satyras, quem in Vaticano Cod. 2710. servari testis est clariss. Dom. Georgius in Vita Nicolai V. pag. 199.

GASPAR Perusinus circa Annum 1421. designatus Episcopus Fulginas, cuius *de sphaera opusculum* memorat Augustinus Oldoinus in Athenaeo Augusto sive scriptorum Perusinorumque 1678. in 4. edito pag. 134.

* GASPAR *Zacchi* Volaterranus, quo socio in studiis litterarum Graecarum Latinarumque usus est Bessario Cardinalis. Dein a Pio II. apud quem familiaris aliquandiu egit, in Episcopum Auximanum assumptus fuit an. 1465. E Graeco in Latinum transtulit *orationem S. Basilii in Gordium martyrem.* Ejus meminit Raphael Volaterranus in epistola ad Marium Maffeium fratrem apud Falconcini in vita ejusdem Raphaelis. Huius versionis quam typis prodiisse nequaquam judico, nisi forte ea sit, quae cum aliis a Volaterrano adornatis excusa sub eius nomine occuluerit, meminit nemo. Non Possevinus; non Fabricius; non clarissimus operum S. Basilii editor Benedictinus.

GASPARINUS *Bergomensis*, alio nomine *Gasparinus* BARZIZIUS, sive ex Barziza rusculo agri Bergomensis natus de quo dixi tom. 1, pag. 170. Grammaticus ac Rhetor, qui Venetiis primum, mox Patavii, deinde Mediolani bonas litteras docuit, ubi diem obiit supremum An. 1431. Commentariorum suorum *in Terentium* meminit p. 199. Epistolar. edit Rom. 1723. 4. Libello ejus *de compositione* usum se profitetur Albertus de Eiib de quo supra tom. 1, pag. 39. Apud Trithemium cap. 744. praeter a) *Epistolas*, Vivi etiam celebratas, *Orationesque* et librum de *Orthographia*, laudantur ejus commentarii *in Ciceronis Epistolas*, *libros de Officiis*, *de Oratore* et *de Senectute.* Hic est quem idem Thrithemius scribit *Latini sermonis elegantiam semimortuam ab inferis resuscitasse*, primumque omnium hoc fecisse, Jacobus Philippus, popularis ejus in Chronico ad Annum 1416. De tribus Ciceronis de Oratore libris ab eo repertis et ab interitu vindicatis, praeter Sabellicum de reparatione Linguae Latinae, idem Jacobus Philippus Bergomensis, et Flavius Blondus in Italia illustrata pag. 346.

Hujus Gasparini *Vocabularium* Venet. 1554 impressum Simlerus commemorat: nec non *de eloquentia* tractatum quem *de ratione scribendi* Sabellicus vocat, excusum cum Stephani Andreae Flisci de modis loquendi.

* In editione illa Romana quam Fabricius laudat an. 1723. leguntur praeter epistolas familiares Gasparini epistolae pariter ad *exercitationem accommodatae*, quas ex MS. Codice Bergomensi contulisse, atque auxisse vir clariss. Joseph Alexander Furiettus affirmat. Plures sunt epistolarum formulae in hac editione, quam quae in antiquis prodierint. Sed et alias offert MS. Codex meus, quas frustra in editione Furietti quaesivi. Vicissim antem multas habet Furiettus, quae in meo Codice desiderantur. Insuper palantia quaedam folia MS. Codicis praesto sunt mihi exibentia epistolas nonnullas Gasparini, quas nuspiam in editione Romana lego. Sunt etiam nonnullae epistolae huius Codicis mei, quas et, repraesentat Romana editio, sed stylo aliquantum vario, unde suspicio mihi nata, meum hunc codicem ipsum esse, in quo Barzizius Epistolas suas primo, prout sug-

a) De veteri Editione Epistolarum Gasparini Paris. 1470. quam servat Biblioth. Paulina Lipsiensis, vide Jacobum Lenfantium Biblioth. Germanicae Gallica lingua editae tom. 1 p. 130. De nova Romana Act. Erud. t. octavo supplem. p. 494.

gerebat ingenium, scripsit, easque dein secundis curis expolivit; erit quod et liturae, identidem in eodem meo Codice apparentes, non obscure demonstrant. Adiicit. MS. Codex meus formulas exordiorum eiusdem Gasparini opera conditas, quas nunquam in lucem prodiisse arbitror. Incipit: *exemplum exordii quando habemus dubium genus causae.*

GASPARINUS *Borrus* Ordinis Servorum circa An. 1476. Hujus memorantur apud Possevinum *Vitae Sanctorum per annum*, Concionum more. *Sermones praedicabiles super Evangelia. Quadragesimalia. Sermo de Astrologia. Commentarii ad mentem Scoti in IV. libros Sententiarum.*

* Qui in Veneto sui ordinis coenobio sacris monasticis votis sese obstrinxit. Praeter ea quae a Fabricio hic indicantur scripsit Poemata multa et odas de laudibus B. M. V. et BB. sui Ordinis, quae poemata extant impressa Brixiae an. 1498. Vide Gianum in Annalibus eiusdem ordinis.

GAUCELMUS sive GAUCELINUS Lodovensis in Languedocio inferiore Episcopus, cujus *Epistola* ad Hugonem Monachum Salvaniensem, *de statu Novae Jerusalem et de usu Solis et Lunae aliorumque siderum et elementorum quae erunt in futuro*, edita Edmundo Martene tom. 1. anecdotorum pag. 368. cum HUGONIS ejusdem epistola ad Gaucelmum pag. 471.

GAUDENTIUS, S. Philastrii in Episcopatu *Brixiensis* circa An. 1388. successor, defunctus An. 410. 25. Octobr. successore Paulo, de quo consulenda Acta Sanctorum tom. 3. April. 29. pag. 618. Quae de Gaudentio Baronius ad Annum 386. n. 6. seq. ex praefat. ejus et sermonibus de Ordinatione sua et de dedicatione Basilicae repetita sunt, cui jungenda quae erudite de illo vir praeclarus *Paulus Galeardus* Canonicus Brixianus in praefatione ad eiusdem sermones novo studio accurate recensitos atque illustratos Patav, 1720 4. In hac editione post *praefationem* ad *Benivolum* Magistrum Memoriae, sive ut Rufinus lib. 2. histor. Eccles. cap. 16 appellat, *Memoriae scriniis praesidentem*, sequuntur.

1. Tractatus sive sermo a) in Exod. XII. Nocte Vigiliarum, *de Paschae observatione* pag. 24.

2. Egressis a fonte Neophytis, *de ratione Sacramentorum* quae Catechumenos audire non congruit, licet eadem scripta in Evangeliis, patere omnibus videantur pag. 34.

3. De eadem Lectione, Exodi XII prima Dominica Paschae pag. 46.

4. 5 6 7 De eadem Lectione pag. 58 60. 67. 73.

8. 9 *De Lectione Evangelii*, Joh. II. 2. seq. pag. 81.

10. *De Lectione Exodi.* XII. 15. seq. p. 120

11. 12. Excepti Tractatus de diversis capitulis, 1. *de paralytico* pag. 132. 2. ad Joh. XII. 31. *nunc judicium est hujus mundi* pag. 143.

13. Die natali Domini, *contra avaritiam Judae* pag. 150.

14. *De promissione adventus Paracleti* pag. 164.

15. *De Maccabaeis Martyribus*, die Natali eorum pag. 172.

16. Sermo quem *prima die Ordinationis ipsius*, quorundam civium Notarii excepe-runt pag. 180.

17. Die *dedicationis Basilicae Concilii Sanctorum* a) pag. 186.

18. *De villico iniquitatis*, responsio ad *Serminicium* b) quem Gaudentius et mundanae sapientiae litteris eruditum et veram DEI sapientiam per sacras litteras edoctum laudat pag. 201.

19. *De eo quod Dominus JEsus dixit Apostolis*, Joh. XIV. 28. *Quia Pater major me est*, responsio ad *Paulum* Diaconum (quem *fratrem carnis ac spiritus germanitate carissimum* appellat, eundem ut conjicio qui in Episcopatu Brixiensi deinde Gaudentio successit) pag. 216.

20. *De Petro et Paulo Sermo* pag. 235.

a) Sermones Gaudentii contra Dupinii iniquiorem censuram defenduntur a laudato Galeardo in praef. p. XVII. seq. Saepe recusi sunt in Bibliothecis Patrum et novissima Lugdunensi Tom. V. p. 942. atque obvii etiam in Combefisii Bibliotheca concionatoria.

a) Priores edit. *Basilicae sanctorum XL. Martyrum.*

b) Al. *Germinicium.*

editus pridem cum Sermonibus Zenonis Veronensis Venet. 1508.

21. Sermo *de vita et obitu beati Philastrii Episcopi* praedecessoris sui pag. 239 Idem apud Lipomannum: et Surium 18. Jul. et in Actis Sanctor. tom. 4. Julii pag. 387 praemissus etiam a me est Philastrii libro a me recensito Hamb. 1728 8. Huic sermoni Galeardus subiunxit pag. 249. *Carmen Sapphicum* in eundem Philastrium, quod incipit: *Fertilem campum habitator Orbis;* et cuius acrostichis sive primae litterae reddunt nomen: *Filastrius Bricsiensis Praesul* Idem exstat in nova editione Italiae sacrae tom. IV, pag. 326. et in actis Sanctor. 18. Jul. pag. 384. utrobique a laudato suppeditatum Galeardo. De hoc Rampertus hymno c. 10. *sed et rhythmicum hymnum, quem ergo auctoritatis Gaudentium Episcopum fecisse ferunt, cantare de ipso* Petrus Episcopus praecessor noster *consueverat. Gaudentium autem ipsum composuisse nuto*, a) etc. Idem Rampertus c. IX. ait Gaudentium *per quatuordecim annos, forsan et plus, diem transitus* Philastrii *feriatum duxisse, populo siquidem de eo sermonem facientem.* Hujus RAMBERTI ab An. 814. Brixiensis Episcopi sermonem de translatione B. Philastrii, emendatum notisque illustratum Gaudentio subjunxit Galeardus pag. 261. eique comitem dedit ADELMANNI Epistolam, rhythmosque de quibus supra tom. 1, pag. 13.

Plures Gaudentii sermones scriptaque alia intercidisse notavit Galeardus ad XIV. pag. 164. seq. qui in praefat. pag. XIV. seq. etiam supposita illi ostendit *Commentarium in Symbolum Athanasii* et Librum *de singularitate Clericorum* inter S. Cypriani opera. Idem Carmen Sapphicum de S. Philastrio, quod jam memoravi, hac perstringit, censura: *Stylus aperte ac Latinae linguae color ad sequiora tempora pertinent, nec aliquid eo rhythmo Gaudentianum videtur praeter sententias quas rhythmi auctor a Gaudentio in sermone de Philastrio mutuatus est.* Denique reprehendit Barthium Lib. XLII. Adversar. cap. 18. laxae nimis et suspicaci crisi frenos indulgentem hunc in modum: *Illud de his talibus scriptoribus monere non supersedeo, tam non raro inter se similes esse sermones quos* Valeriani, Eucherii, Maximi, Caesarii, Gaudentii, Eligii *et aliorum talium, nominibus proscriptos habemus, ut magna suspicio sit, vel stilum majorum minores aemulatos esse, vel paucorum scriptorum operibus diversos a librariis pro favore locorum, titulos, esse impositos.*

Praeter Gaudentium hunc Brixiensem, cui Rufinus versionem Recognitionum Clementinarum inscripsit, et ad quem exstat Epistola S. Grysostomi CLXXXIV, tom. 3 edit. novae pag. 703 fuere et alii hoc nomine.

GAUDENTIUS *Donatistarum* Thamugadensis in Africa Episcopus, atque inter septem electos illos in Collatione Carthaginiensi An. 411. Hujus *duas Epistolas* ad Dulcitium tribunum et *responsionem* ad Augustinum, confutavit S. Augustinus circa An. 420 libris duobus qui exstant t. nono edit. Benedictin. pag. 431. Amst. Adde Augustini retractationes II, 59. Duas Gaudentii Epistolas versas ex Augustino Germanice exhibet Godfridus Arnoldus t. IV, hist. haeres. pag. 73.

Gaudentius Episcopus *Ariminensis*, qui Acta Ariminensis Concilii An. 359 post solutam Synodum rescidit, propterea a Proconsulis militibus gladio confossus. Vide Baronium ad Annum 359 num. 56 et ad Martyrolog. 14 Octobr. Petrum de Natalibus IX, 63. Tillemontium tom. 6 memoriar. pag. 784, seq.

Gaudentius Novariensis Episcopus, discipulus Eusebii Vercellensis, defunctus An. 417 de quo Ughellus tom. 4. Italiae sacrae pag. 691 et Acta Sanctor. tom. 2. Januarii 22 pag. 417.

Gaudentius, Aufiniensis Ecclesiae sacerdos sive Episcopus a Simplicio Papa An. 475. exauctoratus. Vide Simplicii Epistolam ad Florentium, Equitium et Severum apud Ughell. tom. 10. pag. 28.

Gaudentius Martyr. sub. Nerone apud Aringhum tom. 1. Romae subterraneae p. 340. *Praemiatus es morte, Gaudenti, lae-*

a) l. c. dubito.

tare. Omitto Gaudentium Comitem sive Vicarium Africae An. 400. ad quem rescriptum Honorii in Codice Teodos. *Gaudentium* Graecum scriptorem *Musicum* de quo III, 10. Biblioth. Graecae pag. 265. ubi etiam de veteri Latina MUTIANI versione laudata Cassiodoro: *nec non M. T. Gaudentium* in veteri saxo apud Fabrettum pag. 254. aliosque in priscis Inscriptionibus Brixiensibus apud Gruterum pag. CCCLVI, 3 et Octavium Rubeum p. 346 295 aliisque apud Gruterum p. DCCCXLVIII. 11.

Benedictus qui et GAUFERIUS, *Guaiferius, Gaviferius*, Salernitanus, Monachus Casinensis, circa An. 1060 scripsit teste Petro Diacono de viris illustribus Casinensibus cap. 29 ad Stephanum Trojanum Episcopum *Vitam S. Secundini* Ecanensis, sive Trojani Episcopi, et *cantum ejus*: *Versus in laudem Psalterii. De miraculo illius qui se ipsum occidit et per B. Jacobum vitae redditus est. De conversione quorundam Salernitanorum. De laude S. Martini* Episcopi a) *In laudem S. Secundini. Hymnos de eodem. Homiliam de Adventu. Sermones* de Nativitate Domini, de Epiphania, de Coena Domini, de Septuagesima, de ramis Palmarum. *Passionem S. Lucii Papae.* Ex his *vita S. Secundini* edita est ab Ughello tom. 1. Italiae sacrae pag. 1336. Et carmen elegiacum *in ejus laudem* quod incipit: *Adsit tota tuis festis festiva diebus* pag. 1341 et *Hymnus* sapphico carmine, cujus initium *CHriste Rex Regum, pretium piorum* pag. 1342, seq. *Vitam S. Lucii I.* Papae An. 255 defuncti, sed extrema parte mutilam, ex MS. Casinensi vulgavit Henschenius in Actis Sanctorum tom. 1. Martii 4. p. 304-307. Caetera in lucem proferre promiserat An. 1655. Joan. Baptista Marus, notis ad Petrum Diaconum, sed morte praeventus aliis haec edenda reliquit.

* Acta inventionis S. Secundini non vero illius vitam edidit primus omnium Ughellius; eandem, aliquantisper tamen diversam e MS. Codice reproduxit Bollandus ad diem XI. Febr. Utramque ab autographo Cassinensi nonnihil discrepare monet Gattola Histor. Cassin. Saeculi VI. p. 187. In praefatione praesertim discrimen illud notatur, quod enim loco Bollandi editio praefert: *Coepiscope sancte*, ex quo episcopalis dignitas Gauferio assereretur; sincerus authoris codex (in Cassinensi Bibliotheca servatus, ut credo) legit *Episcope sancte.* Ita vero legendum, quamvis etiam in edito Gattolae mendo typographi sit: *Coepiscope sancte*, idem Gattola monet.

a) Non *Marbini*, ut vitiose excusum in Clariss. Leyseri historia poëtarum medii aevi p. 348.

GAUFRIDUS, supra GALFREDUS.

M. GAUFRIDUS *de Augo*, (*d' Eu*) ex Medico Ambianensi Episcopus defunctus A. C. 1237. cujus hocce epitaphium refertur a Bulaeo t. 3 hist. Academiae Paris. p. 161.

Ecce premunt humile Gaufridi membra cubile,
Seu minus aut simile nobis parat omnibus ille,
Quem laurus gemina, decoraverat in Medicina
Legeque Divina: docuerunt cornua bina.
Clare vir Augensis, quo sedes Ambianensis
Crevit in immensis, in coelis auctus, Amen! sis.

GAUNINUS, vide DOUGLAS, supra tom. 2. pag. 477.

Joannes GAULA sive GAULENSIS, infra GUALENSIS.

GAULTERIUS, infra GUALTERUS.

GAUNILO majoris Monasterii Monachus circa An. 1100 scripsit *libellum pro insipiente* adversus S. ANSELMI proslogium. Exstat cum Anselmi Cantuar. responsione inter hujus opera pag. 35 edit. novae qui profitetur auctorem, a quo reprehensus sit, minime insipientem se habere sed Catholico respondere. vide supra t. 1. pag. 107.

GAUSBERTI Abbbatis, *Praefatio* ad *Vitam SS. Cypriani et Sabini* Martyrum, ad *Bonesonem et Fridericum* quos *Ecclesiasticae scientiae doctrinis ad purum elimatos*, sibique *caritatis glutine combituminatos* appellat, edita est ab Edmundo Martene tom. 1. anecdotor. pag. 151.

GAUSBERTI sive GAUZBERTI, Monachi Floriacensis, *praefationem* scriptam versibus elegis Aimoinus (qui circa An. 1000 scripsit) inseruit sermoni *de S. Benedicto.* Incipit: *Germine, doctrina, meriti ac nomine clari.* Exstat in Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacensi, pag. 280.

GAUTERUS, GAUTERIUS, GAUTHIERUS infra GUALTHERUS.

Theodorus GAZA Thessalonicensis Graecus, Victorino Feltrensi, admirabili viro a) Magistro usus, non Graece modo plura scripsit et ex Latinis vertit Graece, sed et plura ex Graecis transtulit Latine feliciter culto et accurato sermone, ut inter instauratores litterarum nomen non exiguum promeruerit. Obiit apud Brutios in magna Graecia An. 1478. de cujus scriptis omnis generis non repetam hoc loco quae notare me memini in Biblioth. Graecae tom. IX. p. 492-496. Idem hic Francisco Philelfo ὁ Γαζῆς, lib. XXX. Epist. 18 et *Theodorus* GAZINUS CPolitanus, cujus Epistola Latine scriptam ad Christophorum Personam exstat in Diario eruditorum Italiae tom. XIX. pag. 337 ex qua discimus Gazae nos debere, quod Origenis adversus Celsum libros et Nicolaus V. CPoli coëmendos et deferendos ad se curaverit, et Persona versionem illorum componendam in se susceperit.

Sagazius et *Petrus de* GAZATA, Regienses, scriptores *Chronici Regiensis* ab An. 1272 ad 1138 quod nuper tomo XX rerum Italiae in lucem protulit clariss. Muratorius.

Martinus GAZATUS, Koenigio GARATUS, aliis CARCETUS, *Laudensis* ex Laude Pompeja, docuit Papiae sive Ticini et Senis, clarus circa An. 1440. Praeter commentarios *in feuda*, Bumaldo p. 162 memoratos scripsit tractatum *de privilegiis* et *de rescripto* libellum, duos *de Cardinalibus*, *de Dignitate* alium, composuit, *Casus quibus Pontifex non dispensat*, recensuit. *De Principibus, eorum Legatis, Consiliariis, Confoederatione et Conventionibus*, *Officialibus*, *Castellanis*, *Castris et Milite* disseruit. *De fisco* quoque, *Monetis et bello*, *de repressaliis*, *primogenitura* et *legitimatione* scripsit. Haec de eo Pancirolus II, 96 de Juris interpretibus.

Antonius GAZIUS, cujus opus de conservatione Sanitatis lucem vidit Venetiis 1491, fol.

GEBEHARDUS, *Gebhardus*, Episcopus *Augustanus* An. 988 ad Annum 1002 scripsit sive potius *scriptam ab illustri Viro* a) recognovit atque expolivit *vitam S. Udalrici* Augustani Episcopi ab An 924 ad 973. Prologum atque initium edidit Marcus Velserus pag. 591-594. Opp. atque ex eo Mabillonius Sec. V. Benedictin. p. 472. Post Gebhardum idem fecit BERNO, de quo tom. 1. pag. 218.

GEBHARDUS II, Comes Brigantinus, Episcopus Constantiensis ab An. 980 ad 995 b) *composuisse perhibetur vitam et historiam S. Cunradi ex Comite Altorfensi Constantiensis Episcopi. An. exstet, ignoratur.* Haec Goldastus tom. 2. Alemannic. pag. 165 edit. novae. S. Cunradus ab An. 935. Episcopus, obiit An. 974. 26 Novembr. Gebehardi hujus vita scriptore FELICE *Manlio* obvia apud Canisium tom. VI. pag. 477. (edit. novae tom. IV. pag. 822.) atque inde apud Surium 27 Augusti.

GEBHARDUS ab An. 1061. Juvavensis sive *Salisburgensis*, Archi-Episcopus qui obiit An. 1088. Ejus *Epistolam pro Gregorio VII, contra Schismaticos*, ad Hermannum Episcopum Metensem vulgavit Seb. Tegnagelius primo loco inter vetera monimenta, Ingolstad. 1612, 4. Ex Tegnagelii editione Carolus Janningus in Actis Sanctor. tom. VI. Junii 16. pag. 157-165. Vita et laudes hujus Gebhardi scriptore EBE-

a) Ab hoc Victorino *Georgius Trapezuntius* cuncta se, quae ad Latinitatem pertinent, hausisse gratus profitetur responsione ad Guarinum, dicavitque ei Commentarium suum in Orationem Ciceronis pro Q. Ligario. Magnis etiam laudibus efferunt *Joannes Andreas* Episcopus Aleriensis, in Epistola praemissa primae Romanae T. Livii editioni, cujus decadum partem Mantuae publice praelegentem audiverat: nec non *Saxolus Pratensis* in Epistola edita ab Edmundo Martene t. 3 monumentor. p. 844. seq. et *Ambrosius Camaldulensis*, libr. XII. Epist. 20. id. pag. 554. tum *Franciscus Dantes Castilionensis* qui vitam quoque illius consignavit, in qua eum virtute et probitate comparavit cum S. Antonino Archiepiscopo Florentino. Ea MSta fuit apud Jacobum Gaddium, necdum in lucem edita quod sciam. Docuit Venetiis eodem quo *Guarinus* Veronensis tempore circ. A. 1420. et quo *Franciscus Philefus* sed aetate junior: praeterea Patavii, et Mantuae ubi principis liberos liberali doctrina instituit. (118 Vid. Vita di Vittorino ec. del Cav. Carlo de Rosmini. Bassano 1801, 8.)

a) Hanc ab Anonymo scriptam atque aequali, GERHARDUM Presb. Augustanum vocant alii habes in Actis Sanctor. tom. 2 Julii IV. p. 97. cum notis Jo. Pinii. Infra GERHARDUS.

b) Sammarthan. t. 2 Galliae Christianae p. 544.

RHARDO discipulo, apud Canisium Antiqu. Lect. tom. 3 edit. novae parte 2. pag. 314 et BRUNONEM de bello Saxonico tom. 1 scriptor. Freheri Germanicor. p. 229 edit. novae, ubi Gebehardi *Oratio* ad Conventum Episcoporum Capuanum An. 1081. Vide et Wigulei Hund metropolim Salisburgensem pag. 6.

* Alia ab epistola, Tegnagelii opera vulgata, censeri non immerito potest historia illa ab hoc, ut puto, Salisburgensi Archiepiscopo scripta, de qua Manegaldus in opusculo coutra Wolfelnum Coloniensiem vulgato a Muratorio Anecdot. t. IV. agit his verbis cap. 23 *Contra quem* (Gregorium VII.) *quam impie etiam secundum Leges saeculi actum sit, totius quoque gestio negocii, in quo decennio et eo magis in vita S. Papae non sine gravi quassatione S. Ecclesiae laboratum est, ex historia quae viri in illas partes illustris, et apprime in eodem re pro justitia fatigati Salisburgensis Archiepiscopi esse dicitur, manifestius cognoscetur.* Haec Manegardus scribebat, quo tempore adhuc Guibertus Antipapa in vivis agebat. Dixi profecto hanc historiam diversam esse meo judicio ab Epistola Gebhardi; ibi enim de Legibus saecularibus nihil, et de historia vexationum Gregorio VII. illatarum parum legitur, cum epistola illa tunc prodierit, cum vexationes illae in ipso sui ortu adhuc haberentur.

GEBENO c) Prior in Eberbach d) Ord. Bened. circa An. 1220 qui ad Mag. Raymundum Scholasticum et Mag. Reinherum Canonicos S. Stephani in Moguntia scripsit *speculum futurorum temporum*, sive Pentachordum S. Virginis HILDEGARDIS, hoc est de quinque temporibus *Compendium Prophetiarum S. Hildgardis*, MS. in Codice XIV. Seculi. Vide Hieron. Pez. tom. 3 anecdotorum parte 3. pag. 630. De aliis Codicibus MSS. videndus Oudinus tom. 3. pag. 51.

Magister GEBUINUS, *Trecensis* Ecclesiae Canonicus et Cantor circa An. 1140. De cujus Sermonibus MSS. in Biblioth. S. Victoris Paris. vide Oudinum t. 2. p. 1232.

a) Al. vitiose SELENO.
b) Al *Elerbach*.

Nicolai GELANT, Episcopi ab An. 1260. ad 1290. Andegavensis, et GUILMI Majoris (le Maire) Episcopi Andegavensis ab An. 1290. ad 1314. *Statuta* Synodalia vulgata a Dacherio tom. XI. spicilegii p. 201. (edit. novae tom. 1. pag. 726. 747.)

S. GELASIUS I. Valerii Filius, natione Afer, Romanus Pontifex ab An. 492. ad Annum 496. d. 8. Septemb. de cujus scriptis haec habeo quae dictis a me in Bibliotheca Graeca tom. XI. pag. 413. 418. et clarissimi Cavei observationibus adjungam. Praeter Epistolas XVI. obvias in Conciliorum tomis, in quibus et illa *ad Æonium* Arelatensem Episcopum, ex Sirmondi tom. 1. Concilior Galliae pag. 153. et *postrema ad Rusticum* Episcopum Lugd. ex Dacherii edit. tom. V. spicileg. pag. 581. (T. 3. edit novae pag. 304.) Et *fragmenta aliarum Epistolarum* decem; quae ex collectione Canonum Cardinalis DEUS DEDIT primus vulgavit Holstenius tom. 1. collectionis Romanae pag. 207. 219. adde Baluzium tom. V. Miscell. pag. 459. Novissime etiam in lucem editum est cum notis eruditis ab illustri Scipione Maffeo *Supplementum Acacianum,* Venet. 1728. 8. et in edit. Concilior. Veneta novissima tomo quinto, ubi post FELICIS Papae Epistolam ακέφαλον adversus Acacium, sequitur *Epistola* Gelasii *ad Succonium* Episcopum Afrum, et altera *ad Natalem* Abbatem, ex quibus hanc posteriorem Gelasii esse non dubitat, priorem malit Felici Papae tribuere. Tomus *de anathematis vinculo* contra Acacium, *de Lupercalium intermissione* adversus Andromachum Senatorem, atque *adversus Pelagianam haeresin* in iisdem Conciliorum tomis, legitur, una cum *Synodali de ordinatione Episcopi,* quae repetitur in Epistola IV. Gregorii IV. nec non Concilium Romanum LXX. Episcoporum An. 494. in quo celebre *Decretum de libris Apocryphis,* quod Gelasio etiam adscribitur in THEODORI Poenitentiali cap. 4. pag. 104. et post tot editiones genuinum proferre se professus est illustrissimus Vir Iustus Fontaninus ex Codice Palatino Bibl. Vaticanae ad calcem praeclari operis de antiquitatibus Hortae Coloniae Etruscorum Rom.

1708. 4. et in thesauro scriptorum Italiae Burmanniano tom. VIII. parte 3. ubi etiam Petri Francisci Chifletii contulit editionem, qui idem decretum, DAMASO ab aliis tributum, emendatius sub HORMISDÆ nomine e Codice Jurensi vulgavit in notis ad Vigilium Tapsitanum pag. 149. Vide etiam Cardinalis Norisii Opera tom. IV. p. 927. seq. Liber *de duabus in CHristo naturis* exstat etiam in Johannis Heroldi haeresiologia Basil. 1656. fol. et in Bibliotheca Patrum Lugdun. tom. 8. p. 700. et longe diversus est a libro Gelasii contra Anomoeos de quo Photius Cod. 102. ille enim monobibli hujus auctor Gelasius fuit Caesareensis scriptor Graecus, de quo tom. VIII. Biblioth. Graecae pag. 371. Indicem scriptorum in libro de duabus naturis allegatorum a Gelasio, dedi tom. XI. Biblioth. Graecae p. 417. *Codex Sacramentorum* Gelasianus, sed interpolatus familiam ducit inter Codices Sacramentorum, nongentis annis antiquiores, praeceditque tres alios, Gothico Gallicanum, Francicum, Gallicanumque in volumine quod cura Josephi Mariae Thomasii, postea Cardinalis lucem vidit Romae 1681. 4. Tres deinde istos integros recudi ex Thomasiana editione fecit Mabillonius libro tertio de liturgia Gallicana, Paris. 1685. 1729. 4. *Adversus Graecos tractatus* quem inter Gelasii scripta refert Lud. Jacobus a S. Carolo p. 76. sunt Epistola VIII. et IX. in causa Acacii quos ediderat Sirmondus cum appendice Codicis Theodosiani, Paris. 1631. 8. et in tomo primo Sirmondi Operum p. 784. 791.

* Praeter ea, quae fuse deducta sunt apud Fabricium hic addere etiam juvat *dicta Gelasii Papae* quae ex MS. Codice vetustissimo ego primus in tom. 1. supplementor. meorum ad Labbeum p. 352. vulgavi. Insuper in MS. cod. Taurinensi 903. Latino extat epistola Gelasii ad *Petrum Episcopum Portentinum* (Potentinum) incipiens: *secundum quod vestri portitores*, qua agitur de diacono incesti crimine accusato. Denique ex eodem vetustissimo codice Lucensi dedi ego novum schema decreti de apocryphis, quod in eodem codice Gelasio tribuitur, idemque secundum triplicem editionem repraesentavi, nempe juxta exempla, Romanum Fontanini, Jurense Chiffletii, et Lucense nostrum additis ex Florentino Codice a P. Blanchinio vulgato in adnotationibus ad IV. vol. Anastasii, variantibus.

GELASIUS II. antea *Joannes Cajetanus*, Monachus Casinensis a) edoctus ab ALBERICO Philosopho b) idem Papa ab A. 1118. Januar. 31. ad A. 1119. Januar. 29. Eius Epistolae V. in tom. XXVII. Concilior. edit. Regiae: Labbeana autem, Harduiniana et Coletina *Epistolae VII.* duabus additis ex Andreae Duchesne Bibliotheca Cluniacensi p. 572. Epithaphium ejus scriptum a Petro Pictaviensi ibid. p. 617. et apud Ludov. Iacobum pag. 78. atque Marum ad Petrum Diac. pag. 189. quod incipit: *Vir gravis et sapiens acta verboque Johannes.* Tres Epistolae primores exstant etiam apud Aguirrium in Conciliis Hispan. tom. 3. pag. 331. Aliae in Udalrici Babebergensis Codice apud Joannem Georgium Eccardum tom. 2. corporis scriptorum medii aevi p. 295. seq.

Passio S. Erasmi, Cajetani Episcopi et Formiis sub Diocletiano Martyris in Campania, Rom. 1639. 4. cun qua conferenda Acta quae cum notis et censura exhibentur in Actis Sanctor. tom. 1. Iunii 2. p. 213. sq. Vitam Gelasii post PANDULFUM Pisanum (119 Romae 1638, 4. et Italice, sed demptis indicibus ibid. 1802, 4. cur. Franc. Cajetani) aliosque, scripsit editor Pandulfi, Constantinus Cajetanus, cui etiam *passionem SS. Erasmi, Anatoliae*, et scriptam a Gelasio versibus *passionem Caesarii* debemus. Praeter haec Petrus Diaconus cap. 45. testatur hunc Gelasium digessisse ***Registrum Epistolarum Paschalis secundi.*** Ordericum Vitalem si audimus a) *eruditione litterarum apprime instructus fuit, et longa exercitatione, utpote qui praesulum Apocrisiarius fere XL. annis enituerat, calluit.*

GELLIUS *Fuscus*, Tetrici iunioris et alio-

a) In Actis Sanctor. tom. 1 Junii p. 217. E *Joanne Casinensi, postea Damaso Papa II.* lege *Gelasio Papa II.*

b) Petrus Diaconus de viris illustribus Casinensibus cap. 45.

a) Lib. XII. Hist. Eccles. p. 842.

rum ut videtur illis temporibus Imperatorum vitas et gesta descripsit, ut colligitur e Trebellio Pollione in triginta Tyrannis, c. 25. *Arellii Fusci* autem cap. 31. non scripta laudat Trebellius, sed Consularis primae sententiae censionem et suffragium refert, ut adeo non sit ingerendus pro *Gellio* Arellius, quanquam *Agellium* sive *Dagellum* Fuscum Palatinus Codex offerat, cum Gellii historici mentio recurrat in Vopisci Probo cap. 1.

Martyrologium GELLONENSE sive Monasterii de GELLONE, S. Guilelmi de Deserto Ord. Bened. dioecesis Lutevensis, scriptum circa Annum 804. et praemissum habens *breviarium de Apostolis, ubi praedicaverunt, et ubi orti vel obiti sunt.* tom. XIII. spicilegii Dacher. pag. 388. (tom. 2. edit. novae pag. 25. 37.

De gestis Abbatum GEMBLACENSIUM Ord. S. Benedicti, a primo Abbate Erluino An. 948. usque ad octavum, Anselmum An. 1013. Liber auctore Monacho Gemblacensi, editus a Dacherio tom. VI. spicilegii pag. 505. tom. 2. edit. novae pag. 759. 769.) Quanquam vero SIGEBERTUS c. 171. sive ultimo de scriptoribus Ecclesiasticis diserte testatus se gesta Abbatum Gemblacensium scripsisse, tamen hunc auctorem diversum esse a Sigeberto, ex ipso Sigeberti Chronico Dacherius collegit.

Joannes de S. GEMINIANO, Tuscus Ord. Praed. obiit circa Annum 1323. aetat. 73. auctor *Universi Praedicabilis*, sive *summae de exemplis et rerum similitudinibus* a) libris X. Venet. 1497. 4. 1577. 1572. Basil. 1499. 4. Antw. 1583. 8. 1599. 1629. 8. Lugd. 1585. 4. cum Sophologio JACOBI Magni et Colon. 1665. 4. (120 Est mihi editio Veneta de Gregoriis 1499, 4. e hanc omnium principem esse videtur.) Vide Joan. Vincentium Coppium in Viris insignibus Sangeminianensibus, Florent. 1695. 4. Iacobum Quetif tomo 1. de scriptoribus Ord. Dominicani pag. 528. seq. et Oudinum t. 3. p. 736. Caetera eius scripta, *Sermones de Dominicis* Evangeliorum et Epistolarum, *et de Sanctis* per annum *Sermones Quadragesimales.* Venet. 1574. 8. Colon. 1612. 8. *Conciones funebres* Lugd. 1510. et 1536. 4. et ex interpolata editione Paris. 1611. 8. Opusculum de quibusdam materiis praedicabilibus, *de Operibus sex dierum*, praedicatum ab eo in Adventu Domini in Conventu Senarum, Paris. 1512. 4. *Sermones pro altero Adventu. Collationes Variae. Meditationes in Evangelia. Distinctiones. Dialogi inter latronem et Christum: inter Cain et CHristum.*

a) Vide infra, HELVICUS *Teutonicus*.

Dominicus a S. GEMINIANO de quo supra tom. 2. pag. 468. Juris Pontificii Consultus, primum Mantuae Episcopi Vicarius An. 1407. seq. *Homilias* in Sacerdotum Synodo habuit, post ejus *Consilia* sive *Responsa* typis etiam exscriptas Venet. 1550. fol. Deinde docuit Bononiae, et *libros Decretalium*, *sextum* maxime Commentariis illustravit. Venet. 1558. fol. (121 Parte II. cuius editio per Mag. Adam (Romae) 1471. fol. forsitan princeps.) Postremo Romae Auditor Camerae singulari aequitate jus dixisse traditur. Vide Pancirollum III. 31. Oudinum tom. 3. pag. 2368.

Nellus a S. GEMINIANO, Florentinus, in patria causas egit, stante pro altera parte subinde *Ludovico Romano* JCto celebri. Opuscula Nelli *de Banditis* et *Testibus* quae circa Annum 1424. composuit, obvia in Oceano Juris sive tractatu tractatuum tom. X. pag 357. et tom. IV. pag. 79.

Joannes GENESIUS *de Parma*, Bononiensis (aliis *Johannes Paulinus de Qualea* sive *de Quaya*) ex Doctore Parisiensi Minister Generalis Ord. Minor. decessor Bonaventurae, defunctus Camerini An. 1289. aetat. 80. scripsit *Glossarium* MS. in variis Bibliothecis, teste Oudino *tum commentarium in IV. libros Sententiarum. De Civitate CHristi.* Qui tractatus Regii excusus 1501. et Romae 1523. Praeterea *Rosarium in Genesin. De Conservatione Religiosorum*, *libros II. De beneficiis Creatoris. Officium Passionis CHristi. Sacrum Commercium S. Francisci cum Domina paupertate.* Vide Waddingum pag. 208. Idem An. 1249. legatus *Angelus Pacis* ad Imperium CPolitanum Joannem, et Emanuelem Patriarcham: perhibetur etiam An. 1255. Auctor *Evan-*

gelii aeterni, sive perfectionis, quo Spiritus Sanctus An. 1260. esset evacuaturus Evangelium CHristi. Alii tamen injuriam fieri Genesio existimant, vide sis Oudinum tom. 3. p, 242. seq.

GENNADIUS Massiliensis Presbyter ante An. 498. a) S. Hieronymi exemplo scripsit *librum de viris illustribus*, quem cum Hieronymo uno corpore sociatum ut in antiquissimo Veronensi Codice hodie conspicitur, jam olim reliquisse se testatus est Cassiodorus libro de Divinis Lect. cap. 17. Itaque et in Hieronymi Operum editionibus ab An. 1468, saepe repetitis excusum hoc Gennadii scriptum habemus, in Francofurtensi An. 1684. etiam bis, semel tom. 1. pag. 201. atque iterum tomo 4. pag. 127. Prodiit quoque cum Hieronymi libro de Viris illustribus Basil. 1529. 4. Erasmo curante, et cum scholiis Suffridi Petri, Leovardiensis Frisii, Colon. 1580. 8. qui similes libellos *Isidori* Hisp. Episcopi, *Honorii* Presbyteri Augustodunensis, *Sigeberti* Gemblacensis Monachi et *Henrici de Gandavo*, Archidiaconi Tornacensis subjunxit. Iisdem junctum, addito praeterea *Ildefonsi* Toletani libello edidit illustravitque Aubertus Miraeus in Bibliotheca Ecclesiastica, Antwerp. 1639. fol. quam cum novis auctariis a) recudendam dedi Hamburg. 1718. fol. Separatim praeterea vidit lucem Helmst. ex recensione Joannis a Fuchte. Helmst. 1612. 4. et cum scholiis Rev. D. Salomonis Ernesti Cypriani, qui Gennadium cum Codice Gvelpherbytano et Norimbergensi contulit. Jen. 1703. 4. Plerique Codices MSti, sicut editiones quoque et Honorius, cujus liber secundus de luminaribus Ecclesiae, Gennadii breviarium refert, et Trithemius cap. 188. librum incipiunt a *Jacobo Nisibeno*: Quod autem prologi vice ex Codice Martiniano attulit Suffridus Petri caput de *Hieronymo*, quod legit et Marcellinus Comes ad Annum 392. et Mabillonius atque Marcianaeus edidere ex vetustissimo Codice Corbejensi seu Sangermanensi, litteris scripto Longobardicis, qui annos, ut ajunt, praefert plus mille, atque scriptus antiquis characteribus Merovingicis, hoc caput caeteri codices, caeteraeque editiones ignorant: ignorat etiam singularis Codex Veronensis, de quo haec Petrus et Hieronymus Alerii fratres Ballerinii, Veronenses in Observationibus ad laudatissimi Norisii Opera tom. IV. pag. 925. *In Capituli Veronensis Bibliotheca, in qua varia custodiuntur perantiqua MSta, inter quae alia sexti seculi initio cum Consulum notis exarata sunt, alia paulo post, pleraque ante decimum seculum: in hac, inquam, Bibliotheca insignis est codex Gennadii, qui majusculis litteris scriptus sin aetate major, at minor certe* Corbeiensi *non videtur. Variantes lectiones quae praeclarae sunt, cum Corbejensi fere conveniunt, aliae autem sunt praestantiores multo et emendatiores quae ad hunc scriptorem deduci queunt. Quod majori est animadversione dignum, et ad Codicis germanitatem declarandam valet plurimum, est, deesse in hoc Codice capita, quibus* de Hieronymi, Caesarii *Arelatensis*, Sidonii, Honorati *Constantiae Episcopi*, Cerealis *Africani*, Eugenii *Carthaginiensis*, Pomerii, Honorati *Massiliensis operibus disseritur, quae in Codice Corbejensi leguntur, nec non in laudata P. Marcianaei editione. Desinit in* Gennadio *et* Gelasio, *quorum elogia in Corbejensi desunt. Quae vero in nostro Codice simul et Corbejensi desunt, omnia absunt ab antiqua editione Hieronymi cui Gennadii Catalogus adjectus est, quam Episcopus Aleriensis* Joannes Andreas Rom. 1468. fol. *promulgavit.* Corbejensis Codicis Lectiones Marcianaeus in Hieronymo suo annotavit, quem in Bibliotheca Ecclesiastica ipse secutus sum libenter. Codicis Veronensis sed paucas quasdem lectiones excerpsit illustris Maffeus ad calcem supplementi Acaciani, Venet. 1728. 8. editi. Alteram etiam *vitam S. Hieronymi* ex duobus vetustis Codicibus Luxoviensi et San-Gallensi publicavit laudatus Mabillonius tom. 4. Analect. (edit. novae pag. 194.)

a) Vide Henricum Noris II. 16. Hist. Pelag. Hic Gennadium semipelagianis, accenset atque etiam diss. de V. Synodo pag. 118 quod facere minus audet Vossius lib. 1. hist. Pelag. cap. 10. et pluribus Gennadium tuetur Bruno Neusserus prodromi p. 125. seqq.

b) Acta Erud. A. 1718. pag. 444.

quam Gennadio tribuit. Incipit : *Hieronymus noster in oppido Stridonis.* Sed Gennadii non esse probat Pagius ad A. C. 420. n. 21. Caput etiam de *Sedulio*, quod Hieronymi nomine ex Corbejensi Codice edidit laudatus Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 336. Sirmondus, Justus Fontaninus aliique malunt tribuere Gennadio, Gennadii non esse probat Norisius Cenotaph. Pisani diss. IV. cap. 2. §. 1.

Liber de *Ecclesiasticis dogmatibus* plus simplici vice vulgatus ad calcem Tertulliani edit. Basil. et inter S. Augustini [1]) opera (etiam in appendice Opp. Augustini tomo octavo edit. Benedictin.) sed Gennadio vindicatus, illustratusque a Geverhardo Elmenhorstio, Hamb. 1614. 4. qui veteris Theologi homiliam lectu non indignam de CHristi moribus CHristiano homini sectandis et duas Epistolas Martiali Lemovicensi suppositas subnexuit. Locus ex cap. 72. laudatus in Concilio II. Turonensi An. 567 can. 27. sed sine nomine auctoris, *sicut in dogmatibus Ecclesiasticis habetur insertum.* Capita a trigesimi primi fine usque ad quinquagesimi secundi initium apud Rabanum desiderantur, atque videntur addita ex Concilio II. Arausicano An. 529. aliisque monumentis post Gennadium, quae Elmenhorstius in notis pag. 138. seq. annotavit.

In capite ultimo libri de scriptoribus has porro lucubrationes suas temporum perditas injuria Gennadius ipse commemorat: *Ego Gennadius Massiliae presbyter scripsi:*

Adversus omnes haereses, libros octo: (incertum an hoc ex opere decerpta sint quatuor de *Praedestinatianis*, *Eutychianis*, *Nestorianis et Timotheanis,* quae tribus ultimis capitibus libri de haeresibus praemittuntur, quem sub Hieronymi nomine Claudius Menardus edidit: Sirmondus autem cap. 6. Historiae Praedestinatianae in MS. Biblioth. S. Victoris reperit subiuncta libro Augustini, his additis verbis: *finit relatio S. Augustini Episcopi de haeresibus: haec vero quae sequuntur, a Gennadio Presbytero Massiliensi sunt posita.*

adversus Nestorium libros sex,

et *adversus Eutychem libros XI.* (al. *libros IV.*)

adversus Pelagium libros tres.

tractatus de mille annis et de Apocalypsi Joannis,

et hoc opus (librum de scriptoribus) *et Epistolam de Fide mea misi ab Beatum Gelasium, urbis Romae Episcopum.* Gelasius diem obierat A. 496. itaque hocce caput post illud tempus adjunctum oportuit a Gennadio, licet priora capita multis annis prius videtur scripsisse quia c. 91. refert Theodulum ante triennium obiisse regnante Zenone, quem constat rebus humanis valedixisse An. 491. ut laudatus Norisius annotavit.

* Variantia illa insignis codicis Veronensis in opusculo de viris illustribus Gennadii, omnia demum exhibuit clariss. Vallarsius in postrema editione operum S. Hieronymi Veronae adornatas an. 1734-42, 4. vol. XI; hujus vero Codicis vetustissimi lectioni per omnia adstipulatur aequalis antiquitatis MS. Codex Lucensis, de quo ego commentariolum edidi, vulgatum in sylloge opusculorum, quae P. Cologerà amicus meus singularis Venetiis producit tom. XLIV. Ibi pariter desiderantur ea quae a Veronensi abesse monet hic Fabricius, et Vallarsius non reperisse se testatur. In eodem etiam Lucensi Codice repraesenta-

(1) Sub AUGUSTINI nomine praeter Abonem Abbatem in Canonibus c. 45. apud Mabillon. t. 2 Anal. pag. 313. et praeter *Joannem Scotum*, et atque integrum inseruit Rabanus libr. IV. de universo cap. 10. tom. 1 Opp. pag. 86. seq. in Codice MS. Monasterii Benedictini decem a Mantua millibus, Definitiones hae dogmatum Ecclesiasticorum praeferunt nomen S. FAUSTI Episcopi Ecclesiae Maxiliensis, teste Mabillonio itineris Italici pag. 208. Petrus Abailardus libris de Theologia Christiana et Gratianus laudant jam sub *Augustini*, jam sub *Gennadii de fide orthodoxa* nomine. Sed et idem Abaelardus pag. 1263. ex Gennadio de fide Orthodoxa allegat quae in Augustini Enchiridio leguntur. Gennadio praeter Hadrianum I. Papam Epist. ad Carolum M. de culto imaginum, Alcuinum, Florum et Ecclesiam Lugdunensem contra Gotheschalcum, Walafridum Strabonem, Algerum, Petrum Lombardum, Thomam Aquinatem et Trithemium adscribit Ratramnus Corbejensis III. 5. contra Graecos, sed falso auctorem vocat CPolitanum Episcopum. Perinde ut Massiliensem Episcopum Gennadium confinxere Hadrianus I. Papa, Sigebertus, cap. 30. Platina atque alii.

tur liber *de Ecclesiasticis dogmatibus* sub hoc titulo: *Incipit de dogmatibus ecclesiasticis* (forte Ecclesiasticae) *sedis Episcopi Marsiliensis*. Variantes inde quaedam non facile obviae deducuntur, ut et specimine a me producto in eodem, qui supra, Commentario probatur.

Alius GENNADIUS Medicus, cujus somnium ex Augustino narrat Julianus Toletanus lib. 2. prognosticon cap. 33 eundem laudat Augustinus Epist. 100. (novae edit. 159.)

GENTILIS *Brixiensis*, JCtus scriptor Repertorii, Gesnero GENTILIS *Papiensis*, fortasse quia Papiae sive Ticini docuit.

GENTILIS *Fulginus* Italus, Medicus insignis et Johannis XXII. Archiater, defunctus Perusiae An. 1348. a) Scripsit expositiones *in Avicennam*: Commentar. in ÆGIDIUM *de pulsibus. Consilia*, variasque scripta alia *de lepra, de febribus, de balneis*, *de proportionibus convenientibusque dosibus Medicinarum* (de gradibus Medicinae vocat Trithemius c. 545.) aliaquae quae videri possunt apud Gesnerum, Lindenium, Merklinum, Mangetum. *de divisione librorum Galeni* parvus est libellus e Speculatore collectus.

* In Codice MS. Bibliothecae Malatestarum Caesanae reperi *Medica Consilia Taddaei de Florentia et Gentilis de Fulgineo*, inter quae Consilium unum Gentilis est pro peste, quae Perusium affixit an. 1348. Nescio an. Gentilis consilium istud dederit anno ipso suo emortuali vel potius annus mortis aliquantulum promovendus sit. Eiusdem *practica de febribus* excusa est Bononiae editione vetusta, sed anni incerti in 8. Consilium de Balneis indicatum hic a Fabricio nescio an idem sit cum opusculo, *de Balneis Senarum et Viterbii*, quod in Biblioth. Riccardiana extare monet cl. Lamius in Catalogo eiusdem Bibliothecae pag. 208.

GENTILIS *de Monte florum* sive ex opido Montisflorii, Picenus, Ord. Minor. ex Lectore Sacri Palatii Presbyter Cardinalis S. Martini in Montibus, ab A. 1300. ad 1312. a) missus est An. 1307. in Hungariam a Clemente V. Legatus et res ibi composuit b) usque ad Annum 1310. interfuit Concilio Viennensi An. 1311. atque in eo pro Bonifacio VIII. sicut ab An. 1303. seq. adversus Fratricellos acriter decertavit, unde praeter *homilias*, quas solas memorat Waddingus pag. 145. inter ejus scripta apud G. Josephum Eggs in purpura docta tom. 1. pag. 264. etiam referuntur *Apologia pro Bonifacio VIII.* adversus Philippum Pulchrum, Galliae Regem: *et dissertatio adversus Fraticellos*.

GEOFRIDUS vide GODEFRIDUS.

De GEORGIIS, fama et eruditione claris schediasma a Joachimo Manzelio editum Gustroviae 1712, 4. nonnullos recentioris aetatis Georgios jucunda varietate persequitur, sicut de Georgiis qui Graece scripserunt, eruditam Leonis Allatii diatribam notulis, supplemento et indice auctam exhibui tomo decimo Bibliothecae Graecae: Eundem in modum de Georgiis quibusdam medii aevi qui Latine scripserunt, pauca haec praesenti loco annotare liceat.

Juris consulti a S. GEORGIO, tres celebrantur a) *Jacobinus* Jasonis discipulus qui saeculo XV, vergente Taurini docuit, cujus tractatus *de feudis* exstat Colon. 1574 8. et in Oceano juris, tom. X. pag. 179. Ejusdem *de homagiis* tom. X, parte 2. p. 172. *Commentarius in quatuor Juris Civilis Matutinos tractatus*, Bonon. 1575, fol.

2. *Joannes* qui Jus Pontificium professus fuit Bononiae medio saeculo XIV, atque interpretatus est *partem 1 et 2. Decretorum*; et titulum 28 secundi Decretalium *de appellationibus*, et *quartum Decretalium librum*, Venet. 1578 1579 Etiam *in Clementinas* scriptarum ab eo observationum meminit Pancirollus III, 24.

Joannes Antonius, Placentinus, Patricius Mediolanensis, qui cum Jus utrumque ab anno aetatis 28 docuisset Ticini deinde Cardinalis usque ad 1509. quo septuagesimo aetatis diem obiit. Hic Pancirollo III, 47,

a) Non 1310. uti Mercklin. p. 309. vide Mangeti Bibl. Medicam t. 1 pag. 455.

a) Baluz. t. 1 de Papis Avenionensibus p. 581.
b) Ibid. et p. 1412. seq.

teste praeter easdem *Clementinas* interpretatus est *Jura appellationum, quartumque Decretalium*, et *primam Decreti partem*, *Feudaque,* in quibus illustrandis ALVAROTUM sequi se fuit professus. *Oratio* in exequias Cardinalis Tornacensis habita prodiit, Romae 1483, 4.

* A. S. *Georgio*. Inter claros viros qui hoc distincti congnomine sese litteris commendarunt, suum tuetur locum Benvenutus de S. GEORGIO eques Hierosolymitanus, qui a Bonifacio Marchione Montisferrati missus legatus ad Alexandrum VI, novum. Pontificem *orationem* coram illo habuit an. 1493 editam in 4. sine loco et anno.

Opus feudale Joan. Antonii de S. GEORGIO Placentini prodiit Papiae an. 1499. in fol. Eiusdem opus, seu lectura solemnis super titulo de appellationibus lucem vidit Papiae per Magistrum Antonium de Carcano an. 1488, in fol. Commentarius super compilatione Decretorum a Gratiano composita Papiae an. 1447, f. In Codice MS. 398. Feliniano servatur consilium eius in materia Feudi pro comitatu de Fuxo. Scripsit denique celebrem dissertationem in causa successionis in Ducatu Livoniae, quem rex Daniae ad se devolutum contendebat, defuncto Friderico absque masculis; sed duabus tantum foeminis relictis, quarum una Agnes sibi deberi principatum illum dicebat. Hinc lis nata et resoluta pro Agnete. MS. Cod. Felini.

GEORGIUS Monachus *Altaichensis* in Bavaria, Ord. Bened. scriptor *Chronici* rerum Monasterii Altaichensis. MStum ex Possevino laudat Vossium pag. 704. Altaichum utrumqne conditum post An. 755 ab Utilone qui diem obiit An. 765 vide Velserum pag. 151. cui Georgium hunc ignotum fuisse apparet. Vide infra *Georgius Hugo*.

GEORGIUS *Benignus*, Ragusaeus Ord. Minor. non circa Annum 1400 ut ex Waddingo Cangius, sed 1500. Archiepiscopus Nazarenus. Scripsit eodem Waddingo pag. 145 teste Defensionem pro *Jannis Reuchlini* dialogo de Talmude Judaeorum non supprimendo. Praeterea *vexillum Christianae victoriae. De assumtione B. Virginis Mariae. De natura Angelica* quaestiones: et Volumen grande *de Dialectica.*

* Ex catalogo Biblioth. Riccardianae pag. 208 discimus scriptorem hunc Epirotam, vel Illyricanum extitisse de Familia Salviatorum Florentinorum; scripsisse pariter librum de gratia in MS. Codice ejusdem Bibliothecae legendum hoc titulo: *Georgii Benigni fratris Seraphicae Religionis ad virum Magn. Laurentium Petri Cosmi Patris Patriae in opus septem quaestionum ab ipso propositarum.* (122 *De septem et septuaginta in opus Magn. Nic.* (ex septem castris. Ord. Praed.) *de mirabilibus reperta mirabilia.* Florentiae (1489.) 4 ad magnan. Laur. Mediceo est tit. op. me prope extantis auctoris huius: insuper *Propheticae solutiones. Florentiae* 1497, 4. et *De natura Coelestium spiritum quos Angelos vocamus*. Flor. 1499, fol. ab Audiffredio post alios memorantur.)

GEORGIUS *Brituliensis* sive *de Bretolio* Monachus scripsit expositionem *in Exodum* eamque dedicavit Abbatibus *quadripartitae professionis* Cisterciensi de Caroli loco, Benedictino de S. Luciano Belluacensi, Canonicorum regularium de S. Genovefa Parisiensis, et Praemonstratensi de S. Petro Selincurtensi. Commentarium illum MS. exstare in Bibliot. Pruliensi, sive Pruliacensi dioecesis Senonensis, notat Jacobus le Long in Bibliot. Biblica p. 741. *Dedicationem* solam ex eodem MS. vulgavit Edmundus Martene t. 1 anecdotor. p. 426.

GEORGIUS *Chadleius* Anglus, Lelando c. 414. *Chedolegus*, vixit Oxoniae circa An. 1360 scripsitque Commentar. *in Apocalypsin*, laudatum etiam Baleo VI, 21. Pitseoque p. 500.

GEORGIUS *Eppius* Wimpinensis Ord. Praed. saec. XV, scripsit *de illustr. Viris ac sanctimonialib. Ord. Praed.* MS. Ratisbonae.

Franciscum GEORGIUM Venetum, Ord. Minor An. 1540 diem obiisse praeter rem traditum Molano, Possevino, Miraeo: Nam Harmoniam suam dicavit Clementi VII, qui An. 1523 et et Problemata Paulo III, qui An. 1534. Papam gerere coepit. Non mediocris sane in his scriptis eruditio et subtile ingenium passim elucet: quanquam interdum indulgens parum solidis speculationibus Platonicisque et Cabbalisticis ac Talmudicis placitis ac somniis: quamobrem

Sixti Senensis a) et aliorum reprehensiones incurrit. Titulus prioris operis est: *De harmonia Mundi totius, Cantica tria,* quorum singula octo tonis iterum distinguuntur. Canticum *primum*, sive *antiquum* quo Divina, humana, coelestia, supercoelestia atque inferiora omnia, concinna proportione et harmonica suavitate distributa esse demonstrantur. Canticum *secundum* sive *novum*, omnia in CHristo, multiplici consonantia correspondere dulcioribus modulis quam articuli et membra in mundano aut humano Corpore. Canticum *tertium* denique sive *novissimum*, de mundi minoris, sive hominis, propter quem facta sint omnia, concordem in debitum finem, progressum et statum. Prodiit hoc opus Venet. 1525 et Parisiis 1544, fol. cujus editionis exempla quaedam praeferunt Annum 1546. Expungenda in hoc opere plura notat *Index Hisp.* pag. 396-406.

In Scripturam Sacram et Philosophos *problematum tria millia*, sex tributa tomis, singuli questionibus 500. quorum *primus* Historiam sacram ad Captivitatem Babylonicam usque persequitur, *secundus* Legem, *tertius* Oracula Prophetarum, *quartus* Evangelium, *quintus* septem sapientum doctrinam vitamque 1, Salomonis, 2, Jobi, 3, Hermetis Trismegisti, 4, Platonis Academicorumque, 5, 6, 7. Orphei, Pythagorae, Zoroastris. *Sextus* Postremo argumenta varia de DEO, de Coelis, Homine ejusque viribus, moribus et eventibus, de bonis malisque angelis, de animalibus, de Mundo et proprietatibus Naturae, operationibusque ac virtute: de quibusdam S. Scripturae locis reconditis: de quibusdam occultis operationibus Naturae et Artis, et denique de situ et proprietate mysteriosa quorundam locorum, fluminum, Civitatum, montium in sacris litteris memoratorum. Prodiere haec problemata Venetiis 1536 et Parisiis 1574, 4. et 1621, 4. ad cujus postremae editionis calcem subjuncta notatio locorum quae expungenda monuit *Index Hispanicus* pag. 406-421. Conferenda etiam quae ad Georgii hujus quaestiones in Genesin notavit responditque Marius Mersennus ad calcem Commentarii in sex prima Geneseos capita, Paris. 1623, fol.

Omitto *Vitam B. Clarae Bugniae*, Venetae Clarissae: quae exstat in parte quarta Chronicorum Ordinis Minorum, edita Italice Venet 1621. et *Carmina* pia ascetica ibidem, scripta Italice, quae laudat Waddingus pag. 119.

GEORGIUS Orter de *Frickenhausen* Ord. Praed. qui Lipsiae circa Annum 1489, et seq. edidit tria scripta contra immaculatam conceptionem B. Virginis. Vide Jacobum Quetif. t. 1. p. 883, seq. ubi etiam *Quadragesimale* ejus et *Sermones de tempore, per Adventum* et *de Sanctis* memorantur.

GEORGIUS Prior *Gemnicensis*, Ordinis Carthusiani in Austria, cujus *Ephemeris* sive *Diarium peregrinationis transmarinae* in Ægyptum, Montem Sinai, terram sanctam et Syriam susceptae A. C. 1507, sq. prodiit *libris III*, in Bernardi Pez anecdotis tom. 2. parte 3. pag. 454-640.

GEORGIUS *Hephurnus*, Scotus Ord. Praed. circa annum 1480 qui *Collectiones Theologicas* et *de reformatione ad fratres suos* scripsisse traditur apud Jacobum Quetif tom. 1. pag. 901.

GEORGIUS *Hugo* laudatus Vossio pag. 569 non diversus videtur a *Georgio* monacho *Altaichensi*, de quo supra p. 33. De eo sic Joan. Aventinus inter scriptores quibus usum se profitetur ante librum secundum Annalium Bojorum: *Georgius Hugo Philosophus, curator Altaichii inferioris, (Coenobium est) Divo Benedicto dicatum: is jussu Georgii Ducis Latine perscripsit Bojos.*

Marius sive potius, ut rectius apud Possevinum, *Marcus* GEORGIUS Venetus Ordinis Servitarum circa Annum 1381. Theologus et Philosophus qui scripsit *libros duos de libertate Ecclesiastica*, et Vitam *Philippi Benizzi* a) Florentini, Anno 1285 defuncti, fundatoris Ordinis Servitarum, Carmine Heroico.

a) Colomes. Italia Oriental. pag. 59. Observationes Hallenses tom. 2 Observ. 16. Joan. Bona de Divina Psalmodia cap. 17. §. 2. pag. 534. Opp.

a) Ita legendum apud Vossium pag. 559. pro *Benefii*, Vide Diarium eruditorum Italiae tom. IX. p. 160. Julium Nigrum in historia scriptorum Florentin. p. 167. 168.

GEORGIUS *Mediolanensis.* Vide infra *Ravennatinus*: quanquam sunt qui duos Ord. Praed. circa idem tempus An. 1500 statuunt unum *Logices*, alterum *Vitae Jacobi Sextii* scriptorem, et utrumque distinguunt a Georgio Ravennatensi. Vide Jacobum Echardum t. 2. p. 31 et 43. Malo tamen Vossio assentiri, qui p. 813 pro tribus hisce unum in commentarios suos retulit.

GEORGIUS *Merula*, infra, MERULA.

* GEORGIUS *Natta* e Casali S. Evasii, sed ex diutina commoratione Attensis appellatus, cuius typis impressa Papiae ubi legebat an. 1475. extat *Repetitio de verborum significatione. Consilia* etiam eius leguntur. Vide Pancirolum lib. 2. c. 132.

GEORGIUS *Ravennatinus*, Mediolanensis, Ordinis Praedicatorum, defunctus An. 1520 scripsit *Logicam*, nec non *Vitam Jacobi Sextii*, Mediolanensis, Ordinis Praedicatorum, defuncti An. 1493 editam a Leandro Alberto, lib. 4 de viris illustribus illius Ordinis pag. 255. b. Praeterea haec ejus MSta in domo Gratiarum Ord. Dominicani Mediolanensi: *De viris illustribus Ordinis Praedicatorum in Provincia Romana, Historiam Coenobii S. Mariae Gratiarum Mediol.* opus quadripartitum. *Dialogum inter S. Dominicum et Petrum Martyrem* de utriusque Vita. Tractatum *de Vita Coenobitica. Interlocutionem moestam* super novis et inauditis rerum mutationibus. *Apologiam pro Bartholomaeo Quarterio, qui impubes Ordinem Praedicatorum professus erat. Quaestionem an ante annum XV. aetatis hoc liceat facere. Carmen ad dictum Bartholomaeum*, qui ab Ordine defecerat, et ut redeat *adhortatorium. Hymnum de assumtione B. Mariae Virginis.*

GEORGIUS *Riplay*, sive *Riplaeus*, Lelando cap. 435. *Gregorius Ripolegus*, Anglus, ex Regulari Canonico Brindlingtonensi, Carmelita in Coenobio Botulfino. Hunc An. 1499 claruisse scribit Baleus VIII, 49 et post mortem, Magiae insimulatum et Necromantiae. Scripta ejus haec ab eo referuntur: *Vita Batulfi Abbatis. Vita Johannis Bridlingtoni. Historia compassionis Mariae. Theorica. Concordantiae*, sive Concordia Naturalium Philosophorum *Guidonis et Raymundi. Secreta Philosophorum. Alchymistarum mysteria. Practica Cerimonialis. Castellum XII portarum. Dictata aegri. De Magia Naturali. Compendium Alchymiae. Ars brevis* sive *clangor. De lapide Philosophico. Dialogi, Carmina*, et *Epistolae.* His Pricaeus pag. 677 addit: *Medullam Philosophiae, Pupillam Alchymiae, Terram terrarum, Experimenta Philosophica*, et librum *de rerum temperaturis.*

*In theatro chemico Argentorati an. 1659 excuso extat huius scriptoris libellus inscriptus *duodecim portarum axiomata philosophica* qui pariter insertus est in collectione omnium op. chimic. curis Ludovici Cumbrachii excusa Hassiae Cassel 1649, 4. sunt autem ibi alia plura opera chimica eiusdem, quae Fabricium latuerunt.

GEORGIUS *a Tempseca* a) Vossio b) et Sandero c) minus recte *a Tensera*, Brugensis, post An. 1252 scripsit Historiam *Atrebatensem*, laudatam a Ferreolo Locrio in Chronico Belgico et a Jacobo Meyero, Flandricarum rerum scriptore, qui ex Georgii hujus collectaneis profecisse se non diffitetur.

GEORGIUS *Torquatus*, Magdeburgensis, Theologus et Historicus, cujus est *Series et ordo Pontificum Ecclesiae Magdeburgensis ab exordio fundationis suae* circa Annum 967. ad Annum 1513. ex veteri Chronico excerptus circa Annum 1562. passimque auctus et ex Goldeeii apographo editus in tomo tertio scriptorum Johannis Burchardi Menckenii pag. 374-406. collatus cum Anonymi Chronico Magdeburgensi Meibomiano tom. 2, pag. 369. seq. Ejusdem Georgii *Annales* uberiores *Magdeburgenses*, et *Halberstadenses* MSS. habuit Henr. Meibomius, avus, ex quibus locum producit in dissertatione de Irminsula cap. 10. tom. 3. scriptorum de rebus German. pag. 20.

GEORGIUS *Trapezuntius*, Cretensis ac Graecus licet, non est praetereundus mihi hoc loco, quoniam et Latine multa scripsit, atque vertit e Graecis eleganter, ejusque non contemnendae fuere partes in luce in-

a) Franciscus Sweertius Athen. Belg. pag. 276. et Valerius Andreas Bibl. Belg. p. 267.

b) Pag. 704. de Hist. Lat.

c) De Brugensibus eruditione claris p. 35.

stauranda litterarum. Quoniam autem de lucubrationibus ejus, quas utraque lingua in lucem protulit, dictum est diligenter in Diario Eruditorum Italiae tom. XVI, pag. 414-446. et ab Leone Allatio in diatriba de Georgiis, tom. X. Bibliothecae Graecae pag. 721. seq. satis esse existimo benev. Lectorem rogare, ut haec consulat, et de Trapezuntio praeter ibi laudatos a me, Nicolaum Comnenum Papadopoli consulat tom. 2. histor. Gymnasii Patavini p. 408. et Nisseronum tom. XIV. memoriarum de viris eruditis, editarum Gallice pag. 322. seq. Diem obiit hic Georgius extrema senectute, post ademtam prius omnium rerum et proprii nominis memoriam, Romae An. 1484. ante 12. Augusti, eo enim die Sixtus quartus rebus humanis valedixit, cui Andreas, filius Georgii Trapezuntii dicans Almagestum Ptolemaei a) a Patre versum, negat Patrem morte praeventum facere hoc ipsum per se potuisse.

* Adde nondum a nemine commemoratas epistolas eius septem excusa in collectione epistolarum Francisci Barbari, cujus loco suo memini. In epistola ejusdem collectionis CIV Sermonem habet epistolae, seu potius ut ipse appellat, orationis de fortunis suis ad Nicolaum Pontificem scriptae. Insuper Malatestarum Bibliotheca Caesenae servat Codicem MS. Homiliarum S. Joannis Crysostomi in Matthaeum ex versione Aniani continuata a Trapezuntio; simulque habet epistolas MS. eiusdem Georgii ad Franciscum Barbarum, datam ex urbe 5. Cal. Martias an. 1450. quam epistolam in collectione epistolarum Barbari nequaquam legas.

Porro quae de hoc Georgio scribit Niceronius t. XIV. ex Urbe scilicet secessisse Neapolim Alphonso rege accitum cum annuae pecuniae assignatione; haec veritate minime congruunt; nam in Epistola CCX. ad Franciscum Barbarum data Neapoli die XXVIII. Septembris an. 1453. cum eo conqueritur his verbis: *nec spes ulla provisionis regiae vel salarii viget.* Tunc vero commorationis suae Neapoli annum integrum jam absolverat. In MS. Codice Taurinensi 601 MSS. Latinorum servatur Georgii Epistola ad Leonellum Estensem contra Guarinum, sicut et apologia Rhetoricorum suorum in Guarinum. Oratio in funere Michaelis Fantini Veneti. Accuratiorem operum Trapezuntii catologum exhibet Zeno Dissert. Voss. tom. 2 pag. 2.

GEORGIUS *Valla*, infra, VALLA.

GEORGIUS *de Ungaria*, Ordinis Praedicatorum, scriptor libri *de ritibus Turcorum* capitibus XXIII. quem laudat Bernardus Luzemburgicus in Catalogo haereticorum.

Alexander GERALDINUS, GHERARDINUS, sive GIRARDINUS, Amerinus, Episcopus An. 1496. Vulturariensis et Montis Corbini in regno Neapolitano: Vide Ughellum tom. 8, pag. 392. Inde An. 1516. anno aetatis 70. Episcopus Civitatis S. Dominici apud Indos Orientales: variis Legationibus functus, defunctusque An. 1525. scripsit *Vitam Catharinae Austriacae*, Conjugis Henrici VIII. Angliae Regis, Carmine Hexametro. Vide Diarium Eruditorum Italiae tom. 24. pag. 233. *Vitam S. Catharinae Virginis et Martyris* Carminibus Latinis. *Vitam S. Benedicti* Sapphico Carmine. *Sacrorum Carminum libros XXIV De Latii et Romae laudibus*, et *Antiquitatum praestantia*, Elegiaco Carmine. *Invectivas* Lyricas *in malam foeminam*. Tum soluta Oratione. *Itinerarium An. 1520. ad Regiones sub aequinoctiali plaga constitutas*, quod diu post auctoris mortem vulgatum est ab ejus abnepote *Onufrio Geraldino* de Catenaccis, Romae 1631. 8. cum ejusdem Alexandri vita, praeter quam Allatius pag. 208. Apum Urbanarum testatur etiam se legisse ejus tractatulum MStum: *de Viris Geraldinis, qui in obsequio Apostolicae Sedis per varia tempora insudarunt.* Caetera inedita Alexandri scripta Onufrio memorata sunt: *Epitome Conciliorum* ab Orbe Christiano. *Summorum Pontificum Acta. Epistolarum libri II. Officia varia Sanctorum.* Volumen *Orationum* ad Principes Christianos *pro bello contra Turcos movendo. De iis, qui funguntur a secretis Principum De educatione nobilium puerorum et puellarum De*

a) Acta Sanctorum Maji p. 184. Diarium Erudilor. Italiae t. XVI. p. 422.

officio Principis. Elogia virorum illustrium Romanorum ab Ænea usque ad Pompejum Magnum. *Monumenta Antiquitatum Romanarum* e veteribus *Inscriptionibus* recollecta suis itineribus et studio. *De quantitate syllabaria et Carminum compositione.*

Antonius GERALDINUS, Alexandri frater major natu, de quo supra in ANTONIO tom. 1, pag. 118. defunctus An. 1488. Eius *Eclogae XII de mysteriis Vitae JESU CHristi*, prodiere Salmanticae 1505. 4. *Oratio ad Innocentium* VIII. Romae A. 1486. habita, editaque in 4. Vide Nicolaum Antonium tomo 2. Bibliothecae novae Hispanae pag. 685. et Diarium Eruditorum Italiae tom. 22, pag. 360. seq. et tom. 24. pag. 230. seq. *Poenitentialis Psalmodia*, sive Psalmi VII. Poenitentiales Latino Carmine. 1486. in 4.

* Eius eclogae XII, scriptae sunt ab eodem auctore Caesaraugustae an. 1484. impressae vero *Romae* an. seq. *cura authoris serenissimor. Regis et Reginae Hispaniarum legati* 8 *id. Julias.* Haec lego in fine editionis meae in 4 ex quibus Fabricium corrigas.

GERALDUS *de Abbatis villa*, Magister Parisiensis circa Annum 1257. cum Guilhelmo de S. Amore faciens, Franciscanos et Dominicanos oppugnavit tribus scriptis, adversario perfectionis Christianae maxime Praelatorum facultatumque Ecclesiasticarum inimico oppositis. Vide Jacobum Quetif de scriptoribus Dominicanis tom. 1, p. 335. seq.

GERALDUS II. de Gordonio, Episcopus *Cadurcensis* instaurator Ordinis Canonici in Basilica S. Stephani An. 1096. a) *Testamentum* ejus apud Dacherium tom. 8. Spicilegii pag. 161. (edit. novae tom. 3, p 415.)

GERALDUS III. Hector, Episcopus ibidem Cadurcensis per annos amplius quinquaginta, qui diem obiit An. 1200. Hujus est Epistola ad Fridericum Imp. data ex Carcere An. 1155. apud eundem Dacherium tom. 2, pag. 403. (edit. novae tom. 3, pag. 519.)

GERALDUS Itherii, Prior *Grandimontanus*, scriptor *Vitae S. Stephani* Muretensis, Diaconi et Confessoris, qui Ordinem Grandimontensem in nemore agri Lemovicini Monte Mureto instituit circa Annum 1076. Exstat sine nomine auctoris in Labbei Biblioth. nova MStor. tom. 2, pag. 674. et adscripto Geraldi nomine ex Chifletiano Codice, cum Bollandi notis in Actis Sanctor. tom. 2. Februar. VIII. pag. 205. et ex integriore Codice Grandimontensi apud Edmundum Martene tom. VI. monumentor. pag. 1046. seq. Hic est Geraldus ad quem Clementis III. bulla qua Sanctis adscriptus Stephanus ille fuit An. 1189.

GERALDUS Lemovicensis. Vide supra *Gerardus de* FRACHETO tom. 2, pag. 588.

GERALDUS *Bituricensis* Medicus, cujus Commentarium MS. *super Viaticum Constantini* memorat Sanderus in Bibl. Belgica MS. p. 194. Constantinus Afer, auctor Viatici scripsit circa Annum 1090.

GERARDUS, *Gerhardus*, *Girardus*, *Geraldus*, de *Abbatis villa*, supra, GERALDUS.

GERARDUS, Monachus *Affligemensis* in Brabantia Ord. Bened. apud Cangium traditur scripsisse *de statu Mundi.* Sed apud Sweertium et Valerium Andream inscribitur *de statu matrimoniali*, MS. in Parcensi Monasterio non procul Lovanio.

GERARDUS Monachus *S. Albini* Andegavensis, Ord. Benedicti defunctus Anno 1123, 4. Novemb. cujus Epitaphium, et Monachorum S. Albini Epistola encyclica de obitu Marbodei Episcopi et hujus Gerardi, exstat in Edmundi Martene tom. 1. Anecdotor. pag. 255. 356.

GERARDUS *de Aruernia*, Cenomansis Ecclesiae Canonicus, cujus *Chronicon* in An. 1274. desinens Cangius evolvit in Biblioth. Puteana. Oudinus autem tom. 3, pag. 582. testatur in Bibl. Regis Christianissimi Cod. 1531. procedere usque ad An. 1288. dicatumque Ivoni de Chasent, qui ex Priore St. Martini Paris. Abbas Cluniacensis ab An. 1275.

GERARDUS Augustanus Presbyter circa Annum 980. scripsit *de Vita et miraculis S. Udalrici, Augustae Vindelicorum Episcopi.* An. 973. defuncti aetat. 83. ordinationis 54. Sine nomine auctoris editus a Marco Vel-

a) Sammarthan. t. 2 Galliae Christ. p. 499. b.

sero Augustae 1595. et in Velseri operibus pag. 505–587. et in Actis Sanctor. tom 2. Julii pag. 97. et Gerhardo restitutus in Mabillonii Actis Benedictinis seculo V. p. 549. Vide et supra GEBEHARDUS et BERNO.

GERARDUS sive GERLANDUS cum Berengario faciens Monachus circa seculi duodecimi initia, ad quem HUGONIS *Metelli*, Canonici Regularis Epistolam de sanctissimo Eucharistiae Sacramento edidit Mabillonius tom. 3. Analect. pag. 459. (edit. novae pag. 475.) qui Gerardi hujus etiam Epistolas legisse se MStas pag. 465. testatur, quas tamen edere omisit.

GERARDUS Serina de Varonibus *Bergomensis*, Augustinianus, Episcopus ab An. 1342. ad 1356. a) Saonensis sive Savonensis: scripsit teste Jac. Philippo Bergomensi, ejus populari, in Chronico ad Annum 1355. *in Epistolam ad Hebraeos*: *in Cantica Canticorum* expositionem, connectentem Paulum Apostolum Salomoni et Novum Testamentum Veteri. Incip. *Alae tuae Cherubim*. Commentarium *Sexti Decretalium* lib. 3. tit. 17 *de religiosis domibus* Duo *Quodlibeta*. Et in *libros sententiarum*. Eadem laudat Trithemius c. 612. et quae praeterea ab Elssio commemorantur, vereor ne conficta sint ex verbis Bergomensis perperam intellectis.

GERARDUS *Blancus* ex villa Gainaco, Parmensis dioecesis, Episcopus Sabinensis et Cardinalis obiit An. 1302. Praeter *sermones* et scripta ad Jus Pontificium spectantia, publicavit *Constitutiones pro reformando Clero*. Vide G. Josephum Eggs tom. 1. purpurae doctae pag. 232.

GERARDUS, sive GERALDUS Monachus *S. Blasii*, teste Anonymo Mellicensi c. 116. *inter alia* Commentum super Dialecticam *scripsit: praeterea*, *satis utilium* Collectas sententiarum.

GERARDUS *de Bononia*, Doctor Parisiensis Carmelitarum Prior Generalis obiit Avenione An. 1317. Praeter sermones de tempore et de Sanctis, Quodlibeta, Quaestiones Ordinarias, et Commentarium in IV. libro Sententiarum, summam quoque Theologiae dare voluit, sed quam morte praeventus imperfectam reliquit. Vide Trithemium c. 549. Nec plura Alegrius p. 280.

a) Ughellus tom. 4 Italiae sacrae p. 758. Philippus Elssius encomiastico Augustiniano p. 241.

GERARDUS *Bredanus*, ex Brabantia, Carthusianus An. 1474. defunctus, cujus scripta sunt: tractatus *in Psalmum LXVII. Exsurgat DEUS:* et versibus Vita CHristi ac de sancto Ejus Sacramento. Vide Theodorum Petraeum pag. 161. sq.

GERARDUS II. et III. Episcopi *Cadurcenses*. Vide supra GERALDUS.

GERARDI Abbatis *Broniensis* Sec. X. vita scripta ab Anonymo Monacho ad Abbatem Gonterum, edita et interpolata a Surio 3. Octobr.

GERARDUS nec Cremonensis a) nec Saboletanus, b) nec Fulginas, c) sed *Carmonensis* ex Carmona d) Baeticae sive Andalusiae Hispanus, Toleti e) vixit, diemque obiit An. 1184. aetat. 73. peritia Matheseos et artis Medicae, litterarumque Orientalium, celebris inprimis, unde in Hispania Orientali honestus ei locus datus est a Paulo Colomesio pag. 214. seq. Ex Arabico hic Gerardus quem *Arabismi gnarissimum* Vopiscus Fortunatus Plempius ad Avicennam fatetur, Latine vertit Canonem *Avicennae* libris V. Canticaque et de viribus cordis: de removendis nocumentis in regimine Sanitatis, et de syropo acetoso: Venet. 1544. 1553. Basileae apud Hervag. 1555. fol. Venet. 1608. fol. 2. Vol. ex Andreae Alpagi, Bellunensis castigatione, notisque Joan. Costaei et Pauli Mongii, et Canonis liber primus et secundus ex Plempii recognitione, Lovan. 1658. fol.

Aboali Principis, sive *Abuali*, filii Davidis, Ægyptii, Compendium Rasis.

Librum *Abubecri Rasis*, qui dicitur *Almansorius*, practicam et antidotarium, nec

a) Ita post multos alios Franciscus Arisius nuper in Cremona litterata p. 269. seq.

b) Ita Gesnerus in Bibliotheca, Guido Bonatus, cum Volaterrano, Leandro Alberto cte.

c) Ita Trithemius apud Nicol. Antonium tom. 2 Bibl. vet. Hisp. p. 265.

d) Nicolaus Antonius l. c. Diarium eruditorum Italiae tom. X. p. 286. et tom. XV. p. 20. sq. ubi inter alia p. 211. sq. *Gerardi* nomen nec apud Hispanos in frequentatum fuisse ostenditur.

e) *Toleti vixit*, *Toletum reddidit astris*. Epitaphium ibid. p. 209.

non *librum divisionum*, sive de morborum curationibus. Lugd. 1510. Basil. 1544.

Joannis Serapionis Praticam sive breviarium Medicum, Venet. 1497.

Librum *Albengnesit* Philosophi de virtute medicinarum et ciborum. Argentorat. 1541. fol. cum Tacuino.

Joannis Damasceni Serapionis F. lib. VII. therapeutices Basil. 1529. fol.

Jsaac de definitionibus, MS. in Bibl. Bodlej. et *Geberi* libros IX. de Astronomia, teste Ricciolo.

Albucasae chirurgi methodum medendi libris III. Basil. 1541. fol. Vide Labbei Bibl. MSS. p. 50.

Commentarios in prognostica Hippocratis, Arabis Anonymi.

Artem parvam Galeni ex Arabico, et *Joannicii* commentarios.

A Gerardo ipso composita:

Theorica Planetarum, quam dialogo edita oppugnavit Joannes Regiomontanus, Georgii Peurbachii discipulus.

Geomantia et Practica *Planetarum* MS. apud Bernardum Trevisanum, Venetiis.

Introductorium Medicinae.

Commentarius in Viaticum Constantini Afri, Benedictini. De Constantini hujus qui An. 1090. claruit Viatico dixi Bibl. Graecae tom. XIII. p. 125. Illud viaticum illustratum etiam esse ab altero GERARDO *Bututo*, Medico Parisiensi, testis Gesnerus in Bibliotheca p. 274.

Lipsiae, teste B. Fellero Catalogi Bibl. Paulinae pag. 216. habetur MS. *Magistri Gerardi Cremonensis vita et index librorum ab eo translatorum.*

Kyranidum librum ad hoc Gerardo ex Graeco translatum, ante Barthium scripsit Gesnerus: sed illa sententia rejicitur a Thoma Reinesio pag. 8. Variar. Lect.

* Celebri huic viro Italiae nostrae restituendo non inani labore enisus est cl. Muratorius antiq. tom. III. pag. 937, allatoque P. Francisci Pippini in chronico vulgato Rer. Italicar. tom. IX. testimonio, rem confecit. Pippinus enim iste qui anno circiter 1315 florebat, ita eius patriam evulgavit, ut omnem ademerit ambiguitatem, scribens: *Gerardus Lombardus natione Cremonensis an. 1187. vita defungitur, septuaginta tres annos natus, habens etc. Inter opera quae transtulit habentur in arte tam phisicae quam aliarum facultatum libri septuaginta tres, inter quos Avicennae, et Almagesti Ptolomaei translatio solemnis habetur. Sepultus est Cremonae in monasterio S. Luciae, ubi suorum librorum Bibliothecam reliquit. Dedit et theoricam Planetarum* editam Venetiis 1478. Bononiae 1480 4.

(122 Gerardi laudes nuper memoriae revocavit clariss. princeps de litteris et scientiis egregie benemerens op. seq. *Della vita, di Gherardo Cremonese e di Gherardo da Sabbionetta notizie raccolte da Baldassarre Boncompagni. Roma* 1851, 4.)

GERARDUS *Carthusianus*, vide *Bredamus*, atque *Schiedamensis* et *Stredamus.*

GERARDUS *de Castris,* Carmelita circa Annum 1420. *cujus de Passione Dominica* et *Sermones plures de Sanctis* memorat Possevinus ex Gesnero et Eisengreinio.

GERARDUS Episcopus *Castrensis,* infra *Machetus.*

GERARDUS *Coloniensis*, Ord. Praed. circa Annum 1314. scriptor duplicis libri, quorum alter *medela* a) *animae*, alter *recreatio animae* inscribitur.

GERARDUS ex *Corbejensi* Monacho Abbas Silvae majoris Ord. Bened. circa Annum 1050. post PASCHASIUM *Ratpertum* scripsit *vitam* et *miracula S. Adalhardi sive Adelardi* circa Annum 826. Abbatis Corbejensi. Utramque edidit Bollandus in Actis Sanctor. 2. Januarii tom. 1. Paschasii quidem pag. 96. Gerardi pag. 111. et 118. Post Bollandum Mabillonius Sec. IV. Benedictin. pag 345. Vide Oudinum tom. 2. pag. 751. seq.

GERARDUS *Cremonensis*, rectius *Carmonensis* de quo supra.

GERARDUS e *Cussaco*, Aginnensis, Carmelita, circa Annum 1346. cujus non nisi *Sermones* ad Clerum, aliosque *ad Populum* memorari reperi.

GERARDUS Grot sive Magnus, *Daventriensis*, ex Canonico Ultrajectensi et Aquis-

a) Ita legendum, non *medulla*, monet Possevinus.

granensi Clericus seu Frater Vitae communis, obiit An. 1384. *Joannis Rusbrochii* nonnulla e Germanico transtulit in Latium sermonem, et ipse Latine plura scripsit, e quibus inter Thomae Kempis opera viderunt lucem tria brevia capita, quae ultimam partem absolvunt Vitae Gerardi hujus, scriptae a Kempisio, atque in limine tomi tertii Kempisii, p. 29. *Protestatio de veridica Praedicatione Evangelii quod praedicavit* et p. 30. *Conclusa et proposita* et p. 35. *de sacris libris studendis.* Memorantur praeterea a Trithemio cap. 656. haec ejus scripta: *De contractibus et usuris. De institutione Novitiorum. De locatione curae Pastoralis. De conversatione interna, De regimine monialium. De incommoditatibus Matrimonii. Epistolae* et *Sermones*, His apud Aub. Miraeum in auctario pag. 82. et Franc. Sweertium pag. 280. ac Valerium Andream p. 277 adduntur: *De focariis* ad Clerum Trajactensem. *Contra turrim Trajectensem. De paupertate. De quatuor generibus meditabilium. De vitio detractionis. De Simonia. De Beneficiis curatis. De schismate* ad Cantorem Parisiensem. *De cohabitatione et exercitiis devotorum. Concordia Evangelistarum de passione Domini. Commentarius in lectiones Officii Ecclesiastici de defunctis: De compunctione et eruditione scholarium. De revocatione lapsi. Cordiale quatuor Novissimorum. Quaeritur an quis possit. De vita in communi degentium. De gradibus Ecclesiasticorum* et *de Communione.* In Epitaphio ejus hi versus leguntur:

Gerardus magnus vixit sicut pius agnus.
Fecit quod dixit, sicut docuit, quoque vixit
Sicut non fictus, aliis mitis, sibi strictus.

GERARDUS *Dicaeus* Lucensis, Gesnero teste, *Deliam amantem*, grandi volumine celebravit carmine, et vertit *Dionem.* Sed illa Dionis versio nunquam in lucem data est.

* *Gerardus* qui de familia Sergiusta Patritia Lucensi ortus Graeca appellatione δικαιον (iustum) Dicaeum se nuncupare maluit: nec *Deliam amantem* scripsit, neque grandi volumine carmina sua (ea saltem quae vulgavit typis) complexus est. Dedit enim libellum carminum plagularum 18 inscriptumque *Gerardi Dicaei Lucensis Progymnasmatum libellus.* In eo vero subinde Deliam, venustam nescio quam puellam celebrat. Est hoc totum quod de authore isto habemus. Scripsit praeter haec libellum alterum Graeca sua epigrammata continentem, quae libenter se typis vulgaturum professus est in epistola ad lectorem progymnasmata sua claudentem, si quidem Graecorum litterarum formas habere contigisset. Florebat ille sub initium Saec. XVI. produxitque opusculum suum Lucae an. 1523. 4. In patria bonas literas docuit adolescentes. Exciderat indicasse alterum scriptoris huius gentilis mei libellum typis excusum et rarissime obvium nempe *Compendium rei metricae.* Florentiae 1534, 8. Hunc virum insigni elogio celebrat Hortensius Laudas in suis quaestionibus Forcianis Lib. 1. *Gerardus Dicaeus vir omnium laude, praedicatione, literisque decorandus, quo uno cive satis ornata esset vestra Respublica, etiamsi omnibus aliis vel fortunae vel naturae ornamentis destituta sit.*

GERARDUS *Domarus* sive GERALDUS *de Daumaro*, Lemovicensis, Theologiam docuit Parisiis, inde Magister Ord. Praed. Generalis obiit Avenione A. 1342. *Sermones* scripsisse doctos et elegantes, et quaedam Theologica erudita composuisse traditur, sed quae illa sint, praeteritur silentio, tum apud alios tum apud Iacobum Quetif tom. 1. pag. 610.

GERARDUS *de Fracheto*, supra tom. 2 pag. 588.

GERARDUS *Grandimontanus* Prior. supra, p. 37. GERALDUS.

GERARDUS *Groot*, supra, pag. 39. *Daventriensis.*

GERARDUS, *Hancinus*, sive *de Ancinis*, Ord. Praed. circa A. 1312. cujus *commentarios in quatuor libros Sententiarum* memorat Jacobus Quetif tom. 1. pag. 725. Nam Commentarii in libros Ethicorum videntur potius esse *Gerardi Odonis,* de quo infra.

GERARDI Monachi *de Imo* S. Mariae, Ord. Cisterc. cujus *Processus* seu *Defensorium Juris*, scriptum An. 1427. MS. in Bibl. Quedlimburgensi. Vide Tobiam Eckardum p. 27.

GERARDUS *Landrianus*, Episcopus in Picardia Galliae Laudensis a Concilio Basileensi An. 1432. legatus ad Henricum VI. Angliae Regem, ad quem habita Oratio inserta Appendici Concilii Basileensis tom. 8. Harduin. pag. 1313.

* In Codice Vindobonensi ubi plura de rebus Concilii Basileensis, extat *collatio facta ad Universitatem Coloniensem per Episcopum Laudensem*, (Gerardum Landrianum) ambasiatorem sacri concilii Basileensis Incipit: *operemur bonum dum tempus* etc.

GERARDUS *Laodicensis* Episcopus, infra *de Nazareth.*

GERARDUS *Lemovicensis*, Ord. Praed. vide de FRACHETO, supra t. 2. p. 519.

GERARDUS *Leodiensis* sive *Leodicensis* Lector, Ord. Praed. circa Annum 1270. praeter *Sermones de tempore ac de Sanctis* scripsit *Speculum Concionatorum de doctrina Cordis* ad 1. Sam. VII. 3. *praeparate Corda vestra*, septem libris sive dispositionibus, quod opusculum Henrico Gandavensi cap. 53. laudatum prodiit Paris 1605. forma minore et Neapoli 1604. 4. et Gallice versum Duaci 1601. et Lugd. 1608. forma minore. Praeterea *Sermones* de tempore et Sanctis memorat Trithemius cap. 520. Miraeus ad Henricum Gandavensem etiam *librum de Virtutibus*. Jacobus Quetit t. 1. pag. 249. tractatum *de Testamento CHristi* et *Religionis Elucidarium.*

GERARDUS Leodicensis Ord. Cisterciensis, seculo XII. qui de miraculis quibusdam *S. Bernardi* in Germania patratis scripsit. Vide Carolum Vischium p. 123. Idem huic Gerardo tribuit librum *de remediis contra amorem illicitum,* quem Miraeus malit Gerardo, de quo jam dixi, Leodicensi Dominicano tribuere.

GERARDUS *Machetus* Castrensis in Gallia Episcopus et Collegii Navarrei Paris. gubernator, defunctus Turonis An. 1450. Vide Launoium in historia Gymnasii Navarrei pag. 533. seq. ubi tituli et notitia *Epistolarum* CCCLXVIII. quae MStae Parisiis asservantur. Ex iisdem nonnullae pag. 150. 152. 154. 155. 156.

GERARDUS *Magnus*, supra *Daventriensis.*

GERARDUS *Maurisus,* sive de Maurisio Civis et Iudex Vicentinus, scriptor *Historiae de rebus gestis Eccelini Tyranni et Dominorum de Romano* ab Anno 1183. ad Annum circiter 1237. quam ex Felicis Osii schedis An. 1631. extincti vulgavit Laurentius Pignorius Venet. 1636. fol. cum ROLANDINO Patavino et ALBERTO Mussato: deinde illustris Leibnitius t. 2. scriptor. Brunsuic. pag. 28. Hinc in duobus splendidis corporibus scriptorum Italiae recusa est Mediolanensi quidem, a) in limine tomi VIII. et in Leidensi Burmanniano tom. VI. Hujus *Maurisii* nomen pro PARISIO reponendum apud Carolum Sigonium lib. XVII. de regno Italiae ad Annum 1233. Vide Vossium de Hist. Lat. p. 468.

GERARDUS Decanus *S. Medardi* Suessionensis *Vitam* veteranam heroico Carmine editam *S. Romani Episcopi* misit ad Hugonem circa Annum 960. Archiepiscopum Rothomagensem. Epistola Gerardi vulgata a Jo. Mabillonio tom. 1. Analect. pag. 167. (nov. edit. p. 429.) Vitam prosa scriptam vulgavit Rigaltius Paris. 1619. 8. De Romano Rothomagensi Archiepiscopo qui An. 645. obiit, et cujus memoria recolitur 23. Octobr. vide Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae pag. 561 seq. et Carolum le Cointe tom. 2. Annal. Francorum pag. 776. sqq.

GERARDUS *Mindensis* Ord. Praed. circa Annum 1277. traditur scripsisse *Commentarium in Ecclesiastem*, ut commenta ejus *super Metaphysicam* praeteream.

GERHARDUS a *Nazareth*, Laodicensis Episcopus circa Annum 1140. scripsit ad Guilelmum Presbyterum *de conversatione virorum DEI in terra sancta commorantium.* Praeterea Simlero teste *Vitam Abbatis Heliae*, et *de una Magdalena* contra Graecos. *Ad ancillas DEI in Bethania, Contra Salam*, Templarium.

GERARDUS *Odonis* sive *Oddonis* Ruthenensis Gallus, de Castro Rodulphi, Ord.

a) Diarium Eruditor. Italiae tom. 37 pag. 455. Acta Erudit. 1727. pag. 208. Memoriae Trevoltinae An. 1752. pag. 79. Ephemerides Eruditor. Paris. 1733. pag. 478. Bibliotheca Italica vulgata Gallice tom. XIII. pag. 1.

Minor. et ab An. 1329. Minister Generalis et Patriarcha Antiochenus, defunctus Catanae in Sicilia A. 1349. scripsit *Quaestiones* et *Scripta de Logica,* et *in libros Ethicorum ac de Philosophia Morali*, quae Trithemius c. 552. memorat. Ex his *Commentarii in X. libros Nicomacheorum Aristotelis* prodiere Venet. 1500. a quibus etiam *Doctoris Moralis* cognomen videtur tulisse, quod ei apud Waddingum p. 145. tribuitur, qui praeterea ejus *Commentarios in varios S. Scripturae libros*, et *in quatuor libros Sententiarum* commemorat: nec non *librum de figuris Bibliorum*, MStum in Coenobio Mirapicensi, et *Sermones* de tempore. Quaestiones praeterea duas MStas in Bibliotheca Vaticana, 1) *utrum lumen augeatur per adventum novae partis ad partem, utraque permanente* et 2) *utrum continuum componatur ex indivisibilibus, et resolvatur in indivisibilia.* Idem Waddingus testatur *Officium de stigmatibus S. Francisci*, quod a Franciscanis consuevit recitari, ab hoc Gerardo esse compositum. *Postillae* ejus *in librum Sapientiae* MSS. Patavii in Biblioth. S. Antonii, teste Thomasino p. 64.

GERARDUS Monachus *S. Quintini* in Insula, scripsit *translationem venerandarum reliquiarum Crucis et Coronae Dominicae.* CPoli Parisios, quas reliquias, piae memoriae Dominus Ludovicus Rex Francorum a) sibi ab Imperatore CPoleos b) acquisivit. Scripsit etiam plurima *miracula* quae *B. Elisabeth*, de Thuringia, post mortem suam c) dicitur fuisse operata. Composuit etiam *Antiphonas* et *Responsoria* eleganti dictamine, in ejusdem Sanctae festivitate cantanda. *Neumas* d) vero eisdem Anthiphonis et responsoriis quidam frater *Petrus,* Canonicus S. Autberti Cameracensis apposuit. Haec de Gerardo Henricus Gandavensis cap. 52. et ex eo Trithemius cap. 486. qui ait claruisse An. 1270.

GERARDUS *Richemburgensis* (Reiffenberg) infra *Stedarburgensis* et GERHOUS.

GERARDUS Episcopus *Savonensis*, supra *Bergomensis.*

GERARDUS *Schidamus* sive *Schiedamensis*, Batavus, Trithemio *Stredam*, Cangio *Schidanus*, Prior Carthusiae Domus Apostolor. prope Leodium, An. 1443. diem obiit, scriptor *Speculi religiosorum: Dialogi duplicis, de vitiis et virtutibus. De decem praeceptis. De cura pastorali* ad Abbatem S. Adriani. *De VII. Sacramentis* et *Sermonem* de tempore et de Sanctis. Vide Trithemium cap. 796. Valerium Andream p. 273. Sweertium p. 285. Huic putem etiam tribuendum tractatum *de Oratione* qui sub Gerardi Carthusiani nomine laudatur a Navarro.

GERARDUS *de Senis*, sive Senensis, Augustinianus, quem Jacobus Philippus Bergomensis ad Annum 1355 ait imitatorem praecipuum fuisse *B. Ægidii Romani*, scripsisseque *in primum sententiarum* nec non *de praescriptionibus et usucapionibus:* et *de usuris et de montibus pietatis* sive mensis Lombardicis *Florentinorum caeterisque.* Eadem Trithemius cap. 610. Ex his *Lectura in primum sententiarum* edita Patavii 1598. teste Philippo Elssio p. 240, encomiastici Augustiniani, a quo praeterea memorantur MSS. *Lecturae in librum sententiarum* 2, 3, 4. *Quaestiones de intellectu agente. De principio Individuationis*, ad mentem *Ægidii. Quaestiones Quodlibeticae. De Begardorum erroribus. Ad Clementinam de haereticis. Quaestiones ad Episcopos*, et *ad Episcopum Senensem*, *utrum bona pauperum Episcopo Dioecesano dispensare et in subsidium Civitatis, Rectore petente*, *vertere liceat.*

* Si Azolino in lib. de Pompis Senensibus credimus, floruit Gerardus iste non quidem an. 1355 ut indicasse videtur Fabricius ex Bergomensi, sed an. 1340 quin et obiisse circa annum 1336 tenet Gandolfo in Dissertat. de CC. Augustinianis. Inter opera eius Philosophica accenset a Fabricio omissam questionem *de intellectu agente*; quod opusculum servatum olim Patavii scribit P. Gandolfo. Nec satis distinguit hic Fabricius inter scripta edita et inedita Gerardi,

a) Ludovicus IX. sanctus. Philippo Regi hoc Rigordus tribuit. Vide Odoricum Raynaldum ad Annum 1502. n. 60.

b) Balduino I. secundum Rigordum.

c) Quae An. 1231. accidit. Vide supra tom. 2 pag. 208.

d) Vide Meibom. tom. 1 p. 444. sq.

quod tamen satis diligenter exequitur P. Gandolfo; ex quo intelligimus *primum quodlibetum* prodiisse Viterbii an. 1587. fol. alterum Caesenae 1630. 4. De usuris et praescriptionibus Romae 1556, 4. Reliqua nondum producta credo.

GERARDUS *de Silteto*, Ord. Praed. circa Annum 1400. Scriptor *summae de Astris*, divisae in partes tres. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 725.

GERARDUS *silvae majoris* Abbas, supra, *Corbejensis*.

GERARDUS ex Monacho Richenburgensi *Stidereburgensium* a) sive *Stederburgensium* Monialium in dioecesi Hildeshcimensi Praepositus ab An. 1163 ad 1209 scripsit *historiam de postremis annis Henrici Leonis* Ducis Bajoariae et Saxoniae ab An. 1192 ad 1195 quo Henricus ille obiit, editam ab Henrico Meibomio avo cum notis Helmst. 1614, 4. et recusam in Henrici Meibomii nepotis scriptoribus rerum Germanicarum tom. 1. pag. 430-436 subjuncto sicut in priore editione brevi Chronico Stidereburgensi ab An. 1001 ad 1180 id. p. 450-455. Meibomio jungendus, illustris Leibnitius tom. 1 scriptor. Brunsvicens. pag. 849, seq. ubi Gerardi Historia Chronico Stederburgensi inserta legitur.

GERARDUS *de Stredam*, **supra**, *Schidamus*.

GERARDUS *Suessionensis*, supra, *S. Medardi*.

GERARDUS *Terlingus* Brabantius Carmelita circa Annum 1500 scriptor *Chronici Huesdani*.

GERARDUS scriptor *Vitae S. Udalrici*, supra, *Augustanus*.

GERARDUS *de Sutfanio*, *Sutphaniensis* sive *Zutphaniensis*, cujus vita scripta a Thoma Kempisio tom. 3. Opp. p. 116 fuit ex primis fratribus Congregationis Clericorum in Communi viventium, a Gerardo Daventriensi, de quo supra, institutae, defunctus Coloniae An. 1398 aetatis 31. Ejus scripta: *De reformatione interiori* sive *Virium animae*, qui incipit: Homo quidam descendit. Et *de triplicibus adscensionibus* et *descensionibus spiritalibus*. Incipit: Beatus vir qui est. Haec duo scripta edita Coloniae 1533 atque inde recusa in Bibliothecis Patrum, atque in novissima Lugdunensi tom. 26. p. 235-289. Praeterea *Sermones varios* hujus Gerhardi memorat Trithemius cap. 677.

a) Hadr. Valesius notis ad Adalberonem pag. 290. seq.

GERBERTUS Aurelianensis Scholasticus Ord. Bened. in Coenobio Floriacensi, Praeceptor Ottonis III. Imp. et Rotberti Regis Francorum a) atque ex Abbate Bobiensi et S. Columbani Lemensis et hinc Ravennatensis Archiepiscopus, ac denique Papa SYLVESTER II, ab An. 999. April. 2 ad Annum 1003. 12 Maji. In Conciliorum tomis exstant ejus *Epistolae* 1) ad Ascelinum (Azolinum) seu Adalberonem, Laudunensem Episcopum, ut accusatus ad Romanam Synodum veniat. 2) ad Arnulfum quem Remensi restituit Archiepiscopatui et 3) ad Robertum Viceliacensem Abbatem, cujus Privilegia confirmat. Aliae *Epistolae CLXI*, quas Gerberti adhuc utens nomine, Archiepiscopus Remensis scripsit, et quibus ex Nicol. Fabri Codice usus Baronius est, editae primum a Joan. Baptista Massono, Papyrii fratre Paris. 1611, 4. atque inde in Andreae du Chesne scriptoribus Francicis tom. 2. pag. 789-827 et in Bibliothecis Patrum Paris. 1644, 1654 tom. III. Colon. 1618 tom. X, et Lugd. 1677 tom. pag. 669. Ultima ex illis 161. Epistolis est data *ad Constantinum*, quam praefationis loco Gerbertus, praemisit libro suo, adhuc inedito *de Numerorum divisione*. Sed Duchesnius praeterea ex Codice Sirmondiano tom. 2 scriptor. Francor. Paris. 1636. pag. 828-843, vulgavit alias Gerberti *Epistolas VI* quas in Bibliothecis Patrum repetitas non invenio.

Epistola ad Constantinum eundem, Monachum Floriacensem, et postea Abbatem S. Maximini: *de Sphaerae constructione*, in Joannis Mabillonii tom. 2. Analectorum p. 212. (edit. novae pag. 102.)

Sermo de informatione Episcoporum, id. pag. 103.

Praefatio ad Ottonem III. Imp. in locum

Porphyrii a se illustratum. id. tom. 1. p. 110. (edit. novae pag. 106.) Librum ipsum Gerberti *de rationali et ratione uti*, pramissa eadem cum praefatione edidit Bernardus Pez tom. 1 anecdotor. parte 2. pag. 149. Hoc scriptum respicit Fr. Benzonius, cum ait:

Logica cum volvis, quid tu, *Gerberte*, resolvis?
Hinc orbi toto te praefert tertius Otto.

Accepta solutione de ratione uti et rationali, Gerberto resolutori post Ravennam placuit Romam dare, donum videlicet Imperiale. Haec Benzonius lib. 1 historiae cap. 15 in Joan. Petri Ludewig reliquiis veterum monumentorum tom. IX. p. 249 et in Menckenii tom. 1 scriptor. Germ. pag. 980.

Epistola ad Sallam, Episcopum Urgellensem An. 1001 et *ad Odonem* Episcopum Gerundensem An. 1002 scripta, in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam pag. 957, seq.

Epistola ad Adelboldum de causa diversitatis arearum in trigonoaequilatero, Geometrice Arithmeticeque expenso. In laudati Pezii anecdot. tom. 3 parte 2. pag. 82-84.

Geometria divisa capitibus XIV, id. pag. 7-82.

Libellus *de sangune et corpore Domini* id. tom. 1. parte 2. pag. 133-148. Incip. *sicut ante nos dixit quidam Sapiens.* ediderat sed sine nomine auctoris Lud. Cellotius appendice ad Hist. Godeschalci Paris. 1655, fol. et sub HERIGERI Abbatis Laubiensis nomine Mabillonius prolegom. ad part. 2. Sec. 4. Benedictin. Sed ex fide Gottwicensis Codicis, Gerberto eum Pezius restituit.

Acta Synodi Remensis An. 992, apud Centuriatores Magdeb. Centuria X. cap. 9. pag. 246 oppugnata a Baronio ad illum Annum num. 9, seq.

Sermo apologeticus *in Concilio Mosomensi* An. 995 editus in Actis illius Concilii et in Centuriis Magdeburg. tom. 3. p. 279 apud Baron. ad Annum 995 atque ineditis perperam a praestantissimo Caveo accensitus.

Rhythmomachia edita Lipsiae 1616, fol. cum gloriosiss. Principis Augusti, Luneburgensium Ducis libris IV, de ludo Schachorum.

Vita et passio S. Adalberti Ursini, Comitis Rosembergi, Pragensis Episcopi, Gnesensis Archiepiscopi et An. 967. Martyris, Boëmorum, Hungarorum, Polonorum, Prussorum Apostoli, edita ab Abrahamo Bzovio ex Codice Casinensi Rom. 1629, fol. una cum Sylvestro II. Caesio Aquitano a Magia et aliis Calumniis vindicato: b) et in appendice ad tomum XX. Annalium, Rom. 1641, fol. Georgius vero Henschenius, qui eandem Vitam edidit ex Codice Pragensi in Actis Sanctor. tom. 3. April. 23. pag. 178. Gerberti eam esse negat, quanquam monitu ejusdem scriptam eique dicatam non diffitetur a monacho quodam SS. Bonifacii et Alexii. Eadem Bohuslai Balbini est sententia, qui hanc vitam in Bohemia sancta legendam offert. decad. 1. Miscell. Histor. regni Bohemiae libro quarto. Pragae 1682, fol. Sine nomine auctoris vulgavit etiam Canisius tom. V, parte 2. Antiq. Lect. pag. 332. (edit novae t. 3. p. 45.)

Dodecastichon in laudem *Severini Boëthii* apud Baronium ad Annum 526 n. 18.

Sed quam idem memorat Baronius ad An. 992. n. 9. *Altercationem cum Leone nuncio Papae Johannis XV*, nondum edita est quod sciam: uti nec liber *de Rhetorica*, aut quam *de compositione Astrolabii* composuit teste Ludovico Jacobo p. 214. Bibl. Pontificiae. De studio scientiarum Mathemathicarum quo Gerbertus pro illa aetate ad miraculum effloruit, Joan. Wallisius cap. 4. Algebrae suae tom. 2. Opp. pag. 16, seq. ubi etiam de illius *Abaco* atque *Algorythmo*, sive libro *de numerorum divisione* quem scripsit Magistro in Hispania usus JOSEPHO sapiente, qui et ipse libellum de multiplicatione et divisione composuerat. De eodem Gerberto plura Guilelmus Malmesbur. lib. 2 hist. Anglor. p. 64. 65. ubi inter alia: *vicit scientia* Ptolemaeum *in Astrolabio*, Alkindum a) *in Astrorum interstitio*, Julium Firmicum *in*

b) Haec apologia pro Sylvestro II. recusa Rom. 1678. fol. Vide Ephemerides eruditorum Parisienses illius anni pag. 331.

a) Ita lego cum Wallisio pro *Aleandreum*.

fato. Ibi (in Hispania) *quid cantus et volatus avium portendit, didicit. Ibi excire tenues ex inferno figuras: ibi postremo quicquid vel noxium vel salubre curiositas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, Arithmetica, Musica, Geometria nihil attinet dicere, quas ita ebibit, ut inferiores ingenio suo ostenderet, et magna industria revocaret in Galliam, omnino ibi jam pridem obsoletas.* Abacum *certe primus a Saracenis rapiens, regulas dedit, quae a sudantibus abacistis vix intelliguntur.*

Epitaphium, LOTHARII *Regis* Galliae An. 986 extincti, a Gerberto positum hoc fertur: a)

Cujus ad obsequium coiere Duces, bonus omnis
Quem coluit, sate Caesaribus, monumenta doloris
Caesar Lothari praetendis luce secunda
Terrifici Martis quod erat conspectus in astro.

Et Ducis FREDERICI:

Francorum placito nomen tulit hic Frederici,
Quem proavi fudere Duces a sanguine Regum:
Officiis meritisque parem sopor ultimus hausit,
Mercurii cum celsa domus tibi Phoebe maneret.

* Praeter epistolas omnes hic indicatas alias vulgavit Balutius in libello de correctione Gratiani. Data vero est illa ad Abbatem quemdam excusatque se a crimine simoniae de quo accusabatur cum Romanum Pontificatum assecutus est. Vide Baluzium ibid. et Scriptores rei litterariae Gallicanae t. 6. p. 26. praefat.

Joannes GERBRANDUS *de Leydis* sive *Leidanus*, Prior Carmelitarum Conventus Harlemensis diem obiit An. 1500. Itaque Chronicon Egmondanum sive *Abbatum Egmundensium Annales,* quos cum THEODERICO a Leydis aliisque vulgavit Antonius Matthaeus Lugd. Bat. 1692, 4. b) oportet ab alio esse continuatos, nam a S. Adalberto ab A. C. 690 progrediuntur usque ad Annum 1546. Praeter rem quoque hic Joannes Ordini Praedicatorum adscribitur, cum Carmelita fuerit, testeque Trithemio *Historiam Ordinis Carmelitarum* tradiderit libris X, notus praeterea *Historia Hollandensium* quam deinde retractavit a) diligentioreque studio scripsit *Chronicon Hollandiae Comitum et Episcoporum Ultrajectensium* a S. Willibrordo usque ad Annum 1480. Lucem hoc vidit ex Andreae Schotti Bibliotheca in limine tomi primi scriptorum de rebus Belgicis, editorum a Francisco Sweertio, Francof. 1620, fol. Caetera ejus apud Alegrium, Valerium Andream, Sweertiumque in Athenis Belgicis referuntur: *Postilla Quadragesimalis, de passione Domini, Sermones de tempore et de Sanctis, aestivales et hyemales. De festis Deiparae. De B. Virginis doloribus. Liber exemplorom B. Mariae. Collationes Sanctorum.*

GERHOUS, *Gerohus, Gerochus,* Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Praepositus Reichersbergensis in Bajoaria ab An. 1132. ad 1169. De ejus vita et laudibus multa in Chronico Monasterii Reichersbergensis pag. 226. seq. quod in An. 1194. desinens, ex Christophori Gewoldi editione Monachiensi 1611. 4, recudi nuper curavit illustris Johannes Petrus Ludewig, tom. 2. scriptorum de rebus Bambergensibus, Lipsiae 1718. fol. In illo Chronico de scriptis Gerhoi pag. 237. (304) hoc legitur testimonium: *Quomodo vel qualiter, aut quantum dilexerit omnem justitiam, et omnem viam iniquitatis odio habuerit, legentibus et scire volentibus, patet in diversis* opusculis suis, quae scripsit ad Papam Innocentium et ad Papam Eugenium et ad Dominos Cardinales, et in aliis opusculis ad diversos *scriptis. Similiter et* in Epistolis *suis patet, quas ad diversos diversis temporibus scripsit, quae etiam fere omnes adhuc inveniuntur* in registro et Epistolario suo libro in duobus voluminibus. *Pro defensione quoque sententiae* de gloria hominis in DEUM assumpti et in DEUM nati, *in qua diversos et graves contradictores atque impugnatores semper per omnem vitam suam a juventute habuit, scripsit* diversa opuscula et Epistolas. *Primum hac de causa, auctoritate Romanorum Pontificum et Dominorum Cardinalium, et aliorum plurimorum Patrum, qui videbantur colu-*

a) Apud Pithoeum XII. Scriptor p. 525.
b) Bibliotheque universelle tom. XXIII pag. 145.

a) Adrian Pars in Indice Batavico p. 90.

mnae esse in Ecclesia eo tempore, *fecit* expositionem Psalmorum *in octo voluminibus, scripsit et opusculum* contra discipulos Petri Abailardi *ad Episcopum Frisingensem Ottonem*, *fratrem regis Chuonradi*, *et* ad *ipsos* Frisingenses *diversa opuscula et scripta. Item plurima scripta* ad Episcopum Pragensem Danielem, libellum de fide *rogatu Domini Henrici Cardinalis Presbyteri. Opusculum* ad Papam Adrianum (IV.) Dialogum inter Graecos et Latinos. *Libellum* de glorificatione filii homini *ad Archiepiscopum Saltzburgensem Eberhardum. Novissime opuscula* ad Papam Alexandrum (III.) *et ad Dominos Cardinalis, et* ad Episcopum Babenbergensem Eberhardum *de eadem re. Praeterea alia multa ad diversos scripsit, quos omnes commemorare longum esset.* Ex his edita hujus Gerhoi exstant:

Liber *de gloria et honore Filii hominis*, sive *de glorificatione Naturae humanae in CHristo*, ad Hermannum, Episcopum Brixiensem, in Bernardi Pezii tom. 1. Anecdotorum parte 2. pag. 164. 280. In hoc libro suorum *in Psalmos* commentariorum meminit pag. 163. 331. et libelli *de novitatibus sui temporis* pag. 169. nec non opusculi de Fide in illud: *Mulierem fortem quis inveniet?* pag. 170. et opusculi *ad Papam Hadrianum IV.* pag. 256.

Liber contra duas haereses Nestorianorum, et excommunicatos Presbyteros eorumque Sacramenta admittentium, ad Godefridum, Abbatem Admontensem p. 283 314. Huic libro inserta pag. 297. Epistola HUGONIS Radingensis, instituens probare, Sacramenta Presbyterorum depositorum nulla esse.

Epistola ad Eberhardum, *Episcopum Babenbergensem*, quomodo secundum *Hilarium* glorificaturus Filium Pater sit major. ibid. p. 317. 326. In Codice a) Heilsbrunnensi scriptor hujus Epistolae vocatur GERHARDUS de Richensberge.

Epistolae quatuor p. 329. 394. In quibus memorat scriptum suum *de Quaestionibus Graecorum et Latinorum*, p. 330.

a) Johannes Ludovicus Hockerus pag. 47. MSS. Heilsbrunn.

Syntagma de Henrico IV. et V. Imperatoribus, et Gregorio VII. nonnullisque insecutis Pontificibus Romanis, vulgatum a Jacobo Gretsero Ingolstadii 1611. 4, et recusum in tomo sexto Gretseri Operum.

Vitae Abbatum Formbacensium, *Berengeri* et *Wirntonis*, Ordinis Benedictini, in laudati Pezii Anecdotis tom. 1. parte 3. pag. 399. 420.

Liber *de aedificio DEI*, seu de studio et curia Disciplinae Ecclesiasticae, fide et officio, ac diligentia Episcoporum, et aliorum Clericorum, quorum conditionem non inferiorem vita Monachorum esse docet, id. tom. 2. parte 2. pag. 225. 436. ac Chunonem Ratisponensem Episcopum, et illo defuncto ad Presbyterum (Arnonem.)

Liber Epistolaris *ad Innocentium II.* Pontificem Maximum, de eo *quid distet inter Clericos Seculares et Regulares*. ibid. pag. 439-504.

Expositio *in Psalmum LXIV. (LXV.)* sive liber *de corrupto Ecclesiae statu* ad Eugenium III. Papam, in Baluzii Miscellaneis pag. 63-235. praemissa post Eugenii obitum Epistola ad Henricum, Presbyterum Cardinalem, subjunctisque p. 236. Eugenii litteris Gerhoi scriptum approbantibus: quo multa scitu dignissima contineri Baluzius annotavit. Inter alia non laudat Gerhous, quod pro Ecclesia Romana coepisset *Curiae Romanae* nomen frequentari.

Tractatus *adversus Simoniacos*, capite mutilus, in Edmundi Martene tom. V. Thesauri Anecdotorum pag. 1459. 1496.

In opere *de investigatione Antichristi* Gerhoum Folmari Nestorianismum oppugnasse notat Stevartius, propius ipsum *ad Putheristarum ubiquitatem* accessisse conquestus. Vide tom. 26. Bibliothecae Patrum Lugdunensis p. 240. et supra in FOLMARO.

Contra Gerhoum hunc rigidiorem insectatorem Clericorum secularium, habitus An. 1180. Conventus Ratisbonensis, de quo Marcus Hansitzius tom. 2. Germaniae sacrae pag. 228.

* Non omittenda hic epistola Eberhardi Bambergensis Episcopi ad Eberhardum Salzburgensem Archiepiscopum adversus Gerhoum scripta, quod docuerit *divinitatem*

in Sacramento altaris a sumentibus vorari, ac Christum qua hominem Patri aequalem esse. Tum et alteram eiusdem Eberhardi ad Salzburgenses praepositos, quibus scripta sua adversus Gerhoum discutienda trasmittit. Item alia eiusdem epistola ad Anonymum, qua expendit sententiam Gerhoi de gloria filii hominis. Tres hasce epistolas vulgavit. P. Pez in Cod. Diplomatico p. 444. etc.

* Sunt ibi praeterea epistolae quaedam Gerhoi hic nequaquam indicatae a Fabricio, quarum prior est ad Abbatem Vindbergensem narrans quid gestum sit in sua cum Berhardo Bambergensi disputatione. Tota collectio epistolis constat XXIV. quae fere omnes Gerhoum auctorem habent, quaedam vero ad eumdem Gerhoum scriptae sunt. *

GERLACUS *Petri*, infra, PETRI.

GERLANDUS, supra, GERARDUS cum *Berengario* faciens p. 38.

GERMANUS Autissiodorensis Episcopus ab An. 418. ad 448. a) successor S. Amatoris, cujus vitam vide in Actis Sanctorum Calendis Maji pag. 57. 59. et vitam Germani ipsius tom. 7. Julii 31. Sammarthanos tom. 2. Galliae Christianae p. 267, supra CONSTANTINUS Lugdunensis t. 1, pag. 392 et ERICUS tom. 2, pag. 518. Quanquam pro Fide Christiana et adversus Pelagianos in Britannia atque in Galliis strenue traditur decertasse, scriptum tamen Germani hujus nullum exstare comperi.

GERMANUS Parisiensis ab An. 555. ad 576. Archiepiscopus, Synodis Parisiensibus An. 557. b) 573. praefuit. Ejus *Epistola ad Brunechildem*, Reginam Galliae, de revocando a belli consilio Conjuge Sigeberto Rege adversus fratrem Chilpericum. apud Sirmondum tomo 1 Concil. Galliae tom. 1 pag. 355 et apud Labbeum tom. V. pag. 923. Harduinum in appendice tom. 3. pag. 2083. Coletum tom. VI. etc.

Missa propria GERMANI Episcopi, nescio cujus, MSta in Bibliotheca Bodlejana memoratur in tom. secundo V. C. Georgii Hickesii inter Codices MStos librorum septemtrionalium pag. 83.

Richardus de S. GERMANO, scriptor *Chronici* rerum per Orbem gestarum ab excessu Guilelmi, Siciliae Regis, sive ab An. 1189 ad 1243 editi ex Bibliotheca Cassinensi a Ferdinando Ughello, tomo tertio Italia sacrae (editionis novae tom. X inter anecdota p. 173-242.)

Annales GERNRODENSES, supra, ANDREAS *Hoppenrodius.* tom. 1. p. 89.

GERO, vide, KERO.

GERPO, vide, GUERRO.

Joannes Charlerius de GERSON sive GERSONUS Doctor et Cancellarius Academiae Parisiensis, virtute cordata atque eruditione memorabilis, rebus humanis valedixit Lugduni, defunctus in exilio. A. 1429. aetat. 66. 12. Jul. Vide Hermann. ab Hardt tom. 4. p. 1583. seq. Causas quare Cancellariam dimittere libenter voluit, exponit tom. 4. edit. Dupin. pag. 725. Vide et de extremis ejus tom. 3. pag. 760. seq. et 765. Natalis Alexander, cum *Venerabilem* et *Christianissimum Doctorem* appellasset Gersonem, notatus eo nomine a Censoribus, ita se defendit tom. VII. Histor. Eccles. pag. 92. *Hos ne titulos honoris, Gersonio invident?* Christianissimi Doctoris *nomine non a me primum insignitus est, sed a multis saeculis, ita celebratur. Sic ipsum appellat Nobilissimum Capitulum Primatialis Ecclesiae Lugdunensis, in Epistola ad Basileensem Episcopum A. 1501. scripta.* Est profecto, *inquit*, ejus doctrina sana, clara, salubris et devota, et inter caeteras ad pellendos animi morbos aptissima, usque adeo, ut jam *Christianissimus Doctor* Divus Gerson passim nominetur. *Sic licuit Religiosis sodalitiis, Doctores suos variis honorum titulis exornare, hunc* Subtilem, *istum* irrefragabilem, *hunc* Fundatissimum, *istum* Illuminatum, *hunc* Dulcissimum, *istum* Ordinatissimum, *hunc* Facundum, *istum* Profundissimum, *illum* Resolutissimum *Doctorem appellando. Quidni liceat Venerabilem Gersonium, sanctimonia non minus quam doctrina insignem, qui*

a) Vide Henrici Norisii historiam Pelagianam lib. 2. cap. 12. p. 160. seq. Tillemont. tom. XV.

b) Vide Sirmondum tom. 1 Concil. Galliae p. 515. Carolum le Cointe tom. 1 Annalium Francorum pag. 825. seq. Sammarthanos tom. 1 pag. 404.

strenuam Ecclesiae, tempore schismatis, navavit operam, quem post obitum miraculis claruisse, citatae Lugdunensis Ecclesiae litterae testantur, ipseque Odericus Raynaldus agnoscit ad Annum 1430. num. 22. Doctoris Christianissimi *nomine celebrare?* Plura Gersonis, sive Jarsonis ut tom. 2. pag. 171. vocatur, elogia e Synodorum et celeberrimorum Doctorum suffragiis collegit Joan. Launojus de frequenti Communione c. III. pag. 37. seq. cap. VI. p. 90. seq, et in Historia Gymnasi Navarrei pag. 509 - 532. qui de Gersonis etiam vita diligenter disserit p. 480. seq. Digna lectu etiam quae uberius de vita ejus praeter Dupinium commentatus est V. C. Hermannus ab Hardt in parte quarta tomi primi historia Concilii Constantiensis, in quo ipso optime meritum Gersonem docet.

Quam plurima scripsit Gerson soluta oratione, quaedam etiam Carmine: a) non pauca Gallice b) quoque: Latina saepius in plures collecta tomos lucem viderunt.

1) Argentorati per *Joannem Geiler Keiserbergium* 1488. fol. 3. Vol. cujus editionis ordinem et scripta persequuntur Gesnerus, Simlerus, Frisius in Bibl. et Possevinus, apud quem habes etiam Catalogum scriptorum Gersonis quem frater ejus misit ad Anselmum Monachum Caelestinum. Maxima pars Argentoratensis editionis etiam per titulos suos et librorum initia exponitur a Trithemio cap 755. Haec editio recusa Argentor. 1494. et Basileae: atque appendix, ex Wimphelingiana (de qua mox) editione, An. 1502.

2) Spirae 1499. per *Jacobum Wimphelingium*, fol. quatuor partibus, cujus editionis ordinem et scripta singula exponit, Wimphelingii etiam praemissa praefatione Launojus in historia Gymnasii Navarrei pag. 495. seq. Eadem praefatio tom. 3. edit. Dupinianae, pag. 898. sed pro An. 1401. ibi legendum 1501. Wimphelingianae editionis vestigiis institere Basileensis A. 1521. Parisiensis an. 1521.

3) Editionem Parisiensem An. 1606. fol. curatam *ab Edmundo Richerio*, et similiter quatuor digestam partibus, recenset Caveus, et ante eum Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 566–582. Idem dolet nullum satis in his editionibus observatum ordinem, suadetque Gersonis opera distingui in partes sex, *Hierarchica, Moralia, Mystica, Dogmatica, Concionalia* et *Miscellanea*.

4) Placuit ab eo tempore Clarissimo Viro *Ludovico Ellies Dupinio* luculentam Operum Gersonii editionem dare, excusam Amstelod. (licet titulus Antwerpiam praeferat) 1706. fol. castigatam, tomis quinque, quorum *primus* post Vitam Jo. Gersonis et Gersoniana de facie rerum illius aetatis b) et de Gersonii doctrina ac scriptis eruditas dissertationes, complectitur Opera ejus dogmatica, de Religione ac Fide: *Secundus* spectantia ad Ecclesiasticam πολιτειαν, disciplinamque. *Tertius* Moralia cum asceticis scriptis atque homiliis. *Quartus* exegetica et miscellanea, scriptaque versibus. *Quintus* denique mantissae loco adjunctus complectitur JOANNIS *Parvi* justificationem Ducis Burgundiae, super caede Ducis Aurelianensis An. 1407. commissa et Acta Concil. Paris. An. 1413. seq. et Constant. 1415. (Confer Hardtii Historiam tom. 3. et tom. 4, pag. 337. 388. 728.) aliaque monumenta spectantia ad condemnandam sententiam Joannis Parvi, qui tyrannum a quolibet jure occidi docuerat. Haec operum Gersonianorum editio optima, distincte atque accurate recensetur ab Oudino tom. 3, pag. 2269. seq. ut actum agere mihi non liceat.

Ad fratrem suum *Nicolaum* Caelestinum de altero fratre suo *Johanne*, in eundem Ordinem recepto, Gersonis Epistolae leguntur tom. 3. edit. Dupin. pag. 741. seq. Dialogus cum Sororibus, Gallice pag. 805.

a) Ut libros quatuor de Consolatione Theologiae, Boëthii exemplo scriptos Tom. 1 pag. 130.

Caetera exstant pleraque tomo quarto editionis Dupinianae, p. 513. in Magnificat et p. 734. sq. ubi familam ducunt libri XII. Josephinae sive de. S. Josepho sponso Mariae, carmine heroico. Gallica etiam quaedam in edit. Dupin.

b) Sermones e Gallico translatos Latine per Joannem Brisgoicum Theologum, aliaque pag. 305. memorat Launojus p. 506. sd. Gymn. Navarr.

a) Acta Erud. 1706. pag. 291. sed. Biblioth. choisie tom. X Nova litterar. Germaniae An. 1707. p. 305.

Nonnulla Gersonis scripta recensita a Goldasto in Monarchia Imperii, ut:

de excommunicationis valore tom. 1, pag. 248. 250.

de potestate Ecclesiastica et origine juris ac legum tom. 2. (al. 3.) pag. 1384.

Concordia quod plenitudo potestatis Ecclesiasticae sit in summo Pontifice et in Ecclesia pag. 1405.

Sermo super processionibus faciendis pro viagio Regis Romanorum (Sigismundi) *ad Petrum de Luna* (Benedictum XIII.) p. 1406.

Libellus de auferibilitate Papae p. 1411.

De modo habendi se tempore Schismatis pag. 1421.

De dissidiis et schismatibus praeteritis pag. 1421.

De unitate Ecclesiastica pag. 1426. *De statibus Ecclesiasticis* pag. 1431.

De modo vivendi omnium fidelium p. 1438.

Sermo de tribulationibus ex defectuoso Ecclesiasticorum regimine pag. 1444.

Tres Tractatus *de Schismate* pag. 1448. 1450 1454. *Trilogus* pag. 1494.

Sermo coram Papa apud Tarasconam p. 1461. Quatuor Considerationes de Pace pag. 1470.

Epistolae duae pag. 1474. totidemque *Sermones* coram Alexandro V. pag. 1375. et Benedicto XIII. pag. 1482.

Propositio coram Anglicis pag. 1488.

Disceptatio mendicitalis et proprietatis pag. 1507.

Sermo vigilia Dominicae Palmarum pag. 1510.

An liceat a Papa appellare pag. 1515.

Libelli duo contra Petrum de Luna pag. 1518. 1521. Hactenus apud Goldastum.

De Simonia abolenda emendatius et integrius edidit Hermannus ab Hardt tom. 1. historiae Consilii Constantiensis parte IV.

De modis uniendi ac reformandi Ecclesiam in Concilio Universali, ad Petrum de Alliaco, scriptum An. 1410. ibid. parte V. cum laudati Hardtii commentatione [de emendationis Ecclesiasticae disciplinae a Gersone desideratae satis in Germania sub Sigismundo, Alberto, Friderico III. et Maximiliano Imperatoribus.

Oratio habita in Concilio Constantiensi, tertio die a fuga Joannis XXIII. id. tom. 2. pag. 165.

Oratio propemptica An. 1415. ante Iter Sigismundi Imp. in Hispaniam id. pag. 469-484.

Demonstratio, Petrum de Luna, sive Benedictum XIII. esse haereticum et Papali dignitate exuendum. id. pag. 566-587.

De probatione Spirituum. id. t. 3, p. 28. adde quae notavit celeberr. Hardt. t.4, p.490.

Judicium de protestatione et revocatione in negotio fidei, ad eluendam haereseos notam. id. pag. 39.

Epistola ad Vinc. Ferrerium Ord. Praed. sectae Flagellantium patrocinantem Anno 1417. id. tom. 3, pag. 95.

Judicium de dogmatibus Matthaei Grabonis id. pag. 113.

Consilium de causa Bohemorum et Jacobi de Misa super Communione sub utraque, uberius discutienda. tom. 3, pag. 766.

De potestate Ecclesiastica. tom. VI. pag. 78. Considerationes XII, ut in Gersone Dupinii tom. 2. pag. 226.

Laudatus Hermannus ab Hardt a) notat primae editionis operum Gersonis, tribus voluminibus constantis et An. 1488 vulgatae, quartum veluti volumen habitum quod ante quadriennium lucem viderat Coloniae 1484 per Joannem Koelhof de Lubeck, licet nulla Gersonis complexum scripta, sed aliorum virorum doctorum qui circa idem tempus de similibus argumentis scripsere, *Henrici de Hassia*, *Henrici de Hoita*, *Wilhelmi Orem*, *Johannis Hus* et *Theodorici Urie.* Neque horum scriptorum ratio habita in quarto tomo sive appendice quam Wimphelingius adjunxit.

Tribui etiam solent a nonnullis Joanni Gersoni, praeclari libri quatuor *de imitatione Christi*, ut in Codice MS. exarato A. 1466. Florentiae, de quo celeberrimus Montfauconus pag. 373. Diarii Italici, et in editionibus antiquis sine loco et anno, atque Mediolanensibus 1488. Venet. 1488. 1501. 1518. Parisiensibus 1489 1491 1500 1513. 1515. etc. nec non ab interpretibus Florentinis qui in linguam Hetruscam transtulere, Antonius [de Filicaja An. 1510. (124 qui

a) Praef. ad tom. 1 § 4.

longe antiquioris versionis descriptor non author habendus) de quo Julius Niger pag. 59. Historiae scriptorum Florentinorum: et Lambertus Cajetanus Ponsampierius An. 1723. Sed in nulla leguntur operum Gersonis editione, nec illis annumerantur in Catalogo a) quem scripsit et ad Anselmum Ord. Caelestini Monachum misit frater ipsius Gersonis: et Gersonem, qui Monachus non fuit, auctorem non esse probat Joannes Launojus in libro *remarques sommaires* p. 96 seq. et Virginius Valsechi contra Ponsampierium. b) Itaque aliis, sicut Bellarmino de scriptoribus Ecclesiasticis, probabilius visum fuit auctorem esse *Joannem* GERSEN (al. GESSEN vel de GESSATE) quem faciunt Abbatem S. Stephani Vercellensem Ord. S. Benedicti ab An. 1230 ad 1245. Huic Gersenio tribuit inscriptio MSti Codicis in Monasterio Aronensi, c) quod olim fuit Monachorum S. Benedicti, deinde domus Novitiorum Societatis Jesu: atque hinc editiones Constantini Cajetani Paris. 1616 12. Francisci Valgravii Parisiens. 1738 12. Francisci Delfeau ibid. 1674 8. ne dicam de scriptis quam plurimis, hac de controversia editis, quae referre licebit infra in *Thoma* KEMPISIO. Sub ejusdem Gersenii nomine Bernardus Pezius tom. 1. anecdotorum pag. 565-750. e Codice Mellicensi vulgavit *librum* quem inscriptio *aureum* vocat, in tres partes divisum *de professione Monahcorum*, sed stylo qui plane diversus est a libris de imitatione CHristi.

* Dum Viennae in Austria agerem lustraremque vetustos codices veteris Abbatiae S. Mariae ad Schotos ord. S. Benedicti, incidi in scriptum quoddam breve ex ipsa, ut quidem ego coniectabar, Gersoni manu profectum, disputatiunculam quandam ferens *an* scilicet *liceat de absente detrhaere.* Hanc ego quidem non descripsi, cum per tempus non liceret, sed adnotavi titulum atque postrema illius verba, inspecturus per otium num reipsa dissertatiuncula haec inter edita legeretur. Extare dein scriptum quoddam simile animadverti inter opera Gersonis a Dupinio recusa t. II. p. 3. pag. 473 et quamquam exordium utrimque sit idem, adhuc tamen postrema verba diversa esse comperi, nam manuscriptum sic desinit: *nulli in contemptum*, quae verba in editis frustra quaesivi: suspicor igitur, nec immerito, Viennensem hoc scriptum ab editis discrepare, nec hucusque lucem aspexisse. Quod vero iudicaverim ipsa esse Gersonis manu descriptam lucubrationem fecit ipse eius titulus ita expressus *Joannes Gersen Sc.* quod interpretabar: Joannes Gersen scriptor. Num ego falsus sim coniector, viderint docti.

S. GERTRUDA sive GERTRUDIS, gente nobilis, Abbatissa Ord. Bened. soror S. MECHTILDIS Sec. 13 a) hoc loco praetereunda erat mihi, quia Germanice b) scripsit: sed locum hunc dare illi pace Lectoris volui, quoniam Latine versae exstant *Joanne Justo Lanspergio* Carthusiano interprete, *libri quinque insinuationum Pietatis*, editi cum Vita ejus Parisiis 1513 1578, 8. Coloniae 8 et Paderbornae, ut Italicam versionem omittam, vulgatam Venet. 1588, 8. Quantum tribuendum ejus visionibus, docet B. D. Joan. Henrici Feustingii Gynaeceum haeretico fanaticum p. 315. Alia *Gertrudis de Oosten* defuncta Delphis An. 1358 de cujus Vaticiniis Acta Sanctor. tom. 1. Januarii 6. p. 351, seq. Alia soror Caroli M. de qua Acta eadem tom. 2. Martii 17. pag. 602, seq. et vita Gertrudis Nivellensis Abbatissae in Brabantia, quae An. 646 obiisse traditur, id. pag. 594, seq.

GERVASIUS Dorobernensis sive *Cantuariensis*, Ord. Bened. circa Annum 1200

a) Exstat apud Possevin. t. 1 apparatus. p. 883.

b) Giovanni Gersen sostenuto autore de' libri dell' Imitazione di G. C. contra il sentimento dell' A. della Dissertazione premessa alla nuova Ital. trad. de' med. libri pubbl. in Lucca 1725. Dissertazione ec. di Virginio Valsechi. Cancellieri (Franc.) Dissertazioni sopra Cristof. Colombo e Giovanni Gersen, Roma 1809, 8.

c) Adde Dupin. Gersoniana p. LXXIX. sd. LXXXIII.

a) Alii ut Bzovius ad Annum 1201. n. 10. alii ut Caveus ad Annum 1251 alii ad 1300. referunt.

b) Offenbahrung und Leben der heiligen Jungfrauen Gertrudis. Colon. 1657. 1674. 8. Vide Godfrid. Arnoldi historiam Theologiae Mysticae. p. 295.

de quo post Lelandum cap. 216. Baleum III, 48. Pitseum pag. 168. Seldenus tom. 2. Opp. pag. 1169 (praef. ad X, scriptores Hist. Angliae pag. XLII, seq.) Ejus *de combustione et reparatione Cantuariensis Ecclesiae* An. 1174, seq. prodiit edente inter illos decem scriptores Rogero Twisdeno, Lond. 1652, fol. pag. 1289-1303. *Imaginationes* sive descriptio *discordiarum inter monachos Cantuar.* et *Balduinum Archiepiscopum* post Annum 1148, seq. ibid. p. 1303-1334. *Chronica rerum a Britannis, Saxonibus et Normannis gestarum* ab An. 1122 ad 1199. pag. 1334-1628. In extremo hujus operis, librum secuudum Chronicorum Gervasius pollicetur, qui ab initio regni Joannis debebat capere initium. *Actus Pontificum Cantuariensis Ecclesiae*, ab Augustino Anglorum Apostolo usque ad Hubertum qui Balduini successor Archiepiscopus An. 1205 obiit, pag. 1629-1684. Praeter haec in lucem edita Gervasii scripta Lelandus memorat librum *de regiunculis Britanniae primae, atque sedibus pontificiis in ea constitutis*, ac *Monasteriis in eadem a Nobilitate constructis*. Hunc in plura scripta distrahuut Baleus, Pitseusque, qui etiam nescio qua fide referunt inter Gervasii lucubrationes, *Historiam Britonum a gentis origine.*

GERVASIUS *Cicestriensis*, Anglus, Presbyter, Thomae Becketi Archiep. Cantuariensis familiaris, circa Annum 1160 scripsit *Commentarium in Malachiam*, quem MS. ex Jamesio Caveus memorat, et *opus tersum, luculentum, eruditum*, vocat Lelandus cap. 187 multa illustria in eo de Ordine Sacerdotali legi testatus: unde Pitseus ei tribuit librum *de Sacerdotalis Ordinis institutione.* Etiam *librum Homiliarum* et *Commentarium in Psalmos* ex eodem Lelando notant Baleus II, 96 et Pitseus p. 225. Alium fuisse non dubito GERVASIUM *Cestriensem* (licet idem videtur Jacobo Longo pag. 743. Bibliothecae Biblicae) qui *in Esaiam* et *in Prophetas minores* scripsit, *Homiliasque* et *Epistolas* 250. MStas in Coenobio Steinfeldensis Ord. Praemonstr. Ex his Epistolas LXX, vulgavit Paris. 1663. Norbertus Callieu, sed CXXX, ex Codice Steinfeldensi nuper Carolus Ludovicus Hugo, Abbas Stivagiensis, limine tom. 1 sacrae antiquitatis monumentorum, Stivagii 1725, fol. qui etiam de vita huius Gervasii consuli poterit. Fuit is Honorii III. Poenitentiarius, et ab an. 1209. Generalis *Praemonstratensis*, ab An. autem 1219 ad 1228. Episcopus in Gallia *Sagiensis.* De quo Sammarthani tom. 3. Galliae Christianae pag. 970 et Jhoannes le Paige in Bibliotheca Praemonstratensi pag. 305 904 ubi Epitaphium, quod ipse posuit sibi hunc in modum:

Anglia me genuit, nutrivit Gallia, sanctus
Iustus, Thenolium, Praemonstratumque dedere
Abbatis nomen: sed mitram Sagia, tumbam
Hic locus, a) oretur ut detur spiritus astris.

* Collectio epistolarum Gervasii ab Hugone Stivagiensi an. 1732 (non 1725. ut male hic Fabricius) vulgata epistolas numerat 137. non 130 ut minus diligenter Fabricius; quamquam fateor non omnes in ea Collectione epistolas Gervasium auctorem habere.

GERVASIUS *Melkelejus*, sive *de Melkeleja*, Anglus Poëta, Rhetor, Mathematicus et Philosophus, auctor epitaphii in Guilelmum, Henrici III. Angliae Regis Mareschallum, defunctnm An. 1219 quod refert Matthaeus Paris pag. 410.

Sum quem Saturnum sibi sensit Hibernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Ejus librum *de saltu lacteo*, sive de arte dictandi, et de scribendis versibus et epigrammata atque epitaphia memorat Pitseus pag. 293 secutus Baleum III, 77.

GERVASIUS *de Parco*, Monachus Eboracensis, Ordinis Benedictini, et Abbas Parshensis circa Annum 1160 amicus Ealredi, sive Adilredi, Abbati Rievallesis, cujus *Speculo charitatis* praefixit Prologum teste Lelando cap. 168 atque Baleo X, 52 ubi et *Epistolas* ejus ad Ealredum memorat, uti ex Baleo Pitseus pag. 216.

GERVASIUS Archiepiscopus ab An. 1056 ad 1072. *Remensis*, cujus *Epistola ad Evenum*, S. Melanii Abbatem, de miraculis S. Melanii Sec. VI. Episcopi Rhedonensis, edi-

a) Sepultus in Ecclesia de Silleio Ord. Praemonstr. in dioecesi Sagiensi.

ta a Bollando in Actis Sanctorum tom. 1. Januarii 6. pag. 333.

De Sanctis fratribus ac Martyribus ut ajunt sub Nerone Mediolanensibus GERVASIO ac PROTASIO Epistola S. Ambrosio supposita exstat in appendice tom. 1. Operum editionis novae Benedictinorum pag. 484 et in Actis Sanctorum tom. 3. Junii 19. pag. 821 ubi longe plura ad eorum reliquias cultumque facientia, et apud Baronium ad Martyrolog. 19 Junii. Alia *Acta Nazarii, Gervasii, Protasii* et *Celsi*, Latine apud Lipomannum tom. 6 ad 14 Octobr. Surium 19 Jun. Graece auctore Metaphraste MS. in Bibliotheca Caesarea tom. 8. Lambec. pag. 250, 258, 262. Bibliotheca Coisliniana pag. 211. Miratus sum ea in Actis Sanctorum non exstare, ubi erat locus tom. VI. Julii 28.

* Antistitis huius epistolae geminae extant in collectione Epistolar. Gelberti et in collectionibus Conciliorum sicut et in collectione Historicorum Galliae apud Duchesnium. Harum altera dirigitur ad Nicolaum II. altera sed postrema sui parte mutila ad Alexandrum II. Romanos Pontifices de quibus vide Historiam, Litterarium Galliae t. VII p. 583. II. pariter ex Montfauconio indicantur extare in Bibliotheca Vaticana fragmenta literarum Gervasii Remensis, et Hugonis Lugdunensis Legatorum Apostolicorum. Id tamen mendose scriptum est de Gervasio, qui nunquam Legatione Apostolica functus est. Insuper acta coronationi Philippi Regis Francorum, quae sub tit. *Conventus Remensis* an. 1059 leguntur in collectionibus conciliorum Gervasio huic deberi contendunt Historiae eiusdem literariae scriptores.

GERVASIUS *Ricobaldus*, Ferrariensis, Canonicus Ravennatensis, scriptor *Pomarii*, sive *Chronici totius Orbis*, ex pomariis multis unum conserere se professus, *ex pomariis Hieronymi, Prosperi, Mileti, Isidori, Eutropii, Pauli Diaconi, Rufini, Petri Trecensis, Pauli Orosii, et T. Livii*. In sex illud libros dividitur teste Vossio pag. 500. quorum tres primores ab Orbe condito ad CHristum natum, tres posteriores a CHristo nato ad Annum 1300 progrediuntur ita, ut quartus exhibeat gesta Imperatorum aliorumque Principum: quintus Orbem terrarum describat, sextus denique successionem Pontificum sediumque illustrium quatuor Antiochenae, Hierosolymitanae, Alexandrinae et Ravennatensis persequatur, omissis Constantinopolitanis, quod non ab Apostolorum temporibus, sed a Constantini Magni aetate coeperint. Hoc opus quod cum Regīnone et Sigeberto in lucem dare voluit Petrus Scriverius, necdum publice exstat quod sciam, neque ejus *epitome*, cujus apud Hieron. Rubeum mentio. Itaque et videtur ignotus fuisse Benedicto Bacchinio, clarissimo Agnelli, qui Vitas Pontificum Ravennatens. scripsit, editori. Desideratum jam esse nec repertum cum Scriverii Bibliotaeca, sectione publica distraheretur Sandio testatus est V. C. Johannes Georgius Graevius. Sed MS. hodie servatur iste Codex emtus cum aliis Scriverianis ab Augusto gloriosae memoriae Duce in Bibliotheca Guelpherbytana, ex quo partem de Imperatoribus a Carolo Magno ad Annum 1298. edidit praeclarus Eccardus tom. 1 scriptorum medii aevi pag. 1150 et aliam de Pontificibus Romanis a Petro Apostolo ad Annum 1300 pag. 1190. nec non ex alio Codice Regio Berolinensi pag. 1225-1298. *Compilatione Chronologicam* ab Orbe condito ad Annum 1312. Alium Codicem MS. Pomarii servat Bibliotheca publica Leidensis ex legato celeberrimi Viri Jacobi Perizonii. Exstat quoque in Bibliotheca Altdorfinae Academiae ex legato Oelhafiano, ut didici ex celeb. Jo. Davidis Koeleri directorio Freheriano p. 12. ne de Vaticano Codice et Mutinensi jam referam, aut de Italica versione Comitis Matthaei Mariae Bojardi.

GERVASIUS *Tilberiensis*, Friderici Spanhemio filio tom. 2. Operum pag. 594. *Tilburiensis*, Gesnero *Tilgersensis*, Possevino *Tilgeriensis*, Aliis *Tillebesius*, vel *Tillembergensis*, Lycostheni *Tibelensis*, Lelando cap. 181. *Tillebirius*, Anglus, a patria Tillae curia, oppidulo Ostro-Saxonum in littore aestuarii Tamesis fluvii. Profectus in Germaniam et charus Othoni IV. ab An. 1208. ad 1218. Imperatori, qui maternum genus a nobili heroina Anglica deduxit:

inde ab eo Oratoris, Cancellariique et Regni Arelatensis, sive in regno illo Imperialis aulae Mareschalci auctus dignitate, ei dedicavit *Otia Imperialia*, a) sive ab origine rerum repetitum Historico, Geographicum opus et Physicum, distinctum per *tres* libros, sive *decisiones*, quod primus integrum edidit illustris Leibnitus tom. 1. scriptorum Brunsvicensium p. 881. 1004. Operi subjuncta *Epistola* Gervasii ad Magistrum Johannem Marcum, Imperatoris Secretarium, qua eum rogat, ut sit inter dulcedinem Principis et devotionem subditi liberalitas ejus dextra mediatrix, *ut quod in me operatur pia devotio ad merendum, te mediatore operetur effusa Principis largitas ad gratificandum.* Denique emendationes ex quatuor Codicibus MStis Paris. et supplementa addita t. 2: p. 751. 684. Partem operis ex Codice Helmstadiensi ediderat Vir praeclarus Joachimus Johannes Maderus, Helmstadii 1673. 4. nimirum ex decisione secunda Caput XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. a) additis Epistolis XXIII. Caroli IV. et ANONIMI Compilatione Chronologica a temporibus Caroli Magni ad Annum 1410 et praemissa erudita praefatione de Arelato et regno Arelatensi. Nec plura Gervasii quam cap. XVIII. XIX. XX. Decisionis secundae dederat Andreas du Chesne tom. 3. scriptorum de rebus Francorum pag. 363. 373. Caetera scripta Baleo III. 58. et Pitseo pag. 274 memorata sunt: *Illustrationes Galfridi Monemuthensis, libri IV. Historia terrae sanctae. De origine Burgudionum. Facetiarum liber* ad Henricum II. juniorem. *Tricomnium Angliae.* His addenda *Metrica descriptio balneorum Puteolanorum*, teste Theodorico de Niem: Nam *mappam* sive *descriptionem Mundi*, et *de mirabilibus Orbis*, partes otiorum Imperalium esse mihi persuadeo. Vide RICOBALDUS.

GIBUINUS sive GEBUINUS Lingonensis sive Catalaunensis potius, Episcopus ab A. 962. a) *eruditissimus, sagacissimusque.* Vide Glabrum Radulfum lib. 2. hist. c. 11 apud Duchesnium t. 4 pag. 22. ubi refert qua ratione LEUTARDUM haereticum compescuerit. *Rhythmi* ejus *de paradiso* non noti mihi nisi ex Cangio.

GILBERTUS, *Gille, Gillebertus, Gislebertus, Sillebertus, Gisbertus, Gisilbertus* Alexandrinus Alexandria Statiellorum in Hetruria, Ord. Praed. discipulus Thomae Aquinatis, clarus scientiae Theologicae laude circa Annum 1285. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 403.

Versus qui a Thoma Rudborne in H. Warthoni Anglia sacra tom. 1, pag. 242 afferuntur ex GILBERTI *Historia Alexandri* capite. petiti sunt ex GVALTERI Alexandreide lib. 1. v. 162 seq. de quo infra.

GILBERTUS *de Aquila*, cujus *Compendium Medicinae* septem libris MStum memorat Sanderus in Biblioth. MS. Belgica pag. 194. non diversus ut videtur a GILBERTO *Anglico* cujus *Laurea Anglicana* sive Compendium Medicinae, de morbis universalibus et particularibus prodiit Lugduni 1510 4. atque deinde Genevae 1608 4. Eum circa Annum 1280. vixisse probat Joan. Friend in historia Medica, quam si placet consule. GILBERTO *Leglaeo* Compendium Medicinae septem libris constans tribuit Baleus III. 63 et Pitseus pag. 277. ajuntque hunc circa Annum 1210 etiam scripsisse *de viribus aquarum et specierum: de proportionibus fistularum, de judicio patientis, de re herbaria, de particularibus morbis, thesaurum pauperum* et *de tuenda valetudine.* Praeterea *in aphorismos* et *in prognostica Hippocratis* et in versus *Ægidii* Parisiensis.

GILBERTUS Monachus Ord. Bened. *Antissiodorensis* circa An. 1048 scripsit vitam *S. Romani* Confessoris Sec. VI. *libris* 2. obviam in Mabillonii Sec. 1. Benedictin. p. 82 et in Actis Sanctor. t. V Maji 22 p. 153.

GILBERTUM *Arithmeticum* laudat Alanus pag. 74 Anti Claudiani.

GILBERTUS Abbas *Aureae* vallis, Ord. Cisterc. circa Annum 1200 cujus *versus in Sanctiss. Eucharistiam* in Petaviano Codice evolvit Labbeus pag. 59. Bibl. novae MSS.

GILBERTUS propter habitudinem capil-

a) Actori speculi exemplorum IX. 42. *de mirabilibus terrarum et Imperialibus solatius.*

b) edit. Leibnit. pag. 927. 947.

c) Sammarthan. tom. 2 p. 505. sed.

lorum *Crispinus*, ab A. C. 1084 ad 1117. Abbas *Westmonasteriensis*, Ordinis Benedictini, scripsit teste Trithemio cap. 353 et II. 105 illustr. Benedictin. *ad Anselmum*, Cantuariensem Archiepiscopum, *altercationem Christiani cum Judaeo* quodam (quem Judaeum eruditum Moguntiacensem fuisse Baleus et Lelandus cap. 152 testantur) *de Fide Christiana* interlocutoribus Gamaliele et Paulo: quae Gilberto etiam tribuitur a Lelando et Baleo, et in Codicibus MSS. a) ex quorum fide illam una cum praemissa ad Anselmum Epistola b) edidit Gabriel Gerberonius in praeclara sua Anselmi editione Paris. An. 1675 recusa An. 1721. p. 512. De hoc Gilleberto videndus Joannes Picardus in notis ad lib. 2 Epist. Anselmi XVI. Altercatio haec sine nomine auctoris prodierat Colon. 1537 fol. et contracta atque interpolata cum praefatione *ad Alexandrum* Lincoliensem Episcopum, sub nomine GUILELMI *de Campellis* in tom. XX. Bibl. Patrum Lugd. pag. 1884. Caetera Gisleberti scripta laudantur Commentarius *in Esaiam* et *Jeremiam*: Homiliae *in Canticum Canticorum*: *de casu Diaboli*, *de anima*, *contra peccata Cogitationis*, *locutionis et operis*. *In prologos S. Hieronymi in Biblia*, et liber *ad Cantorem Sagiensem*. Denique *Vita Herluini* Abbatis Beccensis, de quo Guil. Gemmeticensis lib. VII. hist. Normannorum cap. 22. pag. 279. *Si quis*, inquit, *conversionem et conversationem ipsius plenius nosse desiderat, librum qui de vita ejusdem patris venerandi, eleganti sermone conscriptus est a viro religioso* Gisleberto Crispino, *postea Abbate Westmonasterii*, *et tam nobilitate generis*, *quam scientia seculari et Divina pollenti perquirens relegat*, *in quo sufficienter reperiet unde suo desiderio satisfaciat.* Haec vita edita a Dacherio ad calcem Lanfranci operum Paris. 1648 fol. Librum *de statu Ecclesiae*, quem huic Gilberto Pitseus tribuit, GILBERTI Lumicensis esse, Oudinus tom. 2, pag. 929 et 957. Caveus ad Annum 1101 aliique annotarunt.

a) Labbe Bibl. nova MSS. pag. 26. Pitseus pag. 196.

b) Hanc ediderat Joannes Picardus notis ad Anselmi II. 16. Epist.

Alterius ut videtur GILLIEBERTI *Disputatio Ecclesiae et Synagogae* in lucem data ab Edmundo Martene et Ursino Durando tom. V thesauri anecdotorum pag. 1497. 1506.

De GILBERTO *Dorcadio* Anglo, Archidiacono Bucchingamensi circa Annum 1160 Baleus X. 48 et Pitseus pag. 842 qui ex Henrico Huntingdonensi colligunt eum varia tum versu tum prosa scripsisse, quorum tamen nullum oculis ipsi usurpavere.

GILBERTUS Belga Decanus S. Andreae, *Elnonensis* Ord. Bened. defunctus An. 1095. Hujus narrationem *de incendio monasterii S Amandi* quod An. 1066 accidit, MS. evolvit Cangius. Edidit Bollandus tom. 1. Februar. 6 pag 896. *Expositionem in omnes Epistolas S. Pauli.* MStam memorat Sanderus pag. 46.

GILBERTUS Normannus a) Abbas *Flaviacensis* scriptor Historiae Hierosolymitanae. Vide infra GVIBERTUS *Novigentinus*.

GILBERTUS *Folioth* Anglus, ex Abbate, Leicestrensi et Archidiacono Middlesexiensi Episcopus An. 1149. Herefordiensis et ab Anno 1161 ad 1187. Londinensis. Ejus *Epistolae VII.* inter Thomae Cantuariensis Epistolas a Christiano Lupo editas p. 542 545 218 187 185 162 58 sicut etiam Henrici Regis pag. 546 et Thomae Archiepiscopi ad Gilbertum pag. 538. 165. 104. 183. 184. 180. et Ermi Abbatis pag. 269. Wilhelmi Parisiensis pag. 219. Alexandri III. Papae pag. 117 103 65 56 ad Gilbertum. Bruxell. 1682 4. De aliis ejus atque de expositione *in Cantica Canticorum* dixi supra in FOLOTHO tom. 2, pag, 525.

GILBERTUS *de Fraxineto* Ord. Praed. circa Annum 1221 de quo Jacobus Quetif tom. 1, pag. 21 seq.

GILBERTUS S. Hospitalis *Hierusalem* custos sive Magister circa Annum 1250. cujus Epistolae duae ad Ludovicum IX. Galliae Regem in gestis DEI per Francos tom. 1, pag. 1173 1177.

GILBERTUS *de Hoylandia* Anglus S. Bernardi discipulus, Abbas Svinsetensis in

a) Apud Urbanum Gotfridum Siberum de Alemannis pag. 145.

agro Lincolniensi, Ord. Cisterciensis circa Annum 1160 et deinceps, scripsit *sermones XLVIII.* quibus S. BERNARDI *in Canticum Canticorum* homilias supplevit a cap. III. 1. usque ad cap. V. 10. Argentor. 1497 praeterea *tractatus VII. Asceticos. Sermonem de semine Verbi DEI* et *Epistolas IV.* Coloniae 1641 omnia haec excusa cum S. Bernardi operibus ut dictum supra tom. 1, pag. 610. Praeterea apud Baleum III. 51. Pitseum pag. 269 et Carolum Vischium p. 126 seq. memorantur ejus Commentaria *in Psalterium*, *Lamentationes Jeremiae*, *Matthaeum, Epistolas Pauli* et *Apocalypsin. Theologicarum sententiarum* liber et *de statu animae* et *de casu Diaboli*: *Homiliae, Vitamque S. Bernardi.*

* Est mihi ad manus vetusta quaedam expositio in Apocalypsim inscripta: *Arcanorum divinorum totius militantis ecclesiae earum rerum secundum ipsius novissimae Christi sponsae persecutionis venturae describens incommoda* absque authoris nomine; sed in praefatione ab altero quodam scripta exculpsisse mihi videor opus esse Magistri Gilberti. An forte idem sit opus de quo hic Fabricius?

GILBERTUS *Leglaeus*, supra *Gilbertus de Aquila.*

GILBERTUS Theologus cognomento *Magnus*, Anglus, Ord. Cisterc. Praepopositus Generalis qui in Gallia vixit diemque obiit Tolosae circa An. 1280. Scripta ejus apud Baleum IV. 47. Pitseumque pag. 361. *pro Christianis contra Gentiles* versu elegiaco. *Commentarii in Psalterium* et *varios S. Scripturae libros. De naturis rerum. Quid sit Monachus. Distinctiones Theologicae. Doctorum collectanea. Conciones* quibus indices adjecit Alanus de Lynna: *Epistolae* etc. *Cyrilli* Graeci ut ajunt Carmelitae oraculum a) cum *Joachimi* commentario, repertum in Cluniaco. *Historia* denique quam scripsit non Scropum imitatus ut legas apud Pitseum, sed quae a Thoma Scropo, longe juniore allegatur.

GILBERTUS Monasterii *Novem fontium* Conditor, An. 1152 defunctus, cujus Vita edita a Joanne le Paige in Bibliotheca Praemonstratensi pag. 482 seq.

GILBERTUS in append. ad Henricum Gandavensem b) SILLEBERTUS, cognomento *Universalis*, ex Antissiodorensi Decano Episcopus *Londinensis*, defunctus A. 1134. Laudatur ejus Expositio *in totum Vetus Testamentum*, et speciatim glossa *in Esaiam et Jeremiam*: in *Threnos*, in *Prophetas minores*, et in *Matthaeum.* Vide Caveum et Jacobi Longi Biblioth. Biblicam pag. 744.

GILBERTUS Episcopus in Hibernia *Lunicensis* (al. *Lumnicensis*) hodie *Limericensis* circa Annum 1110 superstes adhuc A. 1139 scripsit libellum *de statu Ecclesiae*, editum ab Usserio in Epistolis Hibernicis pag. 78 et GILBERTO *Crispino* perperam tributum a Pitseo pag. 196 praemisit Usserius ejusdem Gilberti *Epistolam* ad Episcopos et Presbyteros Hiberniae pag. 77. subjuncta pag. 88 altera brevi ad Anselmum Cantuariensem.

GILBERTUS *Medicus* de morbis MS. apud Labbeum pag. 205 vide supra *Gilbertus de Aquila*

GILBERTUS Pictaviensis Episcopus: vide mox Gilbertus Porreta.

GILBERTUS *Porreta* sive *Porretanus*, Philosophus subtilis, patria Pictaviensis et ex Canonico Episcopus ab Anno 1141 ad 1145. a) de cujus opinionibus in Concilio Antisiodorensi et Parisiensi An. 1147. et Remensi An. 1148 damnatis videndi Otho Frisingensis, Albericus pag. 317. seq. Guil. de Nangis aliique: e recentioribus Baronius, Pagius, Carolus Cointius, Bulaeus, Natalis Alexander tom. VI., pag. 486. etc. Ejus *Commentarius in Boëthium de SS. Trinitate* exstat in editione operum Boëtii Basileensis 1570 fol. pag. 1119. 1128. 1202. *Epistola ad Matthaeum* Abbatem S. Florentii, in Dacherii appendice ad Opera Guiberti Novigentini pag. 564. et in Edmundi Martene tom. 1. Anecdot. pag. 427. *Liber*

a) De hoc Cyrillo Trithemius cap. 409. Acta Sanctor. tom. 1 Martii 6. p. 498. sed.

b) Hallucinationem praeclari Vossii, qui appendicem illam ad Gilbertum referre voluit, jam notavit Caveus.

a) Sammarthan. tom. 3 Galliae Christ. p. 886. sq.

de sex principiis saepius editus in Antiquis Latinis Aristotelis editionibus, ex recensione Hermolai Barbari: nam Graece et Latine editum (ut legas apud Oudinum t. 2, pag. 1287.) non memini. ALBERTI *Magni* tractatus VIII. in hunc Gilberti libellum exstant tom. 1. Alberti operum, ut dixi tom. 1, pag. 42. De commentariis ejus ineditis *in Psalmos* et *Pauli Epistolas*, et *in Boëtium de duabus naturis et una persona CHristi* consulendus idem Oudinus loco laudato, et Jacobus le Long pag, 911. Bibliothecae Biblicae. *Expositionem in Joannis Evangelium* memorat appendix ad Heuricum Gandevensem cap. 8. et Trithemius cap. 868. Liber GUALTERI, Abbatis S. Victoris *contra quatuor Labyrinthos Franciae*, oppositus fuit Petris tribus, Abaelardo, Lombardo, Pictaviensi et uni Gilberto Porretano.

* Praeterisse pigeret ea quae de hoc Gilberto legi in Necrologio MS. Ecclesiae Lucensis Saec. XII. scripto ad diem III. Septembris: *Obiit Sanctae memoriae Mag. Gisibertus Pictaviensis Episcopus, qui pro animae suae remdio* librum S. Ilarii de Trinitate Ecclesiae B. Martini donavit. Ex hoc dies emortualis ejusdem Giberti in lucem eruitur.

GILBERTUS *Segravius*, Leinestrensis, Philosophus Oxoniensis circa Annum 1316 cujus *Quodlibeta* et *Quaestiones Theologicae* a Pitseo pag. 843 memorantur.

GILBERTUS *de Semphrigam* sive ut in Thomae Cantuariensis Epistolis lib. II. 69. *de Semplingeham*, Anglus circa Annum 1148 auctor *Gilbertinorum* quorum *statuta* ex S. Augustini et Benedicti regulis scripsit probata ab Eugenio III. editaque in Monastico Anglicano tom. 2. cum Gilberti Vita scripta a discipulo. Vide Carolum Vischium pag. 124 seq. Hospinianum de Origine Monachatus pag. 184. seq. et Baleum III. 25. qui *exhortationes* quoque ejus et *Epistolas* commemorat. Ex Baleo Pitseus pag. 253.

GILBERTUS *de Thoraton*, sub Edmundo I. Angliae Iustitiarius, abbreviator BRACTONI, cujus de Legibus et Consuetudinibus Anglicanis MS. in Cottoniana p. 79 b. Vide Seldenum ad Fletam c. 2. §. 1. 4.

GILBERTUS *Tornacensis*, aliis *Guibertus*, *Guilbertus*, *de Torrenno*, *de Tornadia*, sive ut Henrico Gandavensi cap. 54. *Wibertus*, vergente seculo XIII. clarus, Ord. Minorum scripsit, jussu Joannis, Episcopi Tornacensis *Vitam Eleutherii* secundi Tornacensis Episcopi An. 531 defuncti, quae notis illustrata exstat in Actis Sanctor. t. 3. Februarii 20. pag. 196. Praeterea Librum *de pace animique tranquillitate* ad Mariam Dampertam Sanctimonialem illustri stirpe genitam, qui obvius in Bibliothecis Patrum ut Coloniensi An. 1618. et Lugdunensi t. XXV, pag. 378. 401. aliumque *de officio Episcopi et Ecclesiae cerimoniis* ad Guilelmum, Episcopus Aurelianensem ibid. pag. 401. 420. ex editione Coloniensi Theodori Coisfeldii. Quod vero Henricus Gandavensis refert eundem scripsisse *Hodoeporicon piae memoriae Domini Ludovici, Regis Francorum, ad transmarinas partes*, illud necdum lucem vidit quod sciam, licet Miraeus jampridem annotavit, Hodoeporicon hoc et Sermones de Dominicis Sanctis, *Quadragesimale*, *Chronica* atque alia a Bunderio in Indice notata, latere MSS. Tornaci ad S. Martinum, partim Leodici ad S. Jacobum et alibi. *Sermones* porro Parisiis 1518 8 editi memorantur in Catalogo Biblioth. Bodlejanae: et MStos Alexandro IV. oblatos evoluit Oudinus tom. 3, pag. 500 ubi etiam de sermonibus ejus VII. *in Orationem Dominicam*, aliisque *in Angelicam Salutationem*, et *de libris duobus miraculorum S. Blasii Episcopi* et *Martyris*. Idem Oudinus notavit Gilberto huic apud Waddingum praeter rem adscribi opusculum de Voto, quod HUMBERTI Romani est, et aliud de Verbis Domini in Cruce, quod ARNALDUM Abbatem Bonae Vallis, habet auctorem.

GILBERTUS *Urgalius*, Hibernus Carmelita circa Annum 1330 scriptor *summae Legum* teste Baleo XIV. 93 qui et Theologica quaedam scripsisse annotat.

GILBERTUS seu GISLEBERTUS, Praepositus Ecclesiae *S. Waldetrudis* in urbe Montensi apud Hannonios, Balduini Magnanimi, Flandriae et Hannoniae Comitis An. 1170 defuncti Cancellarius, scripsit *Histo-*

riam a Creatione Mundi ad sua usque tempora a) quae Auberto Miraeo teste MSta exstat in Archivio nobilium Virginum Canonicarum Montensium, et frequenter citatur in *Jacobi Guisii* Annalibus Hannoniae, quorum autographum idem Miraeus ait se vidisse Montibus in Bibliotheca Franciscanorum.

GILBERTUS Abbas *Westmonasteriensis*, supra *Gilbertus Crispinus*.

GILDAS *Badonicus* sive Bathonicus, Anglus cognomento *Sapiens*, non Episcopus ut Blondello b) appellatur, sed Monachus, de quo praeter Lelandum c. 32. Caveum, aliosque consuli possunt Usserius in antiquitatibus Ecclesiar. Britannicar. pag. 533 seqq. Stillingfleetus in Originibus Britannicis pag. 207. Bollandus quoque tom. 2. Actor. Januarii 29 ubi praeter alia pag. 958 exhibet, additis etiam notis, *Vitam* Gildae scriptam a *Monacho* RUYENSI, quam primus publicaverat Joannes Boschius in Bibliotheca Floriacensi. Lugd. 1645. 8. Scripsit hic Gildas circa A. C. 543. *Epistolam* sive *librum Querolum de excidio et conquaestu Britanniae*, laudatum Bedae lib. 1 cap. 22. Hist. Angl. Alcuino, c) Guilelmis Neubrigensi et Malmesburiensi, Lupo allisque. Brevis est Gildas in historia, multus in castigandis Britannorum vitiis, ut jam notatum Vossio est, qui de Gilda hoc atque ejus aetate accurate lib. 2 de Historicis Lat. cap. 21. Primum prodiit hic liber, cujus posterior pars correptionem Ecclesiastici Ordinis continet, edente Polydoro Virgilio, qui Cutheberto Tunstallo, Episcopo Londinensi eum dicavit d) Lond. 1526. 8. inde recusus Basileae 1542. 12. sed integrior a Johanne Josselino, Lond. 1526. 12. Polydori editionem secuti Orthodoxagraphorum utrorumque editores Basil. 1555. et 1569. fol. et qui Bibliothecas Patrum curavere Parisiis, Coloniae et Lugd. tom. 8. p. 707. Josselinum Commelinus in Collectione Britannicorum scriptorum 1587 fol. Optimam denique et accuratissimam editionem ex Codice Cantabrigiensi dedit Thomas Galeus, in limine tomi primo XV. Scriptorum, Oxon, 1691 fol. Antiquissimum hoc de historia Britannica monumentum, Gildaeque quod extat unicum: neque enim usquam comparet quod Galfredus affirmat Gildam hunc *de victoria Aurelii Ambrosii* scripsisse et *leges Molmutianas* Latinitate donavisse. Addit Lelandus quod Giraldus a) Cambrius scribit *librum Evangeliorum* Gildae in magno apud Cambros pretio fuisse, unde ille collegit Evangelia commentariis ab eo illustrata esse. *Quid quod exemplar Historiae Rogeri Hoveduni, quod est Ventae Simenorum in Bibliotheca Petrina, haec verba, ubi de Lindisfarna insula agitur, in margine, minutis litteris a quodam docto scripta habet:* Lindisfarnensis insula vocata fuit secundum Gildam, tempore Britonum, Medcaut, *ex quibus verbis liquido apparet aliquid librorum Gildae, quod hac nostra non comparet aetate, inter Ventanos Monachos olim delituisse. Adde hic quod et Ponticus Virunius, qui incidens in Britannicae Historiae exemplar, ejusdem compendium edidit*, b) *interseruerit novo operi versus aliquot ex libro* Cambreidos *Gildae, et pronunciaverit versiculos* c) *qui apud Gallofridum Monemutensem* de Bruti ad Dianam precibus *exstant, fuisse a Gilda scriptos ac postremo* Perdicinam Prophetiam carmine Latino *ab eo donatam. Sed neque Lilii Giraldi in dialogo de Poëtarum historia quinto in hac parte testimonium* d) *praetereundum, ita enim scribit:* Gildam etiam memini me legere Britannicum Poëtam, his ut puto longe antiquorem, cujus tum mihi *elegiacum carmen* mira facilitate conscriptum visum, nec ideo aspernabile: quem postea etiam citatum reperi in perveteri Historia Britannica. Haec pag. 55 Lelandus, non nisi de uno loquens Gilda, ex quo tres nobis conflant Baleus et Pitseus, *Albanium*, *Ba-*

a) Hoc fortasse est *Gilberti Chronicon* quo usum se profitetur Martinus Polonus.

b) p. 72. de Episcopis et Presbyteris.

c) Epist. 28. pag. 1155. Opp. *legitur in libro Gildi Brettonum sapientissimi.*

d) Mich. Maittaire Annal. typograph. tom. 2 pag. 080.

a) De alio Gilda Doctore idem Giraldus tom. 2 Angliae sacrae pag. 650.

b) supra p. 29.

c) Habet hos etiam Pitseus p. 70.

d) tom. 2 Opp. p. 306.

thonicum et *Cambrensem*. Bathonico praeterea, Baleus Centur. I cap. 66 et Pitseus pag. 102 tribuunt *historiam de gestis Britorum* et librum *de immortalitate animae*: Baleus etiam *Conciones mordentes*, sed quarum argumentum satis apparet ex Epistola de excidio Britanniae esse repetitum. Placet tamen infra, quae de Albanio et Cambrensi Gilda referunt, distincte annotare, ut honos sit fabulis quoque: omnino enim amplector sententiam Guil. Nicolsonii, qui in Bibliotheca scriptorum Hist. Anglicanae p. 32 unum Gildam historicum et ex uno tres confictos statuit.

De querolo Comoedia, dicere me post Plautinas memini in Bibliotheca Latina libro et capite primo: neque aliam ob causam Gildae tanquam auctori tribui illam potuisse suspicor, quam quod liber hujus de excidio Britanniae etiam *liber Querolus* inscribitur in quibusdam MStis.

S. GILDAS *Albanius*, ex Regio Britannorum stemmate, ut ajunt S. Patricii discipulus, natus An. 425 et prope Glastoniam ad Axi fluminis ripam defunctus An. 512 cui apud Baleum Centur. 1 cap. 50 tribuuntur *Commentarii Evangeliorum*. Lelando in *Evangelia Commentarius*, (Pitseo p. 93. *Concordantiae in quatuor Evangelia.*) *De primis habitatoribus Insulae. Versus vaticiniorum*, incipiunt: *O rabiem Britonum quos copia divitiarum. De Sexto* a) *agnoscendo* Carmen, incipit: *Tertia lustra tenent, quum. Super eodem Sexto* carmen aliud, cujus initium: *Cambria Carnervan Anglis. Regum Britannorum historia* versu Heroico: MS. in Cottoniana pag. 10. *De victoria Aurelii Ambrosii. Acta SS. Germani et Lupi.* Oracula et Commentarium historicum sub antiquioris hujus Gildae nomine jactatum palam imposturae arguit Polydorus Virgilius lib. 1 hist. Angl. cui Vossius aliique viri docti assentiuntur. Nec majorem fidem meretur CARADOCUS *Lancarfanensis* qui Vitam Gildae Albanii scripsisse traditur.

GILDAS *Cambricus*, Poëta Britannus, Latino valuisse carmine et temporibus Martialis, Valerii Flacci, Statii, Silii, Stellae ac Juvenalis floruisse scribit Baleus Centur. 1 c. 24. Hunc si audimus, ipse composuit *Annales suae gentis. Historiam Arviragi* Regis contra Juvenalem adulatorem. *Epithalamion Genuissae, Cambreidis libros* versibus. *Lites Luddi et Nennii Poëmata varia et epigrammata.* Vertit etiam *Perdicis* Praesagi *prophetias, Statuta Dumvallonis* et *Leges Melmutinas*, *Martianasque* Martiae Probae. Eadem ex Baleo Pitseus, qui versus quosdam hujus Gildae refert p. 70 ex Galfredo Monemuthensi.

S. GILDAS Baleo II. 21. hujus nominis *quartus*, Monachus *Banchorensis* in Anglia circa Annum 860 cujus haec scripta ab eo memorantur: *Breviarum* Gildae. (Albanii vel Cambrii) *De mirabilibus Britanniae. De primis habitatoribus. De rege Arthuro. De sepulchro ejus incognito. De esse periculoso. De milite Leonis. De milite Quadrigae. De Percevallo et Lanceloto. De Galguano.* Sane negandum minime videtur, a Badonico diversum extitisse Gildam quendam juniorem, qui saeculo nono vixit. scripsitque circa Annum 820 *librum* sive dialogum *de computo*, capitulis XCIX. MStum adhuc in Bibl Cottoniana, et dicatum Rabano Mauro, quem *fratrem charissimum* appellat. Epistola dedicatoria Gildae, edita ab Usserio, inter Hibernicas ejus vigesima prima. Dublin. 1632. 4.

* S. GILDAS IV liber de Computo idem omnino est cum libro de computo a Balutio Miscell. tom. 1. vulgato sub nomine Rabani qui illum dicat Macario Monacho. Ambiguum est igitur, cui re ipsa tribuendus sit, sive Rabano sive Gildae. Historiae Gallicanae scriptores in Rabanum. inclinant tom. VI. pag. 16. praefationis.

GILDUINUS aliis HILDUINUS primus, Abbas S. Victoris Paris. scriptor libri *Ordinis S. Victoris* circa Annum 1113 a) Hujus Gilduini obitus, teste Cangio notatur in ejusdem Monasterii Necrologio Idibus Aprilibus: ubi *Canonicum Ordinem*, *qui paene defecerat*, *reparasse dicitur*.

a) Sexto, Rege Hiberniae. MS. Bibl. Bodlej. num. 2080. 14. 2157. 51.

a) De originibus illius Ordinis, Gabriel Pennottus Histor. Canonicor. regular. p. 565. 502.

GILDUS *Nennius*, infra NENNIUS.

GILLA Lincolniae sive Lincolniensis in Anglia Episcopus, cujus librum *de Usu Ecclesiae* memorat Pitseus pag. 844.

GILLEBERTUS, supra GILBERTUS.

GILO, a tribus ÆGIDIIS Parisiensibus de quibus supra tom. 1, pag. 18 seq. ut videtur diversus, Monachus Cluniacensis, de quo Albericus ad Annum 1109. *Obiit sanctus* Hugo, *Abbas Cluniacensis, anno sexgesimo tertio ex quo fuit in Abbatiam promotus. Hujus* vitam *scripsit Gilo Monachus.* Excerpta ex vita Hugonis ab EZELONE b) et GILONE Monachis Cluniacensibus scripta leguntur in Actis Sanctor. tom. 3. April. 29 pag. 655. De aliis vitae Hugonis scriptoribus vide infra, HILDEBERTUS, HUGO Monachus; RAYNALDUS Abbas Vezeliacensis, et PETRUS Venerabilis. Cangius notat Gilonem hunc vixisse circa Annum 1222. sed ante Hildebertum Cenomanensem scripsit, qui ejus cum laude meminit his verbis · *Ex hoc autem praecipue veniam confiteor postulandam, quod post amplioris litteraturae viros,* Ezelonem *loquor atque* Gilonem, *qui de beatissimo Hugone vigilanter scripsisse leguntur, ausus sum pertractandam aggredi materiam.* Novissime Edmundus Martene ex MS. Igniacensis Monasterii in lucem produxit GILONIS hujus, Tusculanensis c) *Epistolam* qua Pontio Abbati vitam Hugonis a se scriptam offert, et Mundo se redditum, hoc est ex Monacho factum Episcopum testatur se dolere.

Apud Sanderum in Bibliotheca MSS. Belgica pag. 50 memoratur: *Historia* GILONIS *Cardinalis Episcopi de Via Hierosolymitana.* Illam scriptam versibus Hexametris, atque a Duchesnio tom. 4. et integriorem a laudato Edmundo Martene tom. 3 anecdot. vulgatam dixi supra in FULCONE, tom. 2. pag. 618, seq. Etiam hunc Gilonem ab Ægidiis Poëtis Parisiensibus diversum, eosque tempore antecessisse, constat ex aetate Fulconis illius Comitis ac postea Regis Hierosolymitani. Vide infra, Hugo *de Cleriis.*

* Aegidii hujus Tusculani Epistolam ad Bernardum Antiocheneum Patriarcham contra quem Papae principatum sacrum adstruit; habes apud Ludewig Reliq. tom. 2. pag. 450. Ex MS. Codice Abbatiae Marchianensis erudimur per quos dignitatum gradus Gilo ascenderit; ita enim in fine Historiae de via Hierosolymitana legitur: *explicit libellus Gilonis Parisiensis clerici, postea Cluniacensis,* Monachi, *inde Cardinalis Episcopi.*

GIRALDUS *Aurelianensis*, auctor epitaphii sive hexadecadis versuum in Hugonem Magnum, Roberti Regis filium Anno 1026 defunctum. Exstat apud Andream du Chesne tom. IV. pag. 29.

Sylvester GIRALDUS Barrius, *Cambrensis* natus An. 1146 discipulus Petri Comestoris, vir ingenio clarus et litteris, Canonicus et Archidiaconus, vicariusque Episcopatus S. Davidis in Anglia ab An. 1180, seq. et An. 1198. Episcopus electus Menevensis, superstes adhuc Anno 1220 major septuagenario. Praeter ea quae ipse de se est commentatus, quaeque mox referam, consulendi de eo Henricus Warthonus tom. 4. Angliae sacrae pag. 374 et in praefatione ad illum tomum pag. XX, seq. tum. Caveus in historiam litteraria scriptorum Ecclesiasticorum, et Nisseronus Barnabita tom. XXVI, memoriarum de viris eruditis editarum Gallice pag. 385 seq. Mihi satis fuerit Giraldi hujus scripta referre, atque edita inprimis, tum quoque inedita, postremo de quorum solis titulis ex ipsius testimonio et Lelandi cap. 196. Baleique III, 59 ac Pitsei pag. 279, seq. constiterit.

Epistola ad Capitulum Herefordense de libris a se scriptis, in Warthoni Anglia sacra tom. 2. pag. 439.

Catalogus brevior librorum suorum. id. p. 445 et apud Lelandum cap. 196.

Retractationes. tom. 2. Angliae p. 455.

Elegia in canes et aemulos suos. id. pag. 444.

de rebus a se gestis, sive de gestis Giraldi libri III. id. pag. 457.

b) Ezelonem sive Hezelonem ex Canonico Leodicensi factum Monachum Cluniacensem, a singulari scientia et eloquentia laudat Petrus Venerabilis libro 3. Epist. 2. Vide Andr. Chesnium notis ad Bibl. Cluniacensem p. 83.

c) Apud Ughellum T. 1. Italiae sacrae nullum inter Tusculanos Episcopos Gilonem invenio.

Libri II, de vita et certaminibus Galfridi *Archiepiscopi Eboracensis.* id. p. 357.

Summaria Capitum *Legendae S. Remigii*, et ex eadem Legenda ad Stephanum Langtonum, Archiep. Cantuariensem, *Vitae Episcoporum Lincolniensium*, Remigii p. 410 ejusque successorum p. 416, et *copula tergemina*, sive *de vitis sex Episoporum Angliae coetaneorum* Thomae Cantuariensis et Henrici Wintonensis p. 420. Bartholomaei Exoniensis et Rogeri Wigorniensis pag. 425. Baldewini Cisterc. et Hugonis Carthusiensis pag. 429.

Carmina duo a) pag. 434 ex Giraldi *libro Carminum atque Epigrammatum* MSto in Bibliotheca Cottoniana. Horum posterius, quod Curiae Romanae valedicturus composuit, ita se habet:

Mirum, quae Romae medicos sententia Papae
Non movet, hic Regum sceptra movere potest.
Quae minimos minime censura coërcet in Urbe,
Saevit in Orbe fremens, celsaque loca premens.
Cui male sublatus Romae non cederet hortus,
Nititur ad nutum flectere regna suum.

Epistola dissuasoria ad Stephanum Langtonum, qui volebat dignitate Archiepiscopi resignata habitum Monachi induere pag. 435

Topographia Hiberniae sive *de avibus* b) et aliis *mirabilibus* et *de habitatoribus Hiberniae libri III*, ad Henricum II. Angliae Regem: in Guil. Cambdeni scriptoribus rerum Anglicarum, Normannicarum et Cambricarum, Francof. 1602, fol. p. 692. *Epistola ad Guilelmum Verum, Episcopum Herefordiensem* de hacce Topographia, exstat in Usserii Epistolis Hibernicis pag. 114.

Expugnatio Hiberniae, sive *Historia Vaticinalis de expugnata ab Anglis Hibernia.* Cambden. p. 755. Hujus duplex, ut notavit Warthonus, ab Giraldo facta est editio. Secundam quae in multis auctior est, in nonnullis brevior, et Joanni Angliae Regi nuncupata, libri duobus absolvitur, Cambdenus edidit. Prima, quae in Bibliotheca Lambethana reperitur, Ricardo Pictaviensium Comiti (postea Angliae Regi) dicata est tres complexa libros. Duo priores libri cum editione secunda fere sunt communes, nisi quod in secunda auctor pleraque addiderit, et nonnulla quae relegenti minus placuerunt, resecuerit, et in his omnia ex MERLINI *Sylvestris* a) citata testimonia, unico excepto. Tertius liber *de Vaticiniis* titulum habet, atque hoc exordio argumentum suum enarrat: *Quoniam in prioribus libris MERLINI vaticinia tam* Celidonii b) *quam* Ambrosii, *locis competentibus, prout res exigebat, inseruimus: AMBROSIO vero dudum exposito, nondum CELIDONIUS Britannicam exutus barbariem, usque ad haec nostra tempora latuit parum agnitus; nostrae videbatur interesse diligentiae, tam ipsum ab antiquis et occultis scrutabunda inquisitione latebris, ut pulchrius elucescat, in commune deducere, et ab ignorantiae tenebris in lucem transferre, quam translatum quoque praesenti Volumini coaptare.* Prologum integrum tertii hujus libri edidit Usserius pag. 115. Epist. Hibernicarum.

Itinerarium Cambriae, sive de legatione Baldewini Cantuariensis per Walliam, An. 1188 libris II, ad Stephanum, Langtonum, Archiep. Cantuariens. in eadem Cambdeniana scriptorum de rebus Anglicis collectione pag. 818 post editionem Davidis Poweli, Lond. 1585, 8. Vide Vossium II, 58.

Descriptionis Cambriae c) *liber primus* ad eundem Stephanum *de laudabilibus Walliae* editus ab eodem Powelo, et in Cambdeniana sylloge pag. 880. *Liber secundus de illaudabilibus Walliae* in H. Warthoni Anglia Sacra tom. 2. pag. 447.

De jure et statu Menevensis Ecclesiae,

a) Tertium p. 436.
b) Confer T. 2. Angliae sacrae p. 439.

a) Inde *Sylvestris* cognomen Giraldo haesit, quod Merlini Sylvestris somniis nimium tribuit.
b) Al. Caledonii.
c) Duplicem editionem hujus operis adornasse Giraldum, primamque Hugoni Lincolniensi dicatam, secundam auctiorem longe ab eo datam luci, utraque usum se Warthonus testatur. Primae in Codice Westmonasteriensi praefigitur *Walliae mappa* sive tabula Corographica depicta minio; quae praeter fluvios plerosque, montes et maris conterminі ripam, ac finitimas Angliae urbes, oppida Walliae XLIII. duntaxat notat. De hac mappa vide quae Giraldus ipse apud Warthonum tom. 2 pag. 441. et 445. sed.

distinctiones sive Dialogi VII, ad eundem Stephanum, Archiepiscopum et Cardinalem ibid. pag. 514 ex prima Auctoris et uberiore b) editione.

Vita S. Davidis, Archiepiscopi Menevensis pag. 628 ex RICEMARCHO Episcopo Menevensi, qui circa Annum. 1085 vitam ejusdem Davidis consignaverat.

Vita Hugonis Nonant Episcopi Coventrensis et Lichfeldensis, ex Giraldi *Speculo Ecclesiae* distinct. 2. cap. 23 24. ibid. pag. 351-354. Speculum Ecclesiae *de Monasticis Ordinibus et Ecclesiasticis Religionibus* variis, Distinctiones sive libri IV. MSti in Biblioth. Cottoniana. Hoc opus respiciens Giraldus in Epistola ad Stephanum Archiep. Cantuar. pag. 437 refert *quod Monachus Archiepiscopi cubicularius pariter et commensalis, exteriore nigredine fucatus et utinam non interiore contaminatus, non cum libro nostro vobis praesentato, tanquam scripto famoso, dignos incendio, multis audientibus asseveravit: nec non et librum eundem supercilio Pharisaico, fastuque Dorobernico se propriis in ignem manibus missurum, minis accerrimis, oculisque torvis et verbis non minus vultuosis quam tumultuosis constanter affirmavit.* Nimirum ut notatum Warthono qui libros illos evoluit, Giraldus Monachos capitali odio semper prosecutus est, usque adeo, ut se istam in precibus quotidianis deprecationem saepe ingeminasse, suisq; familiaribus ingeminandam consuluisse affirmaverit · *a Monachorum malitia libera nos Domine.* In omnibus suis scriptis Monachorum hypocrisin, fraudes et inscitiam acriter insectari gestit. Istud vero Speculum triennali labore composuit ut aeternam Monachis infamiam induceret, atque odio suo plene indulgeret. Initium illi facit Epistola prolixa ad Stephanum Cantuar. Archiepiscopum de litteraturae defectu. Tres distinctiones priores, Monachorum nequitiis duntaxat narrandis et insectandis absumuntur. Quarta aliud argumentum tractat, scilicet de statu, institutione, honore sedis Romanae aliarumque Sedium Patriarchalium, et de munere Pastorali atque Episcopali. Ab hocce Ecclesiae speculo diversum *Speculum duorum, commonitorium ac consolatorium* quod ipse memorat Giraldus apud Warthon· tom. 2. pag. 441, alterum pag. 442, 443.

Vita Ethelberti An. 793 occisi, Orientalium Saxonum Regis exstat in Actis Sanctorum tom. V. Maji 20 p. 246 a) Hujus Ethelberti sive Æthelberti memoriae sacra erat Ecclesia Cathedralis Hereford. cujus Canonicus erat Giraldus.

Gemma Ecclesiastica, cujus prior pars *de Sacramentis magis necessariis*, posterior *de Clericali honestate et Continentia.* MS. in Bibl. Archiepiscopali Cantuar. Lambethana. Opus prolixum, atque integrum quasi Theologiae et disciplinae Ecclesiasticae Corpus complexum. Locum ex eo de ignorantia Cleri illorum temporum profert Warthonus auctario ad Usserium de Scripturis Sacrisque vernaculis pag. 375, seq.

Idem Warthonus testatur MS. se evolvisse Giraldi *Symbolum Electorum, Epistolas* varias ab ipso collectas, e quibus publicavit *Epistolam ad Wilhelmum de Ver*, Episcopum Herefordensem, tom. 2. Angliae sacrae pag. 344. Symbolo alli adhuc inedito junctus *liber de invectionibus,* sive *invectionum*: plures *invectivae* adversus Wibertum, sive Hubertum, Abbatem de Bethlesdene, Ordinis. Cisterc. et Epistola prolixa ad Petrum, Menevensem Episcopum, *de officio Episcopi:* altera ad Adamum, Abbatem Aveshamensem, *de laude amicitiae*: ad Richardum, Anglorum Regem, *de litterarum et Veritatis studio,* (in qua Regi vitia sua mira libertate pariter ac gravitate increpat.) Sermo in Synodo Menevensi, in illud Malach. II, 7. *Labia Sacerdotis custodiunt Scientiam.* Constitutiones *de modo regiminis et visitationis, aliisque Ecclesiasticis negotiis*, datae Officialibus et Clericis ipsi subjectis: Tractatus *de sacrae Scripturae praestantia ac dignitate* ad Waltherum Mapes, Archidiaconum Oxoniensem, amicum conjunctissimum.

Carmen *de miseria conditionis humanae* MS. in Bibliotheca Lambethana, incipit:

a) Vide notam Warthoni p. 549.

Unde superbit homo cujus conceptio culpa.

Prologos librorum a se scriptorum Giraldus in unum volumen congessit MS. Cantabrigiae in Collegio SS. Trinitatis. Ipse *libellum de prooemiis operum suorum* vocat tom. 2. Warthoni Angliae sacrae pag. 440. ubi etiam *Dictamina* sua et *rhetoricas orationes persuasibiles* et *magnorum virorum descriptiunculas* a se congestas significat: memorans praeterea *Chronographiam metricam et Mundi nascentis descriptiunculam* versibus hexametris et pentametris: et librum *de Principis instructione*, multis auctoritatibus tam Philosophicis quam Theologicis per exempla pariter et praecepta studioso labore compaginatum, qui MS. in Cottoniana, tribus distinctionibus absolvitur, in quarum secunda ac tertia Henrico II, ejusque liberis iniquiorem se praebet, ut docet laudatus Warthonus praefatione ad tomum 2. Angliae sacrae p. XXIV. Caetera quae Giraldus scripta sua memorat sunt Legendae, sive *Vitae*, *S. Aedelberti*, Martyris Herefordensis, *S. Karadoci* Eremitae nobilis et Presbyteri Menevensis, et *S. Hugonis* ex Carthusiensi Monacho Episcopi Lincolniensis. Denique liber *de Fidei fructu, Fideique defectu*, quanta ferventem praemia, quanta frigentem supplicia maneant. In topographia Hiberniae praeterea meminit Giraldus *flosculorum Philosophicorum* quos scripsit carmine. Promisit etiam ibidem *totius Britanniae topographiam*, *quam,* inquit Lelandus cap. 196 *ego prae aliis libris omnibus quos edidit, si modo edidit, semper videre optavi atque etiam jam opto.*

Praeter haec omnia Giraldo ipsi testata, ad eundem a Baleo III, referuntur Commentarius *in Opera quaedam Senecae. Mirabilia Mundi. Mirabilia terrae Sanctae. De Mahumeto et ejus nequitiis. Pro Guidone Warwicensi.* His a Pitseo pag. 279, seq. adduntur: *Expositiones in varios S. scripturae textus. De vita S. Patricii* ejusque *purgatorio*, et *Chronicon Anglorum.* Quod vero de Regibus Visi-Saxonum, de vita Henrici II, et Acta Regis Johannis ajunt Giraldum scripsisse, haec in ejus opere de Principis instructione leguntur: sicut et alia jam memorata sub aliis titulis memorant, et ex uno plures faciunt ac diversos tractatus, quos hoc loco repetere non est necesse.

GIRALDUS sive GIRARDUS, Presbyter, Canonicus Compostellanus circa Annum 1196 scriptor *historiae Eccles. Compostellanae* cum MUNIONE sive MARTINO Mindoniensi Episcopo et HUGONE Episcopo Portugallensi. De illa adhuc inedita Nicolaus Antonius lib. VIII. Biblioth. vet. Hispanae cap. 4 et ex Joannis Vasaei Chronico Hispaniae Vossium II, 48. pag. 402. Omitto GIRALDUM veterinariae et accipitrariae rei scriptorem circa Annum 1320. neque enim Latine ille scripsit sed Hispanice. Vide eundum Nicolaum Antonium IX, 4. §. 201.

GISELA Caroli Calvi Soror, cujus Chartae tres apud Dacherium tom. XII, spicilegii pag. 496. (editionis novae tom. 2. p. 878 seq.) et apud Johannem Georgium Eccardum in quaternione veterum monumentorum pag. 36.

GLABER *Radulfus*, sive *Rodulphus*, S. Germani Coenobii Autissiodorensis primum, postea Cluniacensis, qui *Historiam sui temporis*, sive *Historiam Francorum* ad Odilonem, Cluniacensis Coenobii Patrem, scripsit *libris V*, ab anno 900 et ab electione potissimum Hugonis Capeti in Regem, quae An. 987 accidit, usque ad 1046. Primum edidit Petrus Pithoeus et familiam ducere jussit inter XI, scriptores Historiae Francorum, Francofurti 1596, fol. inde Andreas du Chesne in limine tomi quarti, collatum cum Codice Thuano. Meminit Sigebertus Gemblacensis cap. 50 de S. E. Vide Jacobi le Long Bibliothecam Historicorum Galliae num. 6909 ubi de versione Gallica.

Vita S. Guilelmi, primi Abbatis S. Benigni Divionensis, (qui An. 1031 obiit.) in Petri Roverii historia Reomaënsis Monasteri, Parisiis 1637, 4. pag. 131 et in Actis Sanctorum tom. 1. Januarii 1. pag. 58-64 et in Mabillonii Actis Sanctorum Benedictin. tom. 8. pag. 320.

* Auctores historiae litterariae Gallicae in eandem cum abbate la Beuf sententiam

convenientes censent codicem illum Canonum legumque ad Heimonem Virodunensem Episcopum olim pertinentem huius Radulphi factum esse, opus istud quale sit exposuisse late abbatem le Beuf ibidem affirmant, ex quo pariter monent in fine eiusdem Codicis nomen suum auctorem prodere, sicut et indicare annum quo scribere desiit. Nomen est Radulphus, annus 1008 Martio execunte. Vide eamdem literariam historiam in praefatione pag. 83.

GLOSCHERUS, infra, GOLSCHERUS.

GLOSSA interlinearis et marginalis in sacram Scripturam. Vide, ANSELMUS *Laudunensis.* tom. 1. pag. 108.

GLOSSA Ordinaria, infra, HUGO *a S. Caro. Walafridus* STRABUS.

GLOSSATURA *Major.* Vide, PETRUS *Lombardus.*

GLOSSARIA vetera, de quibus dixi lib. 4. Bibl. Latinae c. 6.

GLOSSATORES Juris Civilis: *Accursius, Aldericus, Azo, Barnerius, Johannes Bossianus, Bulgarus Pisanus, Columbus, Fasolus, Martinus Gossia, Hugolinus, Kilianus, Pileus Placentinus, Roffredus, Rogerius* etc.

GLOSSATORES Juris Canonici: *Johannes Semeca* Teutonicus, *Bernardus Batonus, Huguitio, Laurentius Tancredus, Bartholomaeus Brixiensis* etc. Vide Possevinum.

De editionibus glossatis utriusque Corporis, Canonici et Civilis, dixi in Bibliotheca Latina lib. VI. c. 10.

GOBELINUS Alemannus, Carmelitarum Provincialis, et Pontificis in Angliam Legatus circa Annum 1335. Scripsit Possevino teste *statuta arbitraria*, quibus suorum fratrum dissidia dissolvit. Librum item *de poenitentia convicariorum*, et *disceptationes.* Eadem ex Possevino Alegrius pag. 278 paradisi Carmelitici decoris.

GOBELINUS PERSONA, Decanus Bilefeldensis et Officialis Paderbornensis postea Monachus in Bedeken Canonicorum regularium Wyndesemensium Paderbornensis dioecesis: scripsit *Cosmodromium,* sive Chronicon ab Orbe condito usque ad Annum CHristi 1418 per aetates sex digestum, in quo componendo XL., amplius annis operam posuit. Edidit Henricus Meibomius cum notis, Francofurti 1599, f. unde recusum curante nepote Henrico Meibomio tomo 1 scriptorum rerum Germanicarum, Helmstadii 1688. Eo usi Albertus Crantzius in metropoli, Hermannus Kersenbroch in Catalogo Episcoporum Paderbornensium. Johannes Jacobus vero Frisius pro Gobelino hoc male BALDUINUM Parochum Paderbornensem appellat, Vossioque ansam dedit diversum hunc a Gobelino Historicum inducendi. Praeter versus de Urbano VI. pag. 312 a quo se pag. 310 scribit Anno 1386 promotum ad Sacerdotium, etiam versus *de Ruperto, Paderbonensi Episcopo, et quibusdam ejus praedecessoribus* plures scripserat, quorum mentio p. 315.

GOBELINUS idemne an alius, a) et antiquior priore utroque Gobelino, scriptor *vitae S Meinulphi,* Archidiaconi Paderbornensis, quem nobilibus parentibus ortum Carolus Magnus de sacro fonte levavit teste Gobelino Persona pag. 141. Vitam illam interpolatam edidit Surius V. Octobr. sinceriorem Christophorus Browerus in sideribus illustrium et sanctorum virorum Germaniae, Moguntiae 1616. 4, deinde Adolphus Overhamus.

Johannes GOBELINUS, Vicarius Bononiensis, Pii secundi Secretarius *commentarios rerum memorabilium*, quae ejus Pii temribus contigerunt, sive scripsit, sive in manus hominum dedit, quos a Pio ipso sive Ænea Sylvio compositos alii notarunt. Prodiere Romae 1584. 4. a Francisco Bandino Piccolomineo, Archiepiscopo Senensi, recogniti: et cum Jacobi Piccolominei, Cardinalis Papiensis, continuatione atque Epistolis, Francofurti 1614. fol. Vide ÆNEAS.

M. GOBERTUS Laudunensis, cujus versus *de tonsura, vestimentis et vita Clericorum* ineditos memorat Sanderus tom. 2. Biblioth. MSS. Belgii p. 240.

* Auctores historiae litterariae Gallicanae tom. VI pag. 24 praefationis, censent Gobertum hunc ipsum esse Laudunensem Episcopum, qui ab An. 930 usque ad 932

a) Vide Meipom. tom. 1 pag. 59. seq. et 549.

sedem illam tenuit; neque enim alter occurrit Gobertus Laudunensis inter literatos clarus.

GOCELINUS, infra GOTSELINUS.

Adamus GODDANUS, supra in ADAMO tom. 1 pag. 8.

S. GODEHARDUS sive GOTHARDUS ex Abbate Tegernsensi Episcopus Hildesheimensis defunctus An. 1038. Ejus *Epistolae IV.* apud Mabillonium tom. 4 Analector. p. 347 (edit. nov. p. 435. 436.) Vitam hujus Godehardi sed interpolatam et sine nomine auctoris edidit Surius 4 Maji. Sinceriorem integrioremque Christophorus Browerus in sideribus illustrium et Sanctorum Virorum Germaniae Mogunt. 1616. 4 et Daniel Papebrochius in Actis Sanctorum tom. 4 Maji pag. 502 qui notas etiam addidit. De Auctore infra in WOLFHERRUS.

GODELBERTUS Presbyter, *AVITI studium imitatus, per historias et allegorias Divinae Scripturae ab initio mundi usque ad partum Virginis heroico pede eleganter cucurrit,* ut notat Sigebertus Gemblacensis de S. E. cap. 23. Hunc temporibus Anastasii Augusti circa A. C. 500 claruisse conjicit Trithemius cap. 198. quem alii sunt insecuti.

GODFRIDUS, *Geoffridus*, *Gothofredus*, *Gaufridus*, *Theofridus*, *Goverus*, *Godefridus*, *Goffridus*, Abbas Admontensis Ord. Bened. S. Bernardi, aetate et spiritu aequalis. Ejus Homiliae in Dominicas et Festa anni, editae a Bernardo Pez, Augustae Vindel. 1725 fol. duobus Volum.

GODEFRIDUS *Calvus*, Archiepiscopus Bituricensis, amicus et scriptor *vitae S. Guilmi* Briocensis Episcopi, qui A. 1234 obiit, a) editae a Surio 29 Jul. et in Actis Sanctor, tom. VII. Julii.

GODEFRIDUS *Carnotensis* post Ivonem Episcopus, Sedis Apostolicae Legatus circa Annum 1130 cujus *Epistola ad Hubertum* Abbatem Vindocinensem edita a Sirmondo ad Godofredum Vindoc. et in Biblioth. Patrum Lugdunensi tom. XXI pag 101. Alia de eo Sammarthani tom. 2 Galliae Christ. pag. 489.

a) Sammarthani tom. 2 pag. 454. Galliae Christianae.

GODFRIFUS *Coloniensis*, infra S. *Pantaleonis.*

GODFRIDUS *Cornubiensis* Anglus, Carmelita circa Annum 1340 Philosophus, laudatus Lelando c. 264 et 367. ubi *Commentarios* eius *in Physica Aristotelis* commemorat. Plura Baleus V. 6 et Pitseus pag. 413 aiunt enim commentatum etiam *in Metaphysica*, *in Analyticorum posteriorum libros* et *in Categorias*, nec non *in sex principia* GILBERTI Porretani, et *in IV. libros Sententiarum*, scripsisse etiam *Quodlibeta decem*, et *contra GERARDUM Bononiensem.*

GODFRIDUS *de Fontanis*, Episcopus Cameracensis ab An. 1220. ad 1238. dictus *Bonus Episcopus.* Scriptor librorum *de Divinis officiis.*

GODFRIDUS *de Fontanis* junior qui *contra* Fratres *Mendicantes* scripsit, id praesertim oppugnans quod illi vitae solitariae laudem et gloriam affectantes, vellent se Parochialibus curis immiscere, nec Praelatis parerent. Initio autem tractatus nonnulla praemittit de dissidio quod Praelatos inter et Mendicantes intercessit An. 1283 occasione privilegiorum a Pontifice Martino IV obtentorum. Vide Balaeum tom. 3 hist. Academiae Paris. p. 465. seq. Idem p. 680 notat in vetusto Codice commemorari *Quodlibeta M. Godefridi* et *summam Godefridi.*

* Falli hic Fabricium censeo cum quodlibeta Mag. Godefridi, et summam Godefridi tribuendam censet Godfrido de Fontanis iuniori; nam summa super titulos Decretalium authorem praefert Mag. Godfredum *de Trano* D. Papae subdiaconum et capellanum, quam MS. servo apud me Prodiit typis exscusa Venetiis an. 1491. per Bernardinum de Tridino de Monte ferrato. Floruit Godefridus iste Tranensis Saeculo XIII.

Joannes GODFRIDUS *Lidgate*, scriptor poëmatis titulus *Vox clamantis*, MS. in Dublinensi Collegio S. Trinitatis num. 414. Idem hic qui apud Baleum VII. 23. et Pitseum pag. 575 seq. *Joannes* GOVERUS, quod et nomen a GODFRIDO non diversum esse mihi persuadeo. Vixit hic circa Annum 1400 poëseos laude celebris et coecis

eruditis accensendus. Hic Latine, Anglice, Gallice, plura scripsit, in Latinis aemulatus Ovidium, quanquam notante Baleo, studiosius quam felicius. Ejus *Vox clamantis in deserto* sive *de Mundi erroribus* Poëma Chronicon in septem tributum libros, et insurrectionem rusticorum contra ingenuos et nobiles persequens, quae contigit an. IV. Regis Richardi II in aliis etiam Bibliothecis obvium, a) incipit: *Scripturae veteris capiunt exempla.* Alia ejus scripta *Chronicon tripartitum* itidem carmine, et *de Rege Henrico IV.* et *de laude pacis. De regimine Principum. Scrutinium lucis. De multiplici vitiorum pestilentia. Contra mentis saevitiam in causa superbiae. De amoris vanitate* aliaque carmina et Epigrammata. Nec non soluta Oratione *de Conjugii dignitate*, et *de compunctione Cordis.*

GODFRIDUS *Monemuthensis*, supra GALFREDUS p. 28 seq. ubi dictis adde quod versio Anglica ejus *Historiae Britonum* nuper vulgata ab Arone Thomsone, et luculentis expressa typis Lond. 1718. 8.

GODFRIDUS Monachus *S. Pantaleonis*, Coloniensis, Ord. Bened. Auctor eximius *Annalium*, scriptorum non indiligenter ab An. 1162 ad 1237. Exstant in Freheri tomo primo rer. Germanicar. edit novae Struvianae pag. 335. 404. emendati ex Codice Guelpherbytano.

GODFRIDUS *Remensis*, cujus *Carminum* sive *Epistolarum liber* versibus Elegiacis, 1 ad Ingelramnum Archidiaconum, *de Moribus.* 2. Somnium de Odone Aurelianensi. 3. Ad virginem quandam. MS. apud Hieronymum Vignerium una cum *Calliopes et Poëtae colloquio*, sive ejusdem Godfredi versibus Hexametris Leoninis ad Gibuinum Lingonensem ab A. 962. Episcopum, unde hujus quoque Godfridi aetas cognoscitur. De Codice illo MS. Labbeus pag. 59. Biblioth. MSS.

GODFRIDUS *Spirensis,* ex Monacho Ord. Bened. Weissenburgensi, Episcopus ab A. 958. ad 960. Hunc *de jejunio, elemosyna et poenitentia* scripsisse, notavit ex Eysengreinio Possevinus.

a) Vide Leyserum Historiam poëtarum medii aevi p. 2054.

GODFRIDUS Canonicus et Subprior. *S. Victoris* Paris. circa Annum 1170. scripsit Opus tripartitum *de microcosmo*, dotibusque hominis naturalibus, et vitiis ac virtutibus: nec non *Fontem Philosophiae* libris quatuor, versibus metricis leoninis, philosophiam moralem practicam prae speculativa commendantibus. De utroque opere MS. *sermonibusque* itidem ineditis consulenda quae ex Joannis Tolosani, Canonici S. Victoris historia inedita Abbatiae Regalis Paris. refert Oudinus t. 2 c. 1567 seq.

GODFRIDUS Abbas *Vindocinensis*, et beatae Priscae Cardinalis, clarus circa Annum 1110. a) scripsit *Epistolarum* ad Pontifices, Cardinales, Episcopos, Abbates, Monachos et seculares, *libros V.* in quibus est IV. 47. decantata illa in antiquissimis etiam obvia Codicibus b) de Roberto de Arbrusselo, de quo infra in ROBERTO, *Opuscula XVIII.* 1) de Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi. 2) De ordinatione Episcoporum c) ad Petrum Leonis, Cardinalem, et de investitura Laicorum. 3) De Simonia et Investitura Laicorum, quasi utraque dicatur haeresis, ad Calixtum II. Papam, quem *bonum Dominum suum et praecordialem amicum* appellat. 4) De possessionum Ecclesiasticarum investitura, quod Regibus concedatur 5) Qualiter dispensationes debeant fieri. 6) De tribus quae specialiter debeat habere Ecclesia, ut Catholica, et libera et casta sit. 7) De Arca Foederis, ad Hemelinum et Andream, discipulos. 8) De effectibus Baptismi, Confirmationis, Unctionis infirmorum et sacrae Coenae. 9) De iteratione Sacramenti. 10) de promissionibus quas pro Consecratione Abbates sub nomine professionis faciunt Episcopis, 11) De clamantibus inordinate et respondentibus in Capitulo. 12) De tribus quae Pastori inesse debent, justitia in judicio, discretione in praecepto, et providentia in Consilio.

a) Vide Sirmondum in vita, Miraeum in auctario Ægid. Menagium in historia Saboliensi pag. 106. et Auctor. praefat. ad. tom. 3 Sirmondi Opp.

b) Mabillon. iter Italic. p. 54. 164.

c) Huic Ivonem Carnotensem, Waltramum et Sigebertum jubet opponere Goldastus, qui illud exhibet in Apologia pro Henrico IV. pag. 257.

13. et 14) Invectio in peccatorem et 15) peccatoris lamentatio, 19) Oratio ad JEsum. 17 et 18) Oratio ad Matrem Domini et Hymni tres. *Incip.* O Maria gloriosa, Jessae proles generosa. *Sermones XI.* quorum *septimus* est de purificatione S. Mariae: *nonus* in festivitate B. Mariae Madalenae: *decimus* de latrone salvato in Cruce, et *undecimus* in festivitate B. Benedicti. Haec Godfridi scripta edidit cum notis in Epistolas, Sirmondus Paris. 1610. 8. recusa in Sirmondi Operibus Paris. et Venet. tomo tertio: nec non in Bibliothecae Patrum supplemento Paris. tom. 2. pag. 487. et in Lugdunensi tom. 24 statim sub init. *Epistolam ad Cluniacenses* de ineunda suffragiorum societate vulgavit Mabillonius tom. 3. Analect. pag. 481. (edit. nov. pag. 159.) quae repetita etiam ab editoribus Operum Sirmondi in praefat. ad tomum tertium. Ad hunc Godfridum, Epistolae Jvonis Carnotensis, singulaeque Calixti II. et Honorii II.

GODFRIDUS *Viterbiensis* a) Presbyter, Conradi III. qui An. 1152 diem obiit, Friderici I et Henrici IV qui An. 1190 habenas capessivit Imperii, Capellanus ac Notarius, post longinqua variaque per XL annos itinera, locuplete linguarum rerumque comparata notitia, scripsit *Memorias Seculorum* b) sive ut aliis nuncupatum est *Pantheon*, sive Chronicon universale, prosa partim, partim metro, ab Orbe condito usque ad A. C. 1186 divisum in sectiones XX et dicatum Urbano III Papa ab A. 1185 ad 1187. Primus edidit Basilius Joannes Heroldus Basileae 1569 fol. deinde Joannes Pistorius in limine tomi secundi scriptorum de rebus Germanicis, Francofurt. 1584 et Hanov. 1613 in fol. novissime V. C. Burchardus Gotthelf Struvius in repetita Pistorianae sylloges editione, Ratisbonae 1726 fol. in qua accesserunt variae lectiones Codicis membranacei Norimbergensis. Partes quinque postremas sive sectionem XVI. XVII. XVIII. XIX. XY. hujus Chronici, in quibus plura ad res Italiae spectanctia, celeberrimus Muratorius inseruit tomo septimo thesauri scriptorum Italiae p 346 emendatioraque et integriora quaedam dedit ex Chronico anonymo Bibliothecae Estensis, cujus auctor ex Pantheo profecisse se confessus fuerat. Aliud eiusdem Godefridi Opus MS. in Biblioth. Caesarea quod aliquot post Pantheon annis scripsit et Henrico VI Regi Romanorum et Teutonicorum dicavit, inscribitur *Speculum Regum*, de Genealogia omnium Regum et Imperatorum, Troianorum, et Teutonicorum a tempore diluvii, usque ad Enricum VI. secundum Chronica Venerabilis Bedae Presbyteri, Eusebii et Ambrosii. Vide Lambecium tom. 2 pag. 774 ubi pars Epistolae ad Henricum Imp. Sed age quibus se usum auctoribus, quarum gentium res persecutum se in Pantheo Godefridus profitetur, ex ipso, si placet, audiamus.

Itaque super vetus Testamentum *hos habeo authores*:

Mosem, Esaiam, Josephum, Danielem, et alios Prophetas: Jesum Sirach, David, Salomonem, Hester, Judith, Esdram et Machabaeos.

In novo *autem* Testamento, *authores hos inducimus*:

Omnes Apostolos, Clementem Papam, Dionysium Areopagitam, Origenem, Joannem Chrysostomum, Atanasium, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium; Gregorium: aliosque nonnullos Ecclesiae Doctores.

Super historias *vero* gentilium, *habemus etiam, Josephum, Dionem, Strabonem, Orosium, Hegesippum, Suetonium, Solinum, Julium Aphricanum, qui prima Chronica conscripsit sub Marco* a) *Crasso.*

De Chaldaeis *quoque habemus Berosum, qui omnia Chaldaeorum scripta defloravit.*

De Ægyptiis, *inducimus Manethon historiographum et chronographum Ægyptiorum. Habemus etiam ab Ægyptiis, Mochum,* Estium, b) p. 34 69 *et Hieronymum*

a) Neutiquam *Witebergensis*, de quo dubitabat Baronius ad Annum 1186. num. 22. neque *Monachus Dominicanus*, ut Bernardo de Lucemburgo persuasum. Vide Jacobum Quetif. tom. 1 p. 740.

b) non *Memorias Sanctorum*, ut legas apud Vossium.

a) Sub Antonnio Helagabalo Julius Africanus vixit. Hunc Antoninum alii de Marco praeter rem accepere Antonino. Aliis, ut nostro, Marcum legentibus, Marcus Crassus in mentem venit.

b) Lege *Hestiaeum* e Josepho.

Ægyptium, *historiographos famosissimos.*
Materia igitur totius libri est, universum vetus et novum Testamentum, et universi Imperatores, Reges et regna, quae fuerunt vel sunt ab initio Mundi usque ad tempora nostra Quorum omnium notamus originem et finem, nomina, aetates, et gesta.
Sola itaque nomina regnorum, ad majorem evidentiam, in praesenti proemio duximus subroganda:
Babyloniorum regnum,
Assyriorum,
Indorum,
Ægyptiorum,
Pesarum, *p. 552.*
Argivorum,
Lacedaemoniorum,
Thessalorum,
Sicyoniorum,
Lydiorum,
Amazonum,
Macedonum,
Hebraeorum,
Graecorum,
Italorum omnium.
Francorum,
Teutonum,
Lombardorum,
Hunnorum,
Gothorum,
Visigothorum.
Ostrogothorum,
Anglorum,
Britonum,
Pannoniorum,
Atheniensium,
Medorum.
Trojanorum,
Romanorum Regum et Consulum,
Sicambrorum,
Senonum Gallorum,
Saxonum,
Suevorum.
Siculorum,
Cretensium,
Scytharum,
Auarorum, hoc est Ungarorum priorum.
Vinulorum, qui sunt in confiniis Asiae et Europae, super Maeotidas paludes.
Vandalorum: et
Sardorum Regnum. Item
De Sibyllis vatidicis.
Similiter post omnes Reges posuimus etiam historias Imperatorum pag. 535. *item omnium Pontificum Romanorum gesta, et annos, et menses, et dies, nominaque eorum: a beato Petro, usque ad venerabilem Urbanum tertium Papam*: pag. 563. *et usque ad Dominum Imperatorem Fridericum primum, et ad filium ejus Dominum Regem* a) *Henricum sextum, feliciter*, *Amen.*

GODFRIDUS Monachus et prior *Wintoniensis* in Anglia, de quo haec Wilhelmus Malmesburiensis lib. V. Hist. pag. 173. *Nec memoria Godfridi, Prioris Winton. ire debet in perditum, qui temporibus bis* (circa Annum 1100.) *litteratura et religione insignis fuit. Literaturam protestantur* libri plures, et Epistolae *familiari illo et dulci stylo editae, maximeque* Epigrammata *quae satyrico modo absolvit, praeterea* versus de Primatum Angliae laudibus. *Quid? omne* Divinum Officium, *quod agresti quadam vetustate obsoletum, per industriam suam nativa excultum venustate fecit enitescere. Religionis et Hospitalitatis normam pulchre inchoatam delineavit in Monachos* etc. Praeterea librum de diversis hominum moribus Baleus II. 49. memorat et Pitseus pag. 193 et Numi descriptionem, versibus: et moralia disticha, tetrasticha, hexasticha et octosticha moralia. Refert quoque Lelandus cap. 125. Epitaphium Serloni Abbati Glocestriensi positum, quod ita se habet:

Ecclesiae murus cecidit Serlone cadente,
Virtutis gladius, buccina Justitiae etc.

sed plenius Pitseus e Malmesburiensi.

GODTSCHALCUS, *Godeschalcus*, *Goteschalcus*, *Gottschalcus*, Canonicus *Leodiensis* circa Annum 770 scripsit *Vitam S. Landeberti* sive *Lamberti*, Episcopi Trajectini ad Mosam, et An. 698. Martyris Exstat edita a Canisio Antiqu. Lect. tom. 2, pag. 172. (editionis novae tom. 2, pag. 138.) et apud Surium 17 Septembr. et in Johannis Chapeaville historia Leodiensi tom. 1, pag. 321 et apud Mabillonium tom. 3. Actorum Sanctorum Benedictin. pag. 66 ubi et de aliis a Chapeavillo editis Vitae S. Lamberti

a) Nondum Imperatorem.

Scriptoribus STEPHANO, NICOLAO, RENERO.

* Multa sunt hic chronologica menda in Fabricio; etenim S. Lambertus martyr obiit an. 708. Scriptor vero iste circa an. 729 opusculum suum pangebat, ut probant auctores Hist. Litterariae Gallicae tom. 4. pag. 58.

S. GODRICUS Eremita, ex Palaestina redux, apud Finchale in Anglia vixit, de quo multa Matthaeus Westmonast. et Paris ad An. 1170. quo illum ait ex hac luce transisse, atque inter alia narrat edoctum eundem a Maria Virgine hoc Canticum: *Sancta Maria, CHristi thalamus, Virginalis puritas, matris flos, dele mea crimina, regna in me, duc me ad felicitatem cum solo DEO.* Ab hoc Godrico scripta *Vitam et visionem* nescio cujus *Orni* ad Simeonem Dunelmensem Monachum memorat Pitseus p. 240. ex Balei X. 55. qui cum Godricum presbyterum vocat, ab aliis testatus etiam Gervasium appellari.

GODWINUS Severianae sive Sarisberiensis Ecclesiae praecentor et Canonicus circa Annum 1272. cujus *librum Meditationum* ad Ranildam foeminam anachoretidem laudat Lelandus cap. 244. Huic librum *de tribus habitaculis*, Patricii Succeti exemplo scriptum addunt Baleus IV. 20. ac Pitseus pag. 254. *exhortationes* etiam *spiritales* eius memorans, non alias videlicet quam quae *sermonum* nomine veniunt apud Baleum.

GOLDESCHERUS sive GLOSCHERUS Monachus S. Matthiae Trevirensis, Ord. Bened. ante An. 990 scripsit *vitam SS. Eucharii*, primi Treverorum Episcopi. *Valerii et Materni*, a) qui Apostolorum discipuli Christiana sacra in Germaniam intulisse primo jam saeculo dicuntur. Exstat in Actis Sanctor. tom. 2. Januarii 29. p. 918-922 cum Bollandi notis. Eidem Gloschero tribuit illustris Leibnitius *Gesta Archiepiscoporum Trevirensium* usque ad An. 1132 quae edidit tom. primo Accessionum Historicarum. Eorundem Gestorum continuationem ab An. 1132 ad 1259 publicavit celeberrimus Eccardus tom. 2. Corporis Historicorum medii aevi pag. 2197-2238.

a) Perperam *Martini* apud Possevinum.

GOMBALDUS *de Vlugia*, sive *Vligia* Catalanus Ord. Praed. Caesaraugustae Anno 1384 scripsit *Vitas Sanctorum* quas Mediolani servari notat Jacobus Quetif tom. 1. p. 687 et commentarium *in IV, libros Sententiarum*. Nec plura de eo Nicolaus Antonius tom. 2. Biblioth. veteris Hispanae p. 116 n. 333.

GOMESANUS Presbyter Pampelonensis cujus lucubrationem in Codice Regio 1483 evolvit Cangius, is ipse est cujus praefationem in librum S. Hildephonsi de perpetua Virginitate B. Mariae, scriptam circa Annum 961 ex MS. Grandimontensi vulgavit Edmundus Martene tom. 1 thesauri anecdotorum pag. 78. Idem Gomesanus in alio Codice dicitur Abbas Ildensis in finibus Pampiloniae. Vide laudatum Antonium tom. 1. Biblioth. veteris Hispanae pag. 287 num. 285 289, et tom. 2. pag. 265 b. ubi notat vitam Hildephonsi praeter rem huic Gomesano ab Arnoldo Wione et Anton. Possevino tribui.

GONDEBAUDUS circa Annum 501. *Leges* tulit *Burgundionibus*, de quo erudite nuper vir preclarus Joan. Daniel Schoepflinus in dissert. Historica a) de Burgundia cis-et trans-Jurana, Argentorat. 1731, 4.

GOMESIUS, *Gometius*, *Gomezius* Lusitanus, Theologus Ord. Minor. saeculo XI, vergente scripsit *de uniuscujusque scientiae, ac praesertim de naturalis Philosophiae subjecto.* Hunc Gomesium singulari elogio mactat Hermicus Cajadus apud Nicolaum Antonium tom. 2. Biblioth. vet. Hispanae pa. 225.

Communi grator patriae, quae te quoque alumnum
Inter delicias gaudet habere suas.
Gramina dum terrae fuerint, dum sydera coelo,
Per te tolletur noster ad astra Tagus.
Tu rerum causas nosti, tu mystica sacra,
Quaeque sub obscura nube latere solent.
Occuluit natura nihil tibi. Tu potes ipsos
Sublimi haud dubie scandere mente polos.
Quid sanctos referam mores, vitamque probatam?
Quid linguae referam plectra Latina tuae?
Nil mortale sapit. Divinas cuncta Gometi:
Et citra cineres diceris esse DEus.

a) Memoires literair. de Trevoux 1735. pag. 1112. sq.

Omitto alios Gomesios, de quibus idem Antonius p. 204 224. Hispanice enim non Latine scriptis celebrantur.

* Inter claros Gomesios Lusitanos praetereundum haud duco Gomesium Lusitanum Ulyssisponensem, qui cum monachum Benedictinum induisset Patavii an. 1413. dein transvit Florentiam, eiusdemque Abbatiae regimen tradente Nicolao Guascono ejusdem Abbate Commendatario, suscepit, tenuitque annis duobus supra viginti. Post obitum Ambrosii Camaldulensis generalis prior eorumdem Camaldulensium Eremitarum ab Eugenio IV. renunciatus est, eademque dein administratione dimissa rediit ad Florentinam Abbatiam. Concilio Florentino interfuit, cui cum coeteris subscripsit. In tabulario Abbatiae Florentinae plures ejus literae extant; cum *protestatio contra Bartholomaeum Dominici*. Denique Gometii Abbatis *Capitula pro reformatione Monasterii S. Domnini*. Latinam ejus vitam auctore *Thoma* SALVETTO Florentino Jurisperito servari tradunt in MS. Codice membranaceo Abbatiae Florentinae, aliamque ejusdem Italicam edidit P. D. Placidus Puccinellius; vulgavitque Mediolani 1645. 4. Haec omnia Armellinus Biblioth. Benedictino Cassinensis pag. 180.

GONDISALVUS, *Gundisalvus*, *Gonsalvus*, *Gonsalez*, Hispanus circa Annum 1400 auctor libri quem Nicolao cuidam Calabro dictavit, inscripsitque *Virginale*. errorum et haeresium damnati ab Inquisitoribus Arragonensibus.

GONDISALVUS *de Vallebona* Ord. Minor. Minister Generalis An. 1404 a Waddingo p. 147 scripsisse traditur tractatum *de praeceptis eminentibus Regulae* Franciscanorum, et *de Æquipollentibus*. Ac fortasse idem fuerit GONDISALVUS quem idem Waddingus ad JOANNIS Wallensis Franciscani qui An. 1300 traditur floruisse, Florilegium de Vita et dictis illustrium Philosophorum cap. 1 notat scripsisse *de divisione Philosophiae*, et *de anima*: librosque *Aristotelis de Coelo* et *de anima*, ex Arabico in Latinum transtulisse.

GUNDISALVUS *de Frias*, Hieronymianus Monachus sub extremum Seculi XVI. Praeter *Sermones*, *Epistolas*, et *Philosophiam*, *Ethicam*, *Politicam*, *Oeconomicam*, scripsit *in Canticum Salomonis*, et *Historiam fundationis monasterii S. Hieronymi Granatensis*. id. tom. 2. pag. 225.

GUNDISALVUS *Garzius de S. Maria*, Pauli An. 1415. Burgensis F. scriptor hist. Regum Aragonum, adhuc quod sciam ineditae: a quo GUNDISALVUM, interpretem Historiae Aragonensis a Gauberto Fabricio Cisterciensi scriptae tanquam juniorem distinguit Nicolaus Antonius tomo 2. Bibl. vet. Hispan. pag. 161, 162.

* GUNDISALVUS de *Villadiego* utriusque Juris D. et S. Palatii apostolici causarum auditor florebat circa an. 1485 scripsit tractatum *De Cardinalium excellentia et dignitate* editum loco et anno non designato, sed ut credo, Romae, ubi pariter editus est tractatus alter eiusdem authoris *de Legato* qui prodiisse scribitur in fine eiusdem libri Romae impressus cura auctoris an. 1485. Denique eiusdem est tractatus alter contra *Haereticam pravitatem* directus Reginae Hispaniae, atque editus loco incerto, sed non alibi, ut arbitror, quam Romae. Autorem hunc Hispanum licet, Nicolaus tamen Antonius in sua Hispanica Bibliotheca praetermisit. Libellis hisce suas identidem adnotationes MSS. adiecit in suo Cod. Felinus, inter quas eam, quam modo subiicio, animadversione dignam hic minime praetereundam duco: *Statutum fuit in Concilio Constantiensi, ut retulit Card. Alexandrinus coram Alexandro VI, quod si aliquis est electus in Papam per metum Cardinales debent ab eo recedere, et cum fuerint in aliquo loco simul, rogare eum ut faciat Concilium, et expectent quod faciat per duos menses. Si faciet, tunc habeatur pro Pontifice, donec Concilium declaraverit super invaliditate vel validitate electionis, et si declaratum fuerit esse invalidam, tunc inducat eum ut cedat, et si cesserit faciant alium; si non cesserit, declaret Concilium electionem nullam, et abdicetur et alius eligatur. Videbis gesta Concilii Constantiensis an ita dicant quoniam in impressis nihil. . . . Si non venerit ad Concilium tunc recedat ut supra.*

(126 *Acta scitu dignissima docteque concinnata Constantiensis Concilii celebratissimi.* Mediolani per G. Ponticum 1511, fol. est tit. voluminis elegantissimi fig. quod prodiit cur. Rev. Zacchariae Ferrerii Vicentini, cuius adest in fine Conc. Constant. (et Basileensis) breve summarium. Sequuntur — *Decreta et acta Conc. Basiliensis.* Ibid. f.)

GONDISALVUS *de Hinosa*, Joannis Diazii filius, Episcopus ab An. 1313 ad 1319. Burgensis, scriptor *Abbreviationis* sive compendii Historiarum Regum omnium Christianorum, laudatus ab eodem Antonio tom. 2. pag. 96, seq.

GONZO Abbas Florinensis, in finibus agri Leodiensis, saeculo XII. Scripsit *historiam miraculorum Florinis factorum per reliquias S. Genulphi*, editam in Actis Sanctorum tom. 2. Maji XI. pag. 648-655 cum notis Henschenii.

**Joannes* GUNDISALVI Canonicus Hispalensis doctor S. Palatii causarum auditor, et unus de regentibus artium juris Canonici Cathedram in Salmanticensi Universitate in vivis agebat tempore Concilii Pisani an. 1409 celebrati. Scripsit tractatum *contra duos Pontifices de Papatu inter se contendentes,* quem legisse me succurrit in MS. Cod. Taurinensi Dirigitur Opus istud ad PP. Conc. Pisani et in Cap. XI. distribuitur, quorum singulorum titulos ego mihi tunc descripsi; sunt autem.

Cap. 1. *De brevi narratione facti super quod versatur materia dicendorum.*

2. *In quo ponuntur rationes et motiva processus inchoati per DD. Cardinales finem et effectum ad quod tendit.*

3. *Quod DD. Cardinales sunt loco Apostolorum in ecclesia dei, et repraesentant Universitatem Episcoporum totius catholicae Hierarchiae.*

4. *Quod quoties Status Ecclesiae laborat in schismate vel in grave periculo subiacet, ad DD. Cardinales pertinet primo loco medelae praeparatio, et in tali necessitate, periculo et articulo funguntur omnimodo potestate tanta et tali, quod ei positiva jura cedunt et subiacent.*

5. *Quod temporibus istis status Ecclesiae sit in evidenti periculo perpetui schismatis et subversionis extremae nisi per DD. Card. utriusque Collegii simul unius. . . effecti opportuna remedia praeparentur, quos concedere oportet omnimodam potestatem in hoc habere et eis hoc articulo ab omnibus Christianis parendum esse.*

6 *In quo ponuntur adhuc novem defensiones et motiva pro parte amborum de Papatu concertantium contra collegium Cardinalium, et processu eorum.*

7. *Quod propter dubitationem juris utriusque contendentium ad unius Declarationem honeste bene possibile deveniri respuenda sunt singularia, privilegia Romanis concessa principibus et ex solio reiectis anbobus debet novus unicus, et indubitabilis pastor universalis ecclesiae praefici.*

8. *Quod juramenta et vota per istos duos coucertantes de renunciando et alia faciendo quae ad reintegrationem Ecclesiae pertinent exhibita sic eos perpetuo, et efficaciter obligant, quod adversus ea nemo eorum potest aliquo modo disponere nec agere, nec de ipsis etiam judicare.*

9. *In quo probatur quod quisquis ipsorum de Papatu contendentium a debita prosecutione, et complemento reintegrationis Ecclesiae restitisse appareat est tunc veluti notorio Schismatico, atque formali haeretico Dei, et summae justitiae dispositio, et obedientia renegari (sic)*

10. *De gestis per istos duos de Papatu contendentes, quae de jure valeant, et quae non valeant, et quod stantibus rebus, ut hodie sunt, neuter eorum administrationem habeat.*

11. *De Concilio convocando et totius operis conclusione.*

Scriptoris huius ne in Bibliotheca quidem Hispanica commemoratio ulla reperitur.

GORDIANUS, Senior Imperator, qui A. C. 236, seq. rebus praefuit, scripserat *Antoniniados libros XXX*, de vita Imperatorum Antonini Pii et Marci Philosophi *versibus disertissimis* judice Capitolino in Gordianis cap. 3.

GORDIANUS, Romanus incertum a) an

a) Vide Antonini Mongitoris Bibl. Siculam t. 1 pag. 261. et Prosperi Mandosii Bibl. Romanam t. 1 p. 56.

Siculus, cum Placido Magistrum veneratus S. Benedictum, traditur diem obiisse Syracusis An. 560 atque Imp. Justiniani jussu a) scripsisse *vitam et passionem* ejusdem *Placidi*, illiusque fratrum Victorini, Eutychii et aliorum, Messanae in Sicilia a Manucha pirata An. 539 interfectorum, quae, exstat a PETRO *Diacono* ut videtur sive scripta, sive versa e Graeco interpolatave apud Lipomannum tom. V. Surium 5. Octobr. et Mabillonium Sec. 1. Benedictin. pag. 45. Sed et *Epistolas* ad S. Maurum, ad Vigilium Papam, ad Messalinum V. C. et ad Constantium, Abbatem Cassinensem excusas esse Venetiis An. 1513, cum Chronico Cassinensi, notavit Possevinus: et scriptum *de reaedificatione Messanensis Monasterii* servari Cassini MS. quod incipit: *postquam perversi*. Sed Epistolas illas cum citat Nicolaus Alemannus ad Procopii Anecdota pag. 112, 122, 140 et 154. *pseudo Gordianum* appellat.

GORDONUS Monachus Benedictinus S. Germani Paris. cujus *Commentarius in Evangelium S. Johannis* evoluisse se testatur Cangius MStos, in Biblioth. Sangermanensi Codice 90.

Nicolaus de GORRAM, sive GORRAIN, *Gorrant, Gorgant, Gorham, Gorranus*, non Anglus, nec Belga, sed Gallus, a loco natalitio in confinibus Cenomanensium et Aremoricorum nuncupatue, Ordinis Praedicatorum, Theologiae Magister Parisiis, ubi diu docuit et Conventui S. Jacobi Prior praefuit, obiitque An. 1295. Scripsit *Postillas*, sive *Commentarios* in universos libros sacrae Scripturae, qui distincte recensentur a Jacobo Quetif tom. 1. Bibliothecae Dominicanorum, pag. 438 Plerique adhuc inediti b) Lucem tamen viderunt *in IV. Evangelia* Coloniae 1472. Haganoae 1502. Colon. 1537. Antwerpiae 1617 duobus Voluminibus Lugduni 1693. fol. Commentarii autem *in Epistolas Pauli*, qui prodiere sub Gorram nomine, Colon. 1478. Haganoae 1502. Paris. 1521. Anwerp. Lugd. 1693. fol. atque incipiunt: *Ecce dedi te in lucem Gentium*, auctorem habent PETRUM Tarentasium: Gorrani expositio adhuc MSta latet in variis Bibliothecis. *In Epistolas Canonicas* quae edita est sub THOMÆ Aquinatis nomine, Gorrano debetur, cuius commentarius *in Acta Apostolorum*, *in Epistolas Canonicas et Apocalypsin* prodiit Antwerp. 1620. fol. *Sermones de tempore et sanctis* Paris 1509. 8. 1523. 8. et Antwerp. 1620. fol. *In libros sententiarum* quaestiones vel expositiones: Et *Distintiones* secundum ordinem alphabeti, MSS. *Tabulam* quoque *decretorum* memorat Baleus VII. et Piteus p. 571.

Quem *Nicolaum* GORRAUM Anglum Ord. Praed. An. 1350. a Gorhamo diversum inducit Cangius, nusquam alibi reperio.

M. Henrici GORRICHEN Conclusiones Quaestionum in Sententias Petri Lombardi, typis exscriptae sunt Basileae 1492.

GOSBERTI Epitome Prisciani, memorata Cangio, perinde ut illa quam adornavit Petrus Elias, qui commentariis etiam Priscianum illustravit, numquam edita est quod sciam.

Ugolinus GOSIUS JCtus Bononiensis circa Annum 1286. a quo Gosiani.

GOSLARIENSE Chronicon citatur a Theodorico Engelhusio.

GOSLENUS sive JOSLENUS *de Vierzi*. Magister Parisiensis et ex Archidiacono Bituricensi, Episcopus ab A. 1127 ad 1152. Suessionensis a) *tam seculari quam litterali scientia praeditus* b) scripsit *in Symbolum* et *in Orationem Dominicam*. Utramque expositionem ex MS. Marchianensis Monasterii, superiore an. 1733. edidit Edmundus Martene tom. IX. monumentor. pag. 1101. et 1111. 1120.

GOSSELINUS sive GOSCELINUS, *Gotzelinus*, *Gotselinus*, *Gotcelinus*, Gallus Morinensis, Monachus Bertinianus Ord. Bened. de quo Guilel. Malmesburiensis lib. IV. Hist. Angl. pag. 130. *Hic Monachus de S. Bertino cum Hermanno Episcopo Salesberiae quondam (A. 1058.) in Angliam venerat*

a) Vide Vossium pag. 244. de Hist. Lat.
b) Oudin tom. 3 p. 1222 seq.

a) Vide Sammarthanos tom. 3 Galliae Christianae pag. 1050. Alius Goslenus Episcopus Matisconensis, defunctus An. 1026. Id. pag. 679.
b) Gaufridus in hist. Concilii Remens. A. 114?

insignis litterarum et cantuum peritia. Is multo Episcopatus et Abbatias perlustrans tempore, praeclarae scientiae multis locis monumenta dedit in laudibus Sanctorum post BEDAM secundus, Musicae *porro palmam post OSBERNUM adeptus. Denique innumeras* Sanctorum *recentium* Vitas *stylo extulit, veterum vel amissas vel informiter editas comitius renovavit. Hujus quoque* translationis (S Augustini, Anglorum Apostoli) *seriem ita expolivit, ut eam praesentibus monstrasse digito, futurorumque videatur subjecisse oculo. Felix lingua quae tot Sanctis servierit: felix pectus, quod tot* vocales melodias *emiserit, praesertim cum in ejus conversatione certaret honestas doctrinae.*

Se Monachum fuisse S. Augustini Cantuariensis, Gotselinus in utraque Praefatione ad Vitam S. Augustini testatur. Scripsit enim duplicem historiam de eiusdem Vita. *Fecimus* (inquit in praefat. ad-hist. maj.) *de eadem materia duos Codices, Majorem et Minorem.* Majorem edidit R. P. Johannes Mabillonius in Actis Benedictin. Saec. I. p. 499 addito etiam libro ejsdem maiore *de Miraculis S. Augustini*, ibid. pag. 535. Historia Minor *de Vita*, et alia Minor *de Miraculis S. Augustini*, in Bibliothecae Lambethanae Codice, Gotselino inscriptae reperiuntur. Ex hoc, a) *Vitam Minorem* capitibus XLII. distinctam descripsimus, et typis evulgari curavimus; b) ne primo apud Anglos fidei Christianae praedicatori sua apud Anglos laus deesset; quamvis perpauca de illo Gotselinus noverit, quae non antea Beda scripserit. Longe amplior est *Historia Majori*; quae tamen, si fabulas et inanes verborum phaleras demas, nil *Historiae Minori* intactum habet. *Minorem* antea ediderat Dacherius in Appendice ad Lanfranci Opera *Paris* 1648 pag. 57. sed Authoris nomine et integro 36. capitulo destitutam. Plurima Gotselini opera in Codice perantiquo et perelegavti Cottoniano *Vespasian. B.* 20. exstat isthoc ordine:

Historia Minor de Vita S. Augustini Cantuar. Archiepiscopi.

Historia Minor de Miraculis S. Augustini.

Historia Major de Vita S. Augustini.

Historia Major de Miraculis S. Augustini.

Sermo in Festivitate S. Augustini. Incipit: *Praeclara diei praesentis solemnitas.*

Libri II, ad Anselmum, de Translatione S. Augustini, an. 1091. 6 Septembr. facta. Hos Saeculo sexto Benedictiono in lucem proferre Cl. Mabillonius spopondit, protulitque. His libris sujungitur serie continua *Vita S. Letardi.*

Vita S. Mildredae,

Translatio S. Mildredae, et Institutio Monasterii ejusdem.

Vita SS. Laurentii, Melliti, Justi, Honorii, Deusdedit et Theodori, Archiepiscoporum Cantuariensium. In his quicquid historicum est, ex Beda totidem fere verbis desumptum est, ampliatis duntaxat magnifice Bedae sententiis, et miraculis multis in singularum fine appositis. In Vita S. Laurentii Author longa digressione facta fidem sui temporis miraculis conciliare nititur.

Vita Adriani, Abbatis S. Augustini, quem an. 708 obiisse refert.

Historia de Translatione ejusdem, tempore Wilhelmi Regis facta.

Libellus contra inanes S. Mildredae Usurpatores, probans corpus ejus non in Parochia S. Gregorii Cantuar. in Ecclesia ficto nomine Miltrudis nuncupata, sed in Coenobio S. Augustini (ad quod ab Ælfstano Abbate translatum est tempore Canuti Regis) adservari.

Hactenus Codex Cottonianus. Praeter haec a Gotselino scripta memorat Baleus *Vitas SS. Swithuni, Grimbaldi, Erkenwaldi. Eadgithae*, a) *Milburgae*, *Witheburgae* b) *et de Ivonis, et de translatione Ivonis Historiam.* Porro vetustum Catalogum Sanctorum in Anglia sepultorum Saxonice scriptum Latine convertisse dicitur ab Usserio c). Versionis plurima exempla-

a) Verba sunt H. Warthoni praef. ad tom. 2 Angliae sacrae pag. VII.

b) Tom. 2 Angliae S. p. 51-71.

a) *Eadgathae* Virginis, apud Arnoldum Wion. tom. 1 ligni Vitae p. 421.

b) Lege *Wereburgae*.

c) Antiq. Brit. c. 2. p. 15.

ria in Bibliothecis Anglicis reperiuntur. Ejusdem *Chronicam* laudat Wilhelmus Thorn in Hist. Abbatum S. Augustini p. 1783. Nec de alio intelligenda esse arbitror, quae antiquum Ecclesiae Eliensis Registrum habet cap. 10. *Tempore Symeonis Abbatis* (Eliensis, qui ab an. 1082 ad 1094 praesedit) *intererat inter Monachos quidam Gocelinus nomine, disertissimus, undique per Angliam* a) *Vitas, miracula et gesta Sanctorum, Sanctarumque in Historiis in Prosis dictando mutavit. Hic scripsit Prosam S. Etheldredae; cujus initium est*, CHristo Regi sit gloria. Obitum illius, Obytuarium S. Augustini Cantuar. sic commemorat: *Idibus Maji obiit Gozelinus, Monachus et Sacerdos.*

De scripta a Gozelino *vita S. Guthlaci* Presbyteri et circa Annum 740 anachoretae in Croylandia, vide Acta Sanctor. tom. 2. April. XI. pag. 37. *Vita Swithuni* Wintoniensis Episcopi An. 862. defuncti apud Surium 2 Jul. et in Actis Sanctor. tom. 1. Jul. pag. 327. *Vitam* S. *Wereburgae* Virginis, filiae Regis Merciorum Sec VIII, edidit ex Cambdeni Codice Bollandus tom. 1. Februar. p. 386 et *Vitam Yvonis* Episcopi Persae saeculo VII. Henschenius tom. 2. Junii X. pag. 289.

Liber Confortatorius MS. fuit in Biblioth. Menarsiana An. 1720 distracta Hagae Comitis, pag. 158.

De GOSVINO, Monacho Cisterciensi, Albericus ad Annum 1204. pag. 131. *Dominum* Goswinum *primo Claraevallis, et postea Cheneinon* b) *Monachum, usque ad hunc annum vixisse percepimus, qui scripsit* miracula et Visiones, *de quibus quasdam in superioribus annotavimus.* ut pag. 406 de Ascelina Virgine: *Haec in vita sua et post, multa fecit, ut scribit Dominus Goswinus, miracula.*

Alius GOSWINUS *Bossutus*, Monachus et Cantor Villariensis in Brabantia, itidem Ordinis Cisterciensis, qui *libris duobus* scripsit *Vitam Arnulphi conversi*, qui An. 1228 obiit. Exstat in Actis Sanctorum notis Danielis Papebrochii. Scripsit etiam vitam *S, Abundi*, Monachi Villariensis, Confessoris.

a) Ut apud Graecos Simeon Metaphrastes.

b) Al. Chiminon.

GOSWINUS, Canonicus Moguntinus, qui circa Annum 1072 scripsit *Vitam Martyris S. Albani* Moguntini editam a Canisio tom. V. Antiquarum Lectionum parte 2. p. 648. (editionis novae tom. 4. pag. 157.) Vide acta Sanctorum tom. 4. Junii XXI. pag. 88 ubi Goswini praefationes, una ad Sigefridum, Archiepiscopum Moguntinum, altera ad Bardonem, Abbatem S. Albani.

GOSWINUS *de Beka*, sive *Becanus*, post seculi XV. initia, Carthusianus, ex Professo domus Vallis regalis prope Gandavum, Prior domus S. Trinitatis prope Divionem in Burgundia, Juris utriusque Doctor, de quo Arnoldus Bostius de viris illustribus Carthusianis cap. 19 ubi praeter Sermones et Epistolas etiam alia scripsisse ait ad scientiae Juris Canonici Theologicaeque sapientiae illustrationem facientia.

GOSWINUS de HEX sive HEXIUS, Brabantus, Carmelita Ulissigensis a) in Zelandia, Doctor Parisiensis, Suffraganeus Ultrajectinus, et Episcopus Hierapolitanus, scripsit:

De modo praedicandi lib. 1.

De copia exemplorum.

Sermones de Tempore et Sanctis.

Quadragesimale.

De decem praeceptis, lib. 1.

Quaestiones de virtutibus Theologicis et Cardinalibus MS. Ulissingae apud Carmelitas.

Commentarium in I. et II. Sententiarum. MS. Brugis in Carthusia.

Directorium perturbatae Conscientiae. MS. Gandavi apud Carthusianos. Obiit An. 1475 vide Trithemium in Bibliotheca Carmelit. et Sweertium Athen. Belg. pag. 294. Valerium Andream pag. 297, seq.

S. GOTHARDUS, supra pag. 64. GODEHARDUS.

GOTSCHALCUS, sive JOTSALDUS, Monachus, cujus *planctus* versibus hexametris *de transitu domni Odilonis*, Abbatis Cluniacensis, qui An. 1048 aetat. 87 obiit, vulgatus ab Andrea du Chesne Biblioth. Cluniacensis pag. 330. Non ineptum pro

a) Perperam *Ulyssinensis*, apud Alegrium p. 156. paradis. Carmelitici decoris.

illo aevo versificatorem vocat Caspar Barthius, qui nonnulla eius illustrat IV. 18. seq. Adversar. Idemque notat *Gotscalci* nomen in *Jotsaldi* corruptum esse ad sonum molliorem idiotismi Gallici.

GOTSCHALCUS *Holem*, Germanus Saxo, Augustinianus, clarus circa Annum 1480. scripsit *Praeceptorium Divinae Legis*, sive Commentarium in Decalogum, Colon. 1481 Norimb. 1497 fol. et 1521. 4. *Sermones* Dominicales in Epistolas Pauli Apostoli, Haganoae 1520. Etiam *de Sacramento Poenitentiae* commentatum esse notat Elssius in encomiastico Augustiniano pag. 244.

* P. Gandolfo in dissertatione de CC. Augustinianis affert epitaphium viro huic docto positum in templo Osembergensi, in quo annus obitus illius definitur annus Chr. 1421. In Chronici Archicomit. Oldenburgensium. Schiphouveri Operum ejus catalogus iste traditur:

Scripsit super Pauli Epistolas volumina duo: de septem peccatibus mortalibus volumen; de officio missae volumen; super decem praecepta; de novem peccatis alienis; de sacramento Eucharistiae in Blomenberge. Quae tamen omnia lucem vidisse non credo. Quae vulgata sunt Fabricius hic indicat. *

Inter Walafridi Strabi poëmatia legitur Carmen ad GOTESCHALCUM Monachum, qui et FULGENTIUS, tomo XV. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 232. Hic est nominatissimus ille Goteschalcus, Ordinis Benedictini Monachus *Orbacensis* in dioecesi Svessionensi, qui ob acrius motas *de Praedestinatione* controversias condemnatus in Synodo Moguntina An. 848 et conventu Cariacensi An. 849. inclususque in Coenobio Altivillarensi post viginti amplius annorum custodiam obiit circa Annum 870. Durius cum Goteschalco actum ab *Hincmaro* Remensi, a) *Rabano* Mauro, b) *Amolone* sive *Amalario* Lugdunensi, *Johanne Scoto*, caeterisque ejus adversariis, non obscure queritur *Florus* contra Joannem Scotum et *Remigius* Lugdunensis in libro Ecclesiae Lugdunensis nomine scripto de tribus Epistolis, qui exstat tom. XV. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 666. seq. *Prudentius* Tricassinus, *Ratramus* sive *Bertramus* Corbejensis etc. Neque ultra Augustini sententiam processisse a) Gothescalcum contendit Jacobus Usserius in Goteschalci et Praedestinatianae controversiae historia, post editionem Dublinensem 1631. 4. recusa Hanoviae 1662 8. Ad hujus calcem *duas* Gotteschalci *Confessiones* publicavit, unam breviorem, et alteram longiorem. In utraque Praescientiam Divinam a Decreto Divino non patitur dividi: in utraque identidem ad Augustinum et FULGENTIUM b) Ruspensem provocat, et de sententia sua tam firmiter profitetur se esse persuasum, ut pag. 345. affirmet se, *si posset fieri, millies potius pro veritate optare occumbere, quam semel, (quod absit) cuilibet secus loquenti, cedendo succumbere.* Et pag. 353. *ab ipsa Veritate edoctum et gratis ab ea pie-*

a) Vide infra in HINCMARO. Bulaeum historia Académie Parisiensis tom. 1 pag. 178. seq. Summarische Nachrichten von der Thomasischen Bibliotec. tom. 1 pag. 681 seq. 734, seq.

b) RABANUS Maurus Epistolis tribus, quarum duae posteriores ab. Ughelio tom. 3 Italiae sacrae (editiones novae pag. 592. 608.) tres a Sirmondo vulgatae sunt Parisiis 1947. et tom. secundo Sirmondi Operum, Parisiis et Venetiis junctim editorum pag. 1296. De AMOLONE dixi supra tom. 1 pag. 81. De *Scoto* dicturus sum in JOHANNE. De BERTRAMO et FLORO Goteschalcum excusantibus, similiter jam dictum tom. 1 pag. 224. et tom. 2 pag. 507. De PRUDENTIO, REMIGIOque suus erit dicendi locus.

a) Non plane Usserius hoc persuasit Vossio, cui librum suum dedicaverat. Vide Vossii Epist. 156. qua Usserio gratias agit, et Epist. 158. ad Guilelmum Laudum, Episcopum Londinensem: nec non Grotii Epist. 292. Vossii historiae Pelagianae lib. 7. part. 4. tom. 6 Operum pag. 812. seqq. Ad Usserii tamen accedunt sententiam praeter Gilbertum Manguinum in vindiciis Praedestinationis et Gratiae et sylloge scriptorum Sec. IX. de Praedestinatione et Gratia, Paris. 1650. 4. 2 Vol. et Cardinalis Norisius, cujus synopsis historiae Gotheschalcianae prodiit tom. 4 ejus Operum p. 681-720. Veronae 1732. fol.

b) Suspicio est ab hoc Fulgentio, ad cujus libros tam fortiter provocat. Goteschalco *Fulgentii* haesisse cognomentum, licet alii dicant appellatum, quod ipse prae aliis ingenio et litteris fulgere visus esset. Vide Caveum in historia litteraria S. E. Casparem Sagittarium introduct. in Hist. Eccles. tom. 1 p. 970. sq. De Fulgentii scriptis ad controversias de Praedestinatione spectantibus dicere me memini tom. 2. pag. 625.

que satis afflatum, animatum, armatum, misericorditerque simul ac mirabiliter adjutum et tutum, fretum et fultum, fideliter illi credere, fortiter tenere, veraciter patienterque defendere, et quemcunque contraria dogmatizare cognosco, tanquam pestem fugio et tanquam haereticum abjicio. Et p. 354. ad DEUM ipsum provocat his verbis: *Atque utinam placeret Tibi cunctipotentissime pariterac clementissimeDomine,ut sicut in Te credo et spero, dato mihi gratis posse, prout jamdudum dare dignatus es, et dare quotidie dignaris etiam velle: coram undique electa populorum Te timentium multitudine, praesenti etiam istius regni Principe ajgcum Pontificum et Sacerdotum. Monachorumque seu Canonicorum venerabili simul agmine, concederetur mihi, si secus hanc Catholicae Fidei de Praedestinatione Tua veritatem nollent recipere, ut isto quo dicturus sum, favente Tua Gratia, id adprobarem, cernentibus cunctis, examine: ut videlicet* quatuor doliis b) uno post unum *positis, atque ferventi singillatim repletis* aqua, oleo *pingui et* pice, *et ad ultimum accenso copiosissimo* igne, *liceret mihi, invocato gloriosissimo Nomine Tuo, ad approbandam hanc fidem meam, immo Fidem Catholicam, in singula transire: donec Te praeveniente, comitante ac subsequente, dexteramque praebente ac clementer educente valerem sospes exire, quatenus in Ecclesia Tua tandem aliquando Catholicae hinc Fidei claritas clarescerct, et falsitas evanesceret, Fidesque firmaretur et perfidia vitaretur.*

Post Usserium, *utramque* Goteschalci *Confessionem* exhibet Gilbertus Manguinus a) Veterum Seculi IX. Scriptorum de Gratia et Praedestinatione tom. 1. p. 7. 25. Apud eundem pag. 6 et parte 2. pag. 3 seq. fragmenta ex Goteschalci *libello de Praedestinatione* et Chartula *Professionis* A. 848. Rabano Mauro oblatae, quae servavit Hincmarus Remensis tom. 1. Opp. p. 25. 26. 118. 149. 211. 224. 226. Apud eundem Manguinum tom. 2. p. 54. editi sunt *Versus* XXVI. hexametri leonini ex Gothescalci *Epistola*, quam ex Germania scripsit *ad Ratramum*, Monachum Corbejensem, quos vulgaverat Sirmondus tomo 1. Operum Hincmari pag. 555. Alios versus Anacreonticos ex procmio ad eundem Ratramum producit Sirmondus ad Ennodii lib. V. Ep. 7. *Age quaeso, perge, Clio* etc. Longe plures editis *versus* Gothescalci a viro nescio quo docto in lucem proferendos jampridem sperare jussit Labbeus pag. 59. Biblioth. MSS. Ex *pitacio* Gotheschalci *ad quendam Monachum* nonnulla profert idem Hincmarus pag. 304. 305. et ex *Epistola ad quendam suum complicem* pag. 226. *Epistola ad Ratramum* in Ludovici Cellotii historia Gothescalci, edita Parisiis 1655. fol. p. 415. Schedulam Gotheschalci, *quod trina Deitas dici possit*, exhibet idem Hincmarus t. 1. pag. 416-418 atque integro deinceps libro de non trina Deitate, sumsit sibi oppugnandum. Ad Gothescalci subtiliores de *ratione qua beati visuri simus DEUM*, quaestiones respondet, Lupus Ferrariensis Epistola trigesima cui etiam librum de tribus quaestionibus vindicat Baluzius, quem alteri Lupo alii, alii Amalario maluerunt tribuere. De Gotheschalci autem causa praeter Usserium, Cellotium aliosque a me laudatos adiri etiam possunt Mabillonius praefat. ad tom. 3. Annal. Benedictin. Sirmondus in historia Praedestinatiana et contra Sirmondum Gilbertus Manguinus in historica et Chronica synopsi controversiae Gotheschalcianae, et dissertat. historica et Chronica, in parte 1. Tomi secundi scriptorum Sec. IX de Gratia et Praedestinatione, et ex nostratibus D. Paulus Roeberus dissertatione de erroribus Gotheschalci Sec. IX. damnatis, Witebergae 1646. 4.

Ex Historia MSta de GOTHESCHALCI Novimonasteriensis visionibus An. 1190.

a) Carolo Calvo, Rege Galliae.

b) Ad hunc locum respiciens Johannes Scotus Erigena cap. 3. de Praedestinatione pag. 123. ad Goteschalcum: *Inter illa, ut video dolia, quae tibi praeparari jubes, jam involutus suffocaris; merito guippe in oleo atque pice ardere debuisti, qui et lumen charitatis, et mysterium Praedestinationis perperam docere non timuisti.* Propter idem insolens promissum doliorum, acriter reprehenditur Goteschalcus ab Hincmaro Remensi lib. de non trina Deitate tom. 1 pag. 455.

a) Caetera quae in utroque Manguini tomo exhibentur, notavit B. Thomas Ittigius libro de Bibliothecis et Catenis Patrum pag. 507. seq.

excerpta edita sunt ab illustri Leibnitio t. 1. scriptorum Brunsvicensium p. 880. 875.

GOTHESCHALCUS, supra, GODTSCHALCUS.

Anonymi Chronologia et series Regum GOTHORUM ab Attanarico usque ad Caroli Martelli, Francorum Principis, tempora, apud Andream du Chesne tom. 1. scriptorum de rebus Francorum pag. 818-820.

De *Bonav. Vulcanii*, *Friderici Lindenbrogii* et *Hugonis Grotii* collectionibus scriptorum de rebus Gothorum, Vandalorum et Langobardum dicere me memini in Bibliotheca Latina lib. III. cap. 17.

GOTSELINUS, *Gotzelinus*, supra, GOSSELINUS.

* GOTTARDUS *Stella* ex patre Perone Donato Sarzanensi cive natus sed in familiam Stellam Genuensem adscitus, Reip. Genuensis an. 1455. a secretis vir aetate sua doctissimus, et eloquentia clarus, eoque nomine a viris summis aetatis illius Francisco Barbaro, Bartholomaeo Facio, Blondo, Philelpho clebratus; de quo haec Franc. Barbarus in Epist. 128 ad Bertucium: *Quanta sim benevolentia coniunctus cum claris et dissertimis viris Iacobo Bracello et Gothardo Sarzanensi non ignoras.* Ad hunc pariter Gotardum datam credo ejusdem Barbari epist. 108 appendic. ad Gotardum inscriptam.

Gotardi Stellae Ianuensis (utpote familiae Genuensi adscripti) *Oratio ad Pium II* quam tunc habitam credo cum legatione ejusdem Reip. ad Pontificem (varias: enim obivit) fungeretur. Oratio haec in Codice olim Alexandri Petavii Parisiensis servata, in Biblioth. Vaticanam modo translata est *

Vide *Georgius* et *Joannes* STELLA t. VI.

GOTTULFUS, sive GUTOLFUS circa Annum 1270 carmine hexametro scripsit *vitam S. Bernardi* Claraevallensis, MS. in Monasterio Cremifanensi Ordinis Benedictini in Austria. Incipit: *O Tu Titani croceam qui cedere mane praecipis auroram.*

Anonymus GOTWICENSIS circa Annum 1130 scripsit *Vitam B. Altmanni.* Episcopi Passaviensis, vulgatam a V. C. Hieronymo Pez tom. 1. scriptorum de rebus Austriacis pag. 111, seq.

Chronicon GOTWICENSE, *seu Annales, liberi et exempti monasterii Gotwicensis, Ordinis S. Benedicti inferioris Austriae, faciem Austriae antiquae et mediae usque ad nostra tempora, deinde ejusdem monasterii fundationem, progressum, statumque hodiernum, exhibens, ex codicibus antiquis, membranis et instrumentis, tum domesticis, tum extraneis depromtum: Pro quorum faciliori intellectu* tomus prodromus *de codicibus antiquis manuscriptis, de Imperatorum ac Regum Germaniae diplomatibus, de eorundem palatiis, villis et curtibus regiis, atque de Germaniae medii aevi pagis, praemittitur, et ea, quae Caesareorum Regiorumque Germaniae diplomatum antiquitatem, materiam, stylum, scripturam, monogrammata, sigilla, subscriptiones, notasque chronologicas, atque ad palatiorum et villarum regiarum, pagorumque Germaniae mediae situm pertinent, explicantur, et, adjectis speciminibus, tabulisque XLII, aeri incisis, illustrantur. Tomus I. Typis Monasterii Tegernseensis S. Benedicti* 1732, fol. maj. Hic titulus integer tomi primi operis luculenti atque egregii, quod post Mabillonii, Papebrochii et Hickelsii labores facem rei diplomaticae accendit splendidissimam, et historiae ac Geographiae German. medii aevi insignissimum lumen praefert praeferetque. Hunc primum excipiet alter tomus, a) qui redivivam veluti repraesentabit *antiquam* et *mediam Austriam*, una cum terminis et limitibus, quibus Styriam versus, reliquasque confinis provincias, circumscripta est, addetque vetus fragmentum *Hier. Megiseri*, itemque *Chartam Geographicam Marchiae Orientalis* sive *Austriae medii aevi*; hinc originem omnemque statum *Monasterii Gotwicensis*, neque minus vitam *Altmanni*, conditoris et fundatoris, et *Chartam Geographicam Bajoariae*, sive *Noricorum Ducatus*, una cum *Marchiis Septentrionalibus supra Anesum et Athesin;* pariterque *Ducatum Alemannorum*, aere

a) Vide praef. p. XXV. sq. Acta Erud. A. 1734. pag. 111. Rukliche und anserlesene Urbeiten ddr Gelebrten im Reich, drittes Stud pag. 105. seq.

expressum proferet; subjicietque his *Abbatum Gotwicensium* Historiam, illisque omnibus intexet *Historiam Austriae*, qua parte ea obscurior adhuc et involutior extat.

Tertius tandem *Tomus Probationes*, h. e. Bullas Pontificias, Imperatorum ac Regum Diplomata, aliorumque chartas, ac vetera documenta, plusquam mille trecenta, complectetur. *Mantissae* loco, *Sigillorum* εκγραφα, ad septingenta, summa fide in aes incisa, ad artem *Heraldicam Germaniae* illustrandam proferentur. Constituerat quidem Author etiam nunc ad antiqua *linguae Theodiscae* monumenta studium suum convertere, ad recludendas linguae Germanicae origines, eiusque cum Sueco-Gothica, Anglo-Saxonica, Runica, et Francica antiqua, aliisque, affinitatem demonstrandam, eumque in finem plura diversorum Seculorum *Glossaria Theodisca*, aliaque monumenta, congesserat, verum, cum haec tractatio uberior esset, quam ut nunc expediri posset, eam eo usque differet, dum simul *Nummophylacium Gotwicense*, et in eo *Nummos* a *Carolo M.* ac sequentibus Regibus et Imperatoribus usque ad praesentem *Carolum VI.* cusos, typis committet. Sed et in Praefatione spem facit Auctor, fore, ut Codicem *Traditionum Laurisheimensium*, ex antiquissimo autographo Moguntino descriptum, adjuncto *Chronico Laurisheimensi*, *a Freheriano* multis in locis diverso, evulget. Debet hoc opus incomparabile Germania ac debebit illustrissimo Abbati Gotwicensi *Godfrido Besselio*, cuius propinquus, Joannes Fridericus Besselius An. 1667. Eginhardum de Vita Caroli M. notis eruditis illustratum publicavit. Hujus Eginhardi eadem patria Buchenia, oppidum pagi Wingartheibensis a) quod laudatissimum Abbatem in lucem edidit An. 1672. 5. Septembris.

GOTZWICI venerabilis Magistri et Doctoris *Collectae* sermonum super Epistolas et Evangelia per circulum annis, MSS. in Bibliotheca Petrini templi hujus Urbis. Vide B. Nic. Staphorstii historiam Ecclesiae Hamb. diplomaticam tom. 3, pag. 348.

a) Vide Chronicon Gotwicense tom. 1 p. 857.

GOUDEFRIDI *de Fontibus*, Theologi tractatus Quodlibeticos evolvit Cangius in Biblioth. Sancti Germani de Pratis, Codice 628.

GOZBERTI Abbatis Tegernseensis circa Annum 1000. *Epistolas* breves *quatuor* vulgavit Mabillonius tom. 4. Analect. pag. 347 seq. (edit. novae pag. 434 seq.)

* Eius epistolae XVI. quarum una tantummodo in Mabillonio recurrit, vulgatae sunt a PP. Pez et Hueber in Cod. Diplomatico pag. 221.

GOZECENSE Chronicon, supra CONRADUS Lauterbergensis, tom. I, pag. 383.

GOZECHINI Scholastici, qui relicto Leodiensis Cathedrae Magisterio Moguntiam concesserat, *Epistola ad Valcherium* itidem Scholasticum, suum ex discipulo successorem, cujus expostulationi respondens circa An. 1060 deplorat mala sui temporis atque in BERENGARIUM invehitur. *Vide si placet, quam sanae doctrinae, quam salubris disciplinae Theologi de Turonensi emergant Academia, cui praesidet ille Apostolus Satanae* Berengarius. *Vide, inquam, quam pestilentes, imo letiferi scorpiones et reguli de cavernis erumpant totius nostri temporis Babyloniae: qui haeresiarchae sui musto ebrii et veneno delibuti, de sacrilegis sacrilegas introducunt novitates quaestionum, ad nihil utiles nisi ad subversionem audientium: quorum sermo ut cancer serpit, quia scientia quae inflat, non aedificat sed subvertit.* Edidit hanc prolixiorem Epistolam Mabillonius tom. IV. Analector. pag. 360. (editionis novae pag. 437.) qui Valcherium illum, ad quem scripta est, dubitat eundem ne habeat cum WALTERO *Burgundione*, de quo Adelmannus in rhythmis alphabeticis de viris illustribus sui temporis pag. 382.

O et te dira perémit aemulorum factio,
Post quam missus es Europam per flagranti studio
Scholas multas expilasti, a) Waltere Burgundio.
Proh si nunquam revertisses ad fines Allobrogum!
Qanta nunc auctoritate decorares Latium!
Docens quicquid revexisti ab hortis Hesperidum.

GOZWINI Abbatis in Belgio Aquicinctensis Ord. Bened. An. 1166 defuncti b) *Vita*

a) H. e. ex illarum doctrina profecisti.
b) Vide Pagium ad An. 1166. n. 24.

scripta septennio post a duobus Monachis ejusdem Coenobii, edita a Richardo Gibbono S. I. Duaci 1620. 4. cum notis. Hic Gozwinus, cum Parisiis studiorum causa versaretur, ita visus est in Dialectica profecisse, ut ab aequalibus suis electus esset dignus *Petro Abaelardo* adversarius, nisi Magister Joslinus, postea Episcopus Suessionensis satius judicasset eum ab hac arena continere.

Matthaeus GRABON, sive GRABEEN, Ordinis Praedicatorum, Saxo, tempore Concilii Constantiensis vulgavit *Conclusiones contra devotarias extra Conjugationem approbatam viventes.* M. S. memorat Sanderus parte 2. pag. 194. Censura notatae sunt a PETRO *de Alliaco* et *Joanne* GERSONE. Vide Hermanni ab Hardt Concilium Constantienso tom. 3, pag. 107. Johannis Gersonis Opera tom. 1, pag. 467 470. Natalem Alex. tom. VIII. Histor. Eccles. p. 98. seq. et Jacobum Quetif. tom. 1. Bibliothecae Dominicanorum pag. 759. seq.

GRATIANUS de Clusio, a) Tusciae civitate, Monachus S. Felicis Bononiensis, Ordinis S. Benedicti, A. C. 1151 tempore Eugenii III. Papae in illo monasterio absolvit opus jam ab An. 1127 coeptum, quod Innocentius III. *corpus Decretorum* vocat, auctor ipse *Concordantiam discordantium Canonum* inscripsit. Dividitur illud in *Distinctiones* 101. (quarum singulae suis iterum distinguuntur capitulis) et *Causas* 36 (quae suis iterum *quaestionibus*, quaestiones capitulis subdividuntur) et tractationem *de Consecratione*, quinque distinctionibus absolutam. In causa XXXIII amplus *de poenitentia* tractatus occurrit, septem absolutus distinctionibus. Privatis auspiciis hoc opus est compositum a Gratiano, Burchardi, Anselmi atque Ivonis collectionibus strenue uso, quorum omninm luminibus obstruxit, atque ut notat Pancirollus, *tantae postea auctoritatis fuit, ut vulgo* Magister *vocatus, maximum in decidendis causis pondus habuerit, etsi velut privati hominis ejus dicta vim legis non obtinent.* Confer quae in ejus laudem et apologiam *Joan. Chifletius* de Juris utriusque Architectis, cap. quinto, Antw. 1651 4. et tom. 1. thesauri Juris Everh. Othonis pag. 186. seq. Quam saepius errasse Gratianum multi jam notarunt, vel dum Burchardi et aliorum errores sequitur, vel dum ipse non accurate lecta excerpit, vel dum interpretibus errantibus praebet aurem, ipse ne summos quidem Graecae linguae apices callens, ut monuit Baluzius ad Anton. Augustinum de emendatione Gratinai, pag. 536. Neque a Papis neque ullo Concilio generali comprobatam omnino ejus syllogen notat Richard. Simon tom. 1. Censurae Bibl. Eccles. Dupin. pag 602. Quanquam vero Papae Romani auctoritatem, Epistolis decretalibus obsequens, super omnia effert maxime, atque Pontificiis dogmatibus suffragatur: Vide *Joan. Pauli Windeckii* Theologiam JCtorum, Colon. 1604 4. nihilominus multa ipsi exciderunt, quae Pontificis asseclae ab illo dicta nollent, et quorum partem collectam videre libet in Anonymi *Kurtzem Ausxug aus den Pabstelichen Rechten*, 1530 4. confer Avtographa Lutheri tom. 1, pag. 269. 282 et in D. *Joan. Henr. Feustkingii* praesidiis Veritatis ex Jure Canonico, Witeb. 1711. 4. D. *Joan. Christoph. Pfaffii* dogmatibus Protestantium ex Jure Canonico comprobatis, Tubing. 1712. et 1722. 4. in *Samueli Strickii* praesidio Religionis Evangelicae ex jure Canonico in terris Protestantium, Francofurti et Lipsiae, sine anni nota 4. etc. D. *Andreae Daniel. Habichorsti* de conjugio Clericorum ex jure Canonico. Rostoch. 1698. 4. Vide sis etiam *Joan. Colneri* jus Canonicum Orthodoxum, ad calcem Chronologiae Papatus, 8. *Andreae Osiandri* Papam non Papam, Francof. 1600. 8. *Joanni Arndii* refutationem Papatus ex Jure Canonico: *Joannis Hay* Gratianum anti Jesuitam 166 167. D. *Jo. Gerhardum* tom. 1. Confess. Cathol. pag. 730. seq. Asylum innocentiae Quesnellianae in jure Canonico inventum, auctore M. *Greissio*, Ecclesiaste Wirtenberg. Francof. 1718. 4.

Huic Gratiani collectioni *Cotta Palea* ejus

a) Circa idem tempus Petrus Lombardus Novariensis, Petrus Comestor Gallus Trecensis: et falluntur qui fratres eos germanos fuisse ajunt. Vide Pagium ad A. C. 1164. n. 10. et de Gratiano adde ad A. 1151. n. 10.

discipulus dicitur aliquot addidisse capita, quae in antiquioribus MSS. non leguntur. His *Paleae* nomen est adscriptum, quod alii putant esse παλαίον, pro veteri interprete, alii paleam, velut levioris rem momenti, minus bene utrique.

Prima Gratiani editio Argentinensis, charta maxima, An. 1471 fol. per Henricum Eggestein, memoratur Joanni Caillio in historia typographiae, Gallice edita Paris. 1689. 4. pag. 19. atque inde Michaëli Maittaire in Annalibus typograph. tum. 1. pag. 92. qui p. 94 etiam affert Auctoritates Decretorum per Joannem Caldrini, ex editione Coloniensi A. 1471 fol. apud Petrum de Olpe.

Baluzius pro prima habuit Moguntinam, in cujus calce leguntur haec verba: *Anno incarnationis Dominicae MCCCCLXXII. Idibus Augustis Sanctissimo in CHristo Patre ac Domino* Sixto *Papa* quarto *Pontifice Maximo Illustrissimo*, *Nobilissiuo domus Austriae* Friderico *Romanorum Rege Gloriosissimo rerum Dominis: Nobili nec non generoso* Adolpho de Nassau *archiepiscopatum gerente Moguntinensem*, *in nobili urbe* Moguncia, *quae nostros apud majores aurea dicta*, *quam Divina etiam clementia dono gratuito prae caeteris terrarum nationibus arte impressoria dignata est illustrare*; *hoc praesens* Gratiani Decretum *suis cum rubricis*, *non atramentali penna cannave*, *sed arte quadam ingeniosa imprimendi*, *cunctipotente adspiranti Deo*. Petrus Schoiffer de Gernserheym *suis consignando scutis feliciter consummavit*. Scutum sive insigne sequitur duplex, in quorum alter crux S. Andreae cum quatuor fastigiis ansatis cuspidatisque, in altero figura Graecum lambda majusculum referens inter tres stellas.

Hanc insecutae sunt Venetae 1474. et 1479. fol. cum praefatione Petri Albignani Trecii et 1480. 4. per Adamum de Rotwil. et cum glossa, Venet. 1478. et 1486. f. et 1493. fol. Basil. 1476. fol. cum glossis. Paris. 1500. 4. 1508 1517. 8. 1522. 1528. 4.

Gratiani decretum emendatum et notis auctum a Paulo Constabili Ord. Praed. jussu Gregorii XIII. Venet. 1584 8. etc.

* Qua sint in Gratiano *palea*, vel potius quid indicet nomen illud Canonibus quibusdam praefixum definit Fabricius, auctorem illorum Canonum *Cottam Paleam*, qui haec addenda Gratiani Decreto censuerit, designari arbitratus. Id vero ut admittam vetat authoritas vetustiorum MScriptorum, in quibus palea ista ita absunt, ut nomen palea nunquam, Canones vero interdum legantur. Non sunt vero Paleae Cottae additamentum; alioquin in vetustis hisce codicibus et nomen, et canones omnes desiderarentur. Ita ex. gr. in vetustis codicibus legitur: *Palea* Canonis *magnus Episcopus* distinct. LIV. et Palea cap. *De servorum ordinatione* ibid. Can. 6.

(127 Gratiani Decretor. Libri V. secundum Gregorianas Decretales distincti per Jo. a Turrecremata cura Justi Fontanini. Romae 1726. v. 2. fol.* Ex t. VI. Dolet praeterisse me egregii operis mentionem, quod suscepit per hos dies, et ferme jam totum absolvit cl. Carolus Sebastianus Berardi Jurisprudentiae studiis in R. Taurinensi Nobilium Academia praefectus. En eius titulum: *Gratiani Canones ab apocryphis discreti*, *corrupti ad emendatiorum codicum fidem exacti*, *difficiliores commoda interpretatione illustrati*. Totum illud quantum quantum est, in vol. distribuetur III, ex quibus duo jam prodiere Taurini an. 1752. et 1754. in 4. In priori agitur de canonibus conciliorum in Gratianeo op. repraesentatis; altero discutiuntur canones Romanis Pontificibus tributi; tertium denique propediem evulgandum de canonibus ex Patrum operibus desumptis. Idem olim venit in mentem cl. Antonio Augustino in suo illo op. *de emendatione Gratiani*, cum tamen post illius viri celebris obitum plura in lucem producta sint, ex quibus magis ac magis emendari Gratianus possit, inde facta occasio est. cl. Berardo, ut eamdem spartam iterum adornaret. *

GRATIANUS Florentinus, Augustinianus circa Annum 1380. cujus Lectiones Theologicae memorantur et Quaestiones super libros Sententiarum. Vide Julii Nigri historiam scriptorum Florentinor. pag. 315.

GREGORIUS I. *Sancti*, *Magnique*, nomen inter Pontifices promeritus, Papa ab Anno Christi 590. ad 604. 12. Martii. Monachus

Benedictinus fuisse traditur a Joanne Diacono, pro qua sententia pugnant singularibus scriptis Octavius Cajetanus, Siculus A. 1610. et 1620. Constantinus Belotus, A. 1613 et Salisburg. 1620. 4. Matthaeus Lauretus diss. ad calcem Chronici Cassinensis quod auctore Leone Ostiensi habemus: Mabillonius tom. 2. Analect p. 145. sq. (edit. novae pag. 499.) Contra contendunt Baronius ad An. 581. num. 9. seq. atque Antonius Gallonius de Monachatu Gregorii M. Rom. 1604. 4. aliique.

De vita hujus Pontificis consuli possunt PAULUS *Warnefridus* Monachus Cassinensis, obvius apud Mabillonium tomo primo annalium Benedictinor. et in tomo quarto operum Gregorii edit. Benedictinor. qui observant etiam vitam Gregorii quae sub BEDÆ extat nomine in Codice Mertonensi, nullam aliam esse quam illam a Paulo scriptam.

Joannes Monachus Casinensis, postea *Diaconus* Romanus, libris quatuor apud Surium 12. Martii, et in Actis Sanctorum t. 2. Martii, pag. 137. 211.

Anonymus apud Canisium tom. 6. lect. antiqu p. 461. (edit. novae tom. 2 parte 3. pag. 256.) incip. *Gregorius genere Romanus, arte Philosophus.* Alium ANONYMUM sed synchronum Gregorii dare se professus exhibet Bollandus tom. 2. Act. Sanctor. Martii p. 130. 136. Incipit: *Gregorius urbe Romana, Patre Gordiano.* Quae etiam obvia in antiquis Gregorii editionibus ut in Basileensi A. 1551 aliisque, una cum iis quae de Gregorio scripsere *Joannes Stella* Sacerdos Venetus, *Platina*, et in historia universali *Joannes Laziardus* Caelestinus.

Petrus Diaconus, cujus utpote longe junioris narrationem in Vaticana MS. nulla fide dignam esse notat Nic. Comnenus Papadopoli pag. 40. praenotionum Mystagogicarum. De Petro, Gregorii M. Diacono, cui narratio illa est supposita, vide Acta Sanctor. tom. 2. Martii pag. 211.

Antoninus Florentinus summae Histor. parte II. tit. XII. cap 3. tom. 2 p. 216. 252.

Acta *Graece* lecta Photio Cod. 252. et haec an alia MSta in Vaticana, et Latine ex Francisci Zini versione in Aloysii Lipomanni tom. VII. et in quibusdam Gregorii editionibus sub falso Simeonis Metaphrastae nomine cum Martium Simeon ne quidem videatur attigisse.

E recentioribus:

Lud. Maimburgius Gallice libris IV. Paris. 4. et Amst. 1686. 12. Acta Erud 1686. pag. 343. Nouvelles de la Rep. des lettres pag. 193.

Dionysius Sammarthanus Benedictinus, itidem Gallice, libris IV. Rothomagi 1697. 4. et Latine in tomo quarto novae editionis operum. Confer Acta Erud. 1706. p. 393. seq. Journal des Savans 1698. pag. 123. Hist. des ouvrages des Sav. 1699. pag. 99. seq.

Petrus Baelius in Lexico historico.

Theodori Petreii Campensis, Carthusiani Confessio Gregoriana sive de Gregorii M. doctrina. Colon. 1597. 1605. 8. *Petrus Molinaeus*, pater, Theologus Sedanensis, libro Gallice edito de vita et religione Leonis I. et Gregorii I. quod Romanis dogmatibus hodiernis multis contraria senserint. Sedani 1650. 12.

Casimiri Oudini dissertatio de vita, indole, doctrina et scriptis genuinis ac spuriis S. Gregorii Magni. Tom. 1. Commentarii de S. E. pag. 1493. seq.

M. Jonnis Petri Stute, Susatensis, Gregorius Magnus Papa, Lutheranus Lips. 1715. 4.

Angeli Angeli, Feltrensis exemplar virtutis, Ecclesiasticis considerandum in Gregorio Magno. Italice. Venet. 1679. pag. 145. Diarum eruditorum Romanum A. 1679.

(128 Dal Pozzo (Francesco, Prete dell'Oratorio) Istoria della vita e del Pontificato di S. Gregorio M. Roma 1758. 4.)

De scriptoribus qui excerptas ex Gregorii scriptis vel locorum Biblicorum expositiones, vel Theologicas et Morales doctrinas singulari studio et peculiaribus operibus tradidere, vide supra in ALULFO, tom. 1. p. 72. in BRUNONE pag. 268. in *Jacobo* FOLQUIERIO tom. 2. pag. 582. seq. et quae infra in GUARNERO Parisiensi et PATERIO Gregorii discipulo, et TAIONE sum dicturus. E recentioribus *Jacobus Hommey* praeteriri non debet, cujus milleloquium

Morale Gregorianum a) exemplo milleloquii Augustiniani quod Augustinus Triumphus de Ancona, et Bartholomaeus de Urbino composuit: et Ambrosiani ab eodem Bartholomaeo conditi, digestum editumque est Lugduni 1683. fol.

Omitto alios a Lud. Jacobo a S. Carolo in Biblioth. Pontificia pag. 80. et 85. seq. memoratos.

S. Gregorii parentumque ejus Gordiani et Silviae imagines cum commentario *Angeli Roccae* et de tabulis donariorum marmoreis a B. Gregorio SS. Apostolis Petro et Paulo dicatis. Rom. 1597. fol. et in edit. Operum Gregorii. Paris. 1640.

Flores Gregorii M. ex ejus operibus selecti ab *Huberto Scutteputaeo* Canonico Regulari, separatim forma minore, et in editione operum Gregorii Gillotiana.

Adalbero Episcopus Laudunensis carmine ad Robertum II. Regem Francorum:

Praesul et ille sacer loquitur GREGORIUS, inde
Job magnae scrutanus fidei moralia Regis,
Idem sermonem complens explanat aperte,
Hic et Ezechielis super his in fine patenter
Hoc apices ipso quos Gallia dante recepit.

Nescio unde acceperit Antoninus Florentinus parte 4. Summae Confessionariorum tit. 11. cap. 4. quod tradit Gregorium omnia scripta quae potuerit consequi *T. Livii*, comburi fecisse, quod in illis multa de superstitione Idolorum traderentur. Sed et Gregorii lucubrationes post ejus mortem combustas a Romanis scribit Sigebertus cap. 41. de S. E. addens omnia prorsus opera ejus flammis tradenda fuisse, nisi Petrus Diaconus ab hoc consilio maleferiatos removisset. Gregorius ipse de se lib. IX. Epist. 68. ad Eusebium Thessalonicensem Episcopum, ubi queritur Andream Monachum inter diversa mala aliquos etiam sermones (Graece ut videtur) scripsisse atque eos ex Gregorii nomine titulasse: *Nos*, inquit, *nec Graecum novimus*, *nec aliquod opus Graece aliquando conscripsimus.* Latine certe plurima scripsit, quae aetatem etiam tulere.

Editiones Operum Gregorii M.

Parisina Bertholdi Rembolti. 1518. fol. apud Joan. Parvum.

Rotomagensis 1521.

Parisinae 1523. 1533.

Lugdunensis 1539. 1540. aucta Commentario in 1. Samuelis.

Parisina 142.

Basileenses 1551. et 1564. apud Frobenium, cura *Huldrici Coccii*, quam recenset Oudinus tom. 1. p. 1548.

Parisienses *Joan. Gillotii* Campani, Paris. 1571. et 1586.

Veneta 1571. 4. duobus Volum. et 1583.

Antwerpiensis 1572.

Romana inchoata An. 1588, auspiciis Sixti V. curante *Petro Tussianensi*, Episcopo Venusino, prioribus accuratior, absoluta tomis sex, An. 1593. de qua Possevinus in apparatu tom. 1. pag. 661. Haec repetita variis locis ut Romae 1613. 8. quinque Volum. et Duaci 1615. fol. Antwerp. 1615. Parisiis 1605. et 1640. quam recenset Labbeus tom. 2. S. E. pag. 390 seq. Oudinus tom. 1. p. 1548. seq.

Parisiensis 1675. opera *Petri Gussanvillaei*, Presbyteri, tribus Volum. cum notis in Dialogos et Epistolas, vindiciisque Dialogorum. Vide Diarium eruditorum Romanum An. 1675. p. 137. et Oudinum tom. 1. pag. 1496. fol.

Parisiensis *Benedictinorum*, singulari studio *Dionysii Sammarthani*, Paris. 1705. fol. tribus Vol. vide Acta Erud. An. 1706 pag. 385. Memorias litterarias Trevoltinas An. 1707. pag. 377. Novellas Reip. litt. 1705. tom. 2. pag. 582. Oudinum tom. 1. pag. 1549. seq.

Thomas Jamesius Anglus quoque non omittendus, cujus *Vindiciae Gregorianae* Genevae 1623. 4. vulgatae, loca innumera Gregorii emendant et restituunt ex Codicibus MSS. Anglicanis, quae cum in caeteris, tum in Romana Anni 1593. minus emendata legebantur.

Latini Latinii observationes et castigationes, quae in ejus Bibliotheca sacro-profana leguntur a pag. 145. ad 157. respiciunt editionem Basileensem An. 1551. quam subinde corrigit e Codice Vaticano.

a) Acta Erud. 1685. pag. 571.

Scripta Gregorii Magni eo ordine quo in novissima edit. leguntur.

TOMO I.

1) *Expositio in Jobum*, sive *Moralium libri XXXV.* ad Leandrum Hispalensem Episcopum: editi pridem Rom. 1475. cum praefat. Dominici Brixiensis Episcopi: tum Paris. 1495. atque *Italice* ex Zenobii Stratae a) protonotarii Innocentii IV. versione Florentiae 1486. fol. atque recusa b) suadente Cardinali Thomasio, Romae. 1714. 1721. et 1725. 1730. 4. (129 dein vero Neap. 1746 4. v. 4. et Veronae 1852. 4. v. 3. cur. B. Sorio) nec non Hispanice ab Alfonso Alvaro, Hispali 1513. 1534. fol. 2. Volum. ut Gallicam versionem operum Gregorii Paris. 1666. 1669. tribus Volum. in 4. editam praeteream. De illis qui post Gregorium in Jobum commentati profecere, vide supra ADALBERTUS tom. 1. pag. 13. et infra in ODONE, SIMOME Affligemensi et RUPERTO Tuitiensi.

2) *Homiliae XII. in Ezechielem*, ad Marinianum Ravennae Episc. distributae in libros duos, ita ut prior XII. posterior X. complectatur. Prodierant separatim Paris. 1491. 5. Lugd. 1516. 8. et Italice Florent. 1502. fol. Ven. 1543. 8. Brix. 1843 16. v. 3. Vide quae in laudem harum homiliarum Casp. Barthius LV. 14. Adversar. p. 2620.

3) *Homiliae XL. in Evangelia,* ad Secundinum Tauromenitanum Episcopum. Etiam harum versio *Italica* exstat quae prodiit Florentiae 1502. fol. et Venet. 1543. 8. Gallica recentior, Paris, 1665. 4.

TOMO II.

4) *Liber de cura Pastorali* ad Joannem Episcopum Ravennatem, in quatuor partes tributus. Prodiit separatim Argentor. 1496. Paris. 1498. 4. et ex recentioribus, Rothomg. 1618. 8. Gandav. 1615. et Paris. 1668. ex recensione Jacobi Boileau, et *Gallice* 1670. 12. et ex nova Antonii de Marsilly versione 1694. *Graeca* Anastasii Antiocheni versio cujus meminit Gregorius lib. X. Epist. 22. hodie desideratur. De inedita *Anglo-Saxonica* interpretatione Ælfredi vel Wereferthi, vide Georgii Hiekesii thesaurum Septentrional. tom. 2. in Catalogo MSS. pag. 70.

5) *Dialogus* in quatuor libros divisus inter Gregorium et discipulum ejus Petrum Diaconum *de vita et miraculis Patrum Italicorum, et de aeternitate animarum*, editus Venet 1475. Paris. 1499. et 1508. 4. Venet. 1561. Colon. 1610. etc. *Graeca* versio *Zachariae* (qui Papa fuit ab Anno 741. ad 752.) lecta etiam Photio Cod. 252. atque edita separatim Graece in fol. sine nota loci et anni, quae fuit in Biblioth. Baluziana. Deinde Latinis adjuncta Gregorii in editione Operum ejus Romana An. 1593. fol. Capita libri tertii quae in illis desunt editionibus, supplevit Canisius tom. 3. antiquar. Lect. pag. 24. (editionis novae tom. 2, pag. 89.) Integra deinde exstat in recentioribus Operum Gregorii editionibus. *Anglo-Saxonicam* versionem ab *Ælfrico* Rege, sive potius jussu Ælfrici ab *Asserio* Menevensi a) adornatam, memorat Georgius Hickesius in Catalogo MSS. Anglo Sax. tom. 2. thesauri Septentrionalis pag. 71. *Arabica* dicitur exstare in Biblioth. Colbertina. *Germanicam* Adam Walasser, *Bohemicam* composuit Balthaser Osthovinus, S. I. *Italica* praeter editionem sine loco et anno, lucem vidit Venet. 1475 fol. 1487. 4. Mediolani 1481. Cajetae 1488. fol. (130 Romae 1763. 8. cur. Jo. Bottari) et ex nova Jo. Mariae Tarsiae, Florentini interpretatione, Venet. 1606 11. novaque *Gallica* Ludovici Bulteau, Benedictini e Congregatione S. Mauri, Paris. 1689. 12. Aliam Gallicam duplicem, unam prosa veteri, alteram rhythmis Gallicis ante hos quingentos compositam annos, necnon metaphrasin *Latinis* versibus expressam servant Gallorum Bibliothecae.

Liber secundus, qui est de *S. Benedicto* cum Graeca Zachariae versione MS. in Biblioth. Caesarea teste Lambecio tom. IV, pag. 208. seq. Idem liber separatim editus Ingolstad. 1602. 8. et cum MSS. collatus Graece et Latine editus ab Angelo Maria Quirino, Abbate Benedictino, hodie R. E.

a) Gaddius de scriptoribus non Ecclesiast. t. 1 pag. 214. Julius Niger historia scriptor. Florentinor. pag. 536.

b) Diarium Eruditorum Italiae tom. 26 pag. 6. et. 12. tom. 34 pag. 491. tom. 36 pag. 395. Acta Erud. tom. 6 suppl. p. 451.

a) Vide Oudinum tom. 3 pag. 405.

Cardinali Venet. 1722. 4. Gallice a Josepho Mege, Paris. 1690. 4.

6) *Epistolarum* ex Registro Gregorii, *libri XII.* opus haud dubie praecipuum, quod lucem primum vidit Venet. 1504. fol. Paris. 1508. 4. quae utraque editio, sicut aliae quoque, fuere in Bibliotheca Baluzii, collatae cum MSS. e quibus et supplementa, quaedam Epistolarum Gregorii publicavit tom. V. Misc. pag. 468. 477. Praeclaram vero et diligentissimam operam in hisce Epistolarum libris posuere post Gussanvillaeum Benedictini, adjunctis etiam *Antonii Caraffae* Cardinalis indicibus sive excerptis sub titulos digestis. Notae et observationes *Antonii Dadini Alteserrae* in XII. libros Epistolarum Gregorii prodiere Tolosae 1669. 4. Nonnulla in illis observationibus et *decretum* Gregorio tributum de privilegiis Monasterio S. Medardi a) concessis reprehendit Joannes Launoius b) parte septima Epist. 1. et 2. (tom. V. Launoji Opp. junctim Genevae editorum. Gregorii hujus *decreta* apud Isidorum et in Conciliorum tomis. Epistolas Gregorii Britannicas recensuit Henr. Spelmannus tom. 1. Concil. Angliae pag. 69. seq. Hispanicas Agvirrius tom. 2, pag. 298-443. Gallicas Sirmondus tom. 1. Concil. Galliae pag. 444. seq. et Andreas du Chesne tom. 1, pag. 889. 914.

TOMO III.

7) *Liber Sacramentorum* de circulo anni expositus ex Codice S. Eligii, Bibliothecae, Corbejensis cum notis Hugonis Menardi, ex edit. Paris. 1642. 4. adjunctis aliis virorum doctorum de re liturgica observationibus, Angeli Roccae, Joan. Bonae, Josephi Mariae Thomasii, Joan. Fontonis, Joan. Mabillonii, Edmundi Martene, aliorumque. Alius Codex eximius in Biblioth. Caesarea, teste Lambecio tom. 2, pag. 1003. olim in Biblioth. cubiculari Caroli Magni asservatus. Codex Gregorianus Sacramentorum quem edidit Jacobus Pamelius. tom. 2. Liturgicon. Colon. 1675. 4. pag. 178. seq. is est quem GRIMOLDUS Abbas circa Ludovici Pii tempora correxit: et in quo sicut in editionibus Romanis cum scholiis Angeli Roccae et Parisiensibus desiderantur nonnulla quae videntur deinde addita atque interpolata. Vide Joannem Launojum de Sacramento unctionis infirmorum pag. 535. seq. Cum vero pag. 69. edit. Menardi, mentio fit *Sacramentarii*, quod Menardus a libro Sacramentorum putat diversum esse: malim accedere Baluzii sententiae qui notis ad Capitularia tom. 2, pag. 1206. Sacramentarium et librum Sacramentorum unum idemque scriptum esse non dubitat. A Menardi non minus quam ab Pamelii editione differunt libri III. Sacramentorum Romanae Ecclesiae quos vulgavit laudatus Josephus Maria Thomasius, Rom. 1680. 4. De Menardi et Roccae editione vide si placet Joannem Morinum de sacris ordinationibus pag. 270. 275. et de Codice Remensi pag. 292. de Thuano pag. 308. Plura se ex MSS. additurum Menardi editioni pollicitus pridem est Labbeus pag. 32. seq. Bibl. novae MSS. Gregorii *Liturgiam* sive *Missam* cum Georgii Codini Graeca versione edidit Fridericus Morellus, Paris. 1595. 8. recusam in auctario Biblioth. Patrum Ducaeano tom 2, pag. 369. et in Biblioth. Patrum Paris. 1644. et 1654. tom. XII. *Litania septiformis* in celeberr. Muratorii scriptoribus rerum Italicar. tom. 1, pag. 184.

8) *Benedictionale*, ex editione Lambecii tom. 2, pag. 300. seq. et Hugonis Menardi: et *Benedictionum Episcopalium supplementum* ex MS. S. Theodorici prope Remos.

9) *Antiphonarius* ex editione Pameliana. tom. 2. Liturgicon pag. 54. seq. Juniorem esse Gregorii temporibus, disputat Oudinus tom. 1, pag. 1536. seq.

10) *Liber Responsalis seu Officialis* e MS. Compendiensi. Fuerit istud fortassis *Rationale Officiorum* memoratum Trithemio cap. 245. Sed in hoc mentio festorum Assumtionis et Nativitatis B. Mariae Virginis: festi omnium Sanctorum, et Officii ac Vigiliae S. Benedicti.

11) *Expositiones in librum I. Samuelis*, libri sex a CLAUDIO a) Gregorii discipulo

a) Adde Labbeum tom. 2 de S. E. p. 503.

b) Launojo respondit Alteserra in codice Gregorii Papae.

a) Oudinus p. 1551. et. 1557. seq. refert ad Claudium juniorem Taurinensem.

(de quo supra tom. 1, pag. 1081. seq.) fortasse excerptae ex Gregorii ore, et digestae. Vide Gregorium libr. X. Epist. 22. ubi similem in Prophetas, Canticum, libros Regum, Proverbia et Heptateuchum operam a Claudio illo insumtam testatur.

12. *Expositio in Canticum Canticorum* Basil 1496. 4. Paris. 1498. 4. et RADULPHO Abbati Fontanellensi adscripta in Jacobi Hommey supplemento Patrum p. 284. tributaque in libros duos. Confer Oudinum tom. 1, pag. 1543. qui tom. 2, pag. 779. editit sub nomine ROBERTI Abbatis S. Vigoris Bajocensis.

13) *In septem Psalmos poenitentiales*, Paris. 1512. quam Gregorio VII. quidam maluerunt tribuere, quoniam ad ejus tempora magis videntur quadrare haec ad Psalmum V. *Persequitur etiam hoc tempore schismaticus Corpus CHristi, impugnat haereticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat.*

14) *Concordia quorundam testimoniorum Scripturae*, a Joanne Gillotio primum edita An. 1571.

TOMO IV.

Denique Benedictini post Vitam Gregorii a PAULO et JOANNE Diaconis compositam, veterumque testimonia et elogia, exhibent vitam quam ipsi ex Gregorianis scriptis, adornarunt et in quatuor libros digessere: ac postremo loco PATERII discipuli et ALULFI Monachi opus quod in Vetus et Novum Testamentum ex Gregorii lucubrationibus composuere, de quibus suo loco.

Apud Honorium III. 32. et Trithemium cap. 215. memoratur inter scripta Gregorii *Explanatio IV. Evangeliorum*, sed Benedictini testati MStam eodem titulo initioque se reperisse in Biblioth. Regia Paris. et Rothomagi apud Emericum Bigotium in Codicibus nongentorum fere annorum: Gregorio tamen indignam judicarunt.

GREGORIUS II. Marcelli F. ex Bibliothecae Pontificiae praefecto et Diacono Papa ab An. 715. 28. April. ad 731. 13. Februar. de quo praeter alios Gregorius Polydorus, Augustinianus Pistoriensis in suo *Gregoriano*, sive libro de XIV. Gregoriis, Romanis Pontificibus, XIII. Episcopis et uno Presbytero, Florent. 1598. et Acta Sanctor. tom. 2. Februar. pag. 692. *Ejus si scripta exstarent*, inquit Baronius ad An. 731. n. 1. *resque ab eo gestae diligentius scriptis mandatae essent, Gregorio magno haud minorem existimares. Praeter* Epistolas aliaque *scripsisse fertur* Responsionum librum unum *ad Leonem Isaurum Imp.* et alium *ad Episcopum CPolitanum* Johannem. Ab hoc Gregorio in Germaniam missi S. Corbinianus et S. Bonifacius ad CHristi doctrinam propagandam. Etiam, Beda teste praef. ad Regem Ceoluphum, Nothelmus Ecclesiae Londinensis Presbyter, Gregorio permittente, S. Ecclesiae Romanae scrinium perscrutatus, Epistolas Gregorii I. aliorumque Pontificum in Angliam, historiae inserendas pertulit. Per errorem hic Gregorius a Graecis, ut a Cedreno, et in inscriptione Epistolarum duarum ad Leonem Isaurum pro cultu imaginum datas, apud Baronium ad Annum 726. n. 27. seq. *Gregorius* DIALOGUS appellatur, quod Gregorio primo competit, eique tributum est cognomen, propter compositum notissimum ab eo illum de quo supra p. 82. dialogum, sicut Joan. Climax a Graecis consuevit cognominari propter librum, cui titulus hic ab eo impositus fuit climax, sive scala Paradisi. *Epistolas* illas *ad Leonem duas* Graece et Latine praeter Baronium exhibent Binius et alii Conciliorum editores ante Acta Synodi septimae: et in actione quarta ejusdem Synodi *Epistolam ad Germanum* CPolitanum. Praeterea ab iisdem Synodorum collectoribus (nisi quod solae duae ad Bonifacium exstant apud Harduinum) Latine, qua lingua Gregorius scripsit, offeruntur *Epistolae duodecim* hujus Gregorii, illisque subjicitur *Capitulare* ab eodem datum Martiniano Episcopo, Georgio Presbytero et Dorotheo Sub-Diacono ablegatis in Bajoariam, ad visitandas Ecclesias. Non desunt qui aliquas ex his Epistolis referant ad Gregorium III. de quo mox: sicut et *Epistolam ad Austrobertum* Archiepiscopum Viennensem, quam Ludovicus Jacobus pag. 89. notavit vulgatam a Joanne a Bosco in Biblioth. Floriacensi, et a Ioanne Lievraeo in anti-

quitatibus Viennensibus pag. 181 Similiter *Liturgicam* sive *Missam* quam inter Gregorii I. memoravi scripta, Gregorio II tribuere alii non dubitant, ut praestantissimus Caveus. a) *Responsiones* Gregorii quibus *Justiniani* Imp. quaestiones de quibusdam capitulis traditur dissolvisse, hodie desiderantur.

* Canones quosdam poenitentiales quos ego in Ms. Codices Lucensi nactus sum a canonibus Gregorii III. plane diversos Gregorio huic II. ambigens tamen attribui, et in conciliorum supplemento t. 1 pag. 538 evulgavi. Adieci ex Wilkinsio Concil. Britan. tomo 1. p. 81. epistolam Gregorii ad Episcopos Angliae, qua Dorobernensi Archiepiscopo totius Angliae primus honor asseritur.

GREGORIUS III. secundi successor, natione Syrus et ex Presbytero Romano Papa ab 22. Febr. Anni 731. ad 741. 28. Novembr. Hujus Epistola *ad Ursum* Ducem Venetorum, apud Sabellicum ennead. VIII. lib. 7. tom. 2. p. 569: *Ad Carolum Martellum* Subregolum, Epistolae duae in Centuriis Magdeb. centuria VIII. cap. 10. Baronium ad Annum 740. num. 20. et Andream du Chesne tom. 3. pag. 705. 706. *Ad Wigonem, Luidonem, Rudoltum et Vivilonem Addam* Episcopos in Provincia Bojoaria el Alemania constitutos apud Velserum lib. V. rerum Boicarum p. 141. Opp. et *ad Bonifacium* coëpiscopum p. 143. Alia eaque sola apud Harduinum, tom. 3. Concil. pag. 1866. Sirmond. tom. 1. Concil. Gall. pag. 521. Carolum la Cointe tom. 1. pag. 791. quae incipit: *Magna nos habuit gratulatio.* Hae Epistolae omnes praeter primam illam ad Ursum a Binio et caeteris Conciliorum collectoribus exhibentur, qui praeterea etiam addunt Epistolam *ad Germaniae Episcopos* quam habet quoque Sirmondus tom. 1. Concil. Galliae pag. 522. itemque aliam *ad Optimates Germaniae*: nec non, quod Harduinus etiam omittendum haud duxit *excerptum ex Patrum dictis Canonumque sententiis* de diversis criminibus et remediis eorum, sive judicia congrua poenitentibus: quod scriptum junioris auctoris esse Petrus Pithoeus non dubitabat.

GREGORIUS IV. Pontifex Romanus ab An. 828. Januar. V. ad 844. Januar. XI. Hic est qui S. ANSCHARIUM nostrum, cum publicam illi evangelizandi tribuisset auctoritatem, primum Nordalbingorum Archiepiscopum Hamburgensem confirmavit, legatum *in omnibus circumquaque gentibus Danorum, Sveonum, Nortwehorum, Farriae, Gronlandan, Halsingolandan, Islandan, Scridevindum, Slavorum, nec non omnium Septentrionalium et Orientalium nationum quocunque modo nominatarum.* Decretum ejus exstat in Erpoldi Lindenbrogii scriptoribus septentrionalibus pag. 127 edit. a me curatae, et in Philippi Caesaris tri-Apostolatu Septentrionis pag. 179. in Eccardi Corpore scriptorum medii aevi tom. 2. pag. 108 in Bollandi Actis Sanctor. Februarii pag. 406. in B. Nicolai Staphorsti nostri hist. Eccles. Hamb. tom. 1. pag. 31. etc.

Epistola *ad Orthodoxos fideles* de restitutione *Ebbonis* Remensis, edita a Sirmondo tom. 3. Concil. Galliae p. 609 ex Codice S. Mariae Laudunensis et in tomis Concilior. Regia, Labbei, Harduini, Coleti: ipsorummet etiam judicio editorum supposita est. Vicissim Epistolam Episcopos a Ludovici partibus stantes objurgantem, cujus fragmentum AGOBARDI nomine Papyrius Massonus et Goldastus a) edidere, Gregorium IV, habere auctorem probat Petrus de Marca lib. 4 de Concordia Sacerdotii et Imperii, capite undecimo, consentiente recentiore Agobardi post Massonum editore Stephano Baluzio. *Epistola ad Episcopos per universas Provincias constitutos* de Romani Pontificis potestate supra reliquos, Episcopos, apud Baronium ad Annum 839 n. 2 et Sirmondum tom. 2. Concil. Galliae pag. 569 et in Conciliorum tomis apud Binium aliosque. Ad hanc conferendus idem Marca lib. VII. cap. 21 et Baluzius praef. ad Antonium Augustinum de emendatione Gratiani §. VII. Praeter has duas Epistolas in tomis Conciliorum post Binianis etiam

a) De antiphonis supra tom. 1 pag 646.

a) Tom. 2 Monarchiae Imperii p 138.

obvia Epistola *ad Episcopos Francorum*, ex Bibliotheca Floriacensi Joannis a Bosco. Aliam *de dignitate et privilegiis monasterii Floriacensis* Vulgavit Baluzius tom. 2. Miscell. pag. 146-148.

GREGORIUS V. *Bruno*, nomine, natione Saxo, Papa ab An. 996. 17 Maji, ad An. 999. Febr. 18 Hujus Epistolae quinque in Conciliorum tomis occurrunt. Sexta privilegiis Abbatiae Montis majoris apud Baluzium tom. 4. Miscell. pag. 432. Quod vero idem in Synodo Romana An. 996 traditur a) constituisse *collegium illustrissimum Electorale septem Virorum*, penes quos solos esset Imperatoris eligendi, potestas, *silentium omnium antiquorum usque ad medium seculum decimum tertium, sufficeret ad eam opinionem evertendam*: b) sed non desunt quae eam evertant aliae rationes, et testes omni majores exceptione, quos apud Franciscum Pagium aliosque in ora hujus paginae laudatos consulere licebit: neque ante Rudolphi Habspurgici electionem An. 1273 factam constat jus in solis septem Viris emicuisse, cum ad illud usque tempus valuisset, quod ait Guil. Brito IV. 376. *Eligit unanimis Cleri procerumque voluntas*. Neque multum abludit Papebrochius qui circa Annum 1240 constitutum Electorum septemviratum disputat tom. 1. Act. Sanctor. Junii p. 932 Hunc MINOREM GREGORIUM honoris caussa dictum, nescio quam vere tradat Arnoldus Wion tom. 2. ligni Vitae pag. 868.

GREGORIUS VI. *Joannes Gratianus*, Romanus, Papa ab An. 1045 28 April. ad Annum 1046. Decembr. 17 quo se ipse abdicavit in Concilio Sutrino: depositis simul tribus schismaticis, sive ut Hermannus Contractus vocat, erroneis Pontificibus Benedicto, Sylvestro, Johanne. Gregorii hujus Epistolam ad Odilonem Abbatem Cluniacensem fuisse apud Andream Quercetanum scribit Ludovicus Jacobus p. 92. Bibl. Pontificiae. Sed nullam in lucem edidit in Biblioth. Cluniacensi Quercetanus p. 350 ubi Epistolas ad Odilonem et ab Odilone scriptas profitetur se colligere.

GREGORIUS VII, antea *Hildebrandus*, Tuscus Soanensis, ex Monacho Cluniacensi, Papa ab An. 1073 30 Junii usque ad Annum 1085 25 Maj. totatus Pontificii assertor acerrimus, de quo Baronius et alii, Acta Sanctorum tom. 6. Maji 25. pag. 102 seqq. Mabillonius praefatione ad Acta Sanctorum Benedictin. Sec. VI. parte 2. Jacobi Gretseri Apologiae pro Gregorio VII, contra Bennonem, contra Annam Comnenam, et contra Goldastum, ad calcem t. 2 defensionis controversiarum Bellarmini, et tom. VI. Gretseri Operum: sed et Centuriae Magdeb. Centur. XII. cap. 8. et 10. Goldastus in replicatione contra Gretserum eique subjuncta apologia pro Henrico IV. Imperatore contra Gregorium VII. Hanov. 1611, 4. Baelium in Lexico. Historico, et Justum Christophorum Dithmarum in Gregorii VII. Vita, Francofurti ad Viadrum, 1710, 8. Sicut vero Gretserus scripta veterum Gregorio faventia edidit, BERNALDI a) Constantiensis Presbyteri, PAULI

a) Bellarminis libro 3. de' translatione Imperii Rom. Baronius ad Annum 996. § 58. seqq. Bulaei hist. Academ. Paris. tom. 1 p. 338. seq Christophorus Gewoldus, Paulus Windekus ec.

b) Antonius Pagi Critic. Baron. ad Annum 996. n. 10. seq. Anno 1024. num. 5. Franciscus Pagi in breviario. Pontificum Rom. tom. 2 pag. 264. confer M. Antonium de Dominis Rep. Eccles. VII. 11. 30. seq. Leibnitium praef. ad Cod. diplomat. et mantissam et ad tom. 1 Brunsvices. n. LXIII. Erici Mauritii diss. pag. 777. seq. Gundlingiana XXII. 2. Lud. Ellies du Pin de antiqua Ecclesiae disciplina pag. 528. seq. Ottonem Menckenium, J. C. Dithmarum et Georgium Werenbergium singularibus dissertationibus Joannem Guilelmum Janum (Acta Erud. 1711. pag. 186 Mem de Trev. 1718. pag. 928.) et Wolfgang. Gabriel Pachelbl a Gekag (Acta Erud. 1716. pag. 552.) ec.

a) Sive BERTHOLDI, de quo dixi tom. 1 pag. 653. Scripta ejus a Gretsero edita hoc ordine: 1) *De Sacramentis excommunicatorum, juxta assertionem SS. Patrum*, ad Bernardum quem religiosissimum Sacerdotem ac prudentissimum Praeceptorem appellat. 2) *Apologeticus de excommunicatione facta a Gregorio VII.* 3) *Synodus Romana sub Gregorio VII. A,* 1074. 4) *Epistola prima Bernaldi ad* Alboinum *de coelibatu Sacerdotum.* 5) ALBOINI *responsio.* 6) 7) *Bernaldi responsiones duae.* 8) *Secunda Alboini et* 9) *Tertia Bernaldi responsio.* 10) *Epistola reconciliatoria* Alboini *cum Bernaldo.* 11) *Apologeticus Bernaldi pro decretis Gregorii VII. factis in Romana Synodo.* 12) *Epistola* ADALBERTI. *Bernaldi ad* Bernardum, *Magistrum Scholarum*

Bernriedensis, GERHOHI Reicherspergensis et Onufrii Panvinii: Similiter in Goldasti apologia pro Henrico IV, hac leguntur:

1. BENNONIS, Cardinalis Romani, de Vita et gestis Hildebrandi Papae libri II. pag. 1.

2 OTTONIS, Episcopi Frisingensis, Fragmentum de Hildebrando Papa pag. 18.

Anonymi de Henrici IV. Imperatoris Bello contra Saxones, libri III. pag. 20.

4. ALBOINI Presbyteri de Conjugio Sacerdotum per Hildebrandum damnato Epistolae II. pag. 40.

5. Episcoporum et Clericorum Imperialium Apologetica pro Imperatore contra Papae Excommunicationem, pag. 46.

6. CONRADI, Episcopi Trajectensis, Oratio pro Imperatore contra Papam, dicta in Comitiis, pag. 48.

7. WALTRAMI Episcopi Naumburgensis Epistola ad Landgravium Thuringiae pro Imperatoris fidelitate, contra Papam. p. 51.

8. Ejusdem Apologiarum pro Imperatore libri III. pag. 53.

9. IVONIS Episcopi Carnotensis Epistola de Investituris Episcoporum et Abbatum, pag. 183.

10. Ecclesiae Leodiensis Epistola a SIGEBERCO Abbate Gemblacensi scripta contra epistolam Paschalis Papae, p. 188.

11. OTBERTI Episcopi Leodiensis Epistola Parentatoria de vita et obitu Henrici IV. Imperatoris, pag. 204.

12. WALTRAMI Episcopi Naumburgensis Tractatus de Investitura Episcoporum et Abbatum, pag. 226.

13. Decani et Conventualium Abbatiae Laurishamensis Libellus supplex ad Henricum V. Imp. contra Hildebrandinos Monachos de Hirsaugia, pag. 233.

14. EBERHARDI Archiepiscopi Salisburgensis Oratio de Hildebrandi Antichristiano Imperio, recitata in Comitiis, p. 237.

Constantiensium, de Sacramentis excommunicatorum, de Sacramentis excommunicatorum. 13) *Responsio* BERNARDI *ad illam Epistolam.* 14) *Alia Adaberti et Bernaldi ad Bernardum Epistola.* De ANSELMI Lucensis libris pro Gregorio VII. contra Gulbertum sive Clementem II. dixi tom. I. pag. 109.

15. FERDINANDI et MAXIMILIANI II. Impp. Sacris Rescriptis confirmata sententia de Clerogamia per Hildebrandum Papam damnata, pag. 240.

In Conciliorum tomis ut Binii, tom. VII. Regia, tom. XXV. Labbei tom. X, et Veneta Coleti tom. XII, habes *Gregorii VII. Registrum* sive *Epistolarum libros XII*, singulos singulis Pontificatus ejus tributos annis. *Primus* continet Epistolas LXXXV. *Secundus* LXXVII, in cujus quinquagesima quinta ad Laudenses exstant memorata Onuphrio celebria illa *Capitula XXVII*, sive *Dictatus Papae* suprematum sive totatum potestatis Pontificiae in Ecclesiam, universam Principesque nullis circumscriptam limitibus γομνε τε φιφαλη Christiano Orbi obtrudentia. Neque Harduinus, qui paucas tantum atque ut ipse profitetur selectas ex Gregorii VII. Registro Epistolas in suis Conciliis exhibet, dictatus hosce praetermittendos sibi putavit tom. IV. Concilior. pag. 1304 neque Baronius ad Annum 1076 n. 31. Alios a) subit pudor talia ad Gregorium auctorem referri, quae tamen ex ejus Epistolis collecta esse ab aliquo sive inimico sive curiae Romanae fervidiore satellite non diffitentur. Liber Registri *tertius* complectitur Epistolas XXI. *Quartus* XXVIII. *Quintus* XXIII. *Sextus* XL. *Septimus* XXVIII. *Octavus* XXIII. *Nonus* Epistolas habet XXXIV. *Decimus* desideratur, et *Undecimi* tantum sunt Epistolae duae, quas sequitur appendix duplex una trium et altera sex Epistolarum. Sunt etiam septem Gregorii VII. Epistolae vulgatae Baluzio tom. 7. Miscell. pag. 123 sicut Wilhelmi Regis Anglorum et Comitiis Arelatensis ad Gregorium pag. 127, 128, 129. Conferendus quoque Codex Epistolaris UDALRICI Babebergensis apud Eccardum tom. 2. Codicis Scriptor. medii aevi pag. 142. seq. Epistolas XII, ex pridem editis ad Hispanos recenset Aguirrius tom. 3. Concil. Hispan. pag. 246, seq.

Expositionem *in VII. Psalmos* poenitentiales, quam supra inter Gregorii I. scripta

a) Vide Dupinium tom. 8 Bibl. Eccles. Sec. XI. p. 69. Pagium ab Anno 1077. n. 8. Joan. Launojum parte 6. Epist. 3 Natalem Alex. Sec. XI. diss. 3.

rotuli, parum certa conjectura Hildebrando aliqui tribuunt, sicut etiam Commentarium uberiorem *in Matthaeum*, ex quo MS. in Biblioth. Lambethana Petrus Allixius in praefat. ad determinationem Joannis, Parisiensis Praedicatoris, de modo existendi Corpus CHristi in Sacramento altaris, Lond. 1686. 8. protulit hoc fragmentum.

Cum autem panis et vinum, inquit, *dicantur a cunctis Sanctis, et a Fidelibus creditur transire in substantiam Corporis et Sanguinis CHristi, qui fit illa conversio, an formalis an substantialis? quaeri solet. Quod autem formalis non sit, manifestum est; quod forma panis et vini remanent. Utrum vero sit substantialis, perspicuum non est. Quidam autem dicunt hic substantiam transire et converti, ut haec fiat illa, nec tamen illa augeatur; nec concedunt, qnod hanc esse illam vere dici possit: Alii autem sic dicunt, hanc in illam transire et converti, quod sub illis accidentibus, sub quibus prius erat substantia panis et vini, post consecrationem est substantia Corporis et Sanguinis, quibus tamen non efficitur; Nos autem incerta relinquentes; quod ex authoritatibus certum est, profitemur, scilicet substantiam Corporis et Sanguinis CHristi converti, modum vero conversionis ignorare non erubescimus fateri.* Subjungit post haec clarissimus Allixius: *Hildebrandi* qui deinde Gregorius VII. *esse hoc opus*, verba quibus illud clauditur, demonstrant: *Explicit expositio Hildebrandi, servi JEsu CHristi super Matthaeum, per verba et sensum horum Expositorum et subtilitatem glossarum venerandorum Magistrorum. Adjuro te ut librum hunc per praesens exemplar corrigas.* Sed omnino audiendus Henricus Warthonus, qui eodem MS. Codice Lambethano usus, Commentarium hunc in auctario ad historiam dogmaticam Jac. Usserii p. 405. non Gregorio VII. sed juniori cuidam HILDEBRANDO circa Annum 1150. tribuit. Adscribam ejus verba. quo rectius Lectori de commentario illo adhuc inedito possit constare. *Hildebrandus junior expositione in Evangelium S. Matthaei* MS. in Bibliotheca Lambethana, S. Scripturae ubertatem atque plenitudem, omnibus ex aequo Christianis paratam, saepius depraedicat. Hinc illam comparat cum Fermento, a) cujus admixtione integra farinae massa animatur; cum Margarita, pro cujus acquisitione omnia sunt vendenda: cum Vinea, in quam Dominus omnes consertim servos ad operandum immisit: cum Talento, quod Dominus peregre profecturus universis servis negotiandum concredidit: Denique cum Prandio, ad quod Dominus omnia hominum genera invitari voluit. Sic enim scribit lib. 8. homil. 64. in illud Matthaei cap. 22. Dicite invitatis quod prandium meum paravi: *Prandium est doctrina justitiae, et verba coelestium mysteriorum de DEI Filio. Ex omni igitur lege, et ex omnibus Prophetis et Scripturis, mensam S. Scripturae ordinavit: in qua mensa, doctrina omnis justitiae et diversorum mysteriorum: quia diversi cibi sunt. Magnitudo igitur et abundantia Divinorum mysteriorum, quinimo cibi animarum, in mensa sanctae Scripturae inveniuntur.* Exposi tionem istam Hildebrando Cardinali, qui postea Gregorius VII. fuit, deberi credidit Vir Doctissimus, P. Allixius, qui ex ea descriptum de Eucharistia fragmentum edidit in Praefat. ad Joannem Parisiens. pag. 7. Verum longe a Gregorii VII genio ac sententia abludit istius libri Author. Ille Haereticos et Ecclesiae Romanae adversarios ferro flammaque exscindendos clamavit, exemplo praeivit: Clavium potestatem Petro a CHristo datam super omne fas nefasque extulit; Ecclesiam super Petrum fundatam esse constanter docuit; et Ordinem Monasticum, cui impense favit, summo sibi studio addictum habuit. Iste e contra Haereticos morte nequaquam multandos esset contendit: de clavium potestate haud minus sobrie sentit quam Protestantium quivis, b) omnibusque ex aequo Apostolis datam fuisse docet; Ecclesiam non super Petrum, sed super ipsum solummodo CHristum aedificatam esse asserit: et Monachorum ordinem Pharisaeis semel atque iterum comparans; eorum tonsuram, vestes religiosas et vigilias vellicat. His adde, Gregorium VII. preces

a) Matth. XIII. XX. XXV.

b) Lib. 6. homil. 42. et 50. lib. 6. hom. 60.

lingua populo ignota factas maxime comprobasse. Noster autem Hildebrandus ejusmodi orationem non obscure improbat; ad illud Matth. XXIII. Excolantes culicem, camelum autem glutientes: *Vae nobis ad quos vitia Pharisaeorum pervenerunt. Quia in tonsura, et veste religionis, et oratione labiorum et jejuniis et vigiliis quibusdam nos quasi bonos ostendimus. Et cum talia facimus; quid aliud quam vilia olera decimamus; et relinquimus dilectionem DEI et proximi, justitiam, et fidem, et simplicitatem, et humanitatem, puram in Spiritu Sancto orationem, et alia virtutum germina?* Demum quod rem extra omne dubium ponit, noster Bernardum citavit, Gregorio VII. inferiorem. Ecclesiasticorum enim vita insectatus, ista subinfert: *Lege librum Domini Bernardi Claraevallensis Abbatis de Consideratione, valde bonum; quem scripsit Eugenio Papae; ibi plenius invenies descriptos errores malorum Praelatorum.* Hildebrandus itaque Junior quidam hujus Expositionis Author fuit. Istum circa Saeculi duodecimi medium collocavimus, tum quod certior calculus desit; tum quod et Codicis MS. aetas, et loqnendi de Bernardo modus, illi aetati optime conveniant. *Haec V. C. Henricus Warthonus.*

Gregorio VII. in Martyrologio Romano locus datus est sub 25. Maji Gregorio XIII. A. 1584. Nuper autem A. 1728. a Benedicto XIII. inseri jussa Breviario Romano et per omnem Ecclesiam recitanda *Legenda* a) *in festo Gregorii VII. Papae et Confessoris,* in qua haec inter alia leguntur: *Contra Henrici imperatoris* b) *impios conatus fortis per omnia athleta impavidus permansit, seque pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum, in profundum malorum prolapsum, fidelium communione regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.* Neque probatam in Germania, atque statim interdictam constat in Gallia An. 1729 a) atque in Belgio b) An. 1730.

* Mirari subit cur heterodoxi adeo exultent de testimonio ex libro Commentariorum in Matthaeum desumpto adversus nostrum de Eucharistia dogma; nihil enim ex eo infertur quod fidem nostram labefactet. Nam author hic est ignotus, nec de sinceritate fidei suae certum praebere argumentum potest, quoadusque sive hoc eius opusculum non prodeat in publicum, sive vetusti alicuius authoris testimonio de probitate eius non constet. Quid si Berengarianus aliquis fuerit? Quid si in opinionibus suis singularis et audacior? Verum et his omissis ambigendi rationibus; vel illa pariter quae ex hoc ipso commentario hic a Fabricio proferuntur ortodoxiam scriptoris non ambigue demostrant. Agnoscit enim *panem et vinum transire in substantiam corporis Christi;* idque fatetur a cunctis sanctis et fidelibus credi. Non negat accidentia (quae vocat) permanere in Eucharistia; agnoscit enim *formam panis et vini remanere*; quare conversionem hanc formalem dici nequaquam posse convincit. **Sed nunquid conversio est substantialis? Id non constat, ait; nam alii substantialem** esse contendunt quod *haec fiat illa*, idest substantia panis ita transeat in corpus Christi, ut per Conversionem eucharisticam panis, corpus efficiat; aliis vero haec ratio explicandi conversionem non probatur, maluntque ex accidentium panis perseverantia post consecrationem rem totam explicare adeo ut accidentia maneant, nec ipsa tamen efficiant Christum. Denique concludit Hildebrandus. *Profitemur substantiam corporis, et sanguinis Christi converti: modum vero conversionis ignorare non erubescimus fateri*: Ex his verbis plane discimus panis, quam vocant substantiam

a) Ad exemplar Romanum expressa integra exstat in Bibliotheca Italica quæ prodiit Gallice tom. VI. pag. 205. Petersburgische vochentliche Anmerckungen An. 1729. pag. 409-437.

b) Solas Gregorii VII. de Actis cum Henrico IV. Imp. bullas ex omnibus decretis illius et constitutionibus exhibet Laurentius Cherubinus tom. 1. bullarii pag. 32. seg. quas jactat quoque Baronius ad An. 1076. et 1080.

a) Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologischen Sachen An. 1730. pag. 529, Biblioth. Françoise tom. XIII. pag. 298. Auferlesene Theologische Biblioth. XLI. tom. 4. pag. 482. 485.

b) Fortgesetzte Sammlung An. 1731. pag. 411. 421. Auserlesene Theologische Bibl. LII. tom. 5. p. 305.

non perseverare in Eucharistia; nam quod convertitur in aliud profecto post conversionem non superest. Tota igitur Hildebrandi ambiguitas in eo versatur *in modo conversionis*, de conversione tamen nihil dubitat.

Quamquam vero Gregorii VII. officium novum in nonnullis catholici orbis partibus non admittitur, nec de causa eius repulsae modo inquirere juvat, nihil tamen id officere probitati et sanctimoniae Gregorii VII compertum est. In iis enim locis, in quibus eius officium minime probatur, admittitur tamen Romanum Martyrologium, in quo Gregorii nomen in albo Sanctorum adscribitur.

Praeter haec quae de Gregorio dicenda succurrebant, superest aliud addere a Fabricio omissum; est autem epistola quaedam ante plura saecula sub Hildebrandi nomine evulgata de refosso corpore S. Apollinaris Ravennatensis Episcopi, quam refossionem jussu Alexandri II Pontificis Hildebrandus tunc Cardinalis praestiterit, et literis suis patentibus orbi universo testatam reliquerit. Epistolae huius fragmentum ex historia Camaldulensium dederunt Bollandistae ad diem 23. Julii pag. 334 atque ex illa omnia sua desumpsit author vetustus anonymus inventionis sacrarum reliquiarum S. Apollinaris. Hanc tamen historiam totam sicut et Epistolam plane commentitiam esse non dubito, cum ibi memoretur Gerardus Ravennatensis Archiepiscopus, qui an. 1171 integro scilicet saeculo post Hildebrandum cathedram illam tenebat Integram hanc epistolam offendi in MS. Cod. Biblioth. Canonicor. S. Martini Lucensis eamdemque hic dare constitui.

Hildebrandus Dei gr. S. R. E. Presbyter Cardinalis A. S. L. omnibus in Christo fidelibus in Domino aeternam salutem. Cum de corpore B. Apolenaris martyris inter monachos S. Apolenaris novi, et dilectos filios nostros de classe non modica contentio diutius agitata fuisset, praefati monachi de S. Apolenare novo in sui erroris argumentum, et apud nonnullos conceptae dubitationis robur clanculo quamdam, quae jam dicta fuerat Ecclesia lapideam arcam temeritate nimia inlecti ausi sunt nocturno tempore violare. Inventas vero ibidem non paucas reliquias per falsum epitaphium nomine memorati martyris intitulabant, et eiusdem sacratissimum corpus se invenisse publice praedicabant. Nos autem ut falsae opinionis seminarium removeretur, quod latius spargebatur in populum pro indaganda sacri corporis veritate juxta mandatum Reverendiss. P. nostri Alexandri summi Pontificis ad famosissimum saepe dicti martyris templum classim devenimus: Caeterum praesentibus dilectissimis fratribus nostris venerabilibus admodum viris Theodino S. Vitalis Cardinali Presbytero, et Gerardo Ravennatensis Ecclesiae Archiepiscopo eiusdem assistentibus Episcopis suffraganeis, et immensa cleri et populi multidudo sacratissimum corpus multo labore effodi fecimus, et magna cum reverentia Universis spectandum adorandumve in altum levavimus. Sed et laminas argenteas tres invenimus sanctis membris appositas martyris historiam continentes; ita: Ortus ad Antiochiam B. Apolinaris a summo Apostolorum principe Ravennae missus est praedicare baptismum poenitentiae in remissione peccatorum, ibique per eum Dominus virtutes multas operatus est; nam caecos illuminavit, paralyticos curavit, multus loqui fecit, Daemones fugavit, mortuos suscitavit, leprosos mundavit, simulacra et idolorum templa dissolvit. Hic fustibus caesus est diutius super prunas stetit nudis pedibus; eculeo appensus denuo umbratus, super plagas aquam suscepit fervidam cum gravi pondere in exilium religatus ore saxo contunso defunctus sub Vespasiano Caesare Aug. die X. Kal. Aug. regnante Domino N. J-Christo cum Patre et Spiritu S. in saecula saeculorum, amen.

130) Voigt (J.) Histoire du Pape Gregoire VII. et de son siecle trad. de l'allemand par l'ab. Jager. Paris 1838 8. V. 2. et Italice, Milano, Bonfanti 1840, 8.)

GREGORIUS VIII. ante dictus *Mauritius Burdinus*, ex Archiepiscooo Bracarensi creatus Henrici V. auctoritate Antipapa ab A. 1118. Mart. 15. usque ad Annum 1121. April. 27. ubi captus jussu Calixti II. et carceri perpetuo traditus fuit. Vide Gelasii II. Epistolas tres, editas etiam ab Aguirrio

tom. 3. Concil. Hispan. pag. 331. seq. Concil. Remense contra hunc Gregorium habitum An. 1118. Falconis Beneventani Chronicon tom. V. Muratorii pag. 91. 92. et 97. Chronicon Casinense id. pag. 140. Vitam hujus Gregorii scriptam a Baluzio Miscel. tom. 3. pag. 471. 511. et Commentarios Regiae Academiae Ulyssiponensis A. 1725. in Catalogo Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum Episcoporum Lusitanorum pag. 5. sqq. *Epistola ad Aldebertum* Abbatem S. Petri Usercensis edidit Baluzius t. 3. Miscel. pag. 504. Aliam *ad Henricum V. Imp.* id. tom. 7. pag. 167.

GREGORIUS VIII. inter Papas numerari solitus, antea *Albertus de Mora* sive *de Spinachio* Beneventanus, Monachus Cisterciensis, Romanae Ecclesiae praefuit paucos menses Anni 1187. ab 21. Octobr. ad Decembr. 16. Ejus *Epistolae tres* in Conciliorum tomis: et ad Henricum V. Imp. *quarta* apud Baluzium tom. V. Miscel. pag. 167. Una ex tribus illis quae incipit: *Audita tremendi severitate judicii*, exstat etiam apud Laërtium Cherubiuum t. 1. bullarii p. 75.

* Non ad alium quam ad Gregorium hunc pertinere credo opusculum, cuius meminit Hugo, Gervasii Praemonstratensis abbatis, ac dein Segiensis Episcopi a secretis in epistola praemissa epistolis eiusdem Gervasii a se collectis ac vulgatis non ante multos annos Stivagii a Lud. Hugone Stivaggensi abbate pag. 1. his verbis: *summam unam a sanctae recordationis Gregorio Papa* VIII. (*sicut dicitur*) *editam de stylo Romani dictaminis.* Florebat Hugo iste circa an. 1340.

GREGORIUS IX. antea *Hugolinus Anagninus*, Comes Signinus, ex Episcopo Ostiensi Papa ab An. 1226. Mart. 9. ad Annum 1241. August. 21. Hujus auspiciis digesti sunt *V. libri Decretalium* a RAYMUNDO *de Penna Forti.* Multae ejus *Epistolae* in Waddingi Annalibus Ord. Minorum tomo primo et in Regesto Pontificum. Quaedam illius edita a Gerhardo Vossio Rom. 1586. 4. atque in Conciliorum tomis. Vide tom. XI. Biblioth. Graecae pag. 630. seq Responsio ad Germanum CPol. cum versione Graeca exstat ad calcem Operum S. Maximi, edente Combefisio, ut notavi tom. VIII. pag. 741. Gregorii IX. Epistolam ad Henricum Friderici Imp. Filium, de quibusdam haereticis Germaniae, edidit Edmundus Martene tom. 1. anecdotor. p. 950. seq. Aliam ad Theobaldum Navarrae Regem, ut revocet statuta libertati Ecclesiae contraria pag. 993. et ad Ludovicum IX. Regem Galliae, in Andreae du Chesne t. V. pag. 861. Friderici II. Imp. Epistolae duae contra Gregorium IX. inter Epistolas Petri de Vineis lib. 1. Epist. 21 et 31 et in Jac. Fried. Georgii gravaminibus nationis Germanicae pag. 121. 131. Bulla de compositione litis inter Malleacensem Abbatem et Gaufredum Leziniacensem, apud Labbeum tom. 2 Biblioth. novae MSS. pag. 245. Epistolae duae in appendice Baluzii ad Marcam Hispanicam p. 1420. Alia de canonizatione beatae Elisabeth, apud Lambecium tom. 2. pag. 880. Editionem Jacobi Pamelii, qui Gregorii IX. Opera Antwerp. 1562. edidisse cum notis traditur, non videre me memini.

GREGORIUS X. antea *Thealdus* sive *Theobaldus*, Vice-Comes Placentinus ex Archidiacono a) Leodiensi Papa ab An. 1271. Octobr. 27. ad Annum 1276. Januar. 10. Acta Electionis in tomis Concilior. Labbei tom. XI. Harduini tom. VII. et Coleti Veneta tom. XIV. *Epistola ad Henricum* Leodiensem Episc. in iisdem Concilior. tomis. Alia *ad Ducem et legiferos Sveciae*, in Actis litterariis Sueciae An. 1722. pag. 347. *Epistolarum Registrum* sive syllogen servari in Biblioth. Vaticana, testatur Ludovicus Jacobus pag. 96. et Epistolam *ad Regem Armeniorum* fuisse in Biblioth. Cardinalis Sirleti. *Indictio Concili Lugdunensis* An. 1274. Et Epistolae *ad Michael. Palaeologum* et ad filium ejus *Andronicum* exstant in Laërtii Cherubini bullario tom. 1. pag. 176. et contra eos qui defecerint ad Judaeos pag. 179. Dialogum inter Saulum et Paulum et Orationem pro concordia inter Guelfos et Gibellinos, necdum edita existimo.

GREGORIUS XI. antea *Petrus Rogerius de Bello forte* Lemovicensis, Papa ab An.

a) *Papatus munus tulit Archidiaconus unus,*
Quem Patrem Patrum fecit discordia fratrum.

1370. Decembr. 20. ad Annum 1378. Martii 27. De hoc Baluzius in Papis Avenionensibus et Franciscus Bosquetus. Ejus Constitutiones et Epistolae sex in tomis Conciliorum. Vide Biblioth. Graecam tom. XI. pag. 658. Constitutiones X. in bullario Lartii Cherubini tom. 1. pag. 283. seq.

Testamentum apud Dacherium tom. VI. spicileg. pag. 675. (editionis novae tom. 3. pag. 738. Epistolae tres tom. VI. pag. 298. et tom. IX pag. 289. (editionis novae tom. 3. pag. 737.) Plures apud Bzovium t. XIV. Waddingum tom. IV Annal. Ord. Minor. et in Regesto Pontificum: Baluzium tom. 2. Papar. Avenionens. pag. 775. 778. 792. 801. 805. 806. 810. 811.

GREGORIUS XII. antea *Angelus de Corario*, Venetus, Papa ab A. 1406. Novembr. 30. ad Annum 1415. Jul. 4. ubi per Carolum Malatestam Papatu se abdicavit in Concilio Constantiensi. Vide Herm. ab Hardt tom. IV. pag. 346 seqq. 370 seq. 474. et 899. Ipse defunctus An. 1417. 18. Octobr. id. pag. 144. Ejus Epistola ad Petrum de Luna, Antipapam, de unione, legitur in tomis Conciliorum. Alias Epistolas binas ad Imp. Sigismundum et Ludovicum Bavariae Ducem ex MS. Vindobonensi edidit laudatus Hardtius tom. 2 pag. 463. 467. quas sine causa falsi suspectas pronunciat Harduinus. Aliam ad Concilium Constantiense tom. 4. pag. 531. Plures occurrunt in Actis Conciliorum Aquilejensis et Pisani An. 1409 et apud Bzovium, Raynaldum, Waddingumque et Theodoricum de Niem. qui ERRORIUM a) subinde vocat pro Gregorio. Constitutiones tres in Cherubini bullario tom. 1. pag. 303.

GREGORIUS XIII. antea *Hugo Boncompagnus*, Bononiensis, Papa ab An. 1572. Maij 13. ad Annum 1584. April. 10. Hujus auspiciis *Jus Canonicum* a viris doctis recensitum prodiit Romae 1582 fol. ac deinde saepius, de quo dixi t. XI. Biblioth. Graecae pag. 93. De Epistolis ejus, alloquiis, decretis et Sermonibus Lud. Jacobus a S. Carolo in Biblioth. Pontificia. Constitutiones ejus centum et duae apud Laërtium Cherubinum: atque editae per Henricum Bladium, Flabiobrigae 1583. 4. Ecloga bullarum et motupropriorum. Lugd. 1582. 8. *Calendarium* Gregorianum perpetuum Rom. 1582 quod Arabice etiam redditum et a Joanne Baptista Gabio Graece. ibid. 1583. 4 defensumque et explicatum a Christophoro Clavio aliisque. Censura Bibliorum Gallicorum Renati Benedicti, Rom. 1575. 8.

GREGORIUS XIV. antea *Nicolaus Sfondratus*, Mediolanensis, Papa ab An. 1590. Decembr. 5. ad Annum 1591. Octobr. 15. de quo praeter Lud. Jacobum pag. 100. Biblioth. Pontificiae, Franciscus Arisius in Cremona literata tom. 2. p. 411. sq. Constitutiones ejus XIX. in bullario Laërtii Cherubini tom. 2. pag. 699 seq. Contra ejus brutum fulmen in Henricum IV. Franciscus Hotomannus aliique. Conclave electionis hujus Gregorii e MS. Italico editum Anglice Lond. 1730.

GREGORIUS XV. antea *Alexander Ludovisius*, Bononiensis, Papa ab An. 1621. Febr. 9 ad A. 1623. Jul. 7. de cujus Decretis Ludovicus Jacobus p. 101. Caerimoniale continens ritus electionis Romani Pontificis jussu ejus editum Rom. 1622. 4 recusum in commentariis historicis de hoc argumento selectis ab Herm. Conring. Helmst. 1651. 4. Constitutiones quinquaginta, varii argumenti, in bullario magno Laertii Cherubini t. 3. p. 372. seq. De Constitutionibus ad Collegium ab eo conditum de Propaganda Fide pertinentibus dixi in libro de propagatione Lucis Evangelicae cap. 32. Memoriale sciendorum a Clericis, prodiit Mediolani 1633 forma minore. Epistola ad Regem Persarum, a Joanne Ciampolo perscripta cum annotationibus Danielis Hegalsoni 1627. 8. Constitutiones et Decreta junctim editae Romae 1623 fol.

GREGORIUS *Ariminensis* sive de Arimino Civitate Romandiolae, Theologus subtilis, a) Ordinis S. Augustini post Thomam Argentinensem Generalis, ab An. 1337 ad 1358. quo Viennae eodem quo Thomas tumulo conditus requievit, Ejus Commentarios *in XIV Epistolas Pauli* memorat Tri-

a) Jac. Lenfant hist. du Concile de Pise pag. 280.

a) Vide Baelii Lexicon in voce *Rimini*.

themius cap. 619. Sixtus Senensis etiam *in Epistolam Jacobi*. His adde Commentarios *in quatuor libros Sententiarum*, plus simplici vice editos Parisiis, Valentiae ac Venetiis: a) Librum *de usuris* excusum Arimini 1522. alium *de intensione et remissione formarum. De moribus Venetorum. De conditionibus Florentinorum. Sermones de tempore et de Sanctis.* Vide Cornelii Curtii elogia Augustinianorum pag. 121. Philippi Elssii encomiasticum Augustinianum p. 247. seq.

* Commentarii in primum et secundum sententiarum plus vice simplici excusi sunt post primam editionem an. 1482. quam Parisiis confectam scribit P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinian. sed in eo quem vidi Cod. locus non signatur. In III. vero et IV. lucem nondum vidit. Catalogo Operum eius adde ex eodem Gandolfo *Carmina Italica, et Latina et quaestiones metaphisicales.* Quae tamen omnia in MSS. jacent.

GREGORIUS *Baeticus*, *Eliberi Episcopus usque ad extremam senectutem diversos mediocri sermone* b) *tractatus composuit, et de Fide elegantem libellum, qui hodieque superesse dicitur*. Haec de eo S. Hieronymus cap. 105 de S. E. Illum *de Fide* libellum putavit se edere Achilles Statius, cum repertum in Abbatia Pomposa agri Ferrariensis vulgavit Rom. 1575, 4. *librum de Trinitate* S. Gregorii Hispaniensis, Heliberitanae sedis Antistitis ad *Gallam Placidiam:* recusum deinde Coloniae 1577, 8. apud Maternum Cholinum, et in Bibliothecis Patrum. Sed illum librum ut tom. 2. pag. 449 jam notare me memini, FAUSTINO Presbytero potius tribuendum esse eruditi observarunt, quem Gennadius cap. 16 testatur *ad Flaccillam Reginam* libros septem sive librum in septem capita dispartitum adversus Arianos et Macedonianos scripsisse. Huic Aeliae Flaccillae primae Theodosii Magni conjugi, *Placillae* vel *Placidiae* nomen Socrates, Philostorgius, Nicephorus tribunt: *Gallam Placidiam* nummi et scriptores ignorant. Genuinum autem Gregorii Baetici librum *de Fide* viri docti statuunt eum, qui inter Georgii Nazianzeni Opera Latine legitur tom. 1. p. 727 et inter scripta tributa *S. Ambrosio* in appendice tom. 4 edit. Benedictin. pag. 346. Quanquam enim Petrus Franciscus Chifletius notis ad Vigilium pag. 55, seq. conatur illum *Vigilio* Tapsensi vindicare, tamen longe graviora argumenta sunt quibus Paschasius Quesnellus ad caput 39. Codicis Canonum Ecclesiae Romanae, quem Leonis M. operibus subjunxit, diss. XIV. §. XII. pag. 379, seq. disputat Gregorio Baetico tribuendum esse, cujus constantiam adversus Osium in Synodo Sirmiensi An. 375 et adversus Ursacium ac Valentem in Ariminensi An. 359 praedicant Eusebius Vercellensis Epistola ad hunc Gregorium a) et Marcellinus ac Faustinus in libello precum. Plura de eo Nic. Antonius lib. 2. Biblioth. veteris Hispanae cap. 2 ubi confutat fabulas quas de hoc Gregorio, pseudo Dexter et Luitprandus sive commenti sunt ipsi, sive ab aliis confictas arripuerunt et secuti sunt. Idem cap. 3 explodit *Martyrologium* Gregorio Baetico suppositum excusumque Madriti An. 1667.

a) Aub. Miræus in auctario S. E. pag. 80.

b) Κοινῷ λόγῳ. Græcus Hieronymi interpres.

b) In Hilarii fragmento XII. pag. 1350. edit. Benedictin.

GREGORIUS *Bridlingtonensis* sive *de Bridlingtona* Northumbriae, Anglus, Canonicus regularis S. Augustini, scripsit teste Bostono Buriensi, in varios S. Scripturae textus, et in Cantica Canticorum: praeterea de arte Musices libros III. Lecturasque publicas et sermones. Vide Pitseum pag. 844 ex Balei IV. 60.

GREGORIUS Britannus Ord. Praed. cujus *Sermones* funebres, nuptiales aliosque et *Orationes* An. 1516 et 1540. Venetiis editas memorat Pitseus pag. 844 ex Antonio Senensi. * Sermones funebres et nupliatis cum orationibus multo citius, quam hic memorat Bibliothecarius noster, prodierunt. Nam est mihi liber ille ex Veneta editione an. 1495. 8.

GREGORIUS *Buccatellus* ex eodem Dominicanorum Ordine scriptor *Summae de virtutibus et vitiis.* Diem obiit supremum An. 1446. Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 806.

GREGORIUS, *Caesenas*, infra *Malesardus.*

GREGORIUS *Cairguent*, infra *Wintoniensis.*

GREGORIUS ex Abbate SS. Cosmi et Damiani ad Micam auream *Cardinalis*, Episcopus Hostiensis sive Ostiensis ab Anno 1037 defunctus An. 1044. Ejus vitam cum vita Isidori Hisp. et Ildefonsi Toletani edidit Constantinus Cajetanus Rom. 1616, 4. Exorcismi formulam, per quam bruchos, locustas aliaque segetibus infesta deleri, hujus Gregorii invocato nomine persuasit sibi quorundam credulitas in Hispania, exhibet Ughellus tom. 1. Italiae sacrae p. 58.

GREGORIUS *Cardinalis*, Episcopus Sabinensis et Legatus Gregorii VII. Papae circa Annum 1078. Hic adhuc Presbyter circa Annum 1070 scripsit *Polycarpum* sive *Collectionem Canonum*, adhuc ineditam, libris pluribus, ex quibus *sextum* a) allegat Antonius Augustinus II, 15 de emendatione Gratiani p. 364, *quartum* I 14. pag. 160. Eodem usi etiam Franciscus Turrianus *Gregorium Polycarpum* laudans lib. 1. pro Canonibus Apostolorum cap 21. p. 95 et Romani correctores ad Gratianum.

GREGORIUS Monachus *Cassinensis* sub seculi duodecimi initia ultra An. 1116 atque *Tarracinensis* in Campania Romana Episcopus, scripsit teste Petro Diacono cap. 32 de viris illustribus Cassinensibus: *Passionem Sanctorum Casti et Cassii*: b) *Passionem S. Virginis Restitutae*: c) *Vitam S. Confessoris CHristi, Gerhardi*: *Homiliam de assumtione sanctissimae DEI genitricis Mariae*: *Cantus Sanctorum Casti et Cassii*: *Hymnos eorum. Versus de transitu peregrinorum ad sepulchrum Domini* d) *et captione Hierosolymitanae Urbis, rogatu Bernardi Valvensis. Historiam Jonae. Versus de dedicationibus Ecclesiarum, festivitateque Paschali. De sancto Andrea.*

a) Emendandum igitur, quod *libris quatuor* constare legas apud Oudinum tom. 2. pag. 764.

b) Vide Acta Sanctorum tom. 1. Julii 1. pag. 20. seq.

c) Acta in duos libros distincta edidit Papebrochius tomo 6. Maji 27. pag. 664 — 672.

d) Librum ejusdem argumenti ex Bibliotheca Cassinensi edidit Mabillonius tomo 1. musei Italici parte 2. pag. 131 — 236. ab Anno 1090. ad 1110. sed scriptum prosa, nec a Monacho aut Episcopo Italo, sed a Franco, sive Normanno eoque Laico, adeoque a Gregorio nostro certe diverso.

GREGORIUS Monachus *Cassinensis* et circa Annum 1120. Episcopus Sinuessanus, a) scripsit, teste eodem Petro Diacono cap. 33 *de captione Cassinensis coenobii versus mirificos, in quibus introduxit B. Benedictum ad Monachos Cassinenses loquentem.* Opuscola hujus Gregorii MSta in Bibliotheca Cassinensi asservari, Marus in notis ad Petrum Diaconum monuit.

GREGORIUS *Eliberitanus*, supra, *Baeticus.*

GREGORIUM *Emsenum* pro Nysseno Graeco scriptore finxit Trithemius cap. 79.

GREGORIUS *Faventinuus*, b) Ordinis Praedicatorum, Episcopus *Fanensis* in Piceno Italiae circa Annum 1240 scriptor variorum opusculorum, et grandis Voluminis *adversus sui temporis haereses.* Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 110, sq. cui *Florentinus* non *Faventinus* hic Gregorius appellatur.

GREGORIUS *de Heimburg*, Germanus, Syndicus Norimbergensis, scientia Juris facundiaque et cordata libertate ac constantia clarus, adversus Paparum gravem Ecclesiae ac Principibus potestatem voce et scriptis, et in Concilio Basil. An. 1431, seq. atque post illud in Conventu Moguntino A. 1461 atque alibi acriter decertavit, anno Papae Pii II, à quo cum Principe suo Sigismundo, Duce Austriae et Tyrolis ab An. 1460 proscriptus fuerat, et a Papa ad Concilium provocaverat, liberatus fuit Dresdae c) An. 1472 concedente Sixto IV. Formula excommunicationis, obvia tum alibi tum apud Melchiorem in Gregorii hujus vita, quae inter vitas Jurisconsultorum locum secundum occupat. Scripta ejus in libro, antilogia Papae, Basileae 1555, 8. *Admontio de injustis usurpationibus Paparum, Appellatio duplex, Sigismundi Ducis*

a) A. Limessanus.

b) Ughell. tom. 1. Italiæ sacræ pag. 665.

c) Johann Gottlob, Horns Sammlung zu einer historischen Land-Bibliothec in Sachsen, IV. Stück 3. Cap.

et proprio nomine ab excommunicatione Pii II, ad Concilium generale. Hisce tribus scriptis recusis etiam Londini 1690, fol. in tomo secundo, quem Eduardus Brown adjunxit Ortuini Gratii fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum, praelis iterum subjecto expressoque ad editionem rarius obviam Coloniae 1535, fol. Hisce inquam tribus, in Volumine Francofurti 1608 4. Goldasti ut videtur edito cura, accessit *Apologia* contra *Theodorum Laelium*, Feltrensem Episcopum, et altera contra *Nicolaum Cusanum*, Cardinalem, Papalis plenitudinis defensorem. Universa haec quinque scripta repetiit iterum Goldastus in opere Monarchiae Imperii. Francofurti 1721, fol. tom. 1. pag. 557 et tom. 2. pag. 1592, 1604, 1626.

GREGORIUS *Hostiensis*, supra, *Gregorius Cardinalis.*

GREGORIUS *Huntingtonus*, Anglus, Monachus Ordinis Benedictini, et Prior in Coenobio Ramesiensi circa Annum 1255. Latinae Graecaque et Hebraicae etiam linguae peritus, unde libros Hebraicos a) post Judaeos ex Anglia expulsos diligenter pro Coenobio suo coëmisse traditur a Baleo IV 22 ex Lelando, et apud Pitseum pag. 332. Scripsit *Rudimenta* Latinae *Grammatices*, *Expositionem Donati*, *notulas in Priscianum*, *Sententias per versus* et *regulas versificandi*, tum *Artem intelligendi Graeca*, *Grammaticae* Graecae *summam* et *explanationes Graecorum nominum.* Praeterea nescio quod *Attentarium*, quod incipit: *In sanctae Crucis virtute. Imaginem Mundi*, quod incipit: *Ad instructionem multorum.* et *Epistolas curiales.*

GREGORIUS Jurisconsultus, tempore Diocletiani et Constantini ejusque liberorum, a quo nomen *Codici Gregoriano*, in quo perinde ut *Hermogenes* Constitutiones et edicta Imperatorum usque ad illam aetatem collegerat. Titulos superstites ex Codice Gregoriano et Hermogeniano collegit Petrus Gregorius Tholosanus Lugd. 1566.

GREGORIUS *Malesardus* Caesenas, Italus, Ord. Praed. in patria Episcopus Caesenatensis, scriptor *commentarii in Matthaeum.* Diem obiit An. 1409.

GREGORIUS *Noëllus*, Theologus Anglus cujus commentarium in primum librum Sententiarum laudat Pitseus pag. 844.

GREGORIUS *Ripologus*, Anglus, Carmelita scriptor *vitae Botolphi*, de quo Lelandus cap. 435.

GREGORIUS *Sinuessanus* Episcopus. Vide supra in Gregorio Casinensi.

GREGORIUS *Sisensis*, Patriarcha Armenius ab An. 1293. ad 1305. alienior est ab hoc loco, quia Armenice non Latine scripsit: quanquam ad eum exstat Bonifacii VIII. Papae Epistola IV. 271. et Epistola Gregorii ad Haytonem, patrem Leonis, Regis Armeniae, Coenobitam, Armenice et Latine vulgata est a Clemente Galano in Historia Armena Rom. 1661. fol. capite XXVII et Latine in eadem Historia omissis Armenicis vulgata Colon. 1686. 8. p. 404. 422. In hac Epistola Romanae se Ecclesiae testatur favere, et ad eandem alios gentis suae libenter velle adducere: Laudat etiam locum Joannis ex 1. Epist. V. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus S. et hi tres unum sunt*: quae verba laudantur etiam in Actis Synodi Sisensis An 1306. pag. 461. et Adanensis An. 1307. pag. 478. atque exstant in versione Armenica typis exscripta: quanquam in veteri Novi Test. versione Syriaca, ex qua Armenicam scribunt translatam esse, a) locus ille desideratur: et Sandius b) An. 1670. scripsit se vidisse apud Episcopum Ecclesiae Armenicae Codicem Novi Testamenti scriptum ante annos quadringentos, hoc est ante hunc Gregorium, qui verba illa similiter non legit. Vide eruditi viri Joan. Alberti Bengelii elaboratissimam ad hunc Joannis locum dissertationem in notis ad Novum Testamentum Graecum accurato studio editum Tubing. hoc ipso anno 1734. pag. 760.

* De scriptore hoc nihil modo succurrit addendum. Cum tamen Fabricius hic

a) Simile infra in *Gregorio Venantodunensi.*

a) Vide Richard. Simon II. 17. hist. Crit. Novi Test. pag. 205.

b) Interpretatt. paradox. pag. 576.

aliqua subdat, quibus in dubium revocare visus est sinceritatem illius penitentiae: *Tres sunt qui testimonum dant* etc. provocandus a me est lector ad dissertat. P. Calmet tomo VIII. Comment. p. 679 edit. Lucens. in qua sententiae eiusdem sinceritas egregie vindicatur.

GREGORIUS *Sondenreiter*, Germanus, vitam Constantini Magni Imperatoris ab Eusebio proditam reddidit Latine, carmine heroico. Ea MSta in Biblioth. Caesarea Viennensi, ut ex Possevino Vossius annotavit.

GREGORIUS Episcopus *Tarracinensis*. Vide supra, in *Cassinensi*.

GREGORIUS *Tiphernas* Italus, Praeceptor civis sui Laelii Ægidii Tiphernatis a) Georgiique Merulae et Baptistae Mantuani, Latine vertit libros septem posteriores, sive Asiam et Africam *Strabonis*; ut priores libros decem sive Europam Guarinus Veronensis. Prodiit ex recensione Jac. Antonii Marcelli Rom. 1470. fol. ac deinde saepius ut lib. IV. cap. 1. Bibl. Graeca dicere me memini. Ex. *Poëmatibus* ejus pauca quaedam leguntur in Gruteri deliciis poëtarum Italorum tom. 2, pag. 1171. 1175. De eo Lilius Gyraldus lib. 1. de poëtis sui temporis pag. 27. *Tifernas, etsi Medicinae operam impendit, politioribus tamen studiis magis est cognitus, quippe qui Latine et Graece bene doctus, Asiam et Africam* Strabonis, *Latine vertit. Exstant ejus pleraque* poëmata, *quae est operae pretium aliquando evolvere, sunt inter ea pleraque Christiano more perscripta: vena illi facilis ubique, sed non plane perspicua.*

* In Cod. 491 Latino Bibliothecae S. Marci Venetiarum huius Gregorii latina interpretatio quatuor orationum de Regno ex Graeco Dionis Crysostomi legitur, quam author Nicolao V. Pontifici direxit.

GREGORIUS, *Toletanus* Episcopus, confictus ex *Baetico*, de quo supra. Vide Nicolaum Antonium tom. 1. Biblioth. veteris Hispanae pag. 110. seq.

a) Philonis scripta ab eo Latine versa et Sixto IV. atque Innocentio VIII. dicata servat Bibliotheca Vaticana, ut Gesnero jam notatum.

GREGORIUS *Trapezuntius* appellatur a quibusdam, qui rectius GEORGIUS. De eo supra pag. 35.

Georgius Florentius GREGORIUS, S. Gregorii, Episcopi Lingonensis, abnepos, charus Gregorio Magno Papae, Archiepiscopus ab An. 573. ad 596. a) *Turonensis*, inter Historicos Francicos veteres praecipuus, cujus vita ab ODONE Cluniacensi collecta ex ejus scriptis, emendatior in Ruinarti editione, et vita descripta per Clericos Turonenses apud Surium 17. Novembr. Genealogica tabula apud Carolum le Cointe tom. 2. Annalium Francorum pag. 150. quem vide etiam pag. 426. seq. Venantii Fortunati versus in ejus laudem tom. XIV. Bibliothecae Patrum Lugdunensis pag. 222. Martyrolog. Romanum 17. Novembr.

Epitome de rebus gesti Francorum parvo libello ante Historiarum libros novem diffusius digestos breviata a Gregorio fuit, si credimus Sigeberto cap. 49. de S. E. Sed quae hodie exstat Epitome a libro secundo usque ad sextum, sive ad necem Chilperici, in Ruinarti Gregorio pag. 547. FREDEGARIO Scholastico a viris doctis tribuitur, sicut *Chronicon* quoque ab Anno 583. ad 642. apud eundem Ruinartum p. 586. cum continuatione aliorum quadruplici, usque ad An. 768. pag. 663. 667. 678. 687. quanquam a Gregorio scriptum *Chronicon Ecclesiasticae Historiae*, (h. e. libros X. Hist.) idem Sigebertus tradidit, et Trithemius c. 220. de S. E. et Il. 10. illustr. Benedictin. Vide, si placet, quae supra tom. 2, pag. 591. seq. et quae in THOROMACHO dicentur: et Jacobum Longum Biblioth. Hist. Gall. num. 6930 seq.

Operum Gregorii, quae exstant, meliorem editionem debemus *Theodorico Ruinarto*, decem MStis Codicibus uso, (vide praefat. §. 122. seq.) quae in lucem data est Parisiis 1699. fol. b) longe praeferenda prioribus, quae vel in Bibliothecis Patrum,

a) Non A. 586. ut Johannes Maan, quem refellit Carolus le Cointe tom. 4. p. 9. seq.

b) Journal des Savans An. 1699. pag. 406. Acta Eruditorum A. 1770. pag. 437. atque Oudin. tom. 1. pag. 1456. sq. Jacobus le Long in Bibliotheca Historicorum Galliæ num. 6588. pag. 316. seq.

Parisiensi 1589. tom. VII. Coloniensi tom. VI. et tom. undecimo Lugdunensis prodiere, vel quae separatim lucem viderunt. *Francisci* vero *de Camps* animadversiones Criticae in notas et praefationem uberiorem atque eruditam Ruinarti, quarum meminit Jacobus Longus in Bibliotheca Historicorum Galliae num. 6593. nec dum typis exscriptae sunt.

Ipse in extremo ultimi historiarum libri Gregorius *decem*, inquit, ***libros historiarum septem miraculorum, unum de Vitis Patrum*** *scripsi* : ***in Psalterii tractatum librum unum*** *commentatus sum* : *de cursibus etiam Ecclesiasticis unum librum condidi.* In Libri de gloria confessorum exordio, qui miraculorum debebat esse octavus, priorum septem librorum ordinem et argumentum diserte his exponit verbis : ***In*** primo ***libello inseruimus aliqua de miraculis Domini ac sanctorum Apostolorum, reliquorumque Martyrum In*** secundo *posuimus de virtutibus S. Juliani Martyris.* Quatuor *vero libellos de virtutibus S Martini.* Septimum *de quorundam Religiosorum vita.* Octavum *hunc scribimus de miraculis Confessorum.* Memorabilis etiam est quam in fine libri X. hist. post scriptorum suorum titulos appositos, addit, obtestatio. a) ***Quos libros licet stilo rusticiore conscripserim***, ***tamen conjuro omnes sacerdotes Domini, qui post me humilem, Ecclesiam Turonicam sunt recturi, per adventum Domini nostri JEsu CHristi, ac terribilem reis omnibus Judicii diem, si nunquam confusi de ipso judicio discedentes cum Diabolo condemnandi estis, ut nunquam libros hos abolere faciatis, aut rescribi, quasi quaedam praetermittentes: sed ita omnia vobiscum integra illibataque permaneant, sicut a nobis relicta sunt.*** Liber *de cursibus Ecclesiasticis* hodie desideratur Sicut etiam *praefatio libri, liberque quem de Missis a Sidonio Apollinari* compositis scribit se conjunxisse lib. 2. hist. cap. 22. pag. 73. Quod vero Walafridus Strabus de rebus Ecclesiasticis cap. 25. scribit Psalmos secundum emendationem, quam Hieronymus pater de LXX. editione composuit, a Gregorio Turonensi Episcopo e partibus Romanis mutuatam in Galliarum Ecclesias translatos fuisse, illud potius post Gregorii demum tempora factum disputat Mabillonius disquisitione de cursu Gallicano pag. 396. Vitae Sanctorum autem *Illidii*, *Quintiani*, *Abrahae*, *Nicetii*, a) *Friardi*, *Caluppae*, *Senoch*, *Patrocli* et Sanctae *Monegundis* quas passim a se scriptas Gregorius significat, non sunt deperditis ejus lucubrationibus accensendae, sicut nec *Medardi* Noviomensis quidem, quam solam exstare non meminerat Miraeus pag. 31 auctarii de E. S. nam hujus quoque capite 95 sicut caeterorum omnium elogium in libro de gloria Confessorum Martyrumve vel Patrum legitur, idemque respicit, Gregorium historicum laudans auctor vitae S. Medardi in Actis Sanctor. tom. 2. Junii 8. pag. 85. Libellum *de passione Domini* b) Gregorio tribuendi ansam dedere haec ejus verba lib. 1. Historiae cap. 23. *Pilatus Gesta ad Tiberium Caesarem mittit, et ei tam de virtutibus CHristi, quam de passione vel resurrectione ejus insinuat. Quae gesta apud nos hodie retinentur scripta.*

Quae igitur in Ruinarti leguntur editione, haec sunt :

1. ***Historiae Ecclesiasticae*** c) ***Francorum*** ab antiquissimis temporibus usque ad Annum CHristi 892. d) *libri decem* pag. 1.

a) Similium adjurationum exempla multa attuli lib. V. Bibl. Graec. 1. pag. 78. seg. quibus alio fortasse tempore et alia licebit adjungere, praeter illa etiam, quae larga atque erudita manu dedere singularibus dissertationibus viri Clarissimi Michaël Lilienthal, Joan. Balthasar Bernholdus; Georg. Guilelm. Kirchmaierus et Gottlob Henricus Pippingius. Non tamen potuisse Gregorium immunem esse ab injuria manuum, a quibus sibi volebat cavere, interpolatricium truncatriciumque docet Ruinartus praefat. n. LXXXIX. et Barthol. Germon de veteribus haereticis Ecclesiasticorum Codicum corruptoribus, Paris. 1713. 8. pag. 6.

a) Apud Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae pag. 740. pro *S. Nicolai* vita, legendum *Nicetii.*

b) Vide Ruinarti praef. § 76. ec. quae de *Gestis Pilati* notavi in Codice Apocrypho Novi Testament.

c) In prologo Gregorius profitetur se scripturum *bella Regum cum Gentibus adversis, Martyrum cum paganis, Ecclesiarum cum hareticis.*

c) Gregorius computat Annum Mundi 5814. ec a resurrectione Christi 589. Vide Ruinarti editionem pag. 1386.

subjunctis Epitome pag. 547. Chronicoque FREDEGARII pag. 586 nec non fragmentis selectis ad Francorum Historiam spectantibus pag. 706. quae idem Fredegarius ex Eusebii Chronico, Hieronymo interprete, et ex Idatio excerpsit. Hos Gregorii libros, e quibus referens aliqua Aimoinus a) lib. 1 cap. 18. *Chronicam* Gregorii appellat, primus edidit Guilelmus Parvus, qui Ludovici XII. Regis a confessionibus erat cum ADONIS Chronico, Parisiis 1512 et 1521. fol. typis Badii, apud Johannem Parvum. Deinde collato Codice S. Martini Turonensis emendatos *Guilelmus Morellius* Paris. 1561 8. et ex Codice S. Nazarii in Lorichen, *Matthias Flacius*. Basileae 1568 8. Hinc *Laurentius de la Barre* in Historia Christiana pag. 232. Parisiis 1583. fol. Laurentius Bochellus cum variis Lectionibus, Parisiis 1610 8, atque ut editiones in Bibliothecis Patrum, quarum jam supra memini, praeteream, *Freherus* in scriptoribus de rebus Francicis, Francofurti 1613 fol. collato Codice Palatino: et *Andreas du Chesne*, quinque usus Codicibus tom. 1 scriptorum Francorum, Parisiis 1636. *Gallicae* versiones duae, una *Claudii Bonneti*, Parisiis 1610 8 curante Homereo Amboisio: altera *Michaelis de Marolles*, omnia Gregoriana interpretati, qui notas etiam addidit. Parisiis 1668 8. duobus Voluminibus. *Antonii Dadini Alteserrae* observationes in Gregorium Turonensem et Fredegarium prodiere Tolosae 1679 8. Voces Latinobarbaras excerpsit illustravitque *Ludovicus de la Cerda* Adversar. sacr. capite CLXV, pag. 426 seq. Praestantissimorum vero commentariorum instar esse possunt *Hadrianus Valesius* in historia Francorum, et *Carolus le Cointe* in Francorum Annalibus, qui cum conjecturis quibusdam et argumentibus ducti, Valesius in prolegomenis ad Annales, Cointius pluribus locis, tomi praesertim secundi ad Annum 595 num. 42 seq. et tom. 1, pag. 45 seq. varia capita historiae Gregorianae interpolata atque supposita esse disputassent, ad eorum argumenta respondet Ruinartus in prolegomenis §. 86 seq. Neque interpolationes, quas vocat, omnes adspernandas esse confessus fuerat Cointius tom. 2, pag. 151. In Bibliotheca Jesuitica memoratur Gregorius Turonensis amplissimis notis illustratus ab *Ægidio Bucherio*. Sed illae MStae in Bibliotheca Jesuitarum Tornacensi necdum editae sunt, quod sciam: sicut nec historiae Gregorianae editio quam *Carolus le Cointe* parare se est testatus. *Vita* Regis Burgundiae *Guntranmi* in Actis Sanctorum 28 Martii tom. 3, p. 721. 731. repetita ex variis Historiae Gregorii locis. Sic *Vita S. Sigismundi*, Burgundiorum Ducis, 1. Maji tom. 1, p. 85. *S. Hospitii* reclusi, 21 Maji tom. 5, p. 41, *S. Praetestati* tom. 3. Februar. 24. pag. 465 et *de S. Injurioso* tom. 6. Maji 25. pag. 38.

2. *Libri miraculorum* pag. 713. Primus *in gloria beatorum Martyrum. Capita CVII.* Secundus *de passione et virtutibus S. Juliani Martyris* pag. 843. Octavus Liber *de gloria beatorum Confessorum* pag. 886. Capita CXII. a) Hosce tres cum V. libris et veteri scriptore b) vitae Gregorii, quae incipit: *omnium quidem Sanctorum, jure memoria veneratur*, ad Codices MStos recensuit, et Dominico Seguerio, Meldensi Episcopo, dicavit Johannes Balesdens, in Senatu Parisiensi et in Regia advocatus, Parisii 1640 12. praefixo titulo: *Divi Georgii Florentis Gregorii, Episcopi Turonici, Operum piorum pars I. et II.* Prodierant etiam Parisiis 1511. Coloniae 1582 8. et Parisiis 1563 8. apud Guilelmum Morellium. Tertius liber cum primis historiae Gregorii editionibus lucem viderat Parisiis 1512 1521 fol. saepe deinde recusus. Ex cap. 77. seq. de gloria Martyrum petita *Vita S. Simplicii* in Actis Sanctorum t. 4. Junii 24, pag. 812. *Vita S. Monegandae*

a) Vide Vossium pag. 254.

a) Desunt capita 107. 108. 109. de Tetrico ec Orientio Episcopis ec de Quiteria virgine. De Orientio illio Auscıorum in Novempopulania Episcopo, Acta Sanctorum 1. Maji tom. 1. pag. 60. Clausulam vero ex MSto Dionysiano, de Pipini, cujus temporibus Codex descriptus est, in Regem Francorum consecratione, quam Ruinartus exhibet pag. 991. dederat Mabillonius Historiæ Diplomaticæ pag. 584.

b) Illum ex veterum Codicum fide jam constat esse ODONEM, Abbatem nimirum Cluniacensem.

apud Surium 2 Judii et in Actis Sanctorum t. 1. Jul. pag. 316 ex libro de gloria Confessorum cap. 24 et de *S. Injurioso* ex capite 32 tom. 6 Maji 25 pag. 38.

3. *De virtutibus et miraculis S. Martini*, Episcopi Turonensis, *libri IV.* pag. 993 ordine tertius, quartus, quintus et sextus. Prodierant Coloniae 1582 8. Fallitur autem Gregorius, cum in libro de gloria Confessorum cap. 110. p 989. tradit Paulinum Nolanum de B. Martino sex versu conscripsisse libros, et alios versiculos in laudem ejus composuisse. Vide infra PAULINUS *Petricordiensis*. Hos Gregorii libros primus cum Sulpicii Severii libris duobus de vita S. Martini ediderat Jodocus Clichtoveus Paris. 1541. 4.

4. *Prosa de S. Martino*, incertum an Gregorii, p. 1150. Incipit: *Sacerdotem CHristi Martinum.*

5 *Liber de vitis Patrum*, sive *quorundam Religiosorum Galliae*, Capita XX pag. 1142 liber septimus ordine. Hic cum primis editionibus Historiae prodierat Parisiis 1512. et 1621 fol. atque deinde saepius. Prologum *vitae S. Ursi Confessoris*, quae capite XVIII. pag. 1240 seq. legitur, ediderat Labbeus tom. 1. Bibliothecae novae MSS. pag. 696. Ex hujus libri capite XIV. desumta *vita S. Martii*, Abbatis apud Arvernos, in Actis Sanctorum 13 April. tom. 2 p. 132 Sicut ex capite XX. *vita S. Leobardi*, 18 Januarii tom. 2. pag. 198. *Vita S. Abrahami* Abbatis ex capite III. t. 2. Jun. 15. pag. 1058. *S. Caluppani* ex capite XI. tom. 1. Martii 3. p. 262. *Vita Nicetii* Lugdunensis, ex capite VIII. in Actis Sanctorum tom. 1 April. 2 pag. 69. *Vita Gregorii*, Episcopi Lingonensis, ex capite VII. Acta Sanctorum 4. Jan. tom. 1. pag. 168. *Vita Nicetii* Trevirensis apud Surium ad Octobr. 1. ex capite XVII. *Galli Episcopi* ex capite VI. apud Surium 1. Jul. Acta Sanctorum tom. 1 Jul. pag. 105. et Acta SS. Benedict. tom. 1. pag. 16. *S. Illidii* ex capite II tom. 1 Junii 5 pag. 425. *Vita Monegundis* sive *Monegundae* ex capite XIX. Acta Sanctorum tom. 1. Julii 2. p. 313. et apud Surium.

6. Ex Commentario Gregorii *in Psalmos* deperdito fragmenta tria pag. 1257. Duo ex Mabillonii Analect. tom. 1 pag. 7 (editionis novae p. 62.) De Commentario in Psalmos, qui in Vaticana Bibliotheca Gregorii Turonensis nomen praefert, sed longe junioris (post Haymonem et Remigium, quos citat) est scriptoris, vide Ruinarti Praefationem §. 72.

Sequuntur apud Ruinartum scripta Gregorio Tur. attributa in Codd. MSS. *Praefatio et argumenta* capitula XXXVIII. a) et tria postrema capita *libri miraculorum B. Andreae Apostoli.* Incipit: *Inclyta sanctorum Apostolorum trophaea.* pag. 1261. ex MS. Bliblioth. S. Germani a Pratis.

Passio S Juliani Martyris Brivatensis pag. 1265 brevior et diversa ab ea quae fuit supra pag. 843.

Historia septem Dormientium, Ephesi quiescentium, cum praemissa ad *B. Sulpicium*, Bituricensem Archiepiscopum *Epistola* pag. 1270. Confer Gregorium de gloria Martyrum cap. 95. pag. 826, seq. ubi post rem breviter narratam subjungit: *quod Passio eorum quam Syro quodam interpretante in Latinum transtulimus, plenius pandit.* Laudat hunc Gregorii librum Albericus in Chron. ad Annum 349 aliique. Vide Ruinarti praef. §. 79. Editus a Jodoco Clichtoveo Parisiis An. 1511, 4. cum libris de gloria Martyrum et de S. Martini. Inde Paris. 1640 ut notat Labbeus t. 1. de S. E. pag. 399.

Prologus ad Vitam B. Maurilii, Episcopi et Confessoris: ad *Germanum*, Archiep. Parisiensem pag. 1182 ex Codice in quo etiam *Vita B. Albini* Gregorio tribuitur, quam alii rectius ad Fortunatum referunt.

Brevis *Antiphona de Sanctis, Medardo et Gilardo, Episcopis et fratribus* ex Surio ad 8. Junii: Vita vero Medardi sicut Albini et Maurilii Andegavensium Episcoporum, FORTUNATUM auctorem habet, non Gregorium, itaque a Ruinarto omissae sunt, cujus vide Praefat §. 75 et 80.

Vita S. Aridii Abbatis pag. 1283 cum ejusdem *Aridii testamento* pag. 1308-1315

a) Librum ipsum, non diversum esse a libro tertio pseudo Abdiae, in quo de S. Andrea Apostolo traditur, notat Ruinartus praef. §. 77.

ex Mabillonio tom. 4. Analect. pag. 352. (editionis. novae.)

Denique Volumen claudit appendix veterum monumentorum, in qua exstant haec illustrandis historiae Gregorii locis : Carmen S. DAMASI de SS. Chrysantho et Daria pag. 1316.

Inscriptio in absida *S. Pancratii* p. 1317 ex Mabillonii Analect. tom. 4.

Testamentum et Epitaphium *Perpetui*, Turonensis Episcopi, pag. 1317 1320. ex Dacherii tom. V.

Epistola *Theodorici*, Regis Italiae ad *Chlodoveum* pag. 1321 ex Cassiodori II 41. Variar.

Excerpta ex Epistola S. AVITI de baptismo *Chlodovei* Regis p. 1322 ex Sirmondi Concil. Galliae tom. 1. pag. 153.

Ex collatione Episcoporum coram Rege *Gundebaldo* pag. 1322 ex Dacherii tom. 5.

Epistolae duae S. REMIGII ad *Chlodoveum* Regem pag. 1326. CHLODOVEI ad Episcopos, pag. 1327.

CHLODOVEI Magni diploma de conditione Coenobii Mitiacensis apud Aurelianos pag. 1328 ex Dacherii tom. 5.

LEONIS Senonensis Episcopi ad *Childebertum* Regem, de non ordinando Meleduni Episcopo pag. 1328.

CHILDEBERTI Regis constitutio p. 1329 et Formulae antiquae pag. 1330 ex Mabillonii tom. 4. Analect.

De *LEGIBUS* Francorum locus insignis pag. 1334 ex Baluzii Capitular. qui cum brevis sit, etiam hoc legi loco non erit Lectori ingratum. THEODORICUS *Rex Francorum, cum esset Catalaunus, elegit Viros sapientes qui regno suo legibus antiquis eruditi erant. Ipso autem dictante jussit scribi LEGEM FRANCORUM et BAJUVARIORUM, unicuique genti, quae in potestate erat, secundum consuetudinem suam. Addidit quae addenda erant, et improvisa et incomposita resecavit: et quae erant secundum consuetudinem paganorum, mutavit secundum Legem Christianorum. Et quicquid Theodoricus Rex propter vetustissimam paganorum consuetudinem, emendare non potuit, post haec CHILDEBERTUS Rex inchoavit, sed CHLOTHARIUS Rex perfecit. Haec omnia DAGOBERTUS Rex gloriosissimus per viros illustres CLAUDIUM, CHAUDUM, INDOMAGNUM et et AGILULFUM renovavit, et omnia vetera Legum in melius transtulit, et unicuique Genti scripta tradidit, quae usque hodie perseverant. Hoc decretum est apud Regem et Principes ejus, et apud cunctum populum Christianum, qui infra regnum Merwungorum consistunt.*

Epistola Synodi *Aruernensis* ad Regem *Thodebertum* pag. 1334.

Ex Epistola AURELIANI, Episcopi Arelatensis ad eundem Regem pag. 1335 ex Frehero et Duchesnio.

Epistola THEODEBERTI et alia THEODEBALDI Regis ad *Justinianum* Imp. pag. 1336.

MAPINII, Episcopi Remensis ad *Nicetium* Trevirensem pag. 1337 et NICETII ad *Chlodosvindam* Reginam, pag. 1338.

PAPPOLI Episcopi *Carnotensis* suggestio ad Synodum Paris. de Episcopatu *Dunensi* pag. 1340. et litterae Synodicae · PHILIPPI Viennensis episcopi ad Episcopum *Eligium* pag. 1341. et SAPAUDI Episcopi ad *Sigisbertum* Regem pag. 1342.

Auctoritas de Episcopatu *Mauriennensi* sive Morinensi pag. 1342.

Epistola S. GERMANI, Episcopi Paris. ad *Brunichildem* Reginam pag. 1343.

Epistolae CHILDERTI Regis ad *Mauritium* Imp. ad Regem *Athanagildum* et ad Patriarcham Laurentium : BRUNECHILDIS ad *Athanagildum*. ROMANI, et TIBERII Imp. Epistolae ad *Childebertum* p. 1346 seq.

Ex appendice ad Chronicon MARII Aventicensis de morte *Brunechildis*, p. 1351.

SIGIBERTI III. Regis Epistola ad Desiderium, Episcopum Cadurcensem pag. 1352.

ERCHAMBERTI Breviarium Regum Francorum et Majorum domus pag. 1352.

Instrumenta de electionibus Episcoporum apud Francos, pag. 1354.

Specimen liturgiae Gallicanae ex antiquis monumentis a Mabillonio editis excerpta pag. 1357. 1367.

Locus ex Concilio Caesarugustano An. 592 de reliquiis suspectis igne probandis pag. 1367.

Qua proprie lingua prisci Reges Francorum usi, pag. 1367 ex Frehero.

Ex Canone XVII. Concili III. Turonensis: *Visum est unanimitati nostrae, ut quilibet Episcopus habeat homilias. Et ut easdem quoque aperte transferre studeat in rusticam Romanam linguam, aut Theotiscam, quo facilius cuncti possint intelligere quae dicuntur*, pag. 1369.

Theod. Ruinarti diatriba de Regali Abbatia *S. Germani* a Pratis, prope Parisios. pag. 1369. 1383.

Regum Francorum diplomata, pro Regali basilica, et pro mercatu *S Dionysii* pag. 1383. 1385.

De Catalogo Episcoporum Turonensium in capite ultimo historiae Gregorii, observatio ex veteri Codice Pithoeano pag. 1386.

Addenda in notis Ruinarti atque emendanda p. 1387. 1404 accuratique indices.

GREGORIUS *Teutonicus*, *Viennensis*, Ord. Praed. clarus seculo XIV, scriptor *libri de ecclipsibus Solis et Lunae.*

GREGORIUS *Venantodunensis.* Vide mox in *Wintoniensi.*

GREGORIUS Cairguent seu *de Wintonia* Anglus, Monachus Glocestriensis Ord. Bened. scripsit Annales sui Coenobii ab An. 618 ad 1291. vide Vossium pag. 495 ex Balei IV, 59 et Pitsei pag. 375, seq. Videndum, idem ne sit GREGORIUS qui Lelando cap. 323. *Venantodunensis*, ubi ait eum tempore Eduardi I. in Anglia vixisse, diligentissimamque operam posuisse in litteris Hebraicis, cupideque emisse libros Hebraicos cum Judaei quos Guilelmus Conquaestor in Angliam venire permiserat, multati post annos trecentos exilio, res suas relinquere, hastaeque publicae subjiciendas permittere coacti fuissent. Vide supra in *Gregorio Huntingtonio.*

GREGORIUS *Wittehenne.* Vide HUXARIENSE Chronicon.

Dominicus GRENERIUS, supra DOMINICUS *Tolosanus*, tom. 2. pag. 470.

Guilelmus GRENÆUS sive *Viretus*, Theologus Anglus, Cantabrigiensis, Carmelita circa Annum CHristi 1470. Hujus *Hagiologium Carmelitarum*, sive de Sanctis Ordinis ejus, liber memoratur a Baleo XI, 65 atque inde a Pitseo pag. 662. Alegrio pag. 375. Vossio, aliisque.

Theodorici GRESMUND de septem artibus liberalibus liber, Orationes quoque et Epistolae editae Moguntiae 1494.

Philippus de GREVE, sive de GREVIA, Cancellarius ab An. 1228 ad 1237. Parisiensis, Dominicanis et fratribus mendicantibus infestus, idem, cum M. Arnoldo (postea Aurelianensi Episcopo) assertor pluralitatis beneficiorum. Vide Bulaeum in t. tertio histor. Academiae Parisiensis, et Oudinum tom. 3. pag. 120, seq. Praeter *ejus Sermones* 330 *in Psalmos Davidis*, qui lucem viderunt Parisiis 1523 et Brixiae 1600, 8. duobus Voluminibus, plura illius in Bibliothecis Galliae Belgiique servantur MSta. *Commentarii in Jobum*, in Bibliotheca Cathedrali Cameracensi, de quibus videndum tamen, sintne PHILIPPI, antiquioris Presbyteri, qui S. Hieronymi auditor fuit, et cujus libri III, in Jobum plus simplici vice prodiere inter Hieronymi et Bedae opera. *Expositio in threnos Jeremiae*, memorata Sandero in Bibliotheca Belgica MS. pag. 362. *Commentarii in Evangelia. Sermones de Dominicis et Festis.*

Johannes GREUSSERUS, a) Rotenburgo-Tuberinus, cujus *Passionale* lucem vidit Noribergae 1495.

GRIFFINUS Cambrius, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1500 cujus Quaestiones disputatas et Commentarios in Magistrum Sententiarum memorat Pitseus p. 845.

Matthaeus de GRIFFONIBUS composuit *Memoriale historicum rerum Bononiensium* ab An. 1109 ad 1428. quod tom. XX, scriptorum Italiae vulgavit celeberrimus Muratorius.

Edmundus GRIME, sive GRYME, scriptor *Vitae* Domini ac Magistri sui, cujus crucifer fuerat, *Thomae Becket*, Archiepiscopi Cantuariensis, interfecti An. 1170 vide Lelandum cap. 192. MSta in variis Angliae Bibliothecis, ut notavit Oudinus tom. 2. pag. 1515. Fortasse pro Edmundo *Eduardum* dixit Surius, cum Vitam Thomae prolixius ab eo traditam professus est

a) Beughemio hic *Johannes* GREIFFER.

se in compendium mittere lectoribusque offerre ad 29. Decembr.

GRIMALAICUS Presbyter Sec. IX. cujus *Regula Solitariorum* edita a Luca Dacherio Parisiis 1653. 12. atque inde a Luca Holstenio in Codice Regularum parte 2 p. 278 Romae 1661 Paris. 1663. 4.

Cosmae GRIMIER glossa in pragmaticam decretaque Basileensia et Bituricensia. Lugduni 1488 4.

GRIMOALDUS, Longobardorum Rex, An. sexto Regni sui, edicto A. C. 505. publicato *Leges* ROTHARIS Regis decessoris sui *per suggestionem Judicum*, *omniumque consensu* addidisse se profitetur. Extant apud Johannem Heroldum in antiquarum Legum sylloge pag. 205. apud Fridericum Lindenbrogium et alios. Vide infra in ROTHARE.

GRIMOALDUS, GRIMALDUS, sive GRIMOLDUS, Abbas S. Galli ab An. 841 ad 872. Benedictinus, et Ludovici Pii Imperatoris Archicapellanus. Hic GREGORII I. Papae *Sacramentorum librum*, quem interpolatum invenit, recensuit, eique ipse librum secundum ex opusculis SS. Patrum excerptum subjunxit. Uterque vulgatus est a Jacobo Pamelio, tomo posteriore Liturgicon pag. 177. 388. eique subjectus liber tertius, quem ALCUINO auctori Pamelius tribuit pag. 517. 379. Coloniae Agrippinae 1675. 4. praemisso *Antiphonario* Gregorii, pag. 54, 176 in quo similem operam a Grimoaldo positam non dubitant eruditi. Vide quae supra p. 253. 254 et Oudinum tom. 1 pag. 1536. seq. et tom. 2. pag. 154.

Ab hoc Archicappellano, cui ERMENRICUS Augiensis librum suum de Grammatica a) et RABANUS versiculos a Mabillonio tom. 4. Analect. pag. 326. (p. 419 edit. novae) editos consecravit, distinguendus.

* Est etiam eius nomen una cum Tattonis praefixum epistolae ad Monachos maioris Monasterii, ad quos regulas S. Benedicti transmittuntur. Vulgavit illam Balutius Capitul tom. 2 pag. 1382 dein P. Mabillonius ac denique Pezius in Cod. Diplom. art. 1. pag. 75. etc. Idem pariter Mabillonius in Actis Benedictinis tom. V. pag. 748 aliam evulgavit epistolam ad Monachos Rigodumenses, in qua disciplinae Monasticae capita quaedam continentur. Hanc pariter epistolam Grimoaldo, et Tattoni monachis vindicant auctores Historiae Litterariae Gallicanae tom. V. pag. 407.

a) Vide supra tom. 2. pag. 518.

GRIMALDUS, Magister Scholae S. Galli, eodem tempore quo Abbas eidem Coenobio praefuit cognominis, hoc est post An. 841. Hic Walfrido Straboni et Ermenrico, *Homerus* dictus est *novus*, propter versus pangendi facultatem. Quamobrem a Gozperto, Monacho S. Galli rogatus *Vitam S. Galli* libris duobus scripsit carmine elegiaco, cujus initium:

Promissi memor ecce mei, Gozberte, quod olim
Devovi, ad praesens solvere, chare, volo.

Vide Mabillonium Analect. editionis novae p. 422 et Oudinum tom. 2 p. 153.

GRIMOALDUS Viterbii Comes, et Praefectus Etruriae circa Annum 772 ad quem edictum Desiderii Longobardorum Regis prodiit Romae 1499. 4. et apud Sigonium libro tertio de regno Italiae. Vide supra in DESIDERIO, t. 2 p. 439.

GRIPHON Flander, Ord. Minor. Theologus Paris. missus a Sixto IV in Palestinam Maronitis montis Libani accolis, Graecisque ad Ecclesiam Rom. adducendis, et a Calixto tertio creatus Orientalium Ecclesiarum Patriarcha, obiit An. 1475 scripto *intinerario terrae sanctae*, quod memorat Vossius ex Willoto, Sweertio etc. Apud Waddingum p. 148 pro *Typographia* a) *terrae sanctae* nemo non videt *Topographiam* legendum esse. Idem Waddingus mentionem facit *Opusculi de Mariae laudibus*: additque idem multa scripsisse Griphonem etiam Syriace, et in linguam illam Maronitarum usibus transtulisse.

Joannes GRITSCH, Basileensis, Ord. Minor. circa Annum 1430. Ejus *Quadragesimale* per totum annum inserviens, cum thematum Evangelicorum et Epistolicorum introductionibus prodiit Ulmae 1476. per Joannem Zeiner, Reutlingensem et

a) Sicui apud Sweertium pag. 205. *Marcionitis* perperam excusum pro *Maronitis*.

Basil. 1477 per Joannem Wienner de Vienna, et 1484. 1490. fol. Lugd. 1492 et Paris. 1512. *Sermones de tempore et de Sanctis.* Lugd. 1493.

Sigismundus GROSSENBROT Ord. S. Benedicti Monachus SS. Uldarici et Afrae prope Augustam Vindelicorum, cum Udalrico ejusdem Coenobii Monacho scripsit atque An. 1483 Abbati suo Ioanni de Giltlingem obtulit *Chronicon* breve *Augustanae Ecclesiae,* in An. 1481 desinens, editumque a Joanne Pistorio in tomo tertio scriptorum rer. Germanic. p. 655. Vide Vossium p. 571 et Oudinum t. 3 p. 2705.

Robertus GROSSETEST, infra ROBERTUS *Lincolniensis.*

Gaufridus sive *Galfredus* GROSSUS, supra pag. 10.

Ioannes GROSSUS Tolosanus, Generalis Carmelitarum, interfuit Concilio Pisano An. 1409 et Constantiensi A. 1414. Ab Alegrio in paradiso Carmelitici decoris An. 1424. diem obiisse traditur: ab aliis ut Oudino tom. 3 pag. 2256. Annum 1437 vivendo attigisse. Scripsit praeter *Sermones* aliaque, *Viridarium Carmelitarum Ordinis,* de ejus institutione et progressibus libros III et librum *de illustribus Viris sui Ordinis,* quae scripta cum PHILIPPI *Ribboti,* Hispani speculo Carmelitarum prodiere Venetiis 1507 fol. atque in Danielis a Virgine Maria Armamentario Carmelitarum, Antwerp. 1680 fol.

Joannes GRUNDMANN, Praepositus Lipsiensis in Monasterio S. Thomae circa Annum 1466 cujus *Sermones* et *tabula super repertorium morale* PETRI *Berthorii* Pictaviensis MS. Lipsiae in Biblioth. Paulina Lipsiensi. Vide B. Felleri Catalogum MSS. pag. 100 et 154.

Benedictus GUAIFERIUS, supra GAUFERIUS pag. 25.

GUALBERTUS sive WALBERTUS Monachus Marchianensis in Galloflandria, Ord. Bened. circa Annum 1128 a) scripsit ad Saswalonem Roberti Episcopi ab An. 1115. ad 1131. Arebatensis Secretarium *libros duos Miraculorum S. Rictrudis* Abbatissae primae et Patronae Marchianensis defunctae circa An. 688. Exstat in Actis Sanctor. tom. 3. Maji 12. pag. 118. 140. et aliud scriptum de eadem Rictrude cum Epistolari proemio ad Gerardum, S. Trudonis Monachum Hasbaniensem 140. 154.

a) Adde Oudinum tom. 2 pag. 1100.

GUALDO Corbejensis Monachus Ord. Bened. circa Annum 1070. Lambecio visus fuit auctor esse *Vitae S. Anscharii* ex prosa S. Remberti scriptae versibus hexametris, dicataeque Alberto sive Adalberto, Archiepiscopo ab An. 1043 ad 1072. Hamburgensi. Certe Gualdo fuit, qui auctorem qualemcunque impulit ad hunc laborem suscipiendum. Ait enim v. 171:

Contra naturam quem compulit esse poetam
Gualdo tibi fidus, sanctissime Praesul amicus.

Certe ita Hallervordus in spicilegio de Historicis Latinis p. 716. Sed si Lambecium audias. Gualdo de se ipso hoc voluit intelligi, quem poëtam esse negante etiam natura, jussit *Anscharii meritis semper devota voluntas.* Hunc enim versum ipse, vel similem, sibi persuadet a librario omissum esse. Sed ita etiam non *Gualdo* dixisset poëta, sed *Gualdonis* vel *Gualdonem.* Exstat haec vita in Lambecii libro primo rerum Hambrg. p. 243 (edit. a me curatae pag. 80) in Actis Sanctor. tom. 1. Februar. 3 p. 427 in Mabillonii Actis Sanctor. Benedict. Sec. IV parte 2 pag. 115 in Claudii Arrhenii Anschario, Helm. 1677 4. p. 156 et in B. Nic. Staphorti nostri Hist. Eccles. Hamb. tom. 1 pag 134.

Joannes GUALLENSIS, sive *Valleis* Ord. Minor. Parisiensis Doctor, natione Anglicus de quo Jacobus Philippus Bergomensis in Chronicon ad Annum 1276. *per hoc ipsum tempus apud Parisios ob ejus Divinam doctrinam maximo fuit in pretio, et ob eam rem* Vitae arbor *nuncupatus est. Hic* Scoti, *ejusdem Ordinis praeceptor fuit: qui Doctor* (Gualensis) *ingenii sui inter caetera* Summam *praegrandem composuit, quam* Universalem *appellavit. Et alios* decem et octo tractatus *edidit, atque alias et quidem celebres* additiones sacris Conditionibus *et maxime* Apocalipsi Joannis *addidit, Scripsit etiam* super Sententias, libros IV. *Incipit:* Quoniam teste B. Augustino. Longe plura hujus Guallensis memorant Jo. Le-

landus cap. 300 Baleus IV 28. Pitseus p. 343. Waddingus pag. 209 sed edita accuratius Oudinus tom. 3 pag. 495 seq. ut: *Ordinarium* sive *alphabetum vitae religiosae*, cujus tres partes, *diaetarium*, *locarium* atque *itinerarium* (scriptis historicis a Vossio praeter rem accensitum.) *Breviloquium* de Philosophiae dignitate atque abusu. *Breviloquium de* IV. Virtutibus Cardinalibus antiquorum Philosophorum et Principum. *Compendiloquium* de vita et moribus illustrium Philosophorum. *Margarita Doctorum* seu *Communiloquium* ad omnium generum argumenta, sive *summa Collationum de regimine vitae humanae*, constans septem partibus. Haec omnia edita Venet. 1499. Paris. 1616 et Lugd. 1511 fol. Tractatus *de oculo morali* inter opera *Raymundi* JORDANI, sub IDIOTÆ nomine latentis editus a Theophilo Raynaudo Lugd. 1641. nec non Paris. 1654 et Italice ex versione Theophili Romani., Venet. 1496. Liber *de origine*, *progressu et fine Mahumetis*, *et quadruplici reprobatione Prophetiae ejus*. Argentor. 1550 et Colon. 1551 8. *Expositiones seu moralitates fabularum Ovidii*. Paris. 1509.

Inedita sunt: *Summa Justitiae* sive tractatus de septem vitiis, ex GUILELMO *Parisiensi*. *Legiloquium* de mandatis divinis. *Floriloquium* sive *manipulus florum* de dictis Philosophorum. *Moniloquium* sive *Collectiloquium* libris IV. *Floriloquium*. *Pastoralia*. *De poenitentia*. *De cognitione verae Vitae*. In *decem Praecepta*. *De visitatione infirmorum*. *De poenis Inferni*. *Lecturae*, *Sermones*. *De diversis rebus* libri XV. *De esse et essentia De Republica*. *De ordinatione universali* Commentarii in *Valerium*. In Mythologiam *Fulgentii* etc.

Postillam *in Evangelium S. Johannis* quae incipit: *Numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila?* et Postilla *in Apocalypsin*, cujus initium: *Legimus apud Eusebium*: non Joannis Guallensis esse contendit Oudinus, sed auctorem habere THOMAM *Jorsium* sive *Ioycium*, qui et ipse *Guallensis* et Anglicus dictus fuit. Hujus etiam facit mentionem Lelandus cap. 300. atque, omisso a libraris praenomine incertum relictum quid Johanni, quid Thomae tribuendum Ibidem etiam meminit PHILIPPI *Guallensis* Chordigeri, sive Franciscani quem ait sacras litteras Lugduni publice docuisse.

Joannes GUALLENSIS paullo Junior, itidem Anglus et Ord. Minor. Theologus a Bergomensi, a Pitseo pag. 455 aliisque celebratur, et in quatuor libros sententiarum scripsisse, aliosque tractatus et disputationes scholasticas composuisse traditur. Hunc tamen a superiore neutiquam diversum, sed unum eundemque distractum in duos, ejusque aetatem non ad 1270 sed 1370 a) reducendam esse disputat Waddingus, cui suffragantem adde Oudinum tom. 1 p. 494 seq. ubi etiam de alio *Joanne* GUALLENSI sive VALLENSI Italo, Volaterrano, qui secundam *Compilationem Decretorum*, duodecimo post primam Bernardi CIRCA. Papiensis Praepositi, GRATIANUM imitati collectionem condidit circa Annum 1198. Vide tom. XI. Biblioth. Graecae p. 20.

* Meminit hic Fabricius Joannis cujusdam Guallensis, quem Italum ac Volaterranum dicit; mihi tamen persuasum est hunc ipsum Joannem Guallensem indicari a Joanne Andrea, qui in praefatione sua ad Clementinas plures enumerat Doctores sub Joannis nomine claros. Hunc vero Joannem Guallensem non Italum, sed Ultramontanum dicit.

GUALFREDUS, Longobardus non natione, sed quia ex nobili loco natus, cum temporibus illis idem fuerit Longobardus et nobilis: b) Episcopus ab An, 1085, ad 1127. *Senensis*, sacram *Gothofredi Bullionis in Orientem expeditionem* heroico carmine complexus est. Scripsit insuper librum *de utroque Apostolico*, Urbano II et Gilberto anti Pape *Romanae Urbis laudes*. *De annulo et baculo*. *De Sacramento Corporis et Sanguinis CHristi*. *De militia Cristiana*: *et Rationale*.

GVALO Camber Britannus circa Annum

a) Ipse tamen Oudinus pag. 496. notat Joannis Guallensis *Manipulum florum* continuatum et suppletum post illius mortem a THOMA da Hibernia An. 1290.

a) Nota ad Ughellum tom. 3. editionis novae pag. 541.

1170. claruit, laudatus Joanni Sarisberiensi in Policratico atque alibi, nec non Baleo III. 5. et Pitseo pag. 233. Inter *carmina* quae de rebus diversis plura composuit, unum breve *in Monachos*: sed sine auctoris nomine edidit Matthias Flacius a) inter varia doctorum piorumque virorum de corrupto Ecclesiae statu Poëmata, Basil. 1557 8. pag. 489. Quia breve est, etiam hoc loco cum bona Lectoris venia legetur:

Sacrilegis monachis emtoribus Ecclesiarum
Composui Satyram, carmen per secula clarum,
Quam quia vir magnus corroborat *Hugo* Diensis,
Noster amicus eam legat *Otto* Suessionensis.
Ordo monasticus Ecclesiasticus esse solebat,
Pura cibaria dum per agrestia rura colebat,
Nulla pecunia, nulla negotia praepediebant,
Sobria copia, parva colonia sufficiebant,
Pro venialibus et capitalibus invigilabant,
Tam venialia, quam capitalia nostra piabant:
Sed miserabilis et lachrymabilis est sibi factus,
Post venialia, sub capitalia damna redactus.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est violenter,
Ecclesiastica comparat omnia dona patenter.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine sensu,
Æstimat omnia spiritualia divite censu.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine causa,
Clamat ad ostia spiritualia jam sibi clausa.
Ordo monasticus Ecclesiasticus est sine fructu,
Intrat ovilia, de super ostia non sine luctu.
Ordo monasticus Ecclesiasticus unde vocatur,
Quando rapacibus atque tenacibus assimilatur.
Terra, pecunia, templa, palatia magna parantur:
Unde superbia, quid per inania ludificantur.
Lucifer extulit, et DEus expulit, et cruciatur.
Sed duo crimina per sua nomina nolo notare,
Quae sapientia vel reverentia nescit amare:
Dicere planius est inhonestius, ultro patebit,
Ultro quis audiet, ultro subaudiet, ultro docebit.
Sed Dominus meus omnipotens, DEus omnicreator,
Insipientibus et sapientibus auxiliator,
Haec prius auferat, et bona conferat, ut mereantur
Spiritualia quaerere pascua, ne moriantur.

GUALTERUS, *Gauterius, Galterius, Galcherus, Galterus, Gauthierus, Waltherus, Gualtherus*, Anglus *S. Albani* Monachus Ord. S. Benedicti, Bibliothecarius et Praecentor circa Annum 1180. *De libris Ecclesiae* scripsisse traditur Baleo X. 59. *Anglicarum rerum Chronicon* apud Pitseum pag. 845.

GUALTERUS *Anglicus*, Praeceptor Guilelmi Junioris, Regis Siciliae, atque inde Archiepiscopus Panormitanus, defunctus An. 1177 de quo Rochus Pirrus in tomo primo Siciliae sacrae. Ex scriptis ejus nihil vel a Baleo XIII. 73 vel a Pitseo p. 141 memoratur praeter rudimenta Latinae linguae, quibus scilicet Guilelmum imbuit.

GUALTERUS *Archidiaconus* Ecclesiae Morinorum Teruanensis, scriptor *Vitae Caroli Boni,* Comitis Flandriae, interfecti An. 1127. quae obvia in Actis Sanctor. 2. Martii tom. 1, pag. 163. dicata ab auctore Joanni, Episcopo Tarvanensi, qui An. 1130. diem obiit. Ediderat tacito nomine suo Sirmondus Paris. 1615. 8.

GUALTERUS Canonicus Regularis *Aroasiensis* circa Annum 1162 cujus *vita S. Monicae* ex Confessionibus S. Augustini, filii ejus, collecta exstat in Actis Sanctor. t. 1. Maji 4. pag. 474. et *historia translationis reliquiarinm ejus Arosiam* pag. 481. cum notis Papebrochii. Idem Gualterus fortasse scriptor *Vitae S. Augustini, quam edidit* Jacobus Hommey in supplemento Patrum pag. 670. seq. Vide pag. 639.

GUALTERUS *Aurelianensis* Episcopus An. 871 cujus *Capitula XXIV.* edita cum Concilio Duziacensi et Hincmarorum Epistolis quibusdam, atque illustrata notis a Lud. Cellotio S. I. Paris. 1658 4. et cum notis recusa in tomo octavo Conciliorum Labbei pag. 637. et in Veneta Coleti editione tom. X. sed sine notis in Conciliis Harduini tom. V, pag. 459 ad Annum 858 licet Cellotius referat ad Annum 871.

GUALTERUS *Bakerus* de Swinborn, Anglus, Augustinianus circa Annum 1320. Latine vertit ex Gallico *Thomae de la More* Historiam de vita et obitu Eduardi II. Angliae Regis. Vide Pitseum pag. 846 et Vossium pag. 506. Exstat in Guil. Cambdeni scriptoribus rerum Anglicarum. Francof. 1602 fol.

GUALTERUS *Bederichwortus* (ex quo duos facit Possevinus, *Gualscherum Bedergeworth* et *Gualterum Bederychworth*) Anglus, Benedictinus Buriensis circa Annum 1360 praeter ea quae patrio idiomate composuit, scriptor etiam Commentariorum in IV. Sententiarum libros, Lecturarumque scholasticarum. Vide Pitseum pag. 469 qui

a) Observatum hoc Polycarpo Leysero τῷ μακαρίτῃ in historia Poëtarum medii ævi pag. 430.

etiam *Moralitates* ejus *super Psalterium* commemorat.

GUALTERUS Bibliothecarius quem e Pitsei pag. 247. Cangius memorat, non diversus est a *Gualtero S. Albani*, de quo supra.

GUALTERUS *Bower*. Infra in JOANNE *Fordun*.

GUALTERUS *Brinkleus* sive *Brinkelius* Anglus, Ord. Minor. circa Annum 1310 scripsit commentarios in varios libros Aristotelis, et in Magistrum Sententiarum: nec non Distinctiones Scholasticas et Determinationes. Vide Pitseum pag. 395 et Waddingum pag. 148 seq.

GUALTERUS *Britte* sive *Brithus* Anglus, Matheseos peritus, famaeque Joan. Wicleti vindex, scripsit circa Annum 1390. Theoremata planetarum, tractatum algorismalem, atque alia de rebus Mathematicis, teste Pitseo pag. 548. His Baleus VI 94 addit etiam librum de auferendis Clero possessionibus.

GUALTERUS *de Brugis*, Ord Minor. infra, *Pictaviensis* Episc.

GUALTERUS *Buckdene* sive *Bucdenus* Anglus, Ord. Praed. scriptor Quaestionum Theologicarum, apud Pitseum pag. 846 et Baleum XII. 53 ex Bostono Buriensi. Nec plura Jacobus Quetif tom. 1, pag. 726.

GUALTERUS *Burley*, supra, BURLÆUS tom. 1, pag. 283 seq.

GUALTERUS *Calenius*, Cambro Britannus circa Annum 1120. Archidiaconus Oxoniensis, de quo supra pag. 11 ubi de GALFREDO Monemuthensi. Vide Baleum II. 65 huic Gualtero tribuentem gesta sui temporis, et continuationem historiae veteris ex Britannia advectae et per Galfredum Latine redditae. Vide infra *Gualterus Mapes*.

GUALTERUS *Cancellarius*, cujus liber *de bellis* quibus ipse utriusque fortunae particeps interfuit *Antiochenis* An, 1115 feliciter gestis, atque An. 1119 infeliciore successu. Edidit Bongarsius in gestis DEI per Francos pag. 441 466. Casparis Barthii notae obviae in Ioannis Petri a Ludewig reliquiis Veterum monumentor. tom. 3, p. 369 seq. Pro capacitate ingenii sui *vi carceris hebetati*, cladem Rotgeri, Principis Antiocheni describere se ait Gualterus p. 449.

Magister *Philippus* GUALTERUS *de Castellione*, Insulanus a) Praepositus Canonicorum Tornacensium, scripsit Q. Curtii insistens vestigiis b) *Alexandreidem* sive poema heroicum de rebus gestis. Alexandri Magni, elegans pro illa aetate, *libris X.* quorum singulorum primae litterae referunt nomen c) *Guillermus*: dicavit enim illos Guillermo II qui Archiepiscopus Remensis fuit ab A. 1176 ad 1201. Hoc poema circa A. 1280. quo tempore scripsit Henricus Gandavensis, in scholis Grammaticorum tantae dignitatis fuit, ut prae illo veterum Poetarum lectio negligeretur neque tamen tantum Gualtero Alanus Insulensis praestat, ut nisi judicium istud dictasset illi livor, haec Gesta Ducis Macetum, convicio *tenebrosi carminis umbrae* perstringere debuisset. Post, editionem Argentinensem An. 1613. 8. hos libros vulgavit Oswaldus Eck, dicavitque Alberto, Comiti Palatino Rheni et Duci Bavariae, Ingolstad. 1541 8. ex Officina Alexandri Weissenborn. Hanc editionem cum variis Lectionibus, adscriptis manu Christiani Daumii τῦ μακαρίτυ, qui hujus scriptoris editionem cogitabat, possidere se testatur V. C. Christophorus Augustus Heumannus in conspectu reip. litterariae pag. 65 et in Actis Philosophorum parte XV. pag. 371. Denique Gualteri Alexandreis lucem vidit Lugd. 1558 4. singulari et nitido typorum charactere. qui propius accedit ad currentes litteras quibus in scribendo utimur. Veterem *Islandicam* versionem, quam edere parabat vir peritissimus illarum litterarum Arnas Magnaeus, ab alio viro erudito exspectamus, qui Latinos etiam duos Codices MStos huius scriptoris in usum vertere

a) Monostichon apud Henricum Gadavensem cap. 20.

Insula me genuit, rapuit Castellio nomen.

Sed in brevi vita Gualteri, quam Alexandreidi præmisit Sebastianus Liak, distichon legitur hunc in modum:

Insula me genuit, rapuit Castellio, nomen
Perstrepuit modulis Gallia tota meis.

b) Vide Biblioth. Latin. II. 17. pag. 442. ec. IV. 2. pag. 722.

c) Pagius ad Annum 1192. num. XIII.

poterit, quos ex auctione Gudiana nactus ad laudatum Magnaeum miseram.

Opuscula rhythmica varia quae exstare in Bibl. Regis Galliae Codice 5333 notat Oudinus, a) non Gualteri de Castellione sunt, sed GUALTERI *Mapes*, de quo infra. Idem vero Oudinus *libellos tres* dialogi scriptos more *adversus Judaeos* sub Gualteri de Castellione nomine primus vulgavit ex MS Codice Abbatiae S. Evodii de Brana, praemissa etiam auctoris aere descripta icone: inter opuscula sacra aliquot Galliae et Belgii scriptorum Lugd. Bat. 1692 8. Denique Bernardus Pez tom. 2 anecdotorum parte 2 pag. 51 ex MS. Salisburgensi in lucem protulit Magistri Galteri, quem hunc Gualterum Insulanum esse sibi persuadet, tractatum *de SS. Trinitate*. Augustae Vindel, 1721 fol. Vide laudati Pezii diss. isagogicam pag. XXII.

GUALTERUS *Cardinalis*. infra, *Winterbornus*.

GUALTERUS Catchepollus, Iurisperitus Anglus, cuius librum *de constitutionibus Angliae* laudat Pitseus pag. 846 ex Balei XII. 42.

GUALTERUS *Cattonus*, aliis *Gathonus*, Lelando cap. 298 *Catthodunus*, Anglus, Ord. Minor. Papae Clementis IV. Poenitentiarius obiit Avenione An. 1343. Scripsit teste Baleo V. 57 *Commentarios in libros Sententiarum*: *Resolutiones Quaestionum*, *Adversus Astrologos*, et *De pauperate Evangelica*. Eadem Pitseus pag. 451.

GUALTERUS *Ceptonus*, Anglus Ord. Minor. cuius nihil nisi *Commentarios in IV libros* Sententiarum a Pitseo pag 846 memorari video: nec fortasse erret qui eundem cum superiore esse suspicetur.

GUALTERUS sive GAUTERIUS Monachus *Cluniacensis* post Annum 1141 *de Miraculis B, Virginis Mariae* ad Monachum S. Venantii libellus apud Labbeum tom. 1 Bibl. novae MSS. p. 650. 655.

GUALTERUS de *Constantiis* sive *Constantiensis*, An. 1182. Lincolniensis apud Anglos Episcopus, deinde Archiepiscopus Rothomagensis ab An. 1184 ad 1208. Vide Sammarthanos tom. 1 pag. 580, seq. Ejus *Epistola ad Hugonem Dunelmensem*, apud Rogerum Hovedenum in scriptoribus Anglicarum rerum a Cambdeno editis. Alias ad diversos memorat Pitseus p. 263 speciatim *ad Radulphum de Diceto* et *de peregrinatione Regis Richardi*, librumque *super regulis Juris*.

GUALTERUS *Cornutus* Archiepiscopus Senonensis qui A, 1241 obiit. Ejus *historia susceptionis Coronae spineae JEsu CHristi, quam Ludovicus Rex a Balduino Imperii CPol. herede obtinuit ac Parisiis reportavit An.* 1239. apud Andream du Chesne tom. V. scriptor. de rebus Franc. p. 407. 444. Vide Bulaei hist. Academiae Paris. tom. 3. pag. 170 seq.

GUALTERVS *Conventriensis* (apud Lelandum cap. 227. *Conventuensis* sive *Conventrensis*) scripsit *Memoriale*, sive Historiam ab Origine Britannorum ad sua tempora, sive ad Annum 1296 MS. in Angliae Bibliothecis. Vide Oudinum tom. 3 p. 610. Secutus est Gualterus Galfredum Monumethensem, Henricum Huntingdunensem, Marianum Scotum, Rogerum Hovedenum etc.

GUALTERUS *Daniel*, sub Ealredo Abbate, qui An. 1066 obiit, Monachus Rievallensis, Ordinis Cisterc. Ipse defunctus A. 1070. Ex scriptis ejus apud Lelandum cap. 170 memorantur *Centum sententiae. Centum homiliae.. Epistolae*, justum Volumen. *De Virginitate Mariae* et libri duo *de conceptione ejus contra Nicolaum de S. Albano* Monachum. *Expositio super*, Missus est Angelus Gabriel. *De honesta virginis formula. De onere jumentorum Austri*, Esaiae XXX, 6 libri duo. *De vera amicitia* libri quinque. Eadem Baleus III. 3. Pitseus pag. 234. Possevinus etc.

GUALTERUS *Disseaeus* ex Disso Sudvolciae sive Sudovolgiae oppido Anglus, Carmelita, defunctus circa Annum 1108. Scripsit teste Lelando cap. 450. *Commentarios in aliquot Psalmos*. (apud Pitseum p. 579. et Possevinum, *in quosdan ex primis Psalmis collectanea, maxime ex Augustino et Anselmo*.) *Contra Lolhardos* et Wiclefistas. *De schismate Ecclesiae*, et *Sermonum libros*

a) In Vita præmissa libellis contra Judæos etc. tom. 2. de S. E. p. 1668.

II, de tempore et de Sanctis. Eadem Trithemius cap. 676. His Baleus VII. 26. addit *Lecturam Theologiae.* sive ut Pitseus pag. 579. *in Magistrum Sententiarum*: et *Quaestiones ac Determinationes* varias. *Epistolas ad Urbanum VI. et Bonifacium IX. et ad Praesides Ecclesiarum.*

GUALTERUS *Duffeldius*, Matthaeo Paris ad Annum 1243. *Sufeld*, Episcopus Norvicensis, *vir eleganter litteratus, moribus, fama, genere pollens.* Idem Matthaeus ad Annum 1347 refert quaedam ex Episcopi illius Concione habita Londini cum portio sanguinis CHristi in Angliam missa, ut ajebant Hierosolymis, deferretur manibus Regis Henrici III publica et solenni pompa ad templum S. Petri Westmonasteriense.

GUALTERUS *Duridentis*, Theologus Anglus, scriptor *commentariorum in Evangelium Lucae*, laudatorum Baleo XII. 27 Pitseoque pag. 847.

GUALTERUS *Elvedenus* Grantae Girviorum sive Cantabrigiae bonis litteris et rerum Astronomicarum imbutus studio composuit *Calendarium cum tribus cyclis decemnonalibus*, ut refert Lelandus cap 511. ex quo etiam apud Baleum XI. 23. *decemnonalibus* legendum pro *decennalibus*, atque eadem menda expungenda apud Pitseum pag. 847.

GUALTERUS *Emingforthensis*, infra, *Hemmingsfordius.*

GUALTERUS *Estonus* sive *Hestonus*, vide infra, *Hessodunus.*

GUALTERUS *Eveshamensis* sive Eoveshamensis, Monachus Anglus circa Annum 1240 cujus libellum *de re Musica* (sive ut apud Pitseum est pag. 312 et Baleum III, 100 *de Musica speculatione*,) laudat Lelandus cap. 252 post eximias Boëthii, Osburnique sive Osberni Durovernensis et Richardi Abbatis Fontanensis Claraevallensisque de eodem argumento lucubrationes.

GUALTERUS *Excestrensis* Anglus Ord. Praed. An. 1301 scriptor *Vitae Guidonis, Comitis Warwicensis*, ut ex Balei X. 78. Pitsei pag. 387, et Vossio pag. 495. Jacobus Quetif. tom. 1. pag. 492.

GUALTERUS *Flander*, vide *de Castellione*, atque infra, *de Insulis.*

GUALTERUS *Galenius* qui est Cangio, aliis *Calenius* de quo supra.

GUALTERUS *Gisburnensis* allegatur a Matthaeo Westmonasteriensi ad Annum 1294 Vide mox *Hemmingsfordius.*

GUALTERUS *Hemlingtonus* Anglus, Monachus S. Albani. Vide infra RADULPHUS de S. Albano.

GUALTERUS *Hemmingsfordius*, Canonicus de Gisseburne, obiit An. 1347. Lelando cap 296. *Hemengoburgus* scriptor *Chronicorum de gestis Regum Angliae*, ab An. Christi 1066 ad 1273. Prodierunt in tomo secundo Thomae Gallaei Oxon. 1687, fol. Idem GAUTHIERUS sive WALTERUS *Emingforthensis*, cujus Historiam *de rebus Eduardi I. II. et III.* ab An. 1273 ad 1308 idem Galeus novo tomo dare voluerat, ac novissime in lucem protulit Thomas Hearne a) Oxon. 1731, 8.

GUALTERUS *Hessodunus*, Pitseo pag. 468. *Hestonus*, Cangio *Estonus*, Anglus Carmelita circa Annum 1350. Ejus *quaestiones de anima* Lelandus cap. 404, memorat.

* Non ad alium Gualterum pertinere credo expositiones super universalia, super librum praedicabilium Porphyrii, super librum praedicamentorum; super sex principia et librum periermenias, sicut et quaestionem de universalibus, quae omnia continet Cod. Taurinensis MS, Latinus 456. t. 2. Codd. MSS. Biblioth. Taurinensis p. 107.

GUALTERUS *Hiltonus*, Carthusianus Anglus circa Annum 1430 inter Mysticos Theologos memorabilis, inter cujus scripta Baleus VII, 83 laudat *Musicam, Ecclesiasticam*, ponitque initium operis: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, quibus verbis incipiunt *libri de imitatione CHristi*, qui ad *Thomam* de KEMPIS referuntur. Et Henrico Warthono judice b) *celeberrimum illud opus, non minus aequo jure sibi forsan vindicare hic Gualterus queat, quam Thomas Kempensis, aut quivis alius. Extant enim in Bibliotheca Lam-*

a) Journal des Sav. 1732. pag. 252. De MSS. Codicibus vide Oudin. Tom. 3. p 445.

b) Auctario ad Usserium de Sacris et Scripturis vernaculis pag. 445.

bethana bini Codices MSS. et alibi plures, qui tres priores operis istius libros complectuntur, titulo Musicae Ecclesiasticae. *Codicum alter*, Hiltoni *nomen prasefert, illumque ejusmodi opus conscripsisse*, *Baleus confirmat.* Liber eidem Baleo memoratus, *de ascensionibus spiritualibus* et alter, *scala spiritualis* ejusdem argumenti sunt cum *scala perfectionis*, sive libris duobus de vita contemplativa, ad mulierem quandam devotam, quos Warthonus testatur Anglice non Latine ab eo scriptos esse. Baleus tamen utriusque Latina affert initia, notans praeterea scripsisse ad Magistrum Joannem Torpe, *de consolatione in tentationibus*, tum *de utilitate religionis, de communi vita ad Laicum*: *Baculum contemplationis*, *de idolo Cordis. De remediis contra tentationes Carnis*, et *de tolerandis imaginibus. De utilitate Religionis.* Addit Pitseus pag. 624 librum *de origine Religionis* et alium *de ejus praerogativa. De castitate et munditia sacerdotum. De modo sancte vivendi.*

Hubertus GUALTERUS sive GUALTERI Anglus ex Sarisberiensi Episcopo Archiepiscopus Cantuariensis ab An. 1193 ad 1205. Vide Warthoni Angliam Sacram t. 1. pag. 111. Hunc Pitseus p. 273 ex Balei III, 56 notat *Constitutiones Synodales*, et *Sermones* scripsisse et *Epistolas contra Sylvestrum* GIRALDUM, additque luculentam habuisse *orationem in Coronatione Regis* Johannis An. 1197.

GUALTERUS *Hunte*, sive *Venantius*, Anglus, Carmelita, defunctus admodum senex Oxonii 1478. Hujus scripta apud Lelandum cap. 577. Trithemium et Petrum Lucium in Bibliotheca Carmelitica, Baleum VIII. Pitseum 39 pag. 667. Simlerum in Bibliotheca, Possevinum in apparatu, et Alegrium in paradiso Carmelitici decoris pag. 362 haec sunt: *Enarrationes IV. Evangeliorum. Actorum in Synodo Ferrariensi et Florentina, ubi Anglorum nomine nuncium egit, A.* 1438. *libris VI. De rebus in iisdem Conciliis gestis libri duo. De processu Concilii sacri. Certamina Latinorum contra Graecorum articulos. De Ecclesiae auctoritate. De Pontificum Jurisdictione atque universali Dominio. De cleri universali Dominio. De praecellentia Petri. De praestantia Ecclesiasticae dignitatis. De religiosorum praerogativa. De statu fratrum mendicantium. De regalitate CHristi et paupertate ejusdem. Contra mulieres doctrices. De foeminarum communione. De Ecclesiae Symbolo. De Praedestinatis. Commentarii in IV, libros Sententiarum. Lecturae Theologicae. Disputationes. Sermones XXVII. Abbreviationes Petri COMESTORIS. Excerptiones XII. Chronicorum*, incip. *Johannes filius junior Henrici. Historiarum epitome*, incip. *Ovidius Naso sic dictus est quia. Tabula*, sive index *in GUILELMUM Parisiensem de virtutibus et de vitiis. Vocabularium Latinum.* et *De vigore litterarum*, incip. *A, vocalis, aliquando mutatur per.*

GUALTERUS Flander *de Insulis*. supra *de Castellione.*

GUALTERUS alter *de Insulis*, Episcopus Magalonensis, si Henrico Gandavensi cap. 19 et Trithemio cap. 462 credimus, ad petitionem Praepositi et clericorum Insulensis Ecclesiae scripsit *Commentarium in Psalterium.* Sed Commentariorum in Psalmos auctor non Gualterus sed LETBERTUS, Abbas S. Rufi, cujus opus *de floribus Psalmorum* ex Augustino, Cassiodoro aliisque (quod tribus voluminibus in fol. MS. vidisse se testatur Oudinus) Gualterus misit ad Robertum Praepositum Insulanum, ut ex Gualteri Epistola facile probat Antonius Pagi ad Annum 1102 num. XI, sq. Epistolam illam vulgavit Mabillonius tom. 1. Analect. p. 389. (editionis novae p. 461.)

GUALTERUS de *Jortz* sive *Jorsius* (Ioyce) Anglus Ord. Praed. cira Annum 1308 Archiepiscopus Armachanus et primas Hiberniae, scripsit *Summam Theologiae in IV libros Sententiarum. Promtuarium Theologiae* libris III. *Qaaestiones* varias, et *de peccatis in genere* ac *de peccato originali.* Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 513. Baleum IV 90 et Pitseum pag. 397 seq. Commentarius in primos Psalmos Davidicos, qui huic ab Ambrosio de Altamura pag. 98. tribuitur, Gualteri est Dissaei, de quo dixi supra pag. 107.

GUALTERUS *Kellave* sive *Kellanus* Anglus et Monachus Carmelitanus in Coenobio Alvertonensi, defunctus circa Annum 1367. Vide Pitseum pag. 501 qui ejus *Quodlibeta Theologica, Determinationes, Sermonesque* memorat ex Balei X. 44.

GUALTERUS Abbas S. Martini, *Laudunensis* circa Annum 1148 cujus brevis Epistola ad Gerauldum Tornacensem Episcopum in Dacherii spicilegio tom. 2. p. 445. (editionis novae tom. 3. pag. 500.) De hoc Gualtero vide appendicem ad Guiberti Novigentini opera ab eodem vulgata Dacherio pag. 547.

GUALTERUS de Mauritania, Rhetoricam professus in monte S. Genovefae, denique Episcopus *Laudunensis* ab Anno 1155. ad 1174. Vide Dacherium ad Guibertum de Novigento pag. 819 seq. et 833 seq. Huius Epistolas edidit idem Dacherius tom. 2 spicilegii pag. 459 seq. (editionis novae tom. 3 p. 529.) 1) est *ad Guilelmum Monachum*, de effectibus Baptismi per Ministrum qualemcunque: 2) *ad universos fideles*, retractationem continens duriorum quorundam quae de Christo a) et de incarnationis mysterio scripserat. 3) *ad Theodoricum* qui negabat essentiam DEI ubique adesse. 4) *ad Albericum* qui Christum mortis metu contristatum inficiabatur. 5) contra *Petrum Abaelardum*. Hae Epistolae occurrunt etiam in Bulaei historia Academiae Paris. ad Annum 1121. De Epistola *ad Hugonem*, Priorem S. Victoris, quam idem habet Bulaeus tom. 2. pag. 64. sub nomine GUILELMI de Mauritania, vide Oudinum t. 2. p. 1200.

GUALTERUS qui in Episcopatu *Magalonensi* An. 1108. Gothofredo

. . . Successit filius eius
Filius obseqio, filius officio,
Doctus et astutus, peg versus clarus, acutus.
Magnus consilio, magnus et eloquio.

Vide Sammarthanos tom 3. Galliae Christ. pagina 566. ubi non ferunt cum Insulano hunc confundi a Trithemio cap. 362. Certe cum Gualtero de Castellione, scriptore Alexandreidos, confundi non debet, qui centum fere annis fuit iunior. Sed Trithemium non valde illo nomine reprehendendum, constat ex illis quae supra in *Insulano*.

GUALTERUS *Mapes* sive *Mapus*, aut *Mapaeus*: Joanni Seldeno ad Fletam p. 524 *Mapezius*, Henrici II Regis Sacellanus circa Annum 1210. Archidiaconus Oxoniensis quem cum Gualtero *Calenio* confundit Lelandus cap. 157 *Carmina* ejus *rhythmica* complura, quibus mala Romanae curiae et Praelatorum vita perstringit, vulgata sunt a Flacio in poëmatibus doctorum piorumque virorum de corrupto Ecclesiae statu Basil. 1546. 8. p. 133. 149. 152. seq. et in Joannis Wolfii memorabilibus tom. 1. pag. 430. 443. Vide Polycarpi Leyseri historiam poëseos medii aevi pag. 787 seq. qui et ipse *Querelam ad Papam*, quae incipit: *tanto viro locuturi*, emendatiorem p. 779. 784 edidit ex MS. Codice Biblioth. Academiae Lipsiensis. Carmen *in Romam*, quod incipit: *Roma mundi caput est, sed nihil capit mundum*, habet etiam Baleus III 61. qui inter illius scripta refert praeterea haec: *de fide Trinitatis* Carmen quod incipit: *multis a confratribus pridie rogatus*. Aliud *de Maria Virgine*: sed et *Cambriae epitomen, Topographiae compendium. Commendationes* (Sylvestri) *Giraldi*, et *in Cistercienses Monachos*.

GUALTERUS *S. Martini*, supra Abbas *Laudunensis*.

GUALTERUS *Mauclerc*, sive *Malus Clericus*, Anglus, ex Episcopo Carleonensis Monachus Ord. Praed. obiit Oxoniae An. 1248. Vide Pitseum pag. 848. et Jacobum Quetif tom. 1 pag. 120 seq. qui notat litteras quasdam eius legi in Joan. Henrici Heisteri opusculo de suffraganeis Coloniensibus et in antiquis constitutionibus regni Angliae, Londin editis 1672 fol. p. 100.

GUALTERUS *de Mauritania*, supra *Laudunensis* Episc.

GUALTERUS ex Australi Cambria, sive Wallia *Morganius*, sive *Morganensis*, Abbas Ordinis Cisterciensis circa Annum 1219. cognitione rerum naturalium et Musarum elegantiorum cultu celebratur a Lelando cap. 256 atque inde a Baleo III. 65. et Pitseo pag. 294. Perhibetur carmine scripsisse *de avibus* caeterisque *animalibus*.

a) Adde Pezium tom. 1. anecdot. parte 2. pag. 528. et diss. isagogic. pag. LXXI.

GUALTERUS, Grammaticus in studio, sive Academia *Neapolitana*, cujus obitum luget Petrus Blaesensis Epistola 154.

GUALTERUS Archiepiscopus *Panormitanus*, supra, *Anglicus*.

GUALTERUS *Parcherus*, sive *Parkerus*, Cornubiensis, Anglus, qui praeter *sermones* scripsit *oculum Sacerdotis* ejusque dextram partem ac sinistram. Vide Baleum XII. 61. et Pitseum p. 848.

GUALTERUS, sive GALTERUS de BRUGIS, Ordinis Minorum, Episcopus *Pictaviensis* ab An. 1271 ad 1306. quo exauctoratus a Clemente V. provocavit ad Concilium, et membranam appellationis secum tumulari in aede fratrum Minorum Pictaviensium, moriturus jussit. Vide Sammarthanos tom. 3. Galliae Christianae p. 895. seq. Texuit, iisdem Sammarthanis testibus, MS. in tabulario Episcopatus, *Catalogum Praesulum sedis suae.* Praeterea *Tabulam Theologiae*, sive *Tabulam originalium nominum super universam Scripturam*, incip. *Abel est nomen significans luctum.* MS. in variis Bibliothecis, ut notat Waddingus pag. 148. Commentarium *in libros Magistri Sententiarum. Quodlibeta. Quaestiones disputatas. Sermones* per annum. *Rudimenta pro Concionatoribus*, et *Tractatum de Poenitentia.* Meminere Trithemius cap. 461. Sweertius pag. 295 et praecipue Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica pag. 300. His adde *excerpta in sanctis Patribus, Augustino, Gregorio, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, Isidoro, Origene, Cassiodoro et aliis:* de quibus Oudinus tom. 3 pag. 565.

GUALTERUS *reclusus*, Anglus, Augustinianus circa A. 1280. Scripsit. *de mundi contemtu. De vita solitaria.* et *Meditationes*, ut notant Baleus IV 49. et Pitseus p. 360.

GUALTERUS *Reginaldus*, seu *Raynaldus*, Anglus, ex Thesaurario Regis Eduardi II. et Episcopo Vigorniensi Archiepiscopus ab An. 1313 ad 1327. a) Cantuariensis. Nihil ab eo scriptum reperitur praeter *Constitutiones Ecclesiasticas provinciales* in Synodis Londinensibus atque Oxoniensibus. Vide Pitseum pag. 420.

a) Henrici Warthoni Anglia sacra t. 1. pag. 117.

GUALTERUS *Rievallensis*, supra, *Gualterus Daniel.*

GUALTERUS Prior S. Andreae in *Scotia* circa Annum 1190. Vide Pezii anecdota tom. 1 parte 2 pag. 337.

GUALTERUS *Teringtonus*, sive *Tiryngton*, Anglus, Jurisconsultus, cujus *Casus quorundam Decretalium* et Commentarium *in quasdam Constitutiones* evolvisse se in monasterio Ramesiensi testatur Baleus XII 67. Eorundem scriptorum ex Baleo meminit Pitseus p. 848.

GUALTERUS *Tervanensis* sive *Tarvanensis*. supra *Gualterus Archidiaconus*, et pag. 7. GALBERTUS.

GUALTERUS *Venantius*, supra, *Gualterus Hunte.*

GUALTERUS Prior *S. Victoris* Paris. scriptor *quatuor librorum* multa scitu digna continentium quorum exempla bina MSta in Biblioth. S. Victoris Paris. vidisse se testatus est Launojus de varia Aristotelis fortuna cap 3 pag. 29. *Contra manifestas et damnatas etiam in Conciliis haereses, quas Sophistae* ABAILARDUS, LOMBARDUS, PETRUS *Pictavinus*, et GILBERTUS *Porretanus*, *quatuor labyrinthi Franciae, uno spiritu Aristotelico afflati, libris Sententiarum suarum acuunt, limant, roborant.* Vixit circa Annum 1180. Vide Baleum tom. 2 hist. Academ. Paris. pag. 404. 629. Oudinum tom. 2. p. 1569.

* Mabillonius in analectis pag. 54 novae editionis meminit libri hujus Gualterii, quem non priorem, sed abbatem nominat, scripsisse vero ait libros quatuor contra quatuor labyrintos Franciae idest. Abaelardum, Petrum Lombardum, Petrum Pictaviensem, et Gispertum Porretanum; refert etiam ibi fragmentum ex eodem libro Desumptum de Abailardo.

GUALTERUS *Wiburnus*, Anglus, Ord. Minor. circa Annum 1367. scripsit *encomium Christiparae Virginis* Carmine Hexametro, ut notavit Lelandus c. 331. Addunt Baleus IV. 23. et Pitseus p. 500. alia etiam, et Christi laudes scripsisse carmine: prosario autem sermone *Proprietas terrae* ut habet Baleus, quod Pitseus, *proprietates terrae sanctae* extulit.

GUALTERUS *Winterbornus* Anglus Ord. Praed. Eduardi primi a) Angliae Regis, a Consiliis et Confessor et R. E. Cardinalis S. Sabinae ab Anno 1304 ad 1305. Scripsit *Summam Theologicam* sive *Commentarios in IV. libros Sententiarum*, *Quaestiones Theologicas* et tractatum *de peccato originali. Poëmata* varia et *Orationes. Sermones* coram Rege habitos, et *ad Clerum exhortationes.* Vide Baleum IV 85. Pitseum pag. 389. seq. Georg. Josephi Eggs purpuram doctam tom. 1 pag. 282 atque inprimis Jacobum Quetif tom. 1 pag. 496.

GUALFANEUS *Flamma,* supra pag. 16. GALVANEUS.

GUALTERUS de *Vinosalvo* apud Lelandum cap. 207 non alius est a GALFREDO de quo supra pag. 13. et qui in viri doctissimi Zachariae Lundii Codice GAMFREDUS, sicut etiam apud V. C. Hermannum ab Hardt tom. V. Concilii Constantiensis pag. 118. Hujus Gamfredi *poëtriam novam* erudito commentario laudati Lundii illustratam possidere se MS. Hafniae, significavit mihi vir supra laudes Joannes Grammius.

GUALTERUS *de Witlesey*, Historicus Anglus, saepius laudatus a Simone Guntone et Simone Patricio, in historia Ecclesiae Petroburgensis edita a Patricio Anglice Lond. 1686. fol. Vide Acta Erudit. tom. 1. supplementi pag. 290.

GUALTERUS, Tornacensis Episcopus. Vide Miraei I p. 442. Codic. donationum.

GUARICUS Anglus circa Annum 1249. cujus commentarii *in Isaiam* et *Hieremiam* MS. Oxoniae, memorantur a Jacobo Longo Bibl. Biblicae p. 756.

GUARINUS ex Abbate Pontniacensi Ord. Cisterc. Archiep. *Bituricensis*, defunctus A. 1180. Vide Pagium ad A. 1181. n. XI.

Orderici Vitalis Carmen in Abbatem suum GUARINUM *Uticensem* An. 1137. defunctum, in Du Chesnii Normannicis libro XIII. hist. Ecclesiasticae Orderici p. 910.

GUARINUS ex nobili familia Guarina, *Veronensis*, Emanuelem Chrysoloram qui An. 1415 in Concilio Constantiensi obiit, CPoli audivit per quinquennium, reversusque in Italiam, capsas duas librorum MSS. in duabus navibus locavit. Cum altera venit, sed demersam alteram, perditis tantis thesauris librorum audiens, nocte una, si fides Pontico, a) canus totus factus est prae dolore intolerabili. Docuit deinde Graecas Latinasque litteras Venetiis primum, hinc Ferrariae, Veronae ètiam ac Tridenti, tum Florentiae: discipulos nactus clarissimos, ipse inter felices instauratores litterarum nomen eximium promeritus, obiit Ferrariae An. 1460. nonagenarius, *cum jam his decimi tangens confinia lustri non pede non oculo, non sensu debilis ullo purpureum clara servasset voce colorem*, ut de eo Janus Pannonius. b) Ex duodecim ejus liberis c) celeberrimus Baptista Guarinus, de quo mox. De Guarino patre autem praeter Ponticum, Janumque, et Trithemium cap. 807. Vossium, aliosque consulere juvabit Diarium eruditorum Italiae t. XII. pag. 352 et tom. XIII. pag. 406. seq. atque illustris Scipionis Maffei Veronam illustratam parte 2. pag. 131. seq. (131 Vita e disciplina di Guarino Ver. e de' suoi discepoli libri IV. del Cav. Carlo De' Rosmini. Brescia 1805. 8. gr. V. 3. con ritratto.)

Mihi satis erit scripta ejus breviter referre:

1) *Epitome* erotematum *Grammaticae Graecae Emanuelis Chrysolorae,* edita cum commentariis, sive ut ipse vocat, *declarationibus tumultuariis* Pontici Virunii. Ferrariae 1509, 8. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. 24. pag. 279, seq. Guarinum a Chrysolora quandoque dissentire notat H. Stephanus de infidis Graecae linguae magistris pag. 157.

2) *Epistola ad Jacobum Fabium,* clarum

a) Gulielmum primum male nominat Lelandus cap. 506.

a) Ponticus Virunius in vita Chrysoloræ et Guarini, præmissa Erotematibus Chrysoloræ Ferrar. 1509. 8.

b) *Jani Pannonii,* Quinqueecclesiensis Episcopi panegyricus lectu dignus et amœnum præceptori Guarino scriptus Carmine heroico. familiam ducit in ejus poëmatibus Venet. 1553. 8.

. . . . . . mea nec lyra dignius ullum
Ante sonet, quam quo didicit crepitare magistro.

c) Janus Pannonius pag. 55. *bissenae justa facies tua sancta propago.*

JCtum Veronensem, cum laudibus et elogiis praeceptoris sui *Eman. Chrysolorae*, ex quibus epitaphium ejus refert Mabillonius pag. 181. Musei Italici.

3) Latina versio X, primorum librorum *Strabonis*, jussu Nicolai V, suscepta, et post ejus mortem dicata Jacobo Antonio Marcello, Senatori Veneto. Prodiit Rom. 1470. Spirae 1472, fol. ac deinde saepius. Libros Strabonis septem posteriores vertit GREGORIUS Tiphernas, de quo supra p. 96.

4) Versio Latina *Plutarchi* de differentia assentatoris et amici, a) et parallelorum minorum, et de liberis educandis: nec non Vitarum Numae, Alexandri, Caesaris, Fabii, Marcelli, Philopoemenis, Flaminii, Lysandri, Syllae, Eumenis, Niciae, Crassi, Dionis, ac Bruti: sed et Homeri vitam, quae inter Plutarchi scripta legitur, et Evagoram Isocratis. De quibus dixi in Biblioth. Graeca lib. IV. cap. III.

5) *Comparatio Scipionis et Caji Julii Caesaris* quem Scipioni Guarinus praeferebat, contra Pogii Florentini sententiam. Nec tamen ideo desierunt esse amici qui antea, *neque enim*, inquit Pogius, *disjunctio sententiarum debet amicos disjungere, cum liceat diversa sentire salvo jure amicitiae.*

6) Invectiva sub *Andreae Agasonis* nomine adversus Georgium Trapezuntium quem primas litteras docuerat. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XVI. pag. 416, 439, seq.

7) *Epistolae, Orationes* et *Carmina*, laudata Trithemio cap. 807. confer quae de illis annotantur in Diario Veneto eruditorum Italiae tom. XII. pag. 363, 369.

8) *Vocabolarius breviloquus* cum arte diphthongandi sive libello *de dictionibus quae cum diphthongo scribuntur*, et de *accentuandi* arte et *punctandi*. Basil. 1478, 1480. Colon. 1486, fol.

9) *Institutio ad Hieronymum filium.*

10) Notae in *Valerium Maximum* et *Ciceronem de amicitia*, et *Orationem pro Sex. Roscio.*

11) Carmina *de Polysemis et Vocabulorum differentiis.*

a) Diarium eruditor. Italiæ tom. XII. pag. 361. et 558. seq.

12) *Vita Platonis* et *Aristotelis.*

13) De *Catullo* per Guarinum restituto dixi lib. 1. Biblioth. Latinae cap. 5 neque praeteriri debet hoc de eo Sabellici a) testimonium, laudatum quoque in tom. 13 Diarii Veneti pag. 406. *Catullum municipem suum, situ et squallore confectum, lucemque ex diuturnis tenebris reformidantem, ita abstersit, ut sine majore rubore in publicum exire non dubitarit.* Majus etiam est quod de Guarino subjungit: *Profuit ille eximia eruditione multis: sed morum sanctitate optimoque vivendi instituto non paucis.* Alia in ejus laudem merito congesta a praestantissimo Baelio in Lexico.

* Ex epistolis Guarii nonnullae vulgatae sunt in collectione epistolarum Francisci Barbari ab Emin. Ang. M. Quirino adornata. Vitam Coriolani ex Plutarco ab eo versam servat MS. Cod. Biblioth. Malatestarum Caesenatensis. Cod. MS. Biblioth. Universitatis Taurinensis 601 Latinus servat adhuc ineditam Guarini huius epistolam ad Blasium Guasconem de Poggio Florentinum. In commentariis de reb. gestis Nicolai V. Papae vernacula lingua a Vespasiano conscriptis legimus Guarinum ex commissione Papae Iliadem Homeri ex Graeco vertisse. Scripsit et vitam S. Ambrosii Mediolanensis Episcopi vel potius illam ex Graecis a se collectam Alberto Sartianensi praescripsit. Extat praefatio illa ad Albertum in collectione quarundam epistolarum Guarini ap. Martene Veter. Monum. t. III.

In Codice MS. apud amicum meum singularem RR. Martium Micheli majoris ecclesiae Lucanae Canonicum extat eiusdem Guarini ad Marchionem Ferrariae oratio pro revocatis in gratiam inimicis: Incipit *Tuis ex rebus* etc. Extat ibi pariter eius oratio pro quodam praetore (scilicet Victorio Bragadino Veronensi Potestate) cuius orationis meminit Diarium eruditorum XII. 363. Incipit: *memini Praetor amplissime* etc. Tertium est ibi eiusdem Guarini epithalamius in Jacobum Persicum et Catharinam Peregrinam. Incipit: *Fuere nonnulli.*

Est insuper a Guarino scriptum proemium

a) Dialogo de Lat. Linguæ reparatione tom. 4 Opp. pag. 326.

ad jus municipale Vicentinum in quo mira praedicantur de praetura Francisci Barbari. Jus illud typis prodiisse testatur Emin, Card. Quirinus in sua Diatriba praeliminari ad Epistolas Barbari pag. CCII. quamquam in edito Guarini nomen non legitur.

Adduntur in MS. Cod. Biblioth. Riccardianae: *Judicium de Ermaphrodito Antonii Panormitae. Versus pro satyris Invenalis exponendis. Oratio in funere Eleonorae Estensis. Epistola et elegi. Vocabula Servii super Aeneide. Versus de differentiis. Excerpta. Contractus pro comite Jacopino.* Vide eiusd. Biblioth. Catalogus pag. 225.

BAPTISTA GUARINUS Veronensis, Guarini liberorum a) *minimus de stirpe virili* verum qui.

Longe alios fratres tantum *Baptista* verendos
Antevenit, quantum reliquis intermicat astris
Sirius —

Cum magna laude post Parentem docuit humaniores litteras Ferrariae, clarus adhuc An. 1494 cum Trithemius librum suum de S. E. conderet, qui *virum patre non inferiorem* celebrat cap. 910. Diem obiit Venetiis An. 1513. Scripta ejus quae comperi, haec sunt:

Modus et ordo docendi et discendi: Heidelberg. 1489, 4. Argent. 1513, 8. a quo nescio quam vere tanquam diversus liber refertur *de modo et ordine dicendi ac disserendi*, apud Onufrium Panvinium libro sexto Antiquitatum Veronensium pag. 165.

Ex *carminibus* ejus sola pauca illa deliciis Poëtarum Latinorum Italorum Gruterus interserit tom. 1. p. 1224-1229 quae in laudem Jani Pannonii scripsit.

Reliqua apud Trithemium, Onufrium ac Gesnerum memorata, *Opus dialogorum de secta Epicurea, De regno administrando. Orationes* et *Epistolae. In fastos Ovidii. In Epistolas Ciceronis. In Lucani Pharsaliam. In Catullum* a Baptista Guarino emendatum expositiones ALEXANDRI GUARINI filii, Venet. 1521 in Biblioth. Barberina. Latine ex Graeco vertit Orationes quasdam *Demosthenis* et *Dionis Chrysostomi*, tum Agesilaum *Xenophontis*, et Orationes quasdam *Gregorii Nazianzeni*.

a) **Fratres Baptiste, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Emanuel et Leonellus.**

Omitto dicere de aliis Guarinis junioribus, ut de *Baptista*, pronepote, auctore Pastoris fidelis, inter principes Italici carminis nobili, et defuncto Venetiis An. 1613. aetat. 75 de cujus vita et laudibus praeter Nisseronum, tom. 25 memoriar. eruditarum pag. 172. Nic. Comnenum Papadopoli t. 2. historiae Gymnasii Patavini, Apostolum Zenum in Museo Minervae Venetae tom. 1. pag. 74. seq. aliosque adire juvabit nobilissimum Virum Joannem Ulricum Koenigium in vita Guarini scripta Germanice et praefixa Metaphrasi felici amplissimi Brokesii nostri, qua Guarini poëma de infanticidio Herodis pulcherrimo metro Germanico expressit. De *Alexandro Guarino* tertio, cujus Apologia Caesaris lucem vidit Italice Ferrariae 1632. De *Guarino Guarini*, cujus placita Philosophica prodiere Paris. 1665. *Julio Caesare Guarino*, Graecarum litterarum professore Bononiensi circa Annum 1639. qui Panegyricum Graece ac Latine scriptum edidit. De *Petro Guarino* auctore Grammaticae Hebraicae, Lexicique Hebraici et Chaldaici, defuncto Paris. An. 1730. *Sixto Guarino*, cujus elogia et carmina exscripta typis, Brixiae An. 1644. De *Michaële Angelo Guarino* etc.

* Praeter ea multa quae Guarinus iste scripsit et hinc inde evulgata sunt vel saltem a multis indicata nescio an aliquis litteris prodiderit scriptam ab eodem authore *epistolam nomine Eleonorae Aragoniae* Ferrariensis Ducissae ad Magnif. et ampliss. virum Diomedem Caraffam Comit. Maddaloni, et R. Consiliarum praefixam opusculo ejusdem Diomedis de officiis regentis et boni principis quod. MS. servatur in Codice Bibliothecae Canonicor. Maior. Ecclesiae Lucensis, illud mihi describendum curavi, suo mox tempore evulgandum.

(132 evulgatum dein in calce t. VI h. Bibliothecae, sed multo prius iam ante editum ut in *Bibl. di Storia Letteraria* t. VI p. 50. notavit P. F. A. Zaccaria.)

GUARINUS *Molinaeus.* Infra, GUIARDUS.

GUARNERIUS, Abbas *Resbacensis*, Ord. Benedict. in dioecesi Meldensi Galliae, scriptor vitae primi Abbatis Resbacensis, Aglii.

discipuli S. Colombani. Vide Mabillonii Acta Sanctor. Benedictin. tom. 5, pag. 644.

GUARNERUS *Bernius*, infra GUERNERUS.

GUARNERUS sive WARNERUS aut WARMER, cognomine *Homiliarius* natione Anglus, Monachus Westmonasteriensis, Ord. S. Benedicti, circa Annum 1092 a Pitseo pag. 191. confunditur cum longe juniore Auctore Fasciculi temporum Carthusiano, de quo infra, WERNERUS Roelevinck. Idem Guarnerus praeter *Homilias* traditur etiam a Pitseo scripsisse *deflorationes sanctorum Patrum*, editas Basileae An. 1494. Sed Bostonus Buriensis et Baleus X. 39. nihil ei praeter Homilias tribuunt.

GUARNERUS de Rochefort sive de Rupeforti, ex Abbate Claraevallis, Ordinis Cisterciensis, Episcopus ab An. 1192 ad 1199 *Lingonensis* idem cum GARNERIO de quo Alberici locum attuli supra pag. 58. et de quo utique mentionem Sammarthani faciunt tom. 2, pag. 663. De *sermonibus* ejus, sive quos Bernardus Tisserius vulgavit t. 3. Biblioth. veterum scriptorum Ord. Cisterc. pag. 75. seq. sive quos MStos vidisse se testatur Oudinus tom. 2, pag. 1620. una cum ejus *Distinctionibus*, sive libro qui *Angelus* inscribitur, nihil habeo praeterea quod adjungam.

GUARNERUS, *S. Victoris Parisiensis* Canonicus et Sub-Prior circa Annum 1170 scripsit opus *Gregorianum*, sive allegoricas explicationes rerum Biblicarum, collectas ex libris et verbis Gregorii Magni Papae, editas a Joanne Picardo, Canonico S. Victoris, Paris. 1608 8. De Codice MS. quingentorum annorum qui Parisiis in Biblioth. S. Victoris servatur, vide eundem Oudinum tom. 2, pag. 1568. De aliis quibus placuit eundem laborem in Gregorii I. scriptis in usum vertendis sumere, dixi supra p. 81.

GUARRICUS, infra GUERRICUS.

GUDINI *Planctum rhythmicum* circa An. 1000 effusum Roberto Galliae Rege, super morte Constantii monachi Luxoviensis edidit Mabillonius tom. III. Analect. pag. 537. (edit. novae pag. 217.) qui incipit:

Ergo plange, pium Cantor modulando Magistrum
Hactenus tetendi lyram Musicae per semitas etc.
Coelum, stellae, terra, mare, homines ac bestiae
Ad lamentum huius rhythmi auditum extendite,
Et *Constantino* Sophistae fidos planctus reddite etc.

GUELPEDALUS Philosophiae et Mathematicarum artium strenuus cultor, laudatus Lelando cap. 483 scripsit librum *de aggregatis*, et alium *de compositione continui ex non quantis*. Denique librum cui titulus *Universalia*.

GUERNERUS, *Wernerus*, *Bernerus* etc.

GUERNERIUS *Bernius* Eugubinus, auctor *Chronici Eugubini* ab Anno 1450. ad 1472 quod ex Codice Biblioth. Vaticanae primus in lucem protulit laudatissimus Muratorius tom. XXIII. (XXI.) thesauri scriptorum Italiae Mediolanensis.

GUERNERUS sive GUERRICUS *de S. Quintino*, Magister Parisiensis, Ord. Praed. defunctus A. 1245 de quo Jacobus Quetif tom. 1, pag. 113 seq. et de Commentariis eius *in Proverbia*, *in Cantica*, *librum Sapientiae*, *Ecclesiasticum* et *Pauli Epistolas*. Nam *postillae super Psalterium*, Tornaci MStae, ab aliis ad Guerricum Igniacensem referuntur, qui Tornacensis Scholae Magister fuit, de quo mox infra.

GUERNO Monachus S. Medardi, Suessionensis, in ultimo Confessionis articulo falsarium se confessus Gaufrido Abbati S. Medardi, postea ab An. 1131. Catalaunensi Episcopo, *et inter caetera, quae per diversas Ecclesias figmentando conscripserat, Ecclesiam B. Audoeni et Ecclesiam B. Augustini de Cantuaria adulterinis privilegiis sub Apostolico nomine se munisse, lamentabiliter poenitendo asseruit. Quin et ob mercedem iniquitatis quaedam se pretiosa ornamenta recepisse confessus est, et ad B. Medardi Ecclesiam detulisse.* Haec Ægidius Ebroicensis Episcopus Epistola ad Alexandrum III. Papam apud H. Warthonum praef. tom. 2. Angliae Sacrae pag. V. Cujus testimonio cur fidem negem non video, etiam inspectis iis quae in utramque partem disputata sunt: in contrariam quidem a Petro Coustant in Veterum Codicum Vindiciis confirmatis pag. 683 seq. et pro fide hujus narrationis in memoriis litterariis Trevoltinis An. 1716. pag. 501. seq.

GUERRICUS et ex Canonico Tornacensi, Scholae Magistro, Monachus Cisterciensis

et circa Annum 1140 discipulus S. Bernardi, atque inde Abbas *Igniacensis* in dioecesi Remensi, defunctus An. 1157. 19 Aug. Auctor *sermonum*, qui post primam Joan. Gagnaei editionem a) Paris. 1539 8. repetitam ibid. 1547 8. et a Joan. Costero emendatam Antwerp. 1546 deinde a Jacobo Merlono et ab Horstio et Mabillonio plus simplici vice vulgati sunt cum S. BERNARDI scriptis, ut dicere me memini supra tom. 1, p. 210. *Vere aureos ac mellitos* vocat Combefisius, qui eisdem locum dedit in sua Bibliotheca Concionatoria. Exstant quoque in Bibliotheca Patrum Coloniens. tom. XIII. ex editione Joannis Costeri, et in Lugdunensi tom. XXIII. et separatim Lugd. 1630 edente Mauro Raynaldo, Benedictino: et Gallice Joan. Gagnaeo interprete Paris. 1547. *Epistolas* quoque hujus Guerrici memorat Trithemius cap. 588. Sanderus pag. 105. Biblioth. Belgicae, *Postillas super Psalterium*, MStas Tornaci 2. Volum. in fol. Longe plura Carolus Vischius in Biblioth. Cisterciensi pag. 131 *in Evangelium Matthaei, in Pauli et in Canonicas Epistolas*: nec non tractatum *de languore animae amantis.*

GUEVARDUS, vide GEBHARDUS.

GUIARDUS, *Wiardus*, etiam *Godefridus Guido* et *Gilo de Landuno*, ex Cancellario Acad. Paris. An. 1238. Episcopus Cameracensis, defunctus An. 1248. Ejus scripta sunt: *de Officiis Divinis* sive *Ecclesiasticis et de officiis Sacerdotum. Dialogus de Creatione Mundi. Summa de administratione Sacerdotum. De Sermonibus* ejus vide si placet Oudinum tom. 3, pag. 127.

GUIARDUS b) *de Moulins*, sive *Molinaeus*, Presbyter et Canonicus et ab Anno 1297. Decanus S. Petri Ariensis, Episcopatus Torvanensis in Gallia, Latine quidem non scripsit, at ex Latino, et ex Petri Comestoris historia Scholastica Gallice (en Roumance) vertit libros historicos Bibliorum, qui in Bibliothecis Galliae, Regia praesertim MSti pluribus exemplis reperiuntur, de qua versione praeter Oudinum tom. 3, pag. 623. Jacobum Longum in Bibliotheca Biblica, et Richardum Simonem libro secundo historiae Criticae Novi Test. cap. 28. consuli poterit auctor duarum dissertationum a) Gallice editarum Paris. 1740 12.

a) Vide Riveti opera tom. 5. pag. 677. Labbeum tom. 1. de S. E. pag. 400. Mich. Maittaire Tom. 5. Annal. typograph. pag. 677.

b) Hic *Gvarinus Molinaeus* dicitur Warthono pag. 465. ad Usserium de Scripturis vernaculis.

GUIBERTUS, GUILBERTUS, GUIDBERTUS, GUITHBERTUS, WIBERTUS, GISBERTUS. supra, GILBERTUS.

GUIBERTUS, Anti-Papa ab Anno 1088. ad 1101 de quo supra, in CLEMENTE III. tom. 1, pag. 363 ubi dictis adde plures hujus Guiberti Epistolas conservatas in UDALRICI Babergensis Codice Epistolari, apud V. C. Joannem Georgium Eccardum in Corpore scriptorum medii aevi tom. 2, pag. 176. seq. 184. seq. Ab hoc nomen habet GUIBERTINA haeresis apud Urspergensem, aliosque illorum temporum scriptores, sicut HENRICIANA ab Henrico IV. Imperatore.

GUIBERTUS *Bristollensis*, infra, *Somersetensis.*

GUIBERTUS, Abbas *Gemblacensis*, cujus narrationem *de exustione Gemblacensis Monasterii* An. 1137 scriptam a Monacho adhuc et juvene, decerptamque ex ejus *Epistolis* vulgavit ex Caesareo Codice Lambecius tom. 2. pag. 904-907. Non distinguendus hic, ut fit apud Cangium, a *Guiberto*, cognomento MARTINI: ita dicto, quoniam S. Martini Turonensis, *gloriosi praesulis cultor*, *nonnullus imitator*, *operumque illius tam verbis quam scriptis studiosus commendator fuit*, ut de eo tradit Hervardus, Leodicensis Archidiaconus, in Epistola ad G. Canonicum Laudunensem, edita a Mabillonio tom. 2. Analect. p. 538. (editionis novae pag. 481.) Ad hanc Epistolam idem Mabillonius ex Chronico Gemblacensi notavit, eum in secerdotio vixisse annos LXIII, et amplius. Abbas *Florinensis* fuit ab An. 1188 et Gemblacensis An. 1194 diem obiit An. 1208. 22 Febr. non multum minor nonagenario. Vide Oudinum tom. 2. pag. 1593. Plura de ejus scriptis laudatus Mabillonius dicto loco, qui ineditas ejus lucubrationes refert in itinere Bel-

a) Mem. tit. de Trevoux An. 1771. pag. 1240.

gico se reperisse in tribus Voluminibus, plures *Epistolas* praecipue, quarum etiam nonnullarum adscribit argumenta: in ill.s denas ad Hildegardim cum HILDEGARDIS responsionibus: tum *libros quatuor de vita et miraculis S. Martini*, ad Philuppum, Coloniensem Archiepiscopum, rhythmis, sive versibus Leoninis.

De S. GUIBERTO, Ordinis Benedictini Monasterii Gemblacensis conditore, qui A. 962 obiit, videnda Acta Sanctorum tom. V. Maji 23. pag. 259, seqq.

GUIBERTUS, nobili loco natus Gallus, Bellovacensis ex Monacho Flaviacensi S. Geremari, Ordinis Benedictini, Abbas ab An. 1104. *Novigentinus* Dioecesis Laudunensis, diem obiit An. 1124. Scripsit ipse Vitam suam, in qua pag. 477 fatetur praecipuum se ad sacrarum litterarum studia incentorem habuisse Anselmum, Cantuariensem postea Archiepiscopum. Vita haec obvia est inter Guiberti Opera, quae Lucas Dacherius in lucem emisit Parisiis 1651 a) fol. hoc ordine:

1. Prologus libris in Genesin praemissus, dignusque lectu, *quo ordine Sermo fieri debeat*, pag. 1. ad Bartholomaeum, Episcopum Laudunensem.

2. *Moralium in Genesim*, b) Gregorii Magni scriptorum exemplo, *libri X*. pag. 9.

3. Tropologiae *in Prophetas*, in *Oseam* libri III. pag. 182 ad Magistrum Norbertum: et *in Amos* pag. 224 ac *Lamentationes Jeremiae*, pag. 243.

4. *De incarnatione, adversus Judaeos*, libri III, ad Bernardum, Decanum Svessionensem pag. 264. Oppositus hic liber speciatim blasphemiis, Comitis Svessorum. Vide quae Gilbertus ipse in vita sua pag. 518, sq.

5. Epistola *de buccella Judae data*, Joh. XIII, 26 et *de Veritate Dominici Corporis* pag. 282 ad Sigefridum, S. Niccolai Priorem.

6. *De laude S. Mariae* liber, pag. 287 subjuncto rhythmo ad B. Virginem et S. Johannem Evangelistam, pag. 309.

7. *Opusculum de Virginitate*, pag. 311 a Juvene compositum.

8. *De Sanctis et de pignoribus Sanctorum*, ubi de dente a CHristo novenni emisso, quem habere se ajebant Monachi a) Sammedardenses, et de aliis sacris reliquiis, et circa eas fraudibus, libris IV. p. 327 ad Odonem, Abbatem S. Symphoriani. Confer Natalem Alex. Sec. XI, et XII. t. VI. pag. 517, seq. edit. in fol. et Rich. Simonis (Mr. de Sainjore) Bibliotheque Critique III, 32. pag. 348, seqq.

9. *Gesta DEI per Francos*, sive *Historiae Hierosolymitanae*, cui ipse quidem Guibertus praesens non adfuit, libri VIII, ad Lisiardum, Svessionensem Episcopum, p. 367. In Bongarsii editione libri tantum septem numerantur, quia septimus et octavus ipsi unus liber est, sed in veteri MSto membranaceo, quem nactus sum ex auctione Gudiana, perinde, ut in Dacherii editione, liber octavus incipit ab his versibus pag. 538 edit. Bongarsianae tom. 1, gestor. DEI per Francos: *Hucusque Musa, per frutecta veprium* etc. Caeterum prosa non versu b) scriptum opus decurrit, quod Guilbertus post generalia quaedam de Mahumedis secta, et de corruptis Graecorum moribus repetit ab Anno CHristi 1095 perducitque usque ad Annum 1112 testatus ea quae scripsit se *a viris omnimoda praeditis sinceritate* comperisse. ANONYMO usus et ROBERTO, qui ambo familiam ducunt in praeclara sylloge Bongarsii, titulum etiam a Guiberto mutuati. Casparis Barthii in hos libros notae exstant in Joan. Petri Ludewig reliquiis MSS. et diplomatum tom. 3. pag. 406-487 una cum ejusdem glossario pag. 487-499. Quem sub *libri noni* titulo de gestis An. 1112 ab alio editi auctore subjunxit Dacherius pag. 453-455,

a) Apud Oudinum tom. 2. pag. 1020. vitiose excusum 1450.

a) Non *in Jobum*, ut calami errore apud Caveum in Historia Lit. Scriptorum Eccles. ad Annum 1101.

a) Eorum libellus, qui super dente hoc et Sanctorum loci miraculis actitat, citatur a Guiberto pag. 358. Confer, si placet, Dacherii notas pag. 575. seqq.

b) Versificandi studio ultra omnem modum, animum suum immersiss narrat lib. 1. de vita sua c. 16. pag. 476. adde notas Dacherii pag. 646.

eundem Bongarsius quoque pag. 559 560, sed extrema parte mancum vulgaverat.

10. *De vita sua* sive *Monodiarum libri III.* pag. 456 liber primus qui proprie de vita Guiberti est, ad DEUM oratione dirigitur, exemplo confessionum B. Augustini. In secundo, Abbatiae Novigenti res referuntur. Tertius persequitur tragoediam Laudunensem sub Galdrico Episcopo, aliaque, quibus a Dacherio pag. 526 subjuncta est Appendix in qua occurrunt:

1. HERMANNI Monachi de miraculis B. Mariae Laudunensis et de Bartholomaei, Episcopi Laudunensis et S. Norberti gestis libri III, ad Bartholomaeum, Episcopum ab An. 1113. a) Laudunensem pag. 526.

2. Dacherii ad Guibertum notae et observationes pag. 561 in quibus de Novingentina Abbatia pag. 626, seq.

3. Additamenta, in quibus continentur ANONYMUS *de Vita S. Geremari* Abbatis Ord. S. Bened. tempore Dagoberti Regis p. 667 alius de *Vita S. Simonis* ex comite Crespeiensi Monachi Ord. Benedicti, tempore Gregorii VII. pag. 671. *Vita S. Salabergae*, Abbatissae S. Joannis Laudunensis, tempore Dagoberti Regis, suppari auctore pag. 679. HUGONIS Rothomagensis Archiep. contra haereticos sui temporis libri III. p. 687. ROBERTI *de Monte*, Monachi Beccensis Epistola ad Gervasium pag 715. Prologus expositionis Epistolarum Apostoli secundum Augustinum pag. 716 Accessiones ad Sigebertum ab An. 876 ad 1100. p. 717. Temporum descriptio sive ad Sigebertum appendix ab An. 1101 ad 1184. pag. 748-810 praemisso pag. 730 prologo pag. 736. HENRICI Archidiaconi Epistola ad Varinum de antiquissimis Regibus Britonum et p. 740, sq. excerpta ex GAUFRIDI Arturi, sive GALFREDI Monemuthensis Historia. ROBERTI de Monte tractatus de immutatione antiquae consuetudinis Monachorum et de Abbatibus et Abbatiis Normannorum pag. 811. Lucae Dacherii Catalogus Decanorum Laudunensis Ecclesiae ab Anselmo usque ad Annum 1650. pag. 818 et de Abbatissis atque Abbatibus S. Joannis Laudunensis, Ord. Praemostrantensis pag. 832-834.

a) Vide Sammarthanos tom. 2. Galliæ sacræ pag. 620. seq. Hujus BARTHOLOMAEI diplomata apud Dacherium in notis pag. 628. 629. Epitaphium scriptum versibus pag. 659.

Hactenus editio Guiberti Dacheriana.

Exstat praeterea *sermo* ejus in verba libri Sapientiae, quae male in libris editis divelluntur VII, ult. et VIII, 1. *Sapientia vincit malitiam, attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.* Hujus sermonis a se habiti meminit Guibertus pag. 477 b. editusque ille post S. Bernardi opera in novissima editione Mabilloniana tom. 2. pag. 714.

Commentarium *in Abdiam Prophetam* ad Godefridum Abbatem Medardensem et Alardum Florinensem *in Micheam*: libris II *in Zachariam* libris III atque adeo *in universos XII, minores Prophetas*, MS. vidit in variis Bibliothecis Ord. Cisterciensis, clarissimus Oudinus tom. 2. p. 1021 ex quibus non nisi ea quae in Oseam et Amos scripsit Guibertus, a laudato Dacherio vulgata sunt. Commentario in Amosum subjicienda *ad Norbertum Epistola*, quam ex Codice Biblioth. Navarraeae, quo usus Cardinalis Petrus de Alliaco, edidit Jacobus Hommey in supplemento Patrum p. 489.

GUIBERTUS *Somersetensis* Anglus, Monachus Benedictinus et Monasterii Bristollensis ad S. Augustinum Abbas, praeter *sermones* scripsit etiam *Historiam sui temporis.* Vide Baleum X, 98 et Pitseum pag. 849. Nescio autem fallatne nos Carolus Vischius qui pag. 131. GUIBERTUM inducit *Cisterciensem* Abbatem de Lanego in Picardia, aitque eum conciones scripsisse et historiam sui temporis, circa Annum 1261.

GUIBERTUS *Tornacensis*, Theologus Paris. Ord. Minor. circa Annum 1263 de quo supra pag. 56 in GILBERTO: ubi dictis adde, *Vitam S. Eleutherii* editam primum ab Andrea Schotto in Auctario ad Biblioth. Patrum Colon. 1622 cum S. Eleutherii sermonibus: in Lugdunensi autem Biblioth. tom. octavo, ubi sermones illi repetuntur, omissam. Deinde falli B. Nicol. Staphorstium nostrum, qui tom. 3 hist. Eccles. pag. 357 ait *Hodoeporicon* Guiberti

(quod ex Henrico Gandavensi c. 54 constat exposuisse Ludovici IX, primam profectionem in Syriam, susceptam An. 1248) nihil aliud esse quam *Sermones* ejus ad quemlibet statum Fidelium, sive ad diversa Statuum et Officiorum genera pertinentes, quos Sermonibus Dominicalibus et Festivalibus subjunxit et quos MStos servat Bibliotheca templi Petrini hujus Urbis de) quibus laudatus Staphorstius pag. 355 seq.) editosque Lovanii tum Lugd. 1511. Paris. 1513, 8. Valerius Andreas memorat. Denique Antonius Sanderus in Biblioth. MS. p. 162 testatur vidisse se Guiberti hujus tractatum *de eruditione Regum* ad Regem Francorum Ludovicum XI. *Erudimentum doctrinae* omnibus praesertim Ecclesiasticis utile. Et tractatum *de modo addiscendi*, ad Joannem praepositum Brugensem, filium Comitis Flandriae.

GUICARDUS Abbas *de Vita S. Trudonis* Presbyteri et Confessoris laudatur a THEODORICO Abbate qui ejusdem Trudonis vitam scripsit, apud Surium 23. Nov. Obiit Theodoricus An. 1107. et S. Trudo A. 698. cujus vitam ante Guicardum tradiderat DONATUS Diaconus, de quo supra tom. 2 pag. 175.

GUIDO, (*Wido, Guigo, Wito*) *Adduanensis*, a) Caspare Barthio ex MSti fide scriptor habetur *Historiae Hierosolymitanae*, ab An. 1177 ad 1190 quae postrema parte manca, et sine nomine auctoris legitur in Bongarsii gestis DEI per Francos tom. 1. pag. 1160. 1172. Barthii in hanc Historiam notae obviae in Joan. Petri Ludewig tomo tertio reliquiarum MSS. omnis aevi p. 339 et glossarium pag, 551. Barthiique judicio *elegans est et lectu dignus liber: dixerim princeps Latini eloquii inter suos socios, certe plerosque.* Eandem historiam, integriorem ex alterius Codicis MSti fide sub nomine GALFREDI *Vinesauf* edidit Thomas Galeus tom. 2 scriptorum Angliae p. 247. Oxon. 1687. fol. De illo Galfredo supra pag. 10.

GUIDO ex Canonico et Archidiacono *Ambianensis* Episcopus ab An. 1058. ad 1076. vide Sammarthanos tom. 2. pag. 96. Ad hunc Epistola XLII. Alexandri II. data An. 1061. Hic *Guilelmi Normannorum Ducis* et post victum An. 1066. Heraldum, *Anglorum Regis gesta* metro condidit: ut soluta oratione tradidit eadem GUILELMUS Pictaviensis. Ambo laudantur a Guilelmo Gemmeticensi et Orderico Vitali in Normannicis Duchesnii. Gemmeticensis lib. VII. hist. Normannorum cap. 44. pag. 291. *Illa* (de Guilelmo Rege) *si quis plenius nosse desiderat, librum* **Guilelmi Pictaviensis**, Luxoviorum Archidiaconi *eadem gesta sicut copioso ita eloquenti sermone affatim continentem legat. Edidit praeterea de eadem materia opus non contemnendum* Guido Episcopus Ambianensis, *heroico metro exaratum.* Ordericus libro III. pag. 503. *De Guilelmi Regis probitate et eximiis moribus, ac prosperis eventibus et strenuis admirandisque actibus* Guilelmus Pictavinus, Luxoviensis Archidiaconus *affluenter tractavit, et librum polito sermone et magni sensus profunditate praeclarum edidit. Ipse siquidem praedicti Regis capellanus longo tempore extitit, et ea quae oculis viderit, et quibus interfuerit, longo relatu vel copioso indubitanter enucleare studuit. quamvis librum usque ad finem Regis, adversis casibus impeditus perducere nequiverit.* Guido *etiam* Praesul Ambianensis *metricum carmen edidit, quo Maronem et Papinium gesta heroum pangentes imitatus, Senlacium bellum* (in quo victus Heraldus, et de quo Ordericus pag. 501 seq.) *descripsit: Heraldum vituperans et condemnans, Guilelmum vero collaudans et magnificans.* Gustum brevem venae hujus Guidonis habemus *in Epitaphio* quod A. 1045 adhuc Archidiaconus posuit *Angeliranno* Abbati *Centulensi* servavitque Hariulfus in Chronico Centulensi IV. 17. tom. 2. spicilegii Dacheriani edit. novoe pag. 340. Vide et Mabillonium Sec. VI. Benedictin. pag. 507.

GUIDO *Aretinus*, Monachus Ord. S. Benedicti ac deinde Abbas S. Crucis Avellanae prope Aretium: a Benedicto VIII. Pontifice (qui An. 1024 obiit) accersitus Romam a)

a) Vide Bulæum tom. 5. Acad. Paris. pag. 682. Waddingum pag. 146 seq. Sweertium pag. 289. Valerium Anvream p. 303.

a) Guido ipse in *Epistola* ad Milichaëlem Mona-

ipsi, atque successori ejus Johanni XIX a) probavit praeclarum in Musica studium suum, *in hoc*, Sigeberto judice b) *prioribus praeferendus*, *quod ignotos cantus etiam pueri et puellae facilius discant vel doceantur per ejus regulam*, *quam per vocem magistri aut per usum alicujus instrumenti*, *dummodo sex litteris vel syllabis* c) *modulatim appositis ad sex voces* d) *quas solas regulariter Musica recipit*: *hisque vocibus per flexuras digitorum laevae manus distinctis: per integram diapason se oculis et auribus ingerunt intentae et remissae elevationes vel depositiones earundem vocum*. Hic ad Theobaldum, sive Theodaldum potius, Episcopum ab An. 1014. ad 1037. Aretinum e) scripsit *Micrologum* sive *libros duos de Musica* quorum prior prosa constat, alter carmine partim hexametro partim trochaico rhytmico a). *Epistolam dedicatoriam ad Theodaldum* edidit Baronius ad Annum 1022 n. XXIII. Meminit et Domnizo lib. 1 de vita Mathildis Ducatricis c. 3 apud Leibnitium tom. 1 scriptor. Brunsuici pag. 644. Libri ipsi Guidonis quanquam in pluribus Bibliothecis MSti b) needum lucem viderunt quod sciam. Semel citatur ejus Micrologus a M. Meibomio ad Gaudenrium pag. 37. Vir Clarissimus Bernardus Pex tom. 3 anecdotor. parte 3 par. 618 in Bibliotheca Burensi extare testatur breve Guidonis scriptum *de mensura Monochordi*, quod incipit: *Cum primum a G ad finem*, *novem passibus Monochordum partiris*, *primus passus terminabitur in A* etc. Guido ipse in *Epistola ad Michaëlem Monachum*. quam laudatus Baronius ad Annum 1022. n. XXI. vulgavit, memorat *Antiphonarium suum praefixis Regulis* recensitum, quod *velut quoddam prodigium* revolvit Benedictus VIII. Caeterum exceptis notis Musicis, nihil Guidonem praeter veterum auctoritatem immutavisse, vel Musicam eorum instructiorem reddidisse disputat Marcus Meibomius ad Aristidem Quintilianum p. 240 et ad Euclidem p. 54. Contra illorum etiam sententiam, qui eo argumento cantum Guidonianum instructiorem esse antiquo contendunt, quod veterum systemata, Aristoxeni tredecim, aliorum post eum c) quindecim tantum continuerit sonos, Guido senarium majorem addiderit, ita ut viginti nunc sonos habeamus, Isaacus Vossius, de viribus rythmi p. 94 notat Guidonem in concinnanda sua scala secutum esse harparum et organorum sui temporis exemplum, illa enim, viginti inquit, ut plurimum instructa tibiis habuisse systemata, docet scriptor aliquot seculis Guidone vetustior: *Porro numerositas nervorum vel fistularum, ut puta viginti unius aut plurium, non idcirco apponitur quod soni ultra quindecim, aut forte sexdecim protendantur, sed ipsi iidem qui sunt inferius, repetuntur*, *et hoc pro*

chum S Mariæ Pomposiani Cœnobii, edita a Baronio ad num. 1022. n. XXI. XXII. ubi pro *abii igitur Romam*, male excusum legitur: *Alii igitur Romanum*.

a) Baronius in Codice suo reperit hæc verba: *Joanne vigesimo*, *Romanam gubernante Ecclesiam*, Micrologum *suum edidit Guido anno trigesimo quarto aetatis*. Cæterum ut notatum Pagio, Joannes qui Benedicto VIII. successit, Joannem XIX se vocat ipse in rescriptis suis.

b) In Chronico ad Annum 1028. et in libro de scriptoribus Eccles. c. 144.

c) *Ut, re, mi, fa, sol, la*, ex noto hymmo Pauli Diaconi in S. Joannem Baptistam:

UT queant laxis *REsonare fibris*
MIra gestorum *FAmuli tuorum*
*SOLve polluti*s *LAbiis reatum*
Sancte Joannes.

Vide si placet quæ ad illum Pauli hymnum Joannes Weitzius in heortologio p. 263. seq. et Menagius in originibus linguæ Gallicæ, voce *De mol*, ubi affert et hoc distichon nescio cujus auctoris:

Corde Deum Et Fidibus Gemituque Alto Benedicam
UT RE MI FAciat SOLvere Labra Sibi.

Exta et hoc Abrahami Bucholzeri distichon in ejus Chronologia ad A. C. 1044.

Cur adhibes tristi numeros cantumque labori?
UT RElevet MIserum FAtum SOLitosque LAbores.

d) Vide recentiorum Systema Musicum Guidonianum sive scalam magnam cum veterum systemate comparatam in tabella apud M. Meibomium notis ad Euclidis introductionem Harmonicam pag. 51. et Sebastiani Brossardi Lexicon Musicum Gallice editum in vocabulo *Systeme*, p. 163. seq.

e) Ughell. tom. 1. Italiæ sacræ p. 415.

a) Vossius de scientiis Matth. cap. XXII. § 7. g. 95. Cangius in voce *Micrologus*.

b) Vide Oudinum tom. 2. pag. 600.

c) Vide Aristidem Quintilianum pag. 23.

varietate modorum. Ac sane XXVIII. φθογγὰς sive tonos Musicis frequentatos jam describit Nicomachus lib. 2. manualis harmonici pag. 39. Sicut autem Guido per syllabas *ut, re, mi*, etc. ita veteres Ægyptii per septem vocales exprimere totidem sonos consueverunt, ut ex Demetrii libro περι ερμενειας §. 17. edit. Oxon. Isaacus Vossius docet, atque eundem in modum Gregorius M. primis ad hoc usus est septem litteris Alphabeti, quibus decursis sive adscendens cantus sive descendens redit ad octavam et iisdem *obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

Huic Guidoni Trithemius c. 318. tribuit librum *de corpore et sanguine Domini* adversus *Berengarium*, eundemque respiciens fortasse Anonymus Mellicensis c. 89. Guidonem, fide *ac scientia incomparabilem* appellat. Gerh. Joan. Vossius etiam p. 95. de scientiis Mathematicis ait Musicum Guidonem esse qui ex Monacho Coenobii Hectonis sive S. Leufredi sive Lodifredi apud Ebroicenses Normannos, factus sit Archiepiscopus Aversanus, atque Ecclesiae Romanae Cardinalis. Sed illum Guidonem sive Guimundum qui contra Berengarium scripsit, recte a Guidone Aretino distinguit praeter Anonymum Mellicensem cap. 102. idem Trithemius cap. 122. et II. 80. de illustr. Benedictinis: neque tempus patitur cum Guidone Aretino eundem fuisse. Archiepiscopum Aversanum, superstitem adhuc An. 1090 de quo infra, GUITMUNDUS.

Similiter cavendus lapsus Possevini, qui *Micrologum* Guidonis Musicum confundit cum Micrologo de Ecclesiasticis observationibus seu de Missa rite celebranda, ut a Pagio ad Annum 1022 num. IX et ab Oudino recte jam notatum. De illius auctore infra, MICROLOGUS.

(133 Sopra Guido d'Arezzo Dissertazione di Luigi Angeloni. Parigi 1811. 8.)

GUIDO *Argentinensis* Ord. Praed. qui ante Annum 1400 scripsit in Aristotelis Physicam, Ethicam, de Anima, Politicam, Rhethoricamque. Vide Jacob. Quetif t. 1 p. 726.

GUIDO *de Basochis,* infra *Cantor.*

GUIDO *de Bayfo*, apud Trithemium cap. 292 apud Cangium rectius *de Bayso* a) sive *Baisius*. Hic Patricius Regiensis, nonnulla *Joannis Teutonici* glossis *in Decretum* addidit, et in *sextum librum Decretalium* nobiles glossas Rectori Universitatum Juris studiosorum dedicatos inscripsit. Bononiae idem Canones circiter An. 1280 interpretatus, demum ex Canonico S. Victoris Bonon. *Archidiaconi* dignitatem nomenque tenuit. In totum quoque *Decretum* libris IV interpretationes a doctrinae fragrantia *Rosarium* appellatas composuit, quas *Gerardo* Sabinensi Episcopo, cujus Sacerdos, vel, ut vocant, Capellanus fuerat, dedicavit easque An. 1300 perfecit. Eundem summi Pontificis capellanum, et litterarum contradictarum Auditorem fuisse, vetustis monumentis inveni. Haec de eo Guidus Pancirollus de claris Legum interpretibus III. 16. Rosarium et in VI Decretalium prodiere Venetiis 1577. fol. cum notis Nicol. Superantii et Petri Tretii Albignani.

* In MS. Codice Biblioth. Canonicor. majoris Ecclesiae Lucanae legitur Tractatus *super de haeresi et aliis criminibus in Causa Templariorum et Dom. Bonifacii divina providentia Papae VIII. Compositus per famosissimum et excellentissimum Decretorum dominum Guidonem Baisio. Incipit: SS. in Christo patri et Dom. Clementi V. Sacrosanctae R. E. Capiti presbyter Guido e Baisio Archidiaconus Bononiensis S. Sanctitatis humilis capellanus.* Alteram partem huius opusculi exhibentem apologiam Bonifacii VIII. cuius memoriam multis calumniis adversarii laceraverant, ex hoc acceptam commentario ego in meo Conciliorum Supplemento ad Conc. Viennense evulgavi. Glossas in VI Decretalium dicavit Archidiaconus non omnibus quidem Rectoribus universitatum, sed rectoribus *Universitatis Scholarium Bononiae degentium;* sic lego in MS. Codice hoedino Biblioth. Felini; ex quibus corrigas Fabricium qui directas ait Glossas istas Rectori universitatum juris studiosorum.

Ejusdem Guidonis lectura in Decretum

a) Vide Gabr. Pennotum in Historia Canonicorum pag. 309 et 815. Hendreichii Pandectas Brandenburg. in *Baisius*.

cum tractatu de poenitent. et cum rosario primo vulgata est Romae an. 1477. *per venerabilem virum D. Simonem Nicolai de Luca cuius nomine et auctoritate D. Nicodemus de Cárdelio opus illud rexit et gubernavit.* In fine editionis eiusdem rarae oppido leguntur versus isti.

Nicodemus R. Card. Malfectensi
Laetor ego et mecum plausu fremit Itala tellus
Prae nimiaque omnis gestio laetitia
Gemma diem faustum notet hunc mihi lactea quando
Littera temporibus praessa reperta meis
Ingeniosa novam Germania repperit artem
Quam rapui nuper, sed meliore modo.
Nos opus hoc quod damus tua quod gymnasia carpant
Et castigatum citius ipse legas
Feci ipse et gemino que nuper lumine vidi
Haereo num certam sint habitura fidem
Germani sed quae studio invenere priores
Reddidimus certis haec meliora notis
Imprimit una dies quantum non scribitur anno
Aetas tot libros non dedit ante tibi
Undique congeries librorum vasta nec unquam
Bellorophoronteae copia maior aquae
Emicat insigni seu nunc Cillenius astro
Seu Natura novas tempore fundit opes
Cedite jam calami jam cedant anseris alae
Supra hominum vires tollitur ingenium
Plaudite Scriptores Graii, plaudete Latini:
Candidior nobis Gloria semper erit.
Ex me posteritas tam grandi munere felix
Annua redde pio thura Sabaea Deo.

GUIDO *Baisius*, superioris fratris filius atque ipse Decretorum Doctor Jurisque Pontificii Professor et Decretales Bononiae interpretatus, ac postea ab Anno 1313. *Regiensis* et ab Anno 1330. *Concordiensis* Episcopus, usque ad Annum 1347. Vide Ughellum tom. 5. Italiae sacrae pag. 347 cui GUIDO *de Guisis* appellatur, ubi ex MS. exhibentur ejus Acta inquisitionis de juribus Episcopatus Concordiensis.

Bernardus GUIDONIS, supra tom. 1, p. 204 in BERNARDO.

GUIDO *Bobiensis* Abbas circa 1093 cujus *statuta Canonicorum Regularium* laudat Cangius. Sub idem tempus vixit GUIDO Monachus atque inde post Hugonem Abbas Farfensis Coenobii B. Virginis in agro Acutiano in Sabinis, in Ducatu Spoletino Ord. Benedict. cui *libri II. de usu et ordine ad ornandam Ecclesiam Catholicam, nec non ad conservandam Regularis tramitis normam in Coenobio Farfensi* ex duobus MSS. Vaticano et monasterii S. Pauli Romae, editi sunt in Benedictinorum e Congregatione S. Blasii in Sylva nigra, praeclara sylloge veterum monumentorum cui titulus: Vetus disciplina Monastica. Paris. 1726. 4. pag. 37. 132.

GUIDO *Bonatus* sive *Bonactus*, licet natus in Tuscia, Foroliviensem se professus est, quod ibi vixit, et Theoricam Planetarum variaque Astrologica sive apotelesmatica scripsit circa Annum 1282. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XV, pag. 217 218. Ejus decem tractatus Astrologici, Augustae Vindel. 1491 4. ex correctione Magistri Joannis Angeli, per Erhardum Ratdolt cum figuris ligno incisis. Inde Venetiis 1506 fol. Basil. 1530 1550. Augustae Vindel. 1581. et Germanice Basil. 1572. Etiam contra Franciscanos scripsisse tradit Hendreichius in Pandectis Brandenburgicis pag. 639. Singulare est quod de eo notat ex Jacobo Cantero Frisio Gesnerus, quod Forlivium Martini IV. Pontificis maximi tempore obsessam, dum civibus suis idoneum maxime hostibus obviam exeundi tempus exposuit, incolumem servavit.

* Si fides habeatur Jacobo Malvecio in chronico Brixiensi Guidonem hunc penes se habuit, ac de futuris rerum eventibus saepius consuluit Ezelinus de Romano celebris in Italia Tyrannus, qui an. 1259 vita cessit. Vide Malvecium Chron distin 8. cap. 28 et 30.

* Quamquam Pocciantus aliique nonnulli post illum affirmant Bonactum hunc in Thuscia ortum duxisse; id tamen negant Forolivienses approbantes productis tabulis gentem Bonactam sedes habuisse suas Forolivii eo etiam tempore quo Guido noster agebat in vivis. Vide Marchesium de viris illustribus Foroliviensibus pag. 240. Ex quo fit, ut cum Bonactus Foroliviensem se dicat, non locum tantum habitationis, sed ipsam proprie patriam designet.

(134. Della patria di Guido Bonatti Lettera di Baldassarre Boncompagni. Roma 1851. 8. — Lettera al Boncompagni di Luigi Rezzi. Ivi 1852, 8.)

GUIDO *Bononiensis* Archidiaconus cujus *Apparatum MS. super sextum Decretalium*

memorat Bibliotheca Belgica Sanderiana pag. 177 a Guidone *de Bayso*, neutiquam distinguendus.

GUIDO a) *Briansonius* Aurelianensis Ord. Minor. supra in BRIANSONE tom. 1, p. 258.

GUIDO de Collemedio Episcopus *Cameracensis* circa Annum 1302 vide Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae p. 241 et Joannem Carpentarium in historia Cameracensi, edita Gallice Lugd. Bat. 1664 4. pag. 384. Valerius Andreas et Franciscus Sweertius praeter illius *Sermones* memorant *dialogum de VII. Sacramentis;* cumque in septem fontium Monasterio MS. servatum testantur. Sermonem de duodecim fructibus Sacramentorum appellat Possevinus.

GUIDO *Cantor* S Stephani Catalaunensis, frater Nicolai viri nobilis *de Bazochis*, et Abbatis Milonis S. Medardi Svessionensis, diem obiit An. 1203 ut ad eum annum notat Albericus, qui pag. 431 testatur scripsisse *librum* unum *apologeticum, et usque ad mortem Regis* Angliae Galliaeque *Richardi* primi An. 1199 *librum Historiarum* a Mundi principio breviter transcurrendo usque ad tempus suum: *cujus dicta,* inquit Albericus, *suis in locis in hoc opere annotavimus.* Et scripsisse praeterea *de Mundi regionibus* libellum unum in eodem Volumine contractum, et praeter haec, *volumen* aliud satis Rhetoricum *Epistolarum* diversarum. Excerpta MSS. ex Chronica Guidonis de Basochis, continentia descriptionem populorum variorum, Historiam Biblicam Romanamque memorat Sanderus in Bibl. Belgica MSta pag 245.

GUIDONES *Carthusiani* duo, infra GUIDO.

GUIDO *Casinensis*, Presbyter circa Annum 1110 scripsit teste Petro Diacono de viris illustribus Casinensibus cap. 41 *historiam Henrici* (IV.) *Imperatoris*: *visionem Alberici* pueri, ac postea Monachi Casinensis tempore Guirardi Abbatis: *Versus de fortuna ejusdem*: et *quae in historia Casinensi deerant* a temporibus *Oderisii* Abbatis, hoc est ab Anno 1080 ad suam usque aetatem.

a) Aliis GERHARDUS vel GVILELMUS, vide Waddingum p. 145.

GUIDO *a Castro*, Prior Carthus infra GUIDO.

GUIDO *de Castro* sive *de Castello*, inter Papas CÆLESTINUS II de quo supra t. 1. pag. 292 Ejus Epistolam ad Petrum Priorem et Fratres S. Sepulchri edidit Gabriel Pennotus in historia Canonicorum pag. 533.

GUIDO *Cariloci* Abbas in Burgundia Sequana, circa Annum 1150 Ord. Cisterc. scriptor tractatus *de correctione Cantus Ord. Cisterc.* sive *Antiphonarii* quod sub S. BERNARDI nomine editum a Clariss. Mabillonio dixi tom. 1, pag. 208. Vide Oudinus t. 2, pag. 1417.

GUIDO *de Cenodro*, sive ut apud Possevinum *de Cenodio*, Ord. Praed. nullus est. Vide infra JACOBUS *de Tonnera.*

GUIDO sive WIDO de Pare, ex Abbate et Generali *Cisterciensi* An. 1188. Cardinalis, obiit An. 1202. Ejus *Constitutiones et Leges pro militibus Calatravae* An. 1187 exstant in libro privilegiorum Ord. Cisterc. Antwerp. 1630. Vide Carolum Visch pag. 132. Biblioth. Cisterc. Oudinum tom. 2, p. 1685 seq. et G. Josephi Eggs purpuram doctam tom. 1, pag. 101 ubi notat errorem eorum qui hunc Guidonem confundunt cum Guidone juniore qui priori successit, et ex Generali Ordinis Cisterciensis factus est Archiepiscopus Remensis, de quo Sammarthani tom. 1, pag. 519. seq. et Ughellus tom. 1, pag. 202.

GUIDO Claromontanus Episcopus. Infra *Guido de Turre.*

GUIDO de *Columna*, Messanensis Siculus: Judicis officio functus esse in patria, et Juris prudentiae, atque elegantiorum litterarum studio, patriae linguae quoque et poëseos laude floruisse traditur. Vide Mongitoris Bibliothecam Siculam tom. 1, p. 265 seq. Latine An. 1287 scripsit in gratiam Matthaei de Porta, Archiep. Salernitani, *Historiam Trojanam,* prodiit Argentor. 1486 et 1489. fol. incip. *Licet cotidie vetera recentibus obruantur.* Ad calcem legitur: *factum est praesens opus a judice Guidone de Messana An. Dominicae incarnationis* 1287. *primae indictionis.* Prodiit etiam Italice Venet. 1481 et Neapoli 1665. 4 sed versionis

auctor non ipse Guido, verum Philippus sive Christophorus Cellius, Florentinus. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XIII, pag. 258 seq. De Germanica versione MS. in Biblioth. Caesarea adi Lambecium tom. 2, p. 948. Guidonis hujus *Chronicon Britannorum* citatur a Theodorico Engelhusio, Roberto Fabriano, aliisque. Ac sane praeter Historiam *de Regibus Rebusque Angliae* traditur etiam scripsisse *Chronicon magnum libris XXXVI.* Non video tamen qui illa viderit, et Baleus quoque XIII. 36. nihil ejus nisi Historiam Trojanam memorat. De Italicis ejus poëmatibus, laudatus Mongitor pag. 167.

GUIDO *Concordiensis* Episcopus, supra *Guido Baisius.*

GUIDO *Cremensis*, infra, *Guido Papa.*

GUIDO Abbas Monasterii *de Cruce* S. Leufredi. Vide si placet infra, GUITMUNDUS.

GUIDO Abbas *S. Dionysii* Paris. cujus *Sanctilogium* sive Volumina de Vitis Sanctorum MSS. in Bibliotheca S. Victoris Paris. Non confundendus hic cum *Bernardo* GUIDONE Episcopo Lodovensi de cujus Speculo Sanctorali dixi tom. 1, pag. 205.

GUIDO *Ebroicensis*, ex Menilo, Ebroicis Neustriae vicino Ord. Praed. clarus circa Annum 1290. Praeter *Sermones* de tempore et Sanctis scripsit *de clavibus Divinae Scripturae*, seu annotationes ad TYCHONII Afri regulas pro S. Scripturae intelligentia. *Regulam mercatorum*, et *summam de Divinis nominibus.* Vide Jacob. Quetif tom. 1, pag. 420 seq. Oudinum tom. 3, pag. 570.

GUIDO Ord. *Eremitarum*, cujus formula revocationis errorum quorundam, in Bibliothecis Patrum, ut Paris. 1589. tom. 4. pag. 331.

Magister GUIDO *Fabe*, scriptor *Dictaminum* sive *summae Dictaminum.*

GUIDO Abbas *Farfensis*, supra in *Guidone Bobiensi.*

GUIDO de Pileo, *Ferrariensis* Presbyter et ab An. 1204 ad 1349. Episcopus, scripsit Petri de Riga exemplo, poëma de Veteri et Novo Testamento, ad Clementem V Pontificem, quod inscripsit *Bibliorum Perlam* sive *Margaritam.* Incipit: *Nobile principium ter.* Vide Trithemium cap. 541. et Ughellum tom. 2. Italiae sacrae pag. 545. ubi etiam de successore hujus Guidonis, Guidone Abaiso, Archiepiscopo deinde Ravennatensi.

GUIDO *Flonochetus* sive *Flammochetus* Gallus Ord. Praed. Magister defunctus An. 1451 scriptori *Chronici*, sed quod ubi reperiatur, vel quas res contineat, neminem tradentem reperi. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 808.

GUIDO *Folla*, Theologus Anglus et Episcopus Eliensis, cujus *alam Anglicanam* siv *de vitiis Epistolarum*, et librum *contra haereses et haereticos* memorat Pitseus p. 850.

GUIDO *Fulcodius*, inter Papas CLEMENS IV supra tom. 1. pag. 364 seq. Durando dictus *Lumen Juris*, et Ptolemaei Lucensis verbis, *quanto plus crevit in dignitate, tanto plus floruit in sanctitate.*

GUIDO *Fulginas* Ord. Minor. circa Annum 1300 cujus Sermones anniversarios Festorum, nec quicquam praeterea Waddingus pag. 150 commemorat.

GUIDO Marguetati *Gallus*, Ord. Praed. clarus Parisiis circa Annum 1450. cujus *Sermones* in Epistolas et Evangelia, de tempore et de Sanctis, et *Summa naturalis Philosophiae compendiosa* memoratur apud Jacobum Quetif pag. 807.

GUIDO *Geneti, Guetius, de Guezziis Guenettis* sive *Guinitiis*, Bononiensis, Dominicanus, circa Annum 1386. quem Leander Albertus testatur domum Ordinis Praed. Bononiensem multis Codicibus ditasse. Ex scriptis ejus nihil aliud ab laudato Quetif tom. 1 pag. 688 referri reperi quam *Commentarium in Aristotelis Ethica.*

GUIDO Burgundus de villa Mymo Abbas *S. Germani* Autisidoriensis Ord. Benedict. ab An. 1285 ad 1309 et defunctus A. 1313. Hujus sunt *gesta Abbatum S. Germani Autissiodorensis* ab An. 998 ad 1285. quae Labbeus in Bibliotheca nova MSS. tom. 1. pag. 570. edidit subjuncta p. 586. Appendice AYMONIS *de Bordis* Monachi ejusdem Abbatiae, de vita Guidonis istius Abbatis: et pag. 589 appendice altera ODONIS *de Vavcemani*, Prioris ejusdem Monasterii, in qua describitur vita Gaucheri Abbatis qua obiit An. 1333. In vita Guidonis memorabile

est quod p. 587 ab Aymone traditur, cum adhuc esset Subdiaconus, opus suscepisse valde mirificum et monasterio quam plurimum fructuosum complevisse. *O quam noctes transiverit insomnes, ut nobis subditis suis quietem praepararet, legendo videlicet et studendo litteras et chartas nostras, quae a tantis et tam longinquis temporibus, et ex tam diversis figuris seu litteris extraneis sunt formatae et confectae, quod vix aut nunquam posset nobis series reserari, unde seriem praedictarum litterarum seu chartarum post multos labores et angustias in quodam Chartulari bene legibili fecit inscribi et apponi.*

GUIDO *Grossus*, idem *de Castro*: infra, GUIDO.

GUIDONIS *Gueregiati* testamentum An. 1177 conditum edidit Dacherius tom. IX. spicileg. p. 151. (edit. novae t. 3. p. 542.)

GUIDO *de Gusis,* supra *Guido de Bayso.*

GUIDONIS *Jordani*, Ord. Praed. *Legiloquium et Summa* MS. Venetiis teste Tomasino pag. 28.

GUIDO Magister, supra. *Guido Fabe.*

GUIDO *Marchensis*, sive *de Marchia*, Ord. Minor. Monachus Anglus, scriptor *Querelae*, sive responsionis ad querelam *Mundi contra Religionem Fratrum Franciscanorum* rhythmis trochaicis qui incipiunt: *O CHristi vicarie, Monarcha terrarum.* Vide Baleum XII 16. Pitseum pag. 850. et Waddingum pag. 150 qui notat hanc querelam a quibusdam tribui S. BERNARDINO Senensi atque ejus praefixam legi operibus.

GUIDO Ord. *Minorum* cuius *Collectio Decretalium* teste Cangio MS. exstat in Biblioth. S. Germani de Pratis, Cod. 774.

GUIDO *de Monte* Rotherii, sive Rocherii potius ut in MS. Baluz. (Graeco interpreti δὲ Μοντε Ῥοκὶν) Gallus Theologus qui An. 1330. scripsit *Enchiridion Sacerdotum* seu *Manipulum Curatorum*, ad Raimundum Valentiae Episcopum libris III Trithemio cap. 579 laudatum, memoratumque Sandero inter MStos Codices Belgii pag. 171. et B. Staphorstio nostro inter Codice MStos Bibl. Petrinae hujus Urbis tom. 3. hist. Eccles. Hamb. pag. 348. et Tobiae Eckardo inter MSta Quedlimb. Latine plus simplici vice editum Paris. 1488. Venet. 1491. et Antwerp. 1570, Graece vertit Georgius Alexander Corelianensis de quo Allatius libro de Georgiis p. 409. seq. (Tom. X. Biblioth. Graecae pag. 786. seq.) Sunt qui hunc Guidonem de Monte Rocherii eundem esse volunt cum GUIDONE *de Perpiniano:* erroris tamen arguit Miraeum Nicol. Antonius, Biblioth. vet. Hispan. pag. 106 quod in auctario de scriptoribus Eccles. eundem *Guidonem de Monte Perpiniano* appellasset. De *Guidone* ex Comitum *Montis belli* stirpe sato vide infra, *Guido Vicentinus.*

GUIDO *Musicus*, sopra, *Guido Aretinus.*

GUIDO *Narbonensis* Archiep. supra, CLEMENS IV. Papa, t. 1. p. 364.

GUIDO *Papa*, supra *de Castro*, CÆLESTINUS II. et *Fulcodius* CLEMENS IV. Atque *anti-Papa* GUIDO *Cremensis*, a) sub nomine PASCHALIS III. ab An. 1164 ad 1167. Denique Guido *Viennensis*, CALIXTUS II.

GUIDO *de Pareto*, supra *Guido Cisterc. Generalis.*

GUIDO Terrena *de Perpiniano* Doctor Parisiensis, Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Prior Generalis, et cum Theologiam docuisset Avenione, Episcopus ab A. 1332 in patria sua Elnensis b) sive Helenensis in Hispania Tarraconensi c) usque ad Annum 1342. quo 21 Aug. fatis concessit, Inquisitor etiam fidei Generalis: de quo praeter caeteros Nicolaus Antonius lib. IX Biblioth. veteris Hispanae cap. 5. Inter eius scripta praecipue innotuit.

Summa de haeresibus et *earum confutationibus* ad Gaucelinum, Cardinalem Albanensem. Paris 1528 fol. Colon. 1631 fol. per Jo. Henr. Volckmartanum, et 1655. fol. opera Joannis Geineri qui etiam varia Guidonis ejusque scriptorum laudibus dicata judicia variorum adjunxit. Disputat autem

a) Cremonensem patria fuisse disputat Franciscus Arisius in Cremona litterata tom. 1 pag. 78. seq. sed vide sis Diarium eruditorum Italiae tom. X pag. 275.

b) Vitiose apud Trithem. cap. 534. aliosque *Elvensis.*

c) Hic in Comitatu Ruscinonis Episcopatus deinde ab *Elna* in vicinam *Perpinianum* montibus adjacentem Pyrenaeis translatus fuit.

in illo opere a) primum Guido de haeresi in genere, deinde de erroribus Judaeorum, Graecorum, Jacobitarum, Georgianorum et Armenorum: postea de haeresibus ab Augustino et Isidoro commemoratis, ac tandem de sectis quae post Augustinum et Isidorum exortae, tum aliis, tum Waldensium: nec contentus haeresium nudam narrare historiam, sed cum singulis haereticis manus tentans conserere, quanquam judice Alphonso de Castro parum feliciter, atque ita ut in ipsa etiam historiae narratione passim deficiat peccetque, et Leone Allatio notante *fundum* praebeat *mendaciorum feracissimum.* Confer. Rich. Simonis notas ad Gabrielem Philadelphiensem pag. 194 seq.

Concordia Evangeliorum, b) Augustini scripta imitatione, sive *Quatuor unum* et Expositio in tria Cantica, *Magnificat, Benedictus* et *Nunc dimittis*, Utraque edita cum summa de haeresibus. Colon. 1631 et 1655. fol.

Opus tripertitum *de perfectione vitae Catholicae* ad Joannem Papam XXII scriptum An. 1323. MS. in Biblioth. Vaticana et in Colbertina.

Correctorium Juris, sive *Correctio Decretorum*, Commentarius in librum decretorum Gratiani, notans loca S. Scripturae et Patrum ab eo allegata: ad Cardinalem Albanensem. MS. in eadem Vaticana et Regia Parisiensi. Vide Baluzium ad Anton. Augustinum p. 642.

Constitutiones Synodales Ecclesiae Helenensis An. 1335. 1337. 1338. 1339 et 1340. editae in cardinalis Aguirrii Conciliis Hispaniae tom. 3. pag. 590. 607. In his etiam decretum de immaculata conceptione B. Mariae.

In majorem Bibliorum sacrorum partem. Vide Possevinum, et Allegrii paradisum Carmelitici decoris p. 823.

In IV. libros Sententiarum.

In octo libros Physicorum Aristotelis, ad Rogerium Armanacum, MS. Romae in Coenobio Carmelitarum S. Mariae Transpontinae.

a) B. Thomas Ittig de haeresiarchis Apostolicae aetatis pag. 20.

b) Cum hac Concordia Evangeliorum idem fortasse est qui a quibusdam Guidoni tribuitur *Liber de Vita et moribus CHristi*, apud Nic. Antonium tom. 1 Biblioth. vet. Hispan. pag. 107.

Quaestiones in libros de Anima.

In XII. libros Metaphysicae.

Quaestionum ordinariarium liber et alius *Quodlibetorum sex.*

In IV. libros Sententiarum.

Reprobationes operis Catalonici, contra ARNALDUM *de Villa nova*, Catalaunum de quo supra tom. 1. pag. 129.

Epistola ad Joannem XXII. Papam, *utrum invocantes daemonem sint haeretici?* Vide et supra, GUIDO *de Monte.* Caeterum Guidoni Perpiniano apud Joan. Ludov. Hockerum in Catalogo Biblioth. Hailsbrunnensis p. 26 praeter rem tribuitur *Vocabularius Biblicus*, qui est GUILELMI *Britonis* Ord Minor. de quo dixi tom. 1. pag. 261. Sepulchrum Guidonis ad huc diem visitur apud Carmelitas Avenionenses sed ulla absque inscriptione, ut notavit Ludovicus Jacobus in Bibl. Pontificia pag. 328.

GUIDO *de Pileo,* infra, *Vicentinus.*

GUIDO *de Pinu, Carthus.* infra GVIGO.

GUIDO *de Plantis* cujus *Historiam Trojanam* Cangius memorat, non diversus opinor a *Guidone Columna*, de quo supra.

GUIDONIS *Pontivi*, sive *Pontivorum* in Gallia Comitis Epistola ad Lambertum Episcopum Atrebatensem post Annum 1093. in Mabillonii Annalectis tom. 3. pag. 468. (edit. novae p. 461.)

GUIDO Ord. *Praed.* cujus *Sermones* in Biblioth. Sancti Germani Paris. evolvit Cangius, est unus ex supra memoratis: sicut et Frater Guido, cujus Sermones memorat Tomasinus pag. 22. MSS. Biblioth. Venetarum.

GUIDO *Praenestinus* Episc. et Cardinalis An. 1198. supra *Guido Cisterc.*

GUIDO *Ravennas* Presbyter, ante annos fere octingentos et quinquaginta scripsit *vitas* sive *res Pontificum Romanorum*: addendus Ludovici Jacobi Bibliothecae Pontificiae, et Volaterrano in limine libri XXII. commemoratus post Damasum, Anastasium Biblioth. et Paulum, Diaconum Aquilejensem. *Historiam* hujus Guidonis *de bello Gothorum* exstare scribit Vossius, ubi autem, non docet. Neque in Hispania illustrata occurrit, neque in Boecleri Bibliographia Critica pag. 359 hoc disserte satis traditur,

quod Sandius ex illa annotavit: nam Ablavium quoque eodem loco Bibliographiae memoratum frustra in Hispania illustrata quaesiveris: in cujus tertio tomo praeter Procopii apospasmation de Gothorum Origine, tantum legitur Isidori Cronicon Gothorum, Vandalorum et Svevorum. Caeterum vix videtur esse dubitandum *Geographiae libros quinque*, quos sub Anonymi Ravennatis nomine primus edidit Placidus Porcheronus Paris. 1688. 8. et Jacobus Gronovius Melae suo subjecit Lugd. Bat. Bat. 1696. 8. huic Guidoni deberi. Vide Caspar. Berettum, Monachum Benedictin. eruditum auctorem diss. de Chorographia Italiae medii aevi tom. X thesauri Muratoriani pag. X et C. V. Petrum Wesselingum in Praefat. ad itinerarium Antonini, accuratis et doctissimis notis illustratum. Neque integrum opus Guidonis, sed compendium tantum a Porcherono, Gronovioque editum esse laudatus Berettus contendit.

GUIDO Abbas *de Samnajo* (de Sarnajo) in dioecesi Paris. Ord. Cisterc. et Episcopus Carcassonensis, de quo Sammarthani tom. 2. pag. 477, seq. Albericus ad Annum 1203. *Qui de historia* Albigensium *plenius cognoscere voluerit, habetur libellus Monachi Domini* Guidonis, *Abbatis de Saunajo et Episcopi Carcassonensis, ubi totum illud negotium diligenter explicatur.*

GUIDO sive GUIAMARUS Brito *de Stampis*, discipulus Anselmi Cantuariensis, inter claros Doctores Angliae, Normanniae Cenomaniae legendo consecutus principatum, atque ab An. 1125. Archiepiscopus Cenomanensis, defunctus A. C. 1136. cui decessor ejus Hildebertus Epistola XII. p. 93 egregium tribuit testimonium, *quod non minus vita quam litteratura promeruit: unus ex nostra Ecclesia cui et ad fructum scientia, et ad exemplum mores exuberant. Unus tibi pro multis erit, quoniam in illo multos Magistros invenies.* Adde Ordericum Vitalem XIII. pag. 908. Acta Episcoporum Cenom. in Analectis Mabillonii tom. 3. pac. 327, seq. (edit. novae pag. 319, seq.) et Sammarthanos tom. 2. pag. 516 b.

GUIDO *de Suzaria*, JCtus Cremonensis. circa Annum 1270 cujus *Declarationes varias* et librum *de actionibus causarum* laudat Trithemius cap. 450 adde Arisii Cremonam litteratam tom. 1. pag. 125, seq.

GUIDONIS *Trajectensis* statuta Provincialia An. 1310. MSta in Biblioth. Leidensi.

GUIDO *de Turre*, Episcopus Claromontanus circa Annum 1287 vide Baluz. tom. 4. Miscell. pag. 348.

(135 GUIDO *Vernani* Ord. Praed. Scripsit *De reprobatione Monarchiae compositae a Dante Aligherio.* MS. in Biblioth. Florentina D. Marci juxta Bianchi Della Potestà della Chiesa Lib. VI. c. 7. Vide Teotimo Pisto (Zaccaria) le Dottrine del Sec. XVIII confrontate con le dottrine del Sec. XIV. Faenza 1790. 8. pag. 60.

GUIDO de Pileo, *Vicentinus*, ex Comitum Montisbelli prosapia, Ord. Praed. Episcopus ab. An. 1303 ad 1331. Ferrariensis, apud Virum clarissimum Leyserum in historia Poëtarum medii aevi pag. 2126 male vocatus *Guido Vincentius*, distinguiturque a Guidone de quo pag. 2005 dixerat Ferrariensi. Idem enim hic est qui ad Clementem V. scripsit *Margaritam S. Scripturae*, sive *Memoriale Divinorum eloquiorum* versibus circiter hexametris 1500. MS. in Biblioth. Paulina Lipsiensi pag. 343 et typis sub initia typographiae expressum sine loco et anno fuit in Biblioth. Baluziana. Vide Jacobum Quetif. t. 1. p. 574, seq. t. 2. p. 819 et quae supra, *Guido Ferrariensis.*

GUIDO Archiepiscopus Viennensis ab An. 1083 sub. eo Concilium Viennense An. 1112 deinde ab An. 1119. Papa CALIXTUS II, de quo supra tom. 1. pag. 299, seq. MSS. Leidens. pag. 371.

GUIGO de Castro (al. de Pinu) Valentinensis, Gallus Delphinas, *Carthusiae* Prior Generalis, qui An. 1137. obiit a) GUIDO vel WIGO aliis, sed Guilelmo de Nangis ad A. C. 1132. Vincentio Bellov. XXVII, 9 speculi hist. Petro Dorlando IV 3. Chronici Carthus. Arnoldo Bostio cap. 22 aliisque GUIGO, scripsit ad Innocentium II. Papam, *Vitam S. Hugonis* Episcopi Grandinopolitani sive Gratianopolitani, eodem An. 1132 defuncti, quae exstat apud Surium 1. April. et in Actis Sanctorum tom

a) Pagi ad Annum 1137. n. 22.

1. April. pag. 35-46 cum notis Henschenii. Ejusdem Guigonis *Epistola* sive tractatus in *tres* divisus *libros* ad Haimonem Priorem, et *ad Fratres de Monte DEI*, editus inter S. Bernardi opera tom. 2 edit. novae pag. 205. In iisdem pag. 1066 seq. etiam obviae Guigonis hujus *Epistolae* IV 1) ad Haymericum Cardinalem et Cancellarium: 2) ad Hugonem S. Militiae Priorem. 3) Consolatoria ad Innocentium II, adversus Schismatis molestias. 4) Ad fratres Duroborneses de suppositis B. HIERONYMO Epistolis, quam primus vulgaverat Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 331. (edit. novae pag. 464.) Genuinas ejusdem Hieronymi Epistolas selegisse atque emendasse hunc Guigonem, notavit etiam Trithemius de S. E. cap. 376. *Statuta Carthusianorum* eidem memorata Trithemio et Bernardo Portarum S. Sulpicii et Miloni Majorevi Prioribus circa An. 1130 dicata, cum ejusd. Ordinis privilegiis prodiere Basil. 1510, fol. et Paris. 1582. Eidem adscribuntur *Meditationum* Capitula XX, quae edita primum Antwerp. 1550, 1589 cum Guilelmi Abbatis S. Theodorici Cluniacensis Meditatoribus et recusa leguntur in Bibliotheca Patrum, in supplemento Paris. tom. 1. p. 787 et in Coloniensi tom XII, in Lugdunensi tom. XXII. pag. 1164. 1176. Ad hunc Guigonem exstant etiam S. Bernardi, et Petri Venerabilis Epistolae, atque Innocentii II. Liber ineditus *de Contemplatione*, itemque alius *de quatuor gradibus spiritualibus*, quos in notis ad Bibliothecam Cluniacensem pag. 112 memorat Andreas Du Chesne, non diversi fortasse a scriptis, de quibus dicam mox in GUIGONE secundo. Addit laudatus Chesneus Guigonem Praeter *Epistolas* plures, etiam scripsisse tractatum *de veritate et pace*, et alium *de laude Vitae solitariae*.

GUIGO II. *Carthusiae* Prior Generalis, qui abdicato An. 1176. Generalatu diem obiit An. 1188 auctor habetur libri in capita XXXVI divisi *de quadripertito exercitio Cellae:* rerum secularium declinatione, meditatione, oratione et opere manuum. Hunc cum aliis antiquis monumentis a) non dissimilis argumenti edidit Petrus Franciscus Chifletius S. I. Divione 1657, 8. in libro cui titulus: *Manuale Solitariorum, ex veterum Patrum Carthusianorum cellis depromptum.* Recusum cum iisdem in Bibl. Patrum Lugd. tom. XXIV. pag. 1468. 1501. Fortasse huic Guigoni tribuenda etiam *Scala Paradisi* sive *Scala Claustralium*, seu tractatus *de modo orandi*, et *de vita contemplativa* ad fratrem *Gervasium*; editus inter S. Augustini opera in appendice tomi VI. pag. 643 edit. Amst. et inter S. Bernardi, tom. 2 edit. novae p. 325. 330.

GUIGONIS Comitis *Gorensis* Concordiam cum Clericis Lugdunensis Ecclesiae factam An. 1167 publicavit Dacherius tom. IX, spicilegii p. 149. (edit. novae t. 3. p. 539.)

GUILELMUS *Abselius* Bredanus, Carthusianorum Brugensium Prior, defunctus An. 1471 cujus scripta referunt Franciscus Sweertius in Athenis Belgicis p. 297 et Valerius Andreas p. 305. *Carmen super Oratione Dominica. Ad semper candidam Coeli Reginam. Vitam D. Ægidii Abbatis*, carmine rhythmico. *De vera Pace. De officio Marthae. Dialogum inter patrem et filiam spiritualem. Epistolarum libros.*

Ægidius GUILELMUS Missalius, supra tom. 1. pag. 21.

GUILELMUS *Affligemensis*, Prior in Brabantia circa Annum 1260 scripsit *librum de observantia Regulae S. Benedicti*, sive ut vocat Sanderus, qui MStum memorat parte 2. Biblioth. MStae Belgii pag. 149 vetustum rituale Affligemense juxta Cluniacensium Consuetudines. Praeterea Henricus Gandavensis cap. 57 ait cum Latine scripsisse quae Teutonice monialis quaedam, Cisterciensis ordinis, miranda descripserat: ac *Vitam S. Lutgardis* scriptam a fratre Thoma Latine, rhythmis reddidisse Teutonicis. *Sermones* quoque ejus laudat Trithemius cap. 528 de S. E. et illustr. German. cap. 87.

GUILELMUS *de Agrifolio* junior Gallus, Decretorum Doctor et Urbani V. notarius

a) Illa sunt: BERNARDI Carthusiae Portarum in Burgurdia primi Prioris circa An. 1147. Epistolae III. JOANNIS de Monte medio Carthusiae Portarum Monachi Epistolae V. STEPHANI de Chalmeto, Carthusiae Portarum Monachi Epistola ad novitios S. Sulpicii Ord Cisterc, itemque alia ALEXANDRI III. ad Arthandum Priorem Alveriae.

atque An. 1367 cum necdum annum aetatis XXVIII, attigisset a) Presbyter Cardinalis, qui diem obiit Avenione An. 1401. Vide G. Josephi Eggs purpuram doctam p. 417 ubi ejus epitaphium legitur. Nescio unde habeat Cangius, qui Archiepiscopum Caesaraugustanum fuisse et An. 1405 defunctum refert. Scripta ejus sunt; tractatus de potestate Papae, explanationes Decretorum et Sermones in laudem B. Virginis.

GUILELMUS *Aimoinus* Ord. Minor. quem Waddingus pag. 159. *Almoinum* vocat, notatque scripsisse *in Apocalypsin* Commentarios, et *Quaestiones XXVIII rerum variarum.*

GUILELMUS Abbas *Albae ripae* Ord. Cisterc. circa Annum 1156 de cujus *Epistolis pro explicatione nonnullorum locorum S. Scripturae* videndus Carolus Vischius pag. 325. Biblioth. Cisterc. Idem scriptor tractatus *de numeris*, quem subiunctum alteri, cui titulus: *Analytica numerorum*, MStum vidit Sanderus pag. 202. Biblioth. Belg. Alium *de Sacramentis minorum* evolvisse se testatur Cangius in Codice Thuano 787.

GUILELMUS Martellus *S. Albani* Monachus Ord. Bened. circa Annum 1170. Latine vertit iussu Simonis Abbatis ex Anglico An. 590 scripto Vitam S. Albani martyris, Amphibalique et Sociorum A. C. 303. passorum. Prologum ad Simonem Abbatem ediderat Usserius, epilogumque libro de Britannicarum Ecclesiarum primordiis p. 156. Acta integra ex eodem Codice Cottoniano exstant in Actis Sanctor. tom. V. Junii 22. pag. 149.

GUILELMUS *Albus*, infra *Gual. White.*

GUILELMUS *Altonus* sive *de Halton*, (vitiose *Antonus* vel *Alchonus*, Anglus Ord. Praed. circa Annum 1330. Parisiensis Sorbonicus Magister, praeter *Sermones*, *Quaestionesque* varias scripsit *in plerosque libros sacros*: *in Octateuchum*, *in Ecclesiastem*, *in Sapientiam*, *Esaiam*, *Jeremiam*, *Threnos*, Postillam in Mathaeum, et *de decem Virginibus*. Vide Baleum V. 29. Pitseum pag. 426 et praecipue Jacobum Quetif tom. 1, pag. 244. seq.

a) Baluz. Pap. Avenionseus. t. 1. p. 476.

GUILELMUS *Alnewyck* sive *Alnewicus*, a) Lelando cap. 280. *Alaunovicanus*, Anglus Ord. Minor. et Episcopus in Terra laboris, defunctus An. 1332 scripsit Commentarios *in IV libros sententiarum* Petri Lombardi: et Baleo V. 25 et Pitseo pag. 427 testibus in *Physica* atque *elenchos* Aristotelis.

Magister GUILELMUS *de S. Amore*, ex Canonico Bellovacensi Doctor Sorbonicus Parisiensis et Roberti qui Sorbonum fundavit familiaris, *magnae vir scientiae et opinionis* b) sed propter lites quae Dominicanis cum Academia intercedebant, fratribus mendicantibus exosus. De hoc Guilelmo ejusque scriptis dictum supra tom. 1, pag. 84 Praecipue autem consulenda erudita praefatio quam Operibus ejus Paris. 1632. 4 editis praemisit sub Joannis Alethophili latens nomine Joannes Cordesius.

GUILELMUS *Andrensis* Abbas Ord. Bened. in dioecesi Galliae Morinorum Tarvanensi, scripsit *Chronicon Coenobii sui* ab Anno 1083 ad 1234. quod se habere testatus est Papebrochius tom. 3. Act. Sanctor. Maji pag. 80 b. Edidit Dacherius tom. IX. spicilegii pag. 338. (edit. novae tom. 2, p. 781. 871.)

GUILELMUS *Aneponymus*, sive sine cognomine, Philosophus, qui ante annos fere quadringentos ad Ducem Nortmannorum et Comitem Andegavensium scripsit *Secundariam*, hoc est *Dialogum* in sex divisum libros *de substantiis*, in quo damnat quaedam et emendat in libello quem juvenis ipse *Philosophiae* titulo vulgaverat. Habeo dialogum illum editum a Guilelmo Grataroio, Argentorat. 1567. 8 cum tribus brevibus libellis incerti auctoris, ejusdem aetatis: *De calore vitali*, *De mari et aquis*, et *De fluminum origine* a destillatione aquarum per montium crepidines ex abysso ascendentium.

GUILELMUS *Angerius*, Anglus, Ord. Minor. scripsit *Commentarios in Lucam* quos laudat Lelandus cap. 464. Diem obiit An. 1404 teste Baleo XI. 31 et Pitseo pag. 577 ubi vitiose *Augerius* pro *Angerio.*

a) Apud Pitseum vitiose, *Altevvicus*, est enim nomen ab Alauno fluvio, *Alne* in Northumbeslandia.

b) Nauclerus Chron. generatione XLII, pag. 944. S. Antoninus T. 3. summae histor. p. 684. b.

GUILELMUS nothus, *Angliae* ab A. 1067 Rex: An. 1088 aetat. 74 defunctus, cujus *leges*, *constitutiones*, *Epistolas* et *Angliae descriptionem* laudat Baleus II. et librum *de die Judicii.*

GUILELMUS *Anglicus*, Medicus et Philosophus, cujus librum *de urina non visa* idem Lelandus cap. 461 e Gesnero commemorat, qui addit eum alia ad Magiam vetitam potius, quam veram eruditionem spectantia scripsisse. Vide infra, *Guilh. Grisauntus.* Alius GUILELMUS *Anglicus*, Theologus et Philosophus apud Baleum X. 87. et Pitseum pag. 850 scriptor *Commentarii de Anima* et alterius *de Verbi incarnatione.* Tertius denique GUILELMUS *Anglicus*, Regis Richardi II. Confessarius et R. E. Cardinalis circa Annum 1393. cujus non nisi *Sermones de Sanctis* a Pitseo pag. 558 referuntur.

GUILELMUS *Apuliensis* sive *Apulus*, scriptor historici poëmatis epici libris V. distincti *de rebus Normannorum in Sicilia*, *Apulia et Calabriae gestis* usque ad mortem Roberti Guiscardi Ducis, e vivis sublati A. 1085 ad filium ejus Rogerium. Prodiit Rothomagi 1582. 4. cum notis Jo. Tiremaei, Havitenoei, Fisci in Provincia Rothomagensi Patroni: et in Leibnitii scriptoribus Brunsuicensibus tom. 1, pag. 578 inque Joan. Baptistae Carusii Bibliotheca Historica Siciliae tom. 1. et in Muratorii thesauro scriptorum Italiae tom. V. Fallitur Oudinus qui tom. 2, pag. 865 ait etiam ocurrere in sylloge scriptorum de rebus Siculis Wecheliana An. 1579 fol. Argumentum singulorum librorum persequitur laudatus Leibnitius introductione ad tom. 1. n. XXXIX.

GUILELMUS *Aquisgranensis*, Professor Erfurtensis, quem adhuc in senectute bona vivere An. 1495 testatus est Trithemius cap. 241 de script. Germ. Idem de Scriptor. Eccles. cap. 893 testatur eum scripsisse *in Evangelium S. Johannis. In Canonem Missae. De passione Domini. Quaestiones disputatas. Itinerarium terrae sanctae* et *Sermones* varios.

GUILELMUS *Aremoricus*, vide supra in BRITONE tom. 1, pag. 261.

GUILELMUS S. *Arnulfi*, Metensis Abbas cujus *Epistolae septem* editae a Mabillonio tom. 1. Analect. pag. 247 (edit. novae pag. 455.) quarum prima Gregorio VII de electione An. 1073 facta gratulatur. Ejusdem *Oratio* sive preces in commemoratione S. Augustini ante consecrationem Missae dicenda: (id. p. 460. seq.) vet. edit. t. 1 p. 281.

GUILELMUS *Aruernus*, infra *Baufeti*, et *Parisiensis* Episc.

GUILELMUS *Asketle* sive *Asketellus*, *Aschetellus*, Lelando cap. 142. *Chetellus*, Anglus, clericus fani Joannis apud Fibroleganos sive Beverlacenses. Scripsit ad Thomam Fibroleganae Praepositum Ecclesiae *opus Historicum tripartitum*, cujus prima pars de rebus Beverlacensibus a tempore Guilelmi Nortmanni adventu in Angliam An. 1066 secunda de Joanne a) Beverlacensium patrono, Archiepiscopo ab Anno 687. Ebroicensi: et tertia de ejusdem virtutibus ac miraculis. Vide Baleum Centur. V. cap. 5. Pitseum ad Annum 1320 pag. 411. Vossium pag. 514. seq.

GUILELMUS *Augerus*, vide *Angerus.*

GUILELMUS *Aviciensis*, infra *Chalancon.*

Magister GUILELMUS *Autissiodorensis*, Archidiaconus Bellovacensis, Theologus Paris. nominatissimus et in quaestionibus profundissimus, defunctus Romae An. 1230. teste Alberico pag. 538. Chronici ubi laudat magnam ejus *summam Theologicam*, scriptam intra An. 1220 et 1230 huiusque abbreviationem factam ab Episcopo Florentiae, Magistro ARDINGO (ARDEGO) Papiensi. Prodiit Summa illa Parisiis An. 1500 et deinde sine anno. DIONYSII Carthusiani *excheleosis*, excerpta ex eadem continet. De alia abbreviatione infra, HERBERTUS. Primus hic Guilelmus qui *materiae* et *formae* vocabulis usus esse traditur in materia de Sacramentis. *Summa* ejusdem Guilelmi *de officiis Ecclesiasticis* usum se profitetur DURANDUS VI. cap. 39 rational.

GUILELMUS de Speliniaco, ab A. 1207. *Autisiodorensis* Episcopus et ab An. 1220. Parisiensis, defunctus An. 1223 qui diversus a superiore, *scholam Magistralem nun-*

a) Ante Aschetellum Vitam hujus Joannis tradiderat *Folchardus* de quo tom. 2. p. 580.

quam ascendit. a) Vide Bulaei historiam Academiae Paris. tom. 3, pag. 693 et auctorem diss. editae Gallice de scriptore Summae Theol. Guilelmo Autissiodorensi, diverso ab Episcopis, tom. 3. sylloges cui titulus : Continuation des memoires de litterature et d'histoire, parte 2. pag. 317. seq. Aliis idem videtur cum superiore, ut Oudino quoque tom. 2, pag. 1724. seq.

GUILELMUS *Badbius* sive BADBY. supra tom. 1 pag. 152.

GUILELMUS *Badecomius* Anglus cuius accuratam in Matheseos studiis diligentiam celebrat Lelandus cap. 509. scripsit *Conclusiones operationis Astrolabii. Conclusiones Sophiae.* Tractatum *de sphaera solida.* Addunt Baleus VII 67 et Pitseus pag. 608 qui *Batecumbum* vocant, etiam alium *de sphaera concava, ejusque fabrica et usu.*

GUILELMUS *Badunicus* sive *Badunensis,* (*Bathonensis*) apud eundem Lelandum, cap. 364 scriptor *Homiliarum*, Neque plura de eo Baleus XI 7. aut Pitseus pag. 851.

GUILELMUS *de Baiso*, supra GUIDO pag. 121.

GUILELMUS *de Baldenseel.* Supra BOLDENSLEVE tom. 1 pag. 233.

GUILELMUS *Batecombus* sive *Batecumbus*, supra in *Badeconio.*

GUILELMVS *Bathoniensis*, supra Badunicus.

GUILELMUS *Baufeti,* Aureliacensis (Orilhac) Aruernus, Philippi Francorum Regis Medicus, et ab An. 1304 ad 1320. Episcopus Parisiensis. Scripsit *Dialogos VII.* Gualonis (Gitonis sive Guilelmi) *de septem Ecclesiae Sacramentis*, professus se ex scriptis fratris Thomae Aquinatis et Petri de Tarento se Tarentasia profecisse. Prodiit praeter editiones duas b) sine loco et Anno vulgatas, Paris. 1489 4. 1494 8. 1500. forma minore, Lipsiae 1512. Paris. 1530. Lugd. 1567 et minore forma 1580. Florent. 1579 8. et Paris. 1587 8. Huic enim Guilelmo verisimillime adscribit Oudinus III. pag 831. quos alii praeter rem Guilelmo Parisiensi Episcopo An. 1249 defuncto, alii verisimilius tribuunt Guilelmo Parisiensi Ord. Praed. Regis Philippi confessario, qui An. 1312 diem obiit supremum. De utroque infra. Nunc tantum juvat annotare, hunc Guilelmum Baufetum improbasse JOANNIS Parisiensis determinationem de Sacramento altaris, An. 1304 proditam. Vide Sammarthanos tom. 1. Galliae Christ. pag. 452.

GUILELMUS *Beccensis*, infra *de Bougevilla.*

GUILELMUS *Beceleius* sive *Beckley*, Anglus. Carmelita, obiit An. 1438 scriptor *Quaestionum, Quodlibetorum, Concionum.* Vide Lelandum cap. 529 et qui etiam *de decimis fratrum* B. Mariae de monte scripsisse testatur, Baleum VII 99. Pitseum p. 527.

GUILELMUS *Bellovacensis* Canonicus. Idem cum *Guilelmo de S. Amore.* Vide Bulaeum tom. 3. Academ. Paris. pag. 248 ubi inter alia de eius *libello de periculis Mundi,* contra Monachos mendicantes edito A. 1252.

GUILELMUS *de Berckhem* sive *Berchemius,* Gelder, Niellensis Ecclesiae Pastor et Canonicus Noviomagensis, cuius *compendium Chronicorum Geldriae* laudant Valerius Andreas pag. 306 et Franciscus Swertius pag. 298 perductum ab Auctore ad Annum 1466. Eiusdem *Historiam captivitatis Adolphi*, Geldriae Ducis, MStam Valerius notat servatam Noviomagi.

GUILELUMS *Bertonus*, Anglus, Cancellarius Oxoniensis circa Annum 1381 cuius *determinationes* et alia scripta *contra Joan. Wiclefum* memorant Baleus VI 89 et Pitseus pag. 536.

GUILELMUS *Bevvfu*, Northamtoniensis Anglus, Carmelita, Magister Theologiae Oxon. circa Annum 1390. Scripsit teste Baleo VII. 16. *Lecturam Sententiarum*, *Collationes* varias et *de miraculis Mariae.* Vertit etiam ex Gallico Latine *Eadmundi Abyndoni,* Cantuariensis Archiepiscopi *Speculum contemplandae Deitatis* Eadem Pitseus p 545.

GUILELMUS *Bibliothecarius* Malmesburiensis, infra *Malmesburiensis.*

GUILELMUS *Bibliothecarius* Romanus, qui post Annum 891. ANASTASIO Bibliothecario addidit *Vitas* Pontificum *Hadriani*

a) Hist. Episcopor. Autissiodorensium in Labbeo Biblioth. nova MSS. t. 1. p. 480.

b) Vide Jac. Quetif de scriptis Dominicanor. t. 1 p. 518.

II. et *Stephani V.* (aliis VI.) qui Hadriano III. An. 885 successit. De editionibus dixi tom. 1, pag. 83.

GUILELMUS *Binhamus* Anglus, *Whitoclivi* sive *Wiclefi*, cum quo Oxonii sacris litteris operam dederat, adversarius, de quo Joan. Lelandus cap. 428. Baleus VI. 5. et Pitseus ad Annum 1370 pag. 504. Idem hic mihi videtur GUILELMUS *Carmelita*, a quo *Joannis Vigoclivi* sive Wiclefi trialogum libro aculeato oppugnatum scribit Lalandus cap. 53.

GUILELMUS *Bintraeus*, sive *Byntre*, Anglus, Carmelita, defunctus Nordovici Anno 1440 teste Lelando cap. 546 quanquam Baleus VIII. 59 et Pitseus pag. 683 ejus obitum ad An. 1493 proferant, confundentes hunc fortasse cum Guilelmo Blachenego. Scripsit *Lectiones in Canticum Salomonis. Paupertatis defensorium*, sive Apologiam pro fratribus mendicantibus contra Richardum Armachanum aliosque: qualem ante eum scripserant GALFREDUS Hardebius et JOANNES Hulhethus. *Determinationes Theologiae. Quaestiones XLII ordinarias. De laude B. Virginis. Sermones.* Et *de Latini sermonis ornatis* quod incip. *Colores praecipui pertinentes ad* etc.

GUILHELMUS ex Judaeo Diaconus *Bituricensis*, a GUILELMO Archiepiscopo Bituricensi ad Christianam Fidem amplectendam adductus circa Annum 1230 scripsit expositionem *in Lamentationes Jeremiae*: et *Bellum Domini contra Judaeos*, *et contra Sadducaeos Judaeorum haereticos* libris duobus, in quibus dicta Veteris Testamenti *litteris Latinis*, *verbis Hebraicis*, subjuncta Latina versione referuntur. MStos evolvit Oudinus tom. 3. pag. 156 qui observat a Possevino hosce libros praeter rem tribui PETRO Paludano. Prologum cum clavi et capite primo vulgavit Jacobus Hommey in supplemento Patrum pag. 442 446 qui etiam pag. 390 edidit ejusdem Guilelmi *allegorias de principio et fine cujuslibet Libri*, *Veteris ac Novi Testamenti*: et pag. 402. *De quibus sensibus* opusculum: et p. 405 sermonem *de Passione Domini* et pag. 407 *de Eucharistia* opusculum.

De GUILELMI Archiepiscopi *Bituricensis* et Confessoris vita dixi supra in DIONYSIO *Caroli loci*, tom. 2. pag. 448.

GUILELMUS *Blachenegus* sive *Blakeney* (Latine *Niger*) vixit circa Annum 1490 scriptor *Commentarii in Cantica Canticorum.* Vide Lelandum c. 504. Baleum XI, 87 qui *disputationes ejus* quas vocat subtilissimas etiam commemorat, et Pitseum p. 678 qui *Blacneium* appellat.

GUILELMUS *Blesensis*, PETRI, scriptis celebratissimi frater, clarus post saeculi duodecimi medium. Huic Abbatia Maniacensi Siciliaque relicta, reditum in Galliam gratulatus Petrus Epistola 93 a) scriptorum ejus mentionem facit his verbis: *Nomen vestrum diuturniore memoria commendabile reddent* Tragoedia *vestra* de Flaura et Marco, *versus* de pulice et Musca, Comoedia *vestra* de Alda, sermones *vestri*, *et caetera* Theologicae facultatis opera, *quae utinam diffusius essent ac celebrius publicata.*

GUILELMUS *Boderishamensis* aliis *Boderishinensis* Anglus Ord. Praed. circa Annum 1262 scripsit *in Canticum Salomonis, in threnos Jeremiae* et *in Epistolam ad Romanos.* Vide Pitseum p. 344, seq. Jacobum Quetif. tom. 1. pag. 259.

GUILELMUS *de Boldensleve*, supra tom. 1. pag. 233.

GUILELMUS *Botelerus* sive *Butlerus*, de eo supra tom. 1. pag. 286.

GUILELMUS *Botonerus* sive *Buttonerus*, equestris Ordinis, Anglus, Matheseos, artis Medicae et historiarum cognitione clarus circa Annum 1460 scripsit *Antiquitates Anglicas*, *libris III. Acta Joannis Fastolfi* An. 1421. *Collectiones Medicinales. Abbrevationes doctorum. De Astrologiae valore. Epistolae.* Vide Baleum VIII, 27. Pitseum pag. 648, seq. Vossium pag. 634.

GUILELMUS *Bremensis* qui est apud Cangium, typorum vitio ita vocatur, nam ex Bibliotheca Praemonstratensi Joannis le le Paige pag. 307 constat notari Guilelmum Coenobii *Brenensis*, Praemonstratensis Ord. Svessionensis Dioecesis Canonicum et Doctorem Theologum Parisiensem, Nicolao

a) Tom. XXIV. Bibl. Patrum Lugd. p. 1012.

Lyrano coaetaneum, scriptorem libri *Homiliarum*.

GUILELMUS *Brevinus*, circa Annum 1470 scriptor dissertationis de septem principalibus Urbis Romae Ecclesiis.

GUILELMUS *Brito* Aremoricus supra t. 1. pag. 261.

GUILELMUS *Britonus*, sive *Brito*, Camber, Ord. Minor. ibid. pag. 261.

GUILELMUS *Brunyardus* Anglus. Ord. Praed. circa Annum 1350. cujus *Summa Theologiae*, *Distinctiones* variae et *Determinationes* celebrat Baleus V, 77 et Pitseus pag. 479. Nec plura Jacobus Quetif tom. 2. pag. 634.

GUILELMUS *Burgensis*, infra *Petroburgensis*.

GUILELMUS *Butlerus*, de quo supra, tom. 1. pag. 286.

GUILELMUS *Buttonerus* supra *Botonerus*.

GUILELMUS *Buttonius* Anglus, Canonicus Regularis S. Augustini, scripsit teste Pitseo pag. 851 librum *de Abbatia Osney* in suburbio Oxoniensi.

GUILELMUS *de Cajoco*, sive *Kajoco*, *Kayotho*, (Cayeu in Picardia) Ord. Praed. circa Annum 1309. Huic praeter *Conciones* tribuitur *summa casuum Conscientiae*, ex ampliore JOANNIS *de Friburgo*, vulgo dicti *Lectoris*, redacta in Compendium. Dubitare se tamen non diffitetur Jacobus Quetif tom. 1. p. 507 *quod licet eadem ambo aetate floruerint, Joannes tamen junior fuerit, et non nisi postremis annis* Summam Confessorum *ediderit*.

GUILELMUS *Calculus*, vide infra *Guilelmus Gemmeticensis*.

GUILELMUS *Calisfordiensis* Anglus, Doctor Cantabrigiensis, vergente Seculo XIV, cujus *Lecturam* (in Magistrum Sententiarum) et *Sermones* de tempore ac de Sanctis laudat Trithemius c. 657. Idem mihi videtur quem Guilelmum *Cockisfordum* vocant Baleus et Pitseus pag. 524 qui praeterea notat scripsisse *in Canticum Moysis*, et *Postillas in sacram Scripturam*.

GUILELMUS de *Campellis*, ex Archidiacono Paris. Episcopus ab An. 1113 ad 1121. *Catalaunensis*, opinatissimus Magister, cognomento. Venerabilis a) Praeceptor Petri Abaelardi, et Hildeberti Cenom. et S. Bernardi celebratus Epistolis b) *abbreviavit* teste Alberico in Chron. pag. 222 *Moralia Gregorii Papae*, et quaedam alia fecit. In his *Sententiarum Theologicarum* opus, ante Petrum Lombardum sententiarum Magistrum, quod perinde ut *Moralia Guilelmi de Campellis super Job*, MS. in Galliae Bibliothecis asservatur, teste Oudino tom. 2. pag. 965. Breve scriptum *de origine animae* vulgatum ab Edm. Martene tom. V, anecdotorum pag. 884. [illegible] Sententiarum Theologicarum opere decerptum mihi videtur. At enim *altercatio Christiani cum Judaeo de fide Christiana*, sub Guilelmi hujus nomine edita tom. XX. Biblioth. Patrum Lugd, pag. 1884 auctorem primum habet GILBERTUM Abbatem Westmonasteriensem, ut supra in Gilberto in dicere me memini: et Guilelmum interpolatorem fortasse, qui eam ad Alexandrum Lincolniensem misit, unde sine nomine auctoris subjuncta Guilelmi Theologicis Sententiis in Codd. MSS. legitur.

GUILELMUS *de Canno* (G. Langbaenio *de Campo*) infra, *Guielm. Peregrinus*.

GUILELMUS *Cantuariensis* scriptor vitae Thomae Cantuar. infra, *Guil. Stephanides*.

GUILELMUS *Caorsinus*, c) Rhodio patre genitus Duaci in Flandria, Equitum Rhodiorum sive Melitensium per quadraginta amplius annos Vicecancellarius, obiit An. 1501. Ejus scripta junctim edita Ulmae 1496, fol. apud Joannem Reger de Kemnat, variis ornata iconibus ligno incisis, rariusque obvia haec sunt:

1) *Obsidionis Rhodiae urbis* a Mahomede II. Imperatore Turcarum An. 1480 incassum susceptae *descriptio*, quae separatim

a) Sammarthan. tom. 2. Galliae Christ. pag. 504 Edm. Martene tom. 5 anecdot. pag. 877. Pagius ad An. 1121. n. 12. seq.

b) Vide Mabillon. ad S. Bernardi Epist. 3. et 58. et Jacobum Hommey supplement. pag. 367. Imbonatum in Bibliotheca Latino Hebr. p. 64.

c) Vitiose aliis *Coasinus*, *Coanersinus*, *Caoursin* vel *Coaversinus*, *Courinus*, vide diarium eruditorum Italiae tom. 21. pag. 412. ubi diligentissime de hoc scriptore disseritur.

etiam excusa exstat sine loco et anno in 4 et Germanice Joanne Adelphio, Argentoratensi interprete, Argentorati An. 1513. De illa obsidione consulendi etiam Bzovius et Raynaldus ad Annum 1480.

2) *De terrae motus labe qua Rhodii* eodem anno ante obsidionem *affecti sunt.*

3) *Oratio in Senatu Rhodiorum de morte magni Turci* (Mahomedis II.) *habita* Anno 1481 prid. Kal. Jun. An. MCCCCLXXXI.

4) *De casu Regis Zizimi* sive Sisimi (fratris Bajazethi secundi, Turcarum Imperatoris) *Commentarium.*

5) *De celeberrimo foedere cum Turcorum Rege Bagyazit per Rhodios inito.*

6) *De admissione Regis Zizimi in Gallias, et diligenti custodia et asservatione, exhortatio* scripta 13. Cal. Octobr. Anno 1483.

7) *De translatione sacrae dextrae* S. Joannis Baptistae, *CHristi praecursoris, ex CPoli ad Rhodios* An. 1484. *Commentarium, cum Oratione de ejusdem Joannis laudibus.*

8) Ad summum Pontificem *Innocentium VIII. Oratio* habita V. Cal. Feb. An. 1485 coram Pontifice ac sacro Senatu, Praelatorum et Curialium frequentia adstante.

9) *De traductione Zizimi, ad Urbem Romam*, An. 1488. *Commentarium.*

10) *Volumen stabilimentorum Rhodiorum Militum sacri Ordinis Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani* confirmatorum a magno Magistro ordinis Daubussono et Capitulo generali, V. August An. 1493.

GUILELMUS *Carmelita*, supra, *Guil. Binhamus.*

GUILELMUS *Carnotensis* Ord. Praed. *Ludovici IX.* Galliarum Regis Capellanus: cui An. 1270, 25. Aug. morienti praeses adfuit. Scripsit *de ejus vita et actibus, et de miraculis quae ad ejus Sanctitatis declarationem contigerunt.* Exstat in Andreae du Chesne tom. V, scriptor. de Rebus Francorum pag. 466. 480. De hoc Guilelmo Jacobus Quetif. tom. 1 pag. 381 qui pag. 267 etiam tres ejus *sermones* memorat Parisiis habitos An. 1273.

GUILELMUS Prior Abbatiae *Caroli loci* (Chalis) Ord. Cisterc. in Silvanectensi Episcopatu, dioecesis Remensis An. 1352 scripsit non Latine quidem sed versibus Gallicis *iter vitae humanae* libris tribus, *le plerinage de vie humaine.* Apud Labbeum pag. 317. Biblioth. MSS. ubi Joannis Galoppes prosariam ejusdem operis metaphrasin Gallicam commemorat, *le plerinage del' ame.* Vide Oudinum tom. 3. pag. 976.

GUILELMUS *Castellus* seu *Castalius*, Archidiaconus et Canonicus Turonensis circa Annum 1500 scriptor *dialogi in Jacobi Fabri, Stapulensis laudem*: variorumque *epigrammatum, elegiarum, eclogae* cui titulus *Eumorphus*, carminis *Sibyllini de Judicio extremo*, Carminis *de stultis mulierum votis.* Vide additiones ad Trithemium de S. E. cap. 17 ubi et *Epistolae* hujus Guilelmi ad diversos, multae et variae laudantur.

GUILELMUS Anglus, Monachus Cestriensis, (Lelando cad. 154. *Castrensis*) Ord. Bened. ad quem S. Anselmi Cantuariensis Epistolae. Scripsit *Carmen in Anselmi laudem*, atque *Epicedion* in eundem defunctum An. 1109. Utrumque edidit Baluzius tom. IV. Miscell. pag. 577, 560. De hoc Guilelmo praeter Lelandum Baleus X. 42 et Pitseus pag. 194.

GUILELMUS *Castrofortius*, Magister Collegii Navarrei Paris. defunctus An. 1481. Ejus commentarii breves et acuti in quatuor libros sententiarum, quibus ÆGIDIUM Carlerium libenter est secutus, MSS. in Bibliotheca illius Collegii, teste Joan. Launojo in Historia Gymnasii Navarrei pag. 589. seq.

GUILELMUS *Caxtonus* Anglus, de quo supra tom. 1 pag. 338. Huic a Vossio pag. 636 locus inter Historicos Latinos conceditur, quia *Chronicon* ejus sive *Fructum temporum* Latine vertit demtis quibusdam et mutatis Joannes Major, Scotus. De typographia per Caxtonum hunc perlata in Angliam, vide Mich. Maittaire tom. 1. Annal. typograph. pag. 128. seq.

GUILELMUS *Celdonensis* sive *Cerdonensis, Geldenensis, Credonensis*, rectius *Redonensis* Armoricus Gallus, Ord. Praed. circa Annum 1250 scriptor *Apparatus in summam Raymundi de Penna forti*, cum ea-

dem plus simplici vice editi. Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 430 seq. atque infra, de Guil. PENNAFORTI.

GUILELMUS *Cellingus*, infra, *Guil. Tillaeus.*

GUILELMUS *de Centauria* Cremonensis Ord. Minor. in patria An. 1404 defunctus. Hujus commentaria in IV libros Sententiarum MSta memorat Waddingus pag. 151. in Bibliotheca Franciscanorum.

GUILELMUS *Cestriensis*, supra *Guil. Castrensis.*

GUILELMUS *de Chalancon* Episcopus Aviciensis seu Podiensis apud Vellavois ab An. 1418 ad 1443 ad cujus *quaesita*, Considerationes XII. Joannis Gersonis contra Fratricellum quendam, Orationes particularium foeminarum et laicorum devotorum, praeferentem actibus hierarchicis Ecclesiasticorum Sacerdotum et Doctorum, peccatorum, in Joh. Gersonii operibus tom. 2. edit. Dupinianae pag. 653.

GUILEUMUS *Chevestunus*, Philosophus Anglus, pleraque *Aristotelis* opera illustravit commentariis, Physicorum libros, parva naturalia et Metaphysicam, quae Cantabrigiae MSta se vidisse testatur Pitseus p. 852.

GUILELMUS Abbas *Cisterciensis*, cuius sermo Mysticus *de assumtione B. Virginis*, in Genes. VII 17. in Caroli Vischii Biblioth. Cisterc. pag. 321 seq.

GUILELMUS *Claraevallensis* circa Annum 1140 scriptor *vitae S. Bernardi.* vide et infra *Guil S. Theodorici.*

GUILELMUS *Coasinus* sive *Coanersinus* vide supra, *Guil. Caorsinus.*

GUILEMUS *Cockisfordus* sive ut Lelando cap. 430 scribitur *Coccofordus*, Carmelita Lindensis circa Annum 1330. Hujus memorantur *Commentaria* tum in alios S. Scripturae libros, tum *in Canticum* Moysis: nec non *in Petri Longobardi Sententias. Sermones* de tempore et de Sanctis. Vide Baleum VI. 76. et Pitseum pag. 524.

GUILELMI *de Conchis.* De eo supra t. 1. pag. 377 seq. ubi dictis addere licet quod illius est *dragmaticon* sive manipulus Philosophiae, qui lucem vidit Argentorati An. 1566. 8 edente Guilelmo Gratarolo, qui testatur se illum An. 1536. Patavii ex Codice MS. descripsisse. Inscribitur; *Dialogus de substantiis Physicis,* confectus *a Wilhelmo aneponymo* a) *Philosopho*: subjunctis libris III incerti auctoris ejusdem aetatis, 1) *de calore vitali.* 2) *De mari et aquis,* et 3) *de fluminum origine.* Vide V. C. Jac. Wilhelmi Feuerlini observationem insertam Diario litterario Loribergensi, Nutzlitho und auserlesene Arbeiten der Gelehrten im Reich, III pag. 250. *Philosophum magni nominis habitum* hunc Guilelmum, notat Albericus ad Annum 1154.

De GUILELMI *Conquaestoris*, Regis Angliae ab An. 1066 ad 1087 postremis dictis atque obitu *fragmentum* ex antiquo libro monasterii S. Stephani Cadomensis, exstat in Cambdeni scriptoribus rerum Anglicarum pag. 29. 35, Incipit: *Dum furerent in Orbe tempestates multae.*

GUILELMUS Ord Minor. postea *Constantiensis* Episcopus An. 1240. Parisiis in sermone de B. Joanne Baptista praedicavit quod liberum arbitrium non habeat potentiam naturalem effectivam aliquo modo, ad recipiendam Gratiam: et quod qui damnatur, nunquam fuit in Gratia, sed semper Ismaël aut Judas fuit, et nunquam Johannes. Qui errores rejiciuntur in Biblioth. Patrum tom. XXV edit. Lugd. pag. 329. De alio juniore Guilelmo, Constantiensi Episcopo, infra in *Guilelmo de Maro.*

GUILELMUS *Conventuensis*, infra *Coventrensis.*

GUILELMUS *Copingerus* Magister Oxoniensis, cujus *Sacramentale,* et librum *de vitiis et virtutibus* laudat Baleus XI. 48. et Pitseus pag 852.

GUILELMUS *Copus* Basileensis, Medicus Parisiensis atque Archiater Francisci I. junior fortasse quam qui a me hoc loco memorari debeat. Ex Graeco Latine vertit Pauli Æginetae praecepta de ratione victus, Hippocratis tres prognosticorum libros, Galeni libros VI de locis affectis, et de morborum symptomatumque casis ac differentiis libros totidem. Vide praeter Bibliothecarum Medicarum scriptores, appendicem ad Trithemium de scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXI.

a) Supra pag. 129.

GUILELMUS *Cortusius*, supra tom. 1. pag. 399.

GUILELMUS *Coventriensis*, Lelando c. 366. *Coventuensis*, Anglus Carmelita circa Annum 1330 scripsit eodem Lelando teste *Annales* sui Ordinis, et *de laude Carmeliticae Religionis* libros VII. *Defensorium Carmelitarum* et *de adventu Carmelitarum in Angliam*.

GUILELMUS *Covrinus*, supra *Guil. Caorsinus*.

GUILELMUS Amidamus *de Cremona* S. Augustini Eremitarum Ordinis Prior Generalis vir egregius, Episcopus ab An. 1347. Novariensis, de cujus laudibus Jac. Philippus Bergomensis in Chronico ad Annum 1355. quo diem obiit, vel. ut probat in Museo Novariensi pag. 207 Laz. Augustinus Cotta, An. 1356. Ejus scripta: Commentaria *in IV Evangelia* et *in IV libros Sententiarum Reprobatio sex errorum*, sive *de auctoritate Apostolica* pro Joanne XXII. *Sermones*, *Orationes etc.* Vide praeter Cottam: Ughelli tom. IV p. 714 seq. Francisci Arisii Cremonam litteratam tom. 1. p. 162. et Philippi Elssii encomiasticon Augustinianum pag. 257. seq. qui notat Cardinalatus purpuram, quam Joannes XII. obtulit, ab hoc Guilelmo recusatam, inde tamen factum ut inter Cardinales a Possevino aliisque et Cangio etiam computetur.

GUILELMUS *Croylandensis*, infra *Ramesiensis*.

GUILELMUS *de Cuno* sive *de Cunio* potius, Flaminiae oppido, Juris Civilis consultus Bartolo plus simplici vice laudatus docuit Aureliani in Gallia circa A. 1310. ac deinceps, scripsitque *in Digestum vetus* hoc est in libros priores Digestorum usque ad titulum tertium libri XXIV. nec non *in Codicem* Justinianeum. Vide Trithemium cap. 533 et Marcum Mantuam p. 466. nec non Guidum Pancirolum lib. 2. de interpretibus Juris, c. 60. qui *de Muneribus* etiam et *de Securitatibus* libellos composuisse testatur.

GUILELMUS *Dalingus* sive *Dallingus* supra, tom. 2. pag. 421.

GUILELMUS *Dalton*. ibid.

GUILELMUS *de Dandina*, supra tom. 2. pag. 428.

GUILELMUS. *Dandus* ibid.

GUILELMUS *Dastinus*, supra t. 2. p. 431.

GUILELMI *Dei* Synodale *Tutelensis* Ecclesiae in Bibliotheca S. Germani de Pratis Paris. evolvit Cangius Codice 799.

GUILELMUS *Diaconus*, supra *Guil. Bituricensis*.

GUILELMUS *S. Dionysii*, infra *Guil. de Nangis*.

GUILELMUS Monachus *S. Dionysii*, juxta Parisios, Ord. S. Benedicti, praeter *Epistolas* ad diversos etiam conscripsit *tres Historiarum libros*, *propter quos inter nobiles Galliae historicos refertur ab inedito auctore hierarchiae subcoelestis lib. IV. c. 9.* Haec de eo Vossius pag. 605. de Hist. Lat. qui etiam ejusdem ex Jac. Philippo Bergomensi ad Annum 1240 et Trithemii c. 431. S. E. et II. 124. illustr. Benedictin. sub GUILELMI *Galli* nomine meminerat p. 466. seq. Alius vero antiquior GUILELMUS, S. Dionysii Monachus, de quo infra, in SUGERIO Abbate, cujus res vitamque ab hoc Guilelmo, Domestico ipsius, scriptam habemus. Obiit Sugerius A. 1152. Ejusdem ut videtur Guilelmi *Epistolam* An. 1155. scriptam edidit Edmundus Martene tom. 1 anecdotorum pag. 441. in qua laudat solitariam mansionem quam sibi elegerat in Aquitania.

GUILELMUS *Dominici*, Catalanus cujus Commentarius *in Usaticos* sive leges Barcinonensis Urbis fuit MS. apud Antonium Augustinum. Vide Nicol Anton. tom. 2 Biblioth. vet. Hispan. pag. 265.

GUILELMUS *Dorochius* sive *Dorcheda* Anglus Mathematicus circa Annum 1360. cujus *tractatum de occultis*, et *summam auream* laudant Baleus VI. 9. et Pitseus p. 486.

Magister GUILELMUS *Dunelmensis*, defunctus An. 1249 a Matthaeo Paris. ad illum annum vocatur. *litteratus eminentissime*, a Lelando autem cap. 239 idem habetur parum verisimiliter cum *Guilelmo Shirwoodo*, de quo infra. Certe electum in Archiepiscopum Rothomagensem non invenio.

GUILELMUS *Durandus* de S. Porciano, et GUILEMUS *Durandus* sive *Durantes* Speculator, Episcopus Mimatensis, Supra tom. 2. pag. 482.

GUILELMUS Abbas *Ebehollensis*, cuius *Epistolas* edendas Hafniae exspectamus ab eruditissimo Viro Joanne Grammio. Vide Memorias Trevoltinas An. 1727. p. 2285.

GUILELMUS Archiepiscopus *Eboracensis*, cuius *Constitutio* An. 1133 promulgata exstat in Conciliis Labbei, Harduini, Coleti.

GUILELMUS *Edon*, Ord. Minor. cujus Waddingus laudat *Compendium Theologicae Veritatis.* (diversum ab eo quod inter Alberti Magni et Bonaventurae opera occurrit, et de quo dictum supra in DORNBERGIO) et *adaptionem thematum praedicabilium per totum annum ad materias Compendii Theologicae Veritatis.*

GUILELMUS ex Cappellano Brederodensi *Egmondanus* Monachus et Procurator, ANONYMI *Chronicon Egmundae et Hollandiae* ab An. 647 ad 1205 progressum continuavit ab An. 1205. ad 1332. Anonymum a Francisco Sweertio Francof. 1620 fol. cum ÆGIDIO de Roya et aliis, sed minus emendate editum, meliorem edere eique Guilelmi continuationem adjungere voluit Petrus Scriverius: sed praestitum id demum ab Antonio Matthaeo, uso Scriverii Codice. Lugd. Bat. 1700. 8. additis etiam notis. Vide Vossium et Oudini tom. 3. pag. 859. seq.

GUILELMUS *Egumonde* sive *Egumundus* Anglus, Augustinianus circa Annum 1390. cuius solas *replicationes scholasticas* et *sermones ad plebem* memorant Baleus VII 12 et Pitseus pag. 553. neque plura Elssius p. 262. Encomiastici Augustiniani.

GUILELMUS *Elpinstonus* Episcopus in Scotia Aberdoniensis circa Annum 1480. scriptor diligens *historiae Scoticae* cuius *octo libris*, qui MSti exstant in Biblioth. Bodleiana, usus fuit Eduardus Stillingfleet, in praef. ad Origines Britannicas pag. 52. testatus eum in tribus libris primoribus secutum FORDONI vestigia, in caeteris recurrisse *ad antiquos Hiberniae libros.* Itaque Wilhelmus Nicolsonus in Bibliotheca Historica Scotiae pag. 98 vix audet Vossio accedere, qui Hectorem Boëthium secutus, praecipuos Elphinstoni, quos expresserit scriptores vocat VEREMUNDUM, B. Andreae Archidiaconum, et JOANNEM *a Campo bello*. Etiam *Conciliorum statuta* inter huius Guilelmi scripta refert Baleus XIV. 57.

GUILELMUS *Encurtus* Anglus, Ord. Praed. circa Annum 1340 praeter *Sermones* traditur scripsisse *Lecturam in Ecclesiastem.* Vide Baleum V. 53 et Pitseum p. 445. Ille in Ecclesiastem commentarius plus simplici vice MS. in Angliae Bibliothecis. Vide Jac. Quetif. tom. 1. pag. 602.

GUILELMI *Episcopi*, Abbatis S. Germani a Pratis Commentaria in Vetus Testamentum evolvit Cangius in Bibliotheca San Germanensi Codice LV.

GUILELMUS *Evrardus* supra tom. 2. p. 535. EVRARDUS.

GUILELMUS *Exoniensis* sive *de Excestria*, Magister Oxoniensis circa Annum 1330. Scripsit teste Baleo V. 33 *de paupertate et de paupertate contra Fratricellos* Caetera ejus sunt: *de proprietate Ecclesiae* contra Guil. Occamum, et *de generatione CHristi.*

GUILELMUS *de Falgario* Tolosanus Ord. Minor. Vicarius Generalis, superstes adhuc An. 1290 misit in compendium commentarios *S. Bonaventurae* in IV. libros Sententiarum, et diffuse scripsit adversus *Petrum Joannem* OLIVUM. Vide Waddingi Biblioth. Ord. Minor. pag. 152.

GUILELMUS *Farinerius* Aquitanus ex Monacho Gurdonensi dioecesis Cadurcensis, Vicarius Ord. Minor. Generalis et ab An. 1356 ad 1361. R. E. Cardinalis, praeter scriptum *de sacris stigmatibus S. Francisci*, et *Sermones* de tempore et de Sanctis. nec non libellum *de mutuatitia* per nummos *negotiatione* ad Ægidium Cardinalem Albernotium, ei tribuuntur *Commentaria in varios libros sacros et profanos.* Vide Waddingum loco laudato, et Georgii Josephi Eggs purpuram doctam p. 391.

* Eiusdem nomine prodierunt constitutiones Ord. minorum editae et confirmatae in Capitulo Gen. PP. eiusd. Ord. summo ord. mistro a gente eodem Guillelmo an. 1354. Has constitutiones habeo excusas Brixiae an. 1502 per Jacobum Britannicum.

Flavius GUILELMUS non notus mihi nisi ex Possevino et Vossio, qui ejus libros quinque MSS. *de Vita B. Virginis* commemorant.

GUILELMUS *Fletaeus*, supra tom. 2. pag. 575.

GUILELMUS *Foluyle* sive *Folvillus* Anglus, Lincolniensis Ord. Minor. defunctus Stanfordiae An. 1384 scriptor libri *pro pueris induendis* contra Cantabrigiensium statutum sapiens quo cavebatur ne a mendicantium ordinum fratribus pueri ante duodevigesimum aetatis annum ad ordinem suum reciperentur. Vide Baleum VI, 17. Pitseum pag. 141. Waddingum pag. 152.

GUILELMUS *Fontanus*, infra *Guil. Wellys*.

GUILELMUS *Forleon*, Brito ex minore Britannia Ord. Minor. Theologus Paris. circa Annum 1470. inter cujus discipulos Trithemius cap. 826. laudat *Stephanum* BRULISFERUM de quo dixi tom. 1. pag. 264. Scripsit *in libros IV, sententiarum* et *Quaestiones varias*. Praeterea *Decisiones regulares, praesertim circa vitam et Regulam Minorum,* editas Paris. 1471. Denique *Opuscula* nescio quae *in sacram Scripturam*, quae doctissima appellat Waddingus p. 152.

GUILELMUS *Fulginas* Umber, Ord. Minor. quem libros *D. Bonaventurae* epitomasse sive in compendium redegisse scribit Volaterranus libro XXI, commentariorum Urbanorum.

GUILELMUS *Gainesburgus*, de quo supra pag. 5.

GUILELMUS *Galion* Anglus Nordfolciensis, Augustinianus, defunctus An. 1500 aetatis nonagesimo. Ejus *Lecturam Theologiae, Disputationes varias* et *Conciones per annum,* memorat Josepus. Pamphilus in Chronico Eremitarum S. Augustini pag. 92, b.

GUILELMUS *Gallus*, supra *Guilelmus* Monachus *S. Dionysii.*

GUILELMUS *Gatadeghus* Parmensis, Bibliothecarius Vaticanus et R. E. Cardinalis defunctus An. 1256. Hujus sunt Vitae Pontificum Romanorum a Petro ad Innocentium IV, quae ab Eisengreinio, Possevino, Lud. Jacobo aliisque memorantur.

GUILELMUS Calculus, Normannus, *Coenobita* sive Monachus *Gemmeticensis* Ord. Bened. scripsit *Historiae Normannorum libros VIII.* a) quorum *primis quatuor* DUDONIS Historiam de moribus et actis primorum Normanniae ducum misit in compendium: libro *quinto sexto, septimoque* a Richardi I, obitu sive ab An. 986 eandem continuavit usque ad Angliam a Guilelmo I. Conquaestore An. 1066 subactam, atque hos septem libros, eidem dedicavit Guilelmo, quem *orthodoxum summi Regis nutu Anglorum Regem* appellat. Deinde aliquot annis interjectis, praeter clausulam libri VII, de Guilelmi I. obitu, qui in An. 1087 incidit, adjunxit librum *octavum* de actibus fratrum Guilelmi II. Regis Angl. Roberti Ducis Norm. et Henrici I. Regis Anglorum Normannorumque Ducis, atque de initio Regni Stephani qui An. 1135. Henrico successit. Prodierunt in Guil. Cambdeni Anglicar. Normannicar. et Cambricarum rerum scriptoribus Francof. 1602, fol. pag. 604. 691 atque ex duobus Codicibus MSS. castigatiores in Normannicis Andreae du Chesne, Paris. 1619, fol. pag. 215. 317. Codex MS. qui fuit in Biblioth. Hohendorfiana III. pag. 246 jam perlatus est cum aliis illius thesauri librarii cimeliis in Bibliothecam Caesaream.

GUILELMUS Hermannus *a Gauda* scriptor belli Hollandiae Gelriaeque An. 1507 sq. Edidit Antonius Matthaeus in veteris aevi analectis Lugd. Bat. 1698. 8. De aliis ejus scriptis vide Vossium.

S. GUILELMI Ducis et Monachi *Gellonensis* Vita in Actis Sanctor. 28 Maji, et in Mabillonii Sec. Benedictino IV. pag. 70.

GUILELMUS *Gillinghamus* Monachus Cantuariensis Ord. S. Benedicti, circa Annum 1390 scripsit *de illustribus viris Ordinis sui*, eorumque etiam effigies tabulis pingendas curavit. Vide Lelandum cap. 182. Addit Vossius pag. 542 etiam librum a priore diversum *de rebus Cantuariensium*, secutus Baleum VI, 98. Pitseumque pag. 552.

GUILELMI *Godardi* duo Angli Franciscani Theologi non ineruditi celebrantur a Lelando cap. 363.

a) Ita in Andreae du Chesne editione, quae octo libris distinguitur. Nam in Cambdeniana *septem libri* sunt, duobus nempe *tertio et quarto* bis pro tertio numeratis. Itaque et septem computant Vossius p. 405. Oudinum t. 2. p. 1112. aliisque.

GUILELMUS *de S. Godialdo*, Mathematicus circa Annum 1293 et Astronomus.

GUILELMUS *Petri de Godino* (vitiose *de Godivo*) Bajonensis dioecesis, Ord. Praed. et ex Lectore sacri Palatii An. 1321. Cardinalis Presbyter et An. 1317. Episcopus Sabinensis, defunctus Avenione An. 1336. De ejus tractatu *de Principe et Praelatorum Ecclesiae potestate*, quo jura, concessiones et privilegia Ecclesiae Romanae fuit complexus, vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 592. *Constitutiones* in Concilio Vallemoletano sive Vallisoletano An. 1322 in tomis Concilior. et apud Aguirrium tom. 3. pag. 536. Scripsit et *Sermones* et *de nuptiis CHristi Domini et Ecclesiae.*

GUILELMUS *Goietus*. Vide Baluzium t. VII. Miscell. p. 210, 211. Fuit circa Annnm 1076 ut constat ex Dacherii spicileg. tom. XI. pag. 296. (edit. novae tom. 3. pag. 411.)

GUILELMUS *Gorris* Aragonensis, Waddingo pag. 153. Biblioth. Ordinis sui, Franciscanus, Nicolao Antonio tom. tom. 2. Biblioth. Vet. Hispan. pag. 223 secularis potius clericus, scripsit seculo XV, vergente *Scotum pauperum*, in quo Doctorum et Scoti opiniones in quatuor libris sententiarum contentae dilucidantur, Tolosae sine anni nota in 4.

GUILELMUS *de Gotyngam*, Ord. Minor. quem An. 1336 obiisse Possevinus annotavit. A Waddingo praeteritur, quanquam scriptor ingentium operum, Commentariorum in Pauli Epistolas: Librorum XII, de concentu Evangelistarum. Pro Lege Christianorum. Notationum in IV, libros Sententiarum. Quibus adde Unum ex quatuor, libris duobus. Sermones in Evangelia annua. Distinctiones Theologicas. Lecturas Scripturarum. Quaestiones ordinariar. De obedientia. Librum replicationum.

GUILELMUS *Gray* sive *Graius* ex stirpe Regia Anglus, discipulus Guarini Veronensis, et ab An. 1443 ad 1465. Episcopus in Anglia Anguillarianus sive Eliensis. Vide Lelandum cap. 570 Baleum XI, 54 et Pitseum pag. 855 qui omnes multa illum scripsisse testati nullum tamen eorum citant de nomine.

GUILELMUS Monachus *Grammaticus*, ad quem circa Annum 1086 carmen Sapphicum scripsit ALPHANUS de quo supra tom. 1. pag. 67, seq.

GUILELMUS Canonicus *Gratianopolitanus*, qui An. 1163 scripsit *Vitam Margaritae*, Burgundiae Comitis filiae, Goidonis Delphini Comitis Alboni Conjugis, ad Sanctimoniales Gratianopolitanas Ord. Cisterc. Edidit V. C. Edmundus Martene tom. 6 monumentor. pag. 1201. 1214.

GUILELMUS *Grenaeus*, supra pag. 101.

GUILELMUS *Grisauntus* Medicus et Mathematicus Anglus, circa Annum 1350 celebris, Medicinam fecit in Gallia Massiliae, ubi filium habuit cognominem Abbatem Augustinianum, qui inter Pontifices URBANUS V, ab An. 1362 ad 1370. Scripta a Bostono Buriensi, Baleo V, 96 et Pitseo pag. 475 haec referuntur: *Speculum Astrologiae. De qualitatibus Astrorum* et *significationibus. De magnitudine Solis. De quadratura Cirçuli. De motu capitis* sive accessionis stellarum *De urina non visa. De judicio patientis. De causa ignorantiae.*

GUILELMUS *Guarronis*, infra, *Guilelmus Verus.*

GUILELMITÆ *Haeretici* a Guilelma sive Guilelmina Bohema, cuius An. 1281 defunctae corpus An. 1300 effossum et combustum. Vide Mabillonii Museum Italicum tom. 1. pag. 19, seq. Aliis *Guilelmitae* a GUILELMO de S. Amore de quo supra, p. 129. et tom. 1 pag. 225, seq. Alii a GUILELMO de Hildenissen, de quo pag. 140.

GUILELMUS *Hamerus*, Novesianus in dioecesi Germaniae Coloniensi Ord. Praed. a Possevino et Cangio ad Annum 1264. ab Altamura ad Annum 1490 refertur, sed longe iuñior fuit, et Commentarios in Genesin edidit Dilingae 1564 fol. Vide Jacobum Echardum tom. 2. Bibliothecae Dominicanorum pag. 186 seq.

GUILELMUS *Hanabergus*, Anglus, Carmelita defunctus An. 1311 scriptor *Determinationum* et *Quaestionum* Theologicarum, Philosophicarumque. Vide Lelandum cap. 351 et qui *Lecturas in Theologia*, *Sermonesque* adiungunt, Baleum IV. 45 et Pitseum pag. 402.

GUILELMUS *Harsik* sive *Harsiccus* iti-

dem Anglus ex eodem Carmelitarum ordine circa Annum 1440 scripsit Distinctionum Theologicarum Magistrales disceptationes: neque plura eius Baleus XII. 45 vel Possevinus memorant, licet Pitseus pag. 593 et ex eo Alegrius p. 329 tanquam duo diversa scripta tradunt Distinctionum alterum, alterum Disceptationum.

GUILELMUS *Hauckyns* sub seculi XVI. initia clarus scripsit Baleo IX. 65 teste *Methodum* (sive potius *Metaphrasin) in Matthaeum* quae incipit: *Summa DEI Virtus summa de sede* et in Marcum, cuius initium: *Perstringens Marcus mira brevitate.* Praeterea *in Matthaeum et Marcum annotationes*, et librum *de sacrilegio.* Eadem ex Baleo Possevinus et pag. 855. Pitseus.

GUILELMUS *Heda*, Hispan. Regis Philippi II. a secretis. Scriptor *Chronici Hollandiae et Episcoporum Ultrajectinorum*, defunctus Antwerpiae An. 1526. De eo Vossius pag. 655 seq. Miraeus auctario pag. 100 atque Valerius Andreas pag. 318. Biblioth. Belgicae. Prodiit illud Chronicon cum JOANNE *de Beka* (de quo infra) Franek. 1612 4. *Genealogiam Caroli V.* sive panegyricum Austriacum ab Heda scriptum *fabulis scatere et nugis* arguit Sweertius Athen. Belg. pag. 309. Et tamen scriptori Chronici *accuratissimae diligentiae* laus a Jano Dousa apud Vossium tribuitur.

GUILELMUS *Hentisberius*, Lud. Vivi lib. 3 de corruptis artibus pag. 138. *Hentisbarus* a) Baleo VI. 84. *Heytusbery* Dialecticus Anglus circa Annum 1380. cuius memorantur etiam *Regulae Grammaticales*, tum *Dialectica*, quae incipit · *Scire, multis modis accipitur.* Aliaque Dialectici argumenti. *Sophismata*, *Conclusiones Sophisticae* etc. Vide Pitseum pag. 527.

* In Codice MS. Pistoriensi extat. volumem in 4. MS. ubi inter plures philosophicas scriptiones, quas servat exihibet etiam *tractatum de relativis Magistri Guil. Heutysberi.* Vide Bibliothecam Pistoriensem c. 5. p. 23. editam per hos dies a Cl. Francisco Ant. Zaccaria e soc. Jesu, mihi amicitia coniuncto, quem colo pariter et observo.

GUILELMUS *Herbertus* Anglus, Ord. Minor. praeter *Quodlibeta*, scripsit commentarios *in Deuteronomion* atque *in Apocalipsin.* Vide Lelandum cap. 293. Baleum V. 31. et Pitseum pag. 428. Diem obiit Herefordiae An. 1333.

GUILELMUS *Hermannus*, supra, *Guil. a Gauda.*

GUILELMUS *Hervius* Anglus Sudovolgius, sive Suffolciensis, Monachus Buriensis Benedictinus et Theologus Oxoniensis. Hujus scripta a Baleo XII. 100. referuntur: *Quaestiones ordinariae. Problemata disputata* et *Lecturae scholasticae.* Nec plura Pitseus pag. 856 aut Possevinus, qui etiam GUILELMUM *Hilacensem* An. 1469 eiusque Sermones in Orationem Dominicam commemorat.

GUILELMUS *de Hildenissen*, Ord. B. Mariae de Monte Carmeli, in villa Bruxellensi, qui cum ÆGIDIO *Cantore* aliisque condiderunt *Sectam hominum intelligentiae.* Horum errores An. 1411 oppugnavit PETRUS *de Alliaco*, Episcopus Cameracensis. Vide Baluzii Misc. tom. 2, pag. 277. seq.

GUILELMUS Abbas ab Anno 1068. *Hirsaugensis* in dioecesi Spirensi, defunctus An. 1091 3. Non. Jul. de quo Trithemius cap. 352 de S. E. et de Germanicis scriptoribus c. 57 et lib. 2 illustr. Benedictin. cap. 102 atque in Chronico Hirsaugiensi pag. 62 seq. et Anonymus Mellicensis cap. 108. Ejus scripta sunt: *Constitutiones* sive *Consuetudines Monachorum Hirsaugiensium*, libris II. qui MSti in variis Germaniae Monasteriis, ut Weingartensi, Burano, Admontensi, et in Monasterio B. Mariae Virginis ad Scotos, Vindobonae. a) *Prologum* vulgavit Mabillonius tom. 4. Analect. pag. 465 (edit. novae pag. 154 seq.) *Philosophicarum et Astronomicarum Institutionum* libri III editi Basil. 1531 apud Henr. Petri. *De Musica et tonis. De correctione Psalterii* sive errorum in cantibus deprehensorum. *Quaestiones de computo. De horologio. Epistolae ad diversos*, et *ad Anselmum Can-*

a) *Hinc infinita dogmata et totidem Dialecticae. Hac Pauli, illa Hentisbart, alia Mantuani, Scoti, Thoma, Alberti, Ochami, Pardi, Dullardi.* Haec Vives.

a) Pez tom. 3. Anecdotor. parte 3. pag. 618.

tuariensem; cujus etiam exstant quaedam ad Guilelmum hunc Epistolae.

GUILELMUS *Hollandus*, supra, *a Gauda*.

GUILELMUS *Holmus*, Anglus Ord. Minor. cujus volumen de simplicibus Medicamentis circa Annum 1443 compositum laudant Lelandus cap. 503. Baleus VII. 51 et Pitseus pag. 505 qui MStum Cantabrigiae servari annotavit.

GUILELMUS *Honden*, *Hothunus* infra, *Guil. Odo*.

GUILELMUS *Hormann*, supra *Hermann*.

GUILELMUS *Houvetus* Carnotensis, Grammaticam in Gymnasio Parisiensi docuit circa Annum 1500. Ejus *micropaediam Epistolarum* memorat Bulaeus tom. 5. Hist. Paris. pag. 880.

GUILELMUS *Houpelandus*, Theologus Parisiensis, defunctus An. 1492 de quo praeter Bulaeum, H. Warthonus Appendice ad Caveum. Ejus liber *de immortalitate animae et statu post mortem* pluribus antiquorum Patrum, Philosophorum, Poëtarum, et Doctorum Catholicorum, sententiis refertus, ad Jacobum Jving, in Regali Francorum Parlamento Praesidentem. Paris. 1491. forma minori, 1499 et 1504 8. Vide Rud. Antonii Fabricii trigam observationum litterariarum, Helmst. 1731 4.

GUILELMUS *Huet* (vitiose *Hicel*) Ord. Minor. ex solo notus Henrico Willoto, et ex Pitsei conjectura pag. 856. Anglus, scriptor libri cui titulus: *Serpens antiquus, de septem peccatis mortalibus*.

GUILELMUS *de Janicea*, Ord. Minor. quem Cangius memorat, Waddingo, Simlero, Possevino, aliisque ignotus fortasse Guilelmus de Lancea, de quo infra.

GUILELMUS *de Jancono*, Prior Augustinianorum Tolosae circa Annum 1498. Vide Elssii encomiasticon Augustinian. pag. 264. quem malo sequi quam Possevinum a quo refertur ad Annum 1410. Scripta ejus nulla nisi *Sermones* in Evangelia per annum et in festis Sanctorum et Quadragesimales, aliique Sermones quinquaginta.

* Florebat circa an. 1490. quo eodem an. facultas illi permissa est ab ord. sui praesule ut magistralem lauream consequi posset. Vide Gandolfo de CC. Augustin. p. 157.

GUILELMUS *Jordanus*, confer GUIDO *Jordanus*.

GUILELMUS ex *Judaeis*, supra *Bituricensis*.

GUILELMUS *Ive* sive *Ivaeus* Anglus, Vicecancellarius Lond. circa Annum 1464. Scripsit *in minores Prophetas. Determinationes Theologicas* et *Lecturas* lectas Oxonii. *De CHristi Dominio* et *de mendicitate CHristi* et *Sermones ad Clerum*. Vide Baleum VIII. 31. Pitseum pag. 655.

GUILELMUS *de Kayotho*, supra *Guil. de Cajoto*.

GUILELMUS *Kyngsham* sive *Kingeshamensis* Anglus Ord. Praed. Theologus Cantabrigiensis circa An. 1262. Scripsit *in Ecclesiastem*, qui Commentarius cum Joan. Bacondorpio in Ecclesiastem exstat MS. in Bibliotheca Caroli Theyeri in Comitatu Glocestriensi. Vide tom. 2. MSS. Angliae pag. 202 n. 665. Ejusdem *in Ecclesiasticum* memorat Baleus 47 hoc initio: *Magister et Dominus Gundisalvus*. Sed iisdem verbis incipit *Roberti* HOLKOT commentarius in septem priora Ecclesiastici capita, ut notatum Jacobo Quetif tom. 1, pag. 467. Praeter *Sermones*, huic Guilelmo Pitseus pag. 344 etiam tribuit commentarium *in IV libros Sententiarum*.

GUILELMUS *Lamarensis* sive *de Lamara*, Anglus Ord. Minor. circa An. 1280. Ejus commentarios *in IV libros Sententiarum*, *additiones in Bonaventuram*, et *Correctorium Operum Thomae Aquinatis* laudat Trithemius cap. 487. Ante hoc Correctorium idem Guilelmus *summam contra Thomam* scripserat, cui Correctorium opposuit JOANNES *Clapoel* sive *Crapuel* Parisiensis, Ord. Praedicator. Huic Joanni Guilelmus in suo Correctorio respondit. Vide Oudinum tom. 3, pag. 618 seq. ubi etiam ÆGIDII Romani liber Correctorio Guilelmi oppositus prodiit Coloniae 1624 8. edente Gualtero Henrico Strevesdorf. *Lecturae Scholasticae et Quodlibeta Sophistica* hujus Guilelmi apud Possevinum memorantur. Ab Oudino pag. 619 etiam *Sylvarum libri IV*. editi in 4. sub typographiae nascentis initia, sine anno et loco. Sed illi sunt *Guilelmi a Mara* junioris, de quo infra.

GUILELMUS *de Lancea* Aquitanus, Ord. Minor. scriptor *Diaetae salutis*, quam MStam in Bibliotheca Coenobii Cambceronensis Ord. Cisterc. in Hannonia testatur Sanderus in Bibliotheca MSS. Codicum Belgii pag. 356. Idem mihi hic videtur cum GUILELMO *Letardo* a) apud Waddingum pag. 153 ubi illi tribuit *Formularium Confessionis super decem praecepta Decalogi.*

GUILELMUS Abbas *Langthoniensis*, Lelando *Lanhondenensis*, Coenobii Canonicorum Regularium in Anglia, circa Annum 1230 scripsit *Vitam Roberti* Bethunensis, ex Abbate Langhtoniensi Episcopi Herefordensis, ad Reginaldum Abbatem Wenlocensem. Vide Lelandum cap. 226. Baleum III. 89 et Pitseum pag. 306.

GUILELMUS *Lemster* sive *Lemesterus*, Herfordiensis, Anglus, Ord. Minor. Theologus Oxoniensis, cuius *Collationes in IV. libros Sententiarum* et *Quaestiones Theologicae* memorantur a Baleo XII. 88 ex quo eadem Pitseus pag. 856 Possevinus, Waddingus etc.

GUILELMUS *Leycestrius* (Lelando c. 255. *Guilelmus Montanus* seu *de Montibus*) Anglus, Canonicus Augustinianus, Lincolniensis, circa Annum 1217. cujus scripta apud Bostonum Buriensem, Baleum III. 67 Simlerum et Possevinum sunt: *Concordantiae Bibliorum. De tropis Scripturarum. Similitudinarium. Speculum poenitentiae* et *poenitentis. Expositiones Evangeliorum et Epistolarum. Homiliae CCLXXVII. per annum. De Sacramentis Ecclesiae. Flores Sapientiae. Summa brevis. Numerale* et *Summa Numerorum. Dictiones Theologicae. De adventu Domini. Super agnitione peccati De bonitate mulierum ad quasdam moniales. Carmen alphabeticum glossatum*, quod incip. *Quis veniat videas, quo, quando* etc.

GUILELMUS de Lichfeldia, Anglus Theologus defunctus An. 1447. Vide Pitseum pag. 854 qui scripta ejus refert: *Sermones* ter mille et octoginta tres: *Querelam DEI contra genus humanum* expressam carmine. *Responsum poenitentis ad DEUM.*

GUILELMUS *Lidle* sive *Litle*. Parvus, infra, *Guil. Neubrigensis.*

a) Gallis *le dard*, lancea.

GUILELMUS *Lidlingtonus* Anglus, Carmelita, Doctor Oxoniensis, circa Annum 1309. Scripsit in Evangelium Matthaei: Determinationes et Lecturas Theologiae. Sermones ad populum. Contra Statutum Narbonense, quod Carmelitas Angliae in duas provincias diviserat An. 1303. Vide Baleum IV 79.

GUILELMUS *Lincolnius*, Anglus, Carmelita, Doctor Cantabrigiensis, An. 1360. Scripsit *XXV. Quaestiones in Magistrum Sententiarum*: atque *Oppositiones Scholasticas*. Vide Baleum XII. 5.

GUILELMUS *Lindwoodus*, Lelando cap. 535 et aliis *de Lindewoode* (de Tilio nemore) Anglus, Juris, maxime Ecclesiastici peritia apud Henricum V. ac VI. Angliae Reges gratiosus, denique ab An. 1435 ad 1446. Episcopus Menevensis. Hic An. 1430 collegit illustravitque *Provinciale* sive *Constitutiones Provinciales Archiepiscoporum Cantuariensium XIV.* a Stephano Langthono ad Henricum Chirchillejum libris V. quae cum Constitutionibus Othonis et Otthoboni a JOANNE de Athona illustratis, et cum catalogo quorundam Archiepiscoporum Cantuariensium prodiere Paris. 1505 fol. et Lond. 1557 8. Oxon. 1679 fol. et cum delectu annotationum, curante Rob. Sharrokio 1663. 8. Praeterea *Commentarium in quosdam Psalmos*, et *Summam causarum* memorant Baleus VII. 72 et Pitseus pag. 640. Ad Concilium Basileense ab Henrico VI. An. 1431 ablegatus, Regio nomine obtulit Concilio appellationem, qua Rex nec Papam nec quemquam mortalium in temporibus superiorem agnoscere se testatus fuit. Vide H. Warthoni auctarium ad Caveum.

GUILELMUS *Lissejus, Lissovius, Lissye.* infra *Lyssy.*

GUILELMUS *de Loarte* Aragonensis, Sec. XV. scripsit *de obligatione Principis Christiani ad redimendos eleemosynis suis captivos qui a Mauris detinentur.* Vide Nic. Antonium X. 6. Biblioth. vet. Hispanae § 341.

GUILELMUS *Lobbenhamus*, vide mox *Lubbenhamus.*

GUILELMUS *Lombardus* Ord. Praed. quem Jacobus Quetif tom. 1. pag. 726. ex Laurentio Pignonio tradit scripsisse *in Dio-*

nysium Areopag. et *in Boetii libros de Consolatione*, eundem libri *de Orthographia* scriptorem non dubito, quem MS. memorat Sanderus pag. 204. elenchi Codicum MSS. Belgii. Vixit ante Annum 1490.

GUILELMUS *Lubbenhamus* sive *Lobbenhamus*, Anglus, Carmelita, defunctus Coventriae An. 1361. cuius librum Quaestionum et Commentaria in libros posteriorum Analyticorum Aristotelis memorat Lelandus cap. 397. Nec plura Baleus XI 23. aut Pitseus pag. 496. seq.

GUILELMUS *Lugdunensis* Ord. Praed. defunctus ante Annum 1260 et falso venditatus pro Archiepiscopo Lugdunensi. Vide infra, *Guil. Peraldus.*

GUILELMUS *Lulledunus* Anglus Carmelitarum An. 1312 gubernator in tribus Provinciis, per Angliam, Cyprum et terram sanctam. Scripsit *Commentarios in Evangelium Matthaei*, Lelando cap. 357.

GUILELMUS *Lynwoode*, supra *Lindwoodus*.

GUILELMUS *Lyssy* Anglus Ord. Minor. circa Annum 1340. Scripsit *in Jeremiam*, *Threnos*, *Baruch* et *in XII Prophetas minores*. Vide Baleum V. 66. ex quo Pitseus p. 445. Possevinus, Waddingus etc.

GUILELMUS *Maclefeldius*, infra *Massetus*.

GUILELMUS *Major* (*le Maire*) Gallus, ex Poenitentiario Episcopus Andegavensis ab An. 1290 ad 1314. Ejus *statuta Sinodalia* in Synodis facta Andegavensibus An. 1291 usque ad 1314. edidit Dacherius tom. IX spicileg. pag. 201 (editionis novae tom. 1. pag. 735. 747.) Ejusdem *Gesta Episcopatus sui* ab obitu decessoris ejus Nicolai Gellant usque Ad Annum 1316. in spicilegio ejusdem Dacherii tom. X pag. 247. et in appendice tom. XIII. pag. 227. (editionis novae tom. 2. pag. 159 207.

GUILELMUS Somerset *Malmesburiensis* a Maildulphi curia (Maildulphesbury) Monachus Ord. Bened. et *Bibliothecarius* ac Praecentor Meldunensis sive Malmesburiensis, prosa et carmine eruditus et de historia patria sive Anglorum meritissimus, *cujus libros* inquit cap. 166. Lelandus, *cum in manus sumo, sumo autem cum frequentissime tum lubentissime, toties vel admirari cogor hominis diligentiam, felicitatem, judicium. Diligentiam, quod passim ostendat se ingentem bonorum auctorem numerum legisse: felicitatem, quod illorum elegantiam et nervos aemulus ipse in suis lucubrationibus belle exprimat: judicium denique, quod multa ab aliis temere scripta, ad incudem revocet revocataque luci et veritati restituat.* Vixit adhuc, plura pollicitus An. Chr. 1143. Edita ejus scripta a) haec sunt:

Regalium sive *de rebus gestis Regum Anglorum* a primo Saxonum adventu circa Annum 449. ad annum duodevigesimum Henrici I. sive A. C. 1127. *libri V.* ad Robertum Glocestriae Comitem.

Historiae novellae libri duo ab A. 1127. ad Annum 1143 ad eundem Robertum, Regis Henrici filium.

De gestis Pontificum Anglorum ad Annum circiter 1125. libri IV quorum *primus* est de Cantuariensibus, Roffensibusque. *Secundus* de Londinensibus atque Orientalium Anglorum, Occidentaliumque Saxonum Episcopis et Monasteriis. *Tertius* de Eboracensibus, Hangustaldensibus et Witternensibus, Candidae Casae, Lindisfarnensibus ac Dunelmensibus. *Quartus* de Wigorniensibus, Herefordensibus, Legecestrensibus, Dorcestrensibus sive Lincolniensibus atque Eliensibus. Haec scripta Guilelmi prodiere in collectione Historicorum Angliae post Bedam praecipuorum, curante Henr. Savilio Lond. 1596. et Francof. typis Wechelianis 1601. fol

Librum V de Pontificibus Anglorum primus edidit Warthonus in limine tomi II. Angliae sacrae, Lond. 1691. fol. et sub idem tempus Thomas Galeus inter scriptores XV. Oxon. 1691. fol. pag. 337. in eo praeter plures *de antiquitatibus Malmesburiae* chartas, continetur *vita Aldhelmi* Shireburnensis Episcopi, cujus solam epitomen Baleus viderat, edideratque Mabillonius Sec. Benedictin. IV. pag. 726.

Vita S. Wulstani Episcopi Wigorniensis ad fratres Wigornienses, libris III. in tomo secundo Angliae sacrae pag. 241 270. et

a) De MStis Codicibus consulendus Oudinus t. 2. p. 1089. seq.

cum notis Henschenius tom. 6. Maji 25. pag. 79.

Liber *de antiquitate Ecclesiae Glastoniensis*, ab eodem vulgatus Galeo in laudata XV. scriptorum sylloge p. 289.

Epistola ad Petrum Monachum Meldunensem *praefixa Joannis Scoti* Erigenae *libris V. de naturarum divisione*, et ex MS. Thuano edita a Thoma Galeo ante Scoti libros, Oxon. 1681. fol.

Multa alia condidit Guilelmus necdum prolata in lucem, qualia sunt, memorata Lelaudo cap. 166. Baleo II. 73. et Pitseo pag. 209.

De serie Evangelistarum, vario genere carminis, libri XV.

Commentarii in threnos Jeremiae, libris IV. MS. in Bibl. Cottoniana.

De miraculis B. Mariae Virginis, libri IV.

De miraculis S. Andreae.

De indigenarum Sanctorum Miraculis.

Epitome historiae HAIMONIS *Floriacensis Monachi*, a Justiniano ad Carolum M. MS. in Bibliotheca Collegii Baliolensis, Oxon. et in Bodlejana.

Genealogia Henrici II. Regis Angliae.

Itinerarium JOANNIS *Abbatis Meldunensis*, Romam cum Petro Monacho Meldunensi profecti: multis plane, Lelando teste, rebus memorabilibus refertum.

De antiquitate Glessoburgensis Monasterii, ad Henricum Soliacum a) Wintoniensem Episcopum. Baleo *Antiquitates Glasconiae*. MSS. in Bibl. Collegii S. Benedicti Cantabrig.

Vita Indracti, *Hiberniae reguli* qui S. Dunstani discipulus fuit.

Vita S. Patricii, libri II. ad Monachos Glassoburgenses. *Vita S, Benigni*, *S. Dunstani*, libris duobus.

De gente Wydenorum sive *Vugdenorum.*

Chronicorum libri III. quorum meminit, praef. ad Historiam novellam.

Sermones et Epistolae.

Ex *abbreviatione* librorum AMALARII *de Officiis Ecclesiasticis* MS. in Biblioth. Lambethana locum affert H. Warthon pag. 360. auctarii ad Usserium de sacris Scripturisque vernaculis. Praefatione Rabano Mauro parum aequam, ad *Robertum* amicum, (nescio an diversum a Glocestriae Comite) in cujus gratiam hunc laborem in se suscepit, et epilogum primi ultimique libri edidit Petrus Allixius in calce praefationis ad determinationem Joannis Parisiensis de modo existendi Corpus CHristi in Sacramento Altaris. Lond. 1686. 8.

a) Vide Labbeum tom. 1. de S. E. p. 405.

GUILELMUS *de la Mare* Supra *Lamarensis.*

GUILELMUS *de Mandagoto* sive *Mandagozzo*, ex Archidiacono Nemausensi Archiepiscopus An. 1295. Ebredunensis et An. 1311. Aquensis atque An. 1312. Cardinalis Praenestinus Episcopus, defunctus A. 1321. Vide Baluzium ad Papas Avenionenses tom. 1. pag. 666. seq. Fuit hic inter eos qui jussu Bonifacii octavi *sextum Decretalium librum* condidere. Praeterea scripsit adhuc Archidiaconus ad Magistrum suum Berengarium Stedellium, Ecclesiae Biterrensis succentorem a) et postea Episcopum, Domini Papae (Bonifacii VIII.) Capellanum et Doctorem Decretorum, *librum de electionibus Praelatorum*, qui exstat in Oceano Juris sive tractatu tractatorum tom. XV p. 407. cum additionibus Nicolai Boërii b) lucem vidit Coloniae A. 1573 et 1601. Etiam *Expositionem* ejusdem scripti ab ipso Mandagoto compositam memorat Trithemius cap. 512. Alii quoque *Statuta pro Monasterio Montis majoris*, *et super Legum disciplina, opuscula.*

* Extat apud me in MS. Codice chartaceo liber *de electionibus* cujus hic meminit Fabricius; extatque pariter in eodem libello expositio eiusdem scripti ab eo composita et eidem opusculo de electionibus praemissa; quam expositionem ipsam esse credo eum ea cujus meminit Trithemius, nec excusam arbitror cum eodem opusculo in Oceano juris, quamquam hoc mihi non satis certo constat, nec modo ad manus est collectio inscripta *Oceanus juris*, ut certior ea de re fiam. Inscribitur opus: *Domino Berengario Fredolo* de quo vide quae in ejus articulo animadverti.

a) Vitiose excusum *successorem* in G. Josephi Eggs purpura docta tom. 1. p 208.

b) Perperam *Boëtii* apud Possevin.

GUILELMUS *de Mara*, supra, *Guil. Lamarensis.*

Alius ut videtur GUILELMUS *de Mara* Ord. Minor. cujus *summam Juris* valde celebrem, et *Epistolas* atque *Orationes* Paris. 1514. excusas memorant Possevinus et Waddingus. Alius item GUILELMUS *de Mara* junior, Neustrius, Canonicus Constantiensis, cujus opusculum de S. Eucharistia ad Guilelmum a) Constantiensem Episcopum, atque alia scripta apud Gesnerum aliosque referuntur, in his *libri quatuor Sylvarum*, quos Lamarensi praeter rem tribui supra notavi.

GUILELMUS *Martellus*, supra *Guil. S. Albani* Monachus. Apud Hallervordum in spicilegio Hist. Lat. typographi vitio leges cum acta *S. Albini* tradidisse. Nam *S. Albani* Martyris acta, non Albini tradidit sive ex Anglico Latine vertit.

GUILELMUS *S. Martini* Tornacensis Monachus S. Benedicti circa An. 1240 scripsit *Bernardinum* sive Flores ex S. Bernardi operibus, ut dixi tom. 1. p. 206. Prodiit Paris. 1499 et Lugd. 1556, 8. sed sine nomine auctoris quod ex Codice Cisterciensi restituit Mabillonius tom. 1. analector. pag. 318. (edit. novae p. 132.) et ante Mabillonium Sanderus p. 141. Catalogi Codicum Belgii, et, ex Codice Tornacensi Valerius Andreas, qui *decem libris* distinctum opus testatur, et ex alio in rubra valle apud Bruxellam, Bunderius apud Franciscum Swoertium.

GUILELMUS *Massetus* de quo Lelandus. cap. 302 non diversus ut videtur *a Machelesfeldo* de quo idem cap. 306. Anglus Ord. Praed. circa Annum 1300 qui aliis etiam *Messelech*, *Mackelfield*, *Maflet*, *Mallisvielt*, *Mamisfeld* etc. scripsit pro *Thoma* Aquinate *contra Henricum Gandavensem*, et *Corruptorium Corruptorii* contra scriptorem *Correctorii* S. Thomae, GUILELMUM *de Mara*, Franciscanum: Librum *de unitate formarum*, *de comparatione statuum*, *Orationes ad Clerum*, *Varia problemata* et Quaestiones *Conclusiones ordinarias*, nec non *Quaestiones de Angelis*, et Postillas *super aliquot Veteris Testamenti libros* et *in Evangelium de decem Virginibus.* Vide Baleum IV. 84 et V 2 et Pitseum pag. 388. 389, 408. maxime Jacobum Quetif tom. 1. pag. 493, seq.

a) Apud Sammarthanos tom. 2. Galliae sacrae p. 546. nullus post Annum 1500. Guilelmus Episcopus Constantiensis.

GUILELMUS *Maulius* Essexiensis, Monachus, cujus solos sermones Quadragesimales Baleus memorat XII, 83 nec plura Pitseus pag. 856.

GUILELMUS *de Mauritania*, sub cujus nomine Epistolam ad Hugonem, Priorem S. Victoris edidit Hugo Mathoud notis ad Robertum Pullum pag. 332 et Bulaeus tom. 2 hist. Academiae Paris. pag. 64 nullus est, sed Epistola illa restituenda GUALTERO *de Mauritania* de quo supra p. 140. Vide Oudinum tom. 2. pag. 1200.

GUILELMUS *de Melitona* Cangio *de Militona* Theologus Paris. Ord. Minor. Dominicanis praeter rem accensitus et Cancellariis Parisiensibus a Sixto Senensi, Possevino aliisque. Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 488. Scripsit *in XII. Prophetas*, *in Cantica Canticor.* *in Ecclesiasticum*, *in Epist. ad Romanos*, *in Apocalypsin.* Idem jussu Innocentii IV, complevit An. 1252. *Summam Theologiae* ALEXANDRI *Halensis*, de qua dicere me memini tom. 1. pag. 64. Apud Waddingum pag. 154 vitiose editur factum illud esse jussu Alexandri IV, nam is An 1252 nondum Pontifex, sed demum in fine An. 1254.

Alius GUILELMUS *Melton* Anglus, Cancellarius Eboracensis, circa An. 1520 cui Baleus IX, IX. Simlerus et Pitseus p. 697 tribuunt Commentarios *in Pentateuchum*, *Danielem*, *Maccabaeos*, *Epist. ad Hebraeos*, *Sermones in Evangelia*, *Librum de Musica caelesti*, et *examen eorum qui sunt sacris initiandi.* Addunt etiam Commentarium in *XII. Prophetas*, qui rectius superiori Guilelmo adscribitur. Dominicanum facit Pitseus solus, quod et ipsum suspectum visum Jacobo Quetif tom. 1. pag. 188.

GUILELMUS *Messelechus*, supra *Massetus.*

GUILELMUS *Milverleius* Anglus, Philosophus Oxoniensis circa Annum 1350. Scripsit *in universalia Porphyrii*, *de Proposi-*

tione, *Sophismata* et *super sex principiis* Gilberti Porretani. Vide Baleum et Pitseum pag. 477.

GUILEEMUS *Minandi* Medicus apud Cardinalem Saluciarum, deinde Monachus domus Majoris Carthusiae, ad cujus quaestiones respondit Joannes Gerson in opusculo de Religionis perfectione et moderamine quod exstat tom. 2 editionis novae Dupinianae pag. 682, seq.

GUILELMUS *Minorita*, supra *Guil. Constantiensis* Episc.

GUILELMUS Othonis I. Imp. filius, Archiepiscopus *Moguntinus* ab An. 954 ad 968 de quo Nicolaus Serarius libro IV, t. 1. rerum Moguntinarum G. Christiani Johannis pag. 433. Ex ejus Chronico verba quaedam affert Trithemius in Chron. Hirsaugiensi pag. 33. quibus Guilelmus ipse testatur se in Moguntina sede An. 954. Friderico Archiepiscopo successisse.

GUILELMUS *Monachus* Historiae novellae conditor. infra *Guilelmus de Nangis*.

GUILELMUS *de Monserrat*, sive de Monteserrato Cataloniae ac Tarraconis, scripsit *Commentum super pragmaticam sanctionem Caroli VII.* Galliae Regis An. 1439 de potestate Generalis Concilii ac de Episcoporum electione. De intellectu regulae Basileensis Concilii circa hanc electionem. De reservationibus per Papam ex rationabili causa factis. Et de Regia praerogativa in electivis dignitatibus. Prodiit Paris. 1514. 4. una cum Cosmi Guymier glossis in eandem Sanctionem: ac deinde in opere Parisiis 1666, fol. edito cui titulus: Caroli VII. Francorum Regis Pragmatica sanctio cum glossis Cosmae Guymier, et additionibus Philippi Probi. Accedunt historiae Pragmaticae Sanctionis et Concordatorum: Annotationes et supplementa veterum Instrumentorum a Francisco Pinssonio. Ejusdem Guilelmi tractatus *de successione Regum, et praecipue Galliae.* Lugd. 1519, fol. Tubing. 1625 4. et in Oceano Juris, sive tractatu tractatuum tom. XVI. pag. 178.

GUILELMUS *de Monte Lauduno* sive Laudinio, Doctor Decretorum Tolosanus atque Abbas Monasterii novi Pictav. Ord. Bened. circa Annum 1310 ac deinceps et adhuc 1346. Scripsit *lecturam in librum sextum Decretalium: Apparatum constitutionum Clementis V.* et *super Extravagantes Johannis XXII*, atque *in Decretales.* Denique *Sacramentale* sive *librum de Sacramentis* ad carissimum filium Pontium de Villamuro. Vide Baluzium ad Petri de Marca Concordiam VI, 4. et Oudinum tom. 3. pag. 966, seq.

GUILELMUS *de Montibus* sive *Montanus*, supra *Guil. Leycestrius.*

GUILELMUS *Montioius* nobilis Anglus praefectus Tornacensis, circa Annum 1513 cujus Epistolas laudat Pitseus pag. 857. Ad hunc et filium ejus Carolum Montiojum Erasmi litterae, quibus etiam Adagia sua inscripsit.

GUILELMUS *Musicus* apud Anonymum Mellicensem cap. 106 intelligitur Guilelmus Hirsaugiensis de quo supra.

GUILELMUS *de Nangis* sive *deNangiaco* Monachus S. Dionysii in Gallia Ord. S. Benedicti scripsit *Chronicon* ab Orbe condito usque ad Annum 1300. Fragmentum ex eius Chronico rerum Gallicarum ab Anno 977 ad 996 in Petri Pithoei scriptoribus XII. Paris. 1588, 8. et Frf. 1594, 8. pag. 510. 516. Continuationem Chronici SIGEBERTI Gemblacensis ab An. 1113 usque ad Annum 1300 edidit Dacherius tom, XI spicileg. pag. 405. (editionis novae tom. III. pag. 1. 54.) cum subiuncta ANONYMORUM duorum Continuatione ab An. 1301 ad 1367 ibid. pag. 54. 140.

Gesta Ludovici Noni, Francorum Regis ab An. 1226 et filiorum ejus Philippi Audacis et Roberti, edita a Petro Pithoeo inter XI. Scriptores Frf. 1596, fol. pag. 400 et deinde collata cum Codice MS. ab Andrea du Chesne tom. V. pag. 326. 406. In extremo libri auctor meminit etiam Canonizationis Regis, quae facta est An. 1297. Prima solemnibus nobilitata caerimoniis. Vide Menagiana t. 2. pag. 169. t. 4. pag. 153. Bulaeum hist. Academ. Paris. tom. 3. pag. 529. Jac. Echardum Biblioth. Dominican. tom. 1. pag 499.

GUILELMUS *Lille*, hoc est ut Gallica appellatione Baleo III, 53. *Petitus*, Pitseo pag. 270. et Lelando cap. 173 *Parvus*,

Brillendunensis sive Bridlingtona Provinciae Eboracensis, Canonicus Augustinianus *Neubrigensis* sive Neuburgensis, seu Novoburgensis in Anglia, defunctus An. 1208 aetat. 72. Commentarium eius *in Cantica Canticor.* Roberto Abbati Bellolandiensi dicatum idem Lelandus Baleusque et Pitseus memorant. Sed maxime clarum Guilelmi nomen reddunt libri V, *de rebus Anglicis sui temporis* a) ad Edmundum Abbatem Rievallensem ab An. 1066 et diligentius ab An. 1135 quo se natum testatur ad 1197 quorum post Guilelmi Sylvii edit. Antw. 1567, 8. et Commelinianam in rerum Anglicanarum scriptoribus, Heidelb. 1587 fol. pag. 353. 496 integrioremque b) et notis Joannis Picardi illustratam, Paris. 1610, 8. melior est Thomae Hearne c) editio Oxon. 1719, 8. 3. Volum. qui etiam *tres homilias* Guilelmi huius, antea ineditas adiunxit. *Libros duos de Regibus Anglorum* praeterea laudant Baleus, Pitseusque et Vossius, necdum quantum memini in lucem prolatos.

GUILELMUS *Noëlleti* Gallus, Cardinalis qui An. 1394 obiit Avenione. De eo Baluzius in Papis Aven. tom. 1. p. 1113. seq. Huic a Clemente VII. An. 1390 commissum est examen quod Nicolaus Eymericus Inquisitor Aragonensis recenter composuerat adversus errores Raymundi Lulli.

GUILELMI *Normanni* in Philosophiam, MS. Venetiis teste Tomasino pag. 28.

GUILELMUS *Northonus* Anglus, Ord. Minor. in Coenobio Coventriensi, circa Annum 1403 condidit indicem seu repertorium locuples in *Nicolai* LYRANI scholia ad Vetus et Novum Testamentum: sive, legas ut apud Baleum X. 38. Lyranum *copiosissime tabulavit.* Eiusdem repertorii mentio apud Pitseum pag. 577. Waddingum pag. 154 etc.

GUILELMUS *Nottinghamus* Anglus, ex Canonico Eboracensi et Theologo Oxoniensi Provincialis Ord. Minor. in Anglia obiit An. 1336. *Concordiam quatuor Evangelistarum* a Clemente LANGHTONO coeptam perfecit libris XII, scripsitque *Commentarios et Quaestiones in Evangelistas. In Epistolas Pauli omnes. In IV, libros Sententiarum. Lecturas SS. Scripturarum. Quaestiones ordinarias. Replicationes. Distinctiones, Theologicas.* Librum *pro Lege Christianorum. De obedientia. Sermonum libros duos in Evangelia per annum.* Vide Baleum V. 45. His Pitseus pag. 433 et Waddingus p. 155 addit *Quaestiones de Oratione. Regulam vivendi* et librum *contra Pelagium.*

GUILELMUS *Occamus* sive *Ochamus*, Ord. Minor. *Joannis Duns* sive *Scoti* discipulus atque deinde oppugnator subtilis: Patronus *Nominalium* a) et signifer *Occamistarum, Fratricellorumque Paupertatem CHristi* b) adversus Joannem XXII, asserentium, ambitionemque Pontificis Rom. convellentium, clarus circa Annum 1330 defunctus Monachii, cum a Papa proscriptus apud Ludovicum Bavarum asyli tutamen reperisset, An. 1347 10. April. *Venerabilis inceptor* et *Doctor Singularis,* et *Invincibilis.* De scriptis ejus, quorum plura Goldastus in Monarchia Imperii curavit recudi, diligenter et accurate post Labbeum, H. Warthonus et Rob. Gerius ad Caveum. Vide sis etiam Lelandum cap. 326. Baleum V, 18. Pitseum pag. 457. Trithemiumque cap. 563. (qui refert celebre ejus dictum ad Ludovicum: *O Imperator, defende me gladio, et ego defendam te verbo.*) Jac. Gaddium tom. 2. pag. 122, seq. Praecipue vero Lucam Waddingum in Bibliotheca et Annalibus Ord. Minor.

Est mihi in manibus *Dialogus* Guilelmi Occam excusus Lugduni 1494, seu potius 1495 fol. apud Joannem Badium Ascensium, qui in partes tres dividitur, *Opus* judice Seldeno I, 10 de Synedriis pag. 228 *ingeniosissimum, et doctissimum, nec unquam satis laudatum, quod et forsan inter ea quae de potestate Ecclesiastica seculis superioribus conscripta sunt, primas tenet.* In parte *prima* in plures tributa libros subtiliter disputatur de haeresi et jure de ea cognoscendi, ac speciatim si Papam de ea

a) Veridicus auctor Polydoro Virgilio: adde Vossium p. 452. seq.

b) Vide Caveum.

c) Bibl. Angloise tom. VII. p. 174.

a) B. Jacobus Thomasius diss. de Doctoribus Scholasticis Latinis Lips. 1676. § XVII. seq.

b) Bzov. ad An. 1323. num. 10.

graviter diffamari contingat. Atque utrum expediat totum Orbem Christianum uni subesse homini, et cuiquam scripturae non Canonicae fidem simplicem habere, et de jure Imperatoris in Ecclesiasticos atque in ipsum Pontificem, et num Cardinalibus in haeresin lapsis jus eum eligendi ad Romanos revertatur. *Secunda* pars tota est opposita haeresi Joannis XXII. Papae 1) quod animae beatorum ante Judicium non visurae sint DEUM *facialiter*. Denique pars *tertia* in novem tractatus et in plures divisa libros, potestatem Pontificis, et Conciliorum quoque: obtrusaque Ecclesiae praeter sacrarum litterarum auctoritatem et definitive credenda imposita capita: ac denique de jurisdictione in ejus personam concludit quod Papa non majorem sibi possit potestatem arrogare quam CHristus ipse et Apostoli qui inferiores se gesserint Imperatore et Judicibus, saecularibus quantum ad jurisdictionem coactivam attinet. Dialogo huic subjicitur *Opus nonaginta Dierum* capitulis CXXIII, in quibus multa pro MICHAELE *Caesenate*, Joannis XXII, altero adversario, de quo infra, suo loco, sicut etiam de HENRICO *de Zemeren*, qui prolixiores Occami disputationes in Compendium redegit.

*Scriptoris huius in Rom. Pontifices virulenti laudes in ore Fabricii suspectae jure meritoque a viris doctis habendae sunt. Scribit referri a Trithemio celebre eius dictum ad Ludovicum Bavarum. Refert quidem Trithemius, sed non laudat; ait enim perfugium quaesivisse illum ad Imp. quem ut sibi alliceret affatus est: *O Imperator defende me gladio; et ego defendam te verbo.* Quid in hoc dicto magnifici agnosces prudens Lector? De scriptore hoc egregie effatus est vir quidam doctrina aeque ac dignitate Ecclesiastica summus apud authorem catalogi Biblioth. Vindobonensis Civicae pag. 151. *Nullus unquam scriptor S. Matri ecclesiae adeo se simul amore et odio dignum reddidit, ac iste Occamus. Dum Theologica scribit nemo melius; dum contra Ecclesiam, virulentius nemo.* Occami centiloquium Theologicum in lucem prodivit aliquandiu ante Lugdunens. edit. anni 1496. quam unam profert Warthonus in append. ad Caveum; nam in Biblioth. Civica Vindobonensi exhibetur opus idem Lugduni an. 1494. vulgatum.

GUILELMUS *Odo*, *Honden*, *Hottun*, seu *de Odone*, Anglus, Ordinis Praedicatorum, et designatus A. C. 1297. Archiepiscopus *Dublinensis*, intra anni spatium defunctus. Scripsit *de immediata visione DEI. De Unitate formarum.* et *Super IV, libros Sententiarum. In tres libros Aristotelis de anima. Orationem de jure Regis Angliae ad Scotiam. Lecturas Scholasticas.* Vide Baleum IV 74. Pitseum pag. 383, seq. Lelandum cap. 320. Jacobum Waraeum de scriptoribus Hiberniae lib. 2. pag. 121 et Hiberniae sacrae pag. 110. Jacobum Quetif tom. 1. pag. 459, seq. et 385.

GUILELMUS *de Oona*, infra, *Guilelmus Verus.*

GUILELMUS *de Oppenbach*, Teutonicus, Theologiam docuit Parisiis labente saeculo XIV. Ejus *Quaestiones* Parisiis et Coloniae *disputatas*, Commentarium in *IV. libros Sententiarum*, et *Sermones* memorat Trithemius cap. 683. de S. E. et cap. 135. illustr. German.

GUILELMUS Abbas *Orbacensis* An. 1180. scriptor *Actorum translationis S. Reoli*, Archiepiscopi Remensis, defuncti An. 688. Exstat apud Edmundum Martene tomo 6. monumentorum pag. 1216. seq.

GUILELMUS *Pachentonus*, sive *Pachendunus* (Packington) Anglus, a Vossio in Historicis Latinis memoratur, quanquam Gallice scripsit circa Annum 1380. clarus, *Acta quinque Angliae Regum* a Johanne ad Richardum II. sub quo vixit, et *gesta Principis sui, Eduardi nigri*, Eduardo III. geniti, cuius scriba ac thesaurarius fuit. Vide Lelandum cap. 402. Baleum VI. 68. et Pitseum p. 530.

GUILELMUS *Paghamus*, sive *de Pagvia*, aliis *de Pagula* sive *Paganerus*, Anglus, Carmelitarum Prior atque Episcopus circa Annum 1280. in Hibernia Midensis, scripsit Lelando cap. 392. teste. *de perfectione Intellectus. De notitia actuali. De veritate formali.* His Baleus IV. 52. et ex eo Pitseus pag. 363. addit: *De ente rationis. Lecturam in IV. libros Sententiarum. Placita Theolo-*

gica. Quaestiones ordinarias. Conciones populares. Fallitur Alegrius, qui in paradiso Carmelitici decoris pag. 270. Guilelmum Paghamum An. 1280. Episcopum distinguit a Guilelmo Paganero, quem ait vixisse An. 1350.

GUILELMUS *Paris,* Anglus, Archidiaconus, cujus *Commentarios in Psalterium* vidisse se in Regis Eduardi sexti Bibliotheca testatur Baleus XII 73. Plures utriusque Instrumenti libros illustrasse, incerta fide traditur apud Pitseum p. 857.

GUILELMVS Aruernus, Theologus, Philosophus subtilis ac Mathematicus, et ab An. 1228. ad 1249. Episcopus *Parisiensis.* Laudes ejus atque epitaphium exhibent Sammarthani tom. I. Galliae Christianae pag. 444. seq. et Oudinus tom. III. pag. 101. *Censura detestabilium errorum* ab eo promulgata A. 1240. legitur in Bibliotheca Patrum edit. Lugdunensis tom. XXV. pag. 329. Opera ejus in duas tributa Patres junctim vulgavit Johannes Dominicus Trajanus, Neapolitanus, Venetiis 1591. fol. quae a Labbeo tom. 1. p. 409. seq. recensentur. Emendatiora et quatuor scriptis locupletiora dedit Bartholomaeus Ferronius, Aureliae 1674. fol. a) duobus Voluminibus. Illa quatuor scripta sunt Argentinae pridem A. 1507. in lucem data: Liber *de S. Trinitate et attributis Divinis. De anima. De Poenitentia* novi tractatus supplementum. et *de collatione beneficiorum* Ecclesiasticorum, quae plura eodem tempore in unum hominem conferenda esse negat. Hic de beneficiis liber ex veteri editione Paris 1490. in 4. fuit in Biblioth. Telleriana quae hodie est S. Genovefae Paris. Liber *de Rhetorica Divina* lucem viderat Parisiis 1516. 8. et ex antiquiore editione sine loco et anno itidem in 8. cum S. Ephraemo de compunctione cordis, aliisque. Partem secundam Scriptorum hujus Guilelmi Paris. 1517. 8. juris publici fecit Antonius Sylvester, b) et in operis nuncupatione summarium vitae ejus praemisit. Librum *de fide et legibus,* qui in editionibus recentioribus ducit familiam, laudat Petrus de Alliaco contra Astronomos, editus inter Johannis Gersonis opera tom. 1. editionis novae p. 679. Trithemius c. 480. inter scripta hujus Guilelmi etiam memorat, quae in editionibus desiderantur, *Epistolas* ad diversos, librum *de daemonibus. de claustro animae. de dono scientiae, de professione novitiorum de bono et malo, de primo principio,* et commentarios *in Psalterium, in Proverbia* Salomonis *in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, et in Evangelium Matthaei.* Ex his Commentarii *in Cantica* atque *Ecclesiasten* MSti in Bibliotheca Longipontana dioeceseos Svessionensis, teste Oudino tom. 3 p. 103. Commentarius autem *in Matthaeum* typis etiam exscriptus exstat, si vera est Viri docti coniectura, Guilelmo Parisiensi adscribendum esse, qui legitur inter ANSELMI Cantuariensis opera, quanquam in aliis Codicibus tribuitur Petro BABIONI, ut dixi tom. 1. pag. 108 et 150.

De *Sermonibus* vide quae dicentur in *Guilelmo Peralto.* Lugdunensi. De *Dialogo de VIII. Sacramentis* dictum in *Guilelmo Baufeti.*

* Non alterius Guilelmi, quam huius sunt partes duae operis de universo, quae duobus seiunctae Codicibus exhibentur inter Codd. MSS. Latinos 305. 306. Biblioth. Venetae S. Marci, in quibus haec lego *Guiglielmi de Arvernia Episcopi Parisiensis pars prima de Universo. De Universo pars secunda* scilicet *a capite de nobilitate et excellentia scientiae; de universo spirituali ad finem.*

GUILELMUS *Parisiensis* ab An. 1304. ad 1320. Episcopus. Supra, *Guilelmus Baufeti.*

GUILELMUS *Parisiensis*, supra, *Guilelmus de S. Amore.* Huius videtur tractatus *contra exemptiones,* MS. in Bibliothecis Angliae. Vide Oudinum tom. 3. pag. 103.

GUILELMUS *Parisiensis*, Ordinis Praedicatorum, Generalis Quaesitor Fidei in Regno Franciae, et Philippi Pulchri, Regis Confessarius circa Annum 1306. Huius *Acta,* ut Inquisitori *in causa Templariorum* MSta memorat Labbeus pag. 13. Biblioth. MSS. et Jacobus Quetif tom. 1. pag. 519. Laudatur et ejus *Tabula Juris,* sive *Reper-*

a) Journal des Savans An. 1667. pag. 27.

b) De hoc Silvestro Launojus Hist. Gymnasii Navarr. tom. 2. p. 646. seq.

torium breve ad inveniendum facile in Decreto et Decretalibus quaecumque notabilia. Eidem tribuitur a Raynaudo et aliis, praesertim ab eodem Quetif tom. 1. pag. 518. et tom. 2 pag. 169. *Dialogus de Sacramentis* editus inter Guilelmi Aruerni Episcopi ab An. 1228. Parisiensis opera: Sed is rectius refertur ad Guilelmum qui Parisiensis Episcopus fuit ab An. 1304. ut supra in *Guilelmo Baufeti* dicere me memini.

GUILELMUS *Parisiensis*, S. Theologiae Professor Parisiis educatus, Ordinis Praedicatorum circa Annum 1485. Hujus est *Postilla super Evangelia de Sanctis. Postilla in Epistolas* de tempore et Sanctis et pro defunctis: nec non de passione CHristi et de planctu Virginis Mariae. Prodiit Ulm. 1486. Parisiis 1509. Argentorati 1513. et 1521. Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 868. cujus judicio scriptor est solidus, gravis, et sensum litteralem perpetuo consectatur. Usus est sermonibus Guilelmi Lugdunensis, de quo infra in *Guilelmo Peralto.*

* *Fratris Guillermi postillam* quam Maittaire in indice annalium Typograph. ambigit num tribuenda sit Guilelmo Parisiensi Episcopo credo potius ad hunc pertinere, nec aliam esse, quam ex illis unam hic a Fabricio indicatam. Eodem vero Maittaire teste prodiit opus istud Coloniae fol. an. 1481. et Argentorati an. 1487. 1493. Norimbergae 1488 et alibi saepe.

GUILELMUS *Parvus*, supra, *Guil. Neubrigensis.*

GUILELMUS *Pastrengus*, sive Pastregicus, Veronensis, discipulus *Oldradi de Laude*, Jurisconsulti, Causidicus atque inde Judex et Procurator communis Veronae, idem Petrarchae praeceptor et amicus, clarus circa An. 1330. scripsit librum *de Originibus rerum*, editum Venet. 1547. in quo de scriptis virorum illustrium, ordine litterarum: de fundatoribus urbium, de primis rerum nominibus, de inventoribus rerum, de primis dignitatibus, deque magnificis instructionibus disserit. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XV. p. 198. seq. Vir celeberrimus Bernardus de Montfaucon in Diario Italico pag. 48. *Guilelmus Pastrengus de Viris illustribus* MS. in Dominicanorum Bibliotheca SS. Joannis et Pauli Venetiis. *Erat is Petrarchae Magister, cujus ille frequenter non sine laude meminit. Estque opusculum, ut illo aevo, perutile, multi scriptores multique libri non noti ibidem memorantur. Postea vero in quodam Bibliopolio incidi in eundem Pastrengicum Venetiis cusum An. 1547. 8. At perinde ignotus est etiam Venetiis, ac si nunquam vidisset lucem: ad haec mendis infinitis foedatus, ut vix apta sententia eruatur, hiulcus et lacerus in multis, ita ut operae pretium duxerim illum ad duos Romanos Codices castigatum et auctum typis iterum dare inter Anecdota.* Quod nondum praestitit Vir tot aliis maximisque in rem litterariam meritis venerabilis, daturus est, ut spero proxime in opere quod jam praelo Parisiis subiecit, inscripsitque Bibliothecam Bibliothecarum novam. (136 Quandoquidem nec Montfaucon nec Scipio Maffei voto huic satisfecere, optandum sane ut ab aliquo Pastrengi opus *de viris illustribus* diligenter evulgetur) De eodem Pastregici libro MS. loquens Joannes Philippus Tomasinus in MSS. Bibliothecarum Venetarum pag. 27. subjungit: *Ordine alphabeti contextum hoc opus, cui initium ab Anaximandro Philosopho. Albertinum Mussatum refert Priapea scripsisse*, notans carmina quaedam ex illis, de quibus dixi tom. 1. pag. 38.

GUILELMUS *Pepinus*, aliis vitiose *Papicus*, Ebroicensis Gallus Ord. Praed. sub Seculi XVI. initia, scripsit *Expositionem in Genesin*, quam pro inedita habuit Robertus Gerus ad Caveum An. 1500. sed typis exscriptam saepius post editionem primam Paris. 1528 8. *Expositio in Exodum* similiter ut in Genesin, sensum quadruplicem persequens, ibid. 1534 8. Vide Possevinum pag. 710. Apparatus, et Jacobum Echardum tom. 2. Bibliothecae Dominicanorum pag. 87 ubi et de scriptis Guilelmi huius aliis, *Speculo aureo super Psalmis VII poenitentialibus*, Paris. 1519. 8. Opusculo *de Confessione, de quatuor peccatis, cordis, oris, operis et omissionis: de contritione, de satisfactione* ibid. 1530 8. Obiit in patria An. 1532.

* Omisit hic Fabricius huius viri *sermones Adventuales et secreta secretorum.* quo sub titulo conciones aliae de Sanctis alisque continentur. Prodiit liber iste in 8. sine loco an. 1525.

GUILELMUS *Peraldus*, rectius *Peraltus*, (Perault, Peyrauta, *de Petra alta*) Ord. Praed. defunctus ante Annum 1250 et Archiepiscopis *Lugdunensibus* a) vel suffraganeis Archiepiscopi praeter rem accensitus. De illo S. Antoninus Florentinus summae Histor. tit. 23. c. XI. §. 2. tom. 3, p. 682. *Sermones praedicabiles multi ediderunt solennes ipsius Ordinis, et primo* Guilelmus Peralt, Gallicus. *Hic edidit* Summam de vitiis et virtutibus, *Praedicatoribus utilem: multosque* Sermones de Epistolis et Evangeliis Dominicalibus *per totum annum, et librum* de eruditione Religiosorum. Hic liber quem MS. pag. 191. Sanderus hoc titulo memorat, ab aliis *de institutione religiosorum* inscribitur, saepiusque editus est sub falso nomine HUMBERTI: sed Peralto asseritur a Jacobo Quetif tom. 1, pag. 134. Tractatum *de professione Monastica* idem tom. 2, pag. 334 docet Peralto tribui in Codicibus MSS. licet *Joanni* GESSEN Abbati Benedictino alii eum malint adscribere. Summa *de vitiis* septem capitalibus et *de virtutibus* in novem partes tributa, saepius prodiit post editionem Colon. 1479. etiam Summarium ejus auctore JACOBO de Voragine, Basil. 1497 8. GUILELMO *de Brocia*, Archiepiscopo ab An. 1258 ad 1269. Senonensi praeter rem tribui ab Oudino et aliis, probat idem Quetifus tom. 1, pag. 133. Similiter docet *Sermones de tempore super Evangelia et Epistolas* de Dominicis, Quadragesima et festis Sanctorum per annum, sub GUILELMI *Parisiensis* Episcopi, Tubingae 1499 4. atque alibi, et novissime tomo secundo Operum Guilelmi Parisiensis, Aureliac 1674 fol. editos, ad Peraltum potius referri, eique ex fide Codicum relinqui debere; de quo vide etiam Oudinum tom. 3, pag. 402. Auctorem horum sermonum sub GUILELMI *Lugdunensis* nomine laudat GUILELMUS *Parisiensis*, *Dominicanus* Postilla in Epistolas et Evangelia, scripta circa An. 1485 de qua supra pag. 150. Librum *de regimine Principum* THOMÆ *Aquinati*, atque expositionem Professionis sive Regulae S. Benedicti, GUILELMO *Pictaviensi* perperam tribui Peraltoque eripi, ab eodem Quetifo demonstratum.

a) Trithemius cap.484.tantum *Lugdunensem* vocat, de Archiepiscopatu tacet, tribuit illi quoque commentarios *in IV libros Sententiarum* de quibus silent alii, et tanquam diversum cap. 508. ingerit *Guilelmum Peralt.*

GUILELMUS cognomento *Peregrinus*, apud Baleum III. 45 et Pitseum pag. 266. Vossiumque pag. 441 sed Lelando cap. 201. *Guilelmus de Canno*, gente Anglus qui circa Annum 1200 ad Hubertum Cantiorum Archiepiscopum et Stephanum Turnham Capitaneum scripsit carmine *Richardi I.* Angliae Regis *hodoeporicon*, sive iter et expeditionem in Sultanum Babyloniae et Saracenos.

GUILELMUS *Petit* sive *Parvus*, supra *Guil. Neubrigensis.*

GUILELMUS *Petri* de Godino, Bajonensis Ord. Praed. ex Theologo Parisiensi 1312. Cardinalis et An. 1317. Episcopus Sabinensis defunctus An. 1336. Praeter opusculum *de nuptiis Christi Domini et Ecclesiae*, et *Sermones* multos quos memorat Ughellus tom. 1, pag. 174 scripsit tractatum *de Potestate Papae et Praelatorum Ecclesiae* quem MS. in Biblioth. Sangermanensi Cod. 294. Cangius evolvit.

Petrus GUILELMI sive GUILELMUS, de quo supra in *Guilelmo Bibliothecario.*

GUILELMUS *Petroburgensis* Monachus Benedictinus Lelando c. 241. *Burgensis* ubi *Commentarios* ejus *in Cantica, librum partium* et *Evphrastica* commemorat, *Euphrasticam Expositionem* vocat Baleus III. 22. ex Bostono Buriensi, additque initium ex Ecclesiastae I. 9. *Quid est quod fuit? id ipsum quod futurum est.* Praeterea idem Baleus, et ad Annum 1188 pag. 252. Pitseus *Homilias* et *Distinctiones Theologiae*, incip. *alpha prima Graecorum littera, et interpretationes vocabulorum.* S. Scripturae. Incip. *Abraham dicitur ab Abba.*

GUILELMUS *Pictavinus* sive *Pictavensis* Luxoviensis sive Lexoviensis Archidiaconus

consignavit *Gulelmi I.* a) Conquaestioris, Angliae Regis, cujus Capellanus fuit, *gesta* scripta post Annum 1066 et ex MS. Cottoniano edita in Andreae du Chesne Normannicis Paris. 1619 fol. pag. 178. 213. sed ab initio et in fine mutila. Laudant Guil Gemmeticensis VII. 44 atque Ordericus Vitalis lib. 3. Hist. Eccles. pag. 503.

GUILELMUS *Pictavensis* nescio an idem cum superiore, cujus tractatum *De professione Monastica* MStum Cangius evolvit, in Bibliotheca S. Germani de Pratis, Codice 400. De Guilelmo Abbate Pictaviensi Trithemius II. 126. de illustr. Benedictinis.

GUILELMUS de Saliceto, *Placentinus*, Medicus circa Annum 1240 vel ut Trithemius cap. 479 circa Annum 1270 scripsit de *universali Medicina* libros IV sive *summam Conservationis et Curationis* Venet, 1489 fol. Lips. 1495 fol. Ejus *Chirurgia* Venet. 1502 et 1546 fol. inter alios scriptores ejusdem argumenti.

GUILELMUS *de Podio Laurentii*, Scriptor *Chronici* super Historia negotii Francorum sive bellorum adversus Albigenses, ab An. 1099 ad 1271 quod actum est in Provinciis Narbonensi, Albiensi, Ruthenensi, Caturcensi, dioecesibus, pro tuenda Fide Catholica, et pravitate haeretica exstirpanda. Laudatur a Bernardo Guidonis ad Annum 1264 et 1271 editumque est a Guil. Catello in historia Comitum Tolosanor. Tolosae 1613, fol. et ab Andrea du Chesne tom. V, de rebus Francor. pag. 666. 705.

GUILELMUS de Lonveignis, Bonae Spei Canonicus et ex Abbate Clarisfontis atque inde Cuissiacensi, Abbas An. 1288. *Praemonstratensis* diem obiit An. 1311. Hic *statuta Ordinis sui* recognovit et in quatuor Distinctiones digessit. Vide Joannis le Paige Bibliothecam Praemonstr. p. 936 sq. et statuta illius pag. 858, seq. 784 seq.

GUILELMUS *Praepositi* seu Despaborde, Catalanus JCtus circa Annum 1354 cujus haec MSta fuere apud Antonium Augustinum: *De privilegio militari. De pace et tregua*, ad consiliarios et probos homines Barcinonis. *Alphabetum Juris patrii.* Vide Nicol. Antonium tom. 2 Bibl. veteris Hispanae pag. CXI.

a) Inter Duces Normanniae, hic Guilelmus II. inter Angliae Reges Guilelmus I.

GUILELMUS cognomento *Procurator*, Vide supra *Guil. Egmondanus.*

GUILELMUS *de Quercu*, Vir celebris sub saeculi XV. exitum sed XVI. initia de quo haec magnifica, in appendice ad Trithemiun de S. E. c. 23. *Guilelmus de Quercu Doctor Theologus insignis, hac nostra tempestate caeteros inter omnes mortales consilio, moribus, sacrisque eloquiis eminentissimus: qui dum illa Gallorum majestas horrifico summi Pontificis, Anglorum, Hispanorumque insultu et atroci bellorum apparatu premeretur, solus suo consilio et sana animi sententia Gallorum angustiae et necessitati benignissimus occurrit. Hic nempe Alpes transvectus, Pisanam accessit ad urbem, ubi maximam et Cardinalium Episcoporumque concionem (An. 1511) super re Gallica, et tanto bellorum prodigio disserentem sola sua animi sagacitate corroboravit, tantique Concilii partes sibi vendicavit eminentiores. Nec minori in populo ad Divina officia subeunda utitur eloquio. Tanta enim et sententiarum gravitate et divinorum consiliorum cognitione excultus, ut indomitos mortalium mores, barbarosque populos facili componat eloquio, ad nitidamque summi Creatoris agnitionem, benigna voce, gratis oculis, gestu moderato, et similitudinibus jucundis facile reducat.* Diversi ab hoc, et paullo juniores *Cammillus Quernus* de quo Jovius in elogiis, *Lud. Querculus* Bathoniensis de quo Colomesius in Gallia Christiana p. 38. *Josephus Quercetanus*, de quo Bibliothecarum Medicarum scriptores: *Leodegarius a Quercu* cujus stylo tum alia tum vitam Adriani Turnebi traditam habemus. *Nicolaus Querculus* scriptor exasticorum moralium: *Andreas a Quercu viridi.* de quo idem Colomesius pag. 56. *Andreas Quercetanus* de historia omni, Gallica praesertim meritissimus, *Eustachius Quercetanus* Medicus: *Laurentius a Quercu*, Gandavensis, *Simon a Quercu* etc.

* De hoc viro iudicium istud tulit Jacobus Volaterranus in Diario Rom. ad an. 1481.

Orationem habuit (Die Pentecostes Coram Pontifice) *Guilelmus de Quercu natione Britannus et principis sui orator ad Pontificem ex Carmelitarum ordine. Oratio nec inepta, nec quamvis ab externo barbare pronuntiata, nec etiam a celebritate aliena adeo ut passim commendaretur.*

GUILELMUS *Radingius*, Bathoniensis Anglus, Carmelita et Doctor Theologus Oxon. circa Annum 1312 a Baleo X. 76. et Pitseo pag. 403 traditur scripsisse *Examinationes templariorum* et *Quaestiones ordinarias*, His ab Alegrio p. 281. adduntur *Lecturae Theologicae* et *Sermones*.

GUILELMUS *de Rajotto*, supra Guil. *de Cajotto*.

GUILELMUS *de Ramesey, Ramensis* sive *Rameseganus*, Anglus monachus et Abbas in *Croylandiae* sive *Crulandiae* Coenobio D. Guthlaci Ord. Bened. obiit An. 1180. atque auctor habetur *deflorationum de vita et moribus Philosophorum* a) quanquam dubitat Lelandus cap. 186. et *de legendis Ethnicorum scriptis* ad amicum suum Guthlacum. *De vita* et *morte Comitis Waldelphi* libri, partim soluta oratione partim carmine hexametro. Atque itidem carmine, Vitae *S. Guthlaci* defuncti An. 714. b) *S. Neoti*, confessoris: *S. Edmundi* Regis Ostroanglorum et Martyris, nec non Vitae *S. Birini* Romani, Episcopi Hydropolitani sive Durocastrensis (Dorcestriensis) et Confessoris *S. Fredemundi* Regis ac Martyris: et *de translatione veteris Ecclesiae Sarisberiensis*. Quae MSS. in Angliae Bibliothecis notavit Polycarpus Leyserus in historia poëseos medii aevi pag. 438. atque Oudinus tom. 2. pag. 1580. Praeter haec apud Baleum III. 9. et Pitseum pag. 241 seq. etiam memorantur quae prosa idem Guilelmus composuit. De vita *S. Noëti* et translatione. De comitissa *Juditha*. Super *Bedam* de temporibus et super *Isidorum* de computo. *De gestis sui Coenobii. De gestis antecessorum Waldelphi*, Comitis Nortabrinorum Aconensium et Venantodunensium.

a) Vide clariss. Heumanni Acta Philosophor. XIV. pag. 207.

b) Vide supra t. 2. p. 464. ubi de FELICE Croylandensi.

GUILELMUS *Reid* sive *Redaeus* Anglus, conditor Maridunensis Bibliothecae, atque Astronomus pro suis temporibus insignis ac denique Episcopus Cicestriensis. Scripsit *Tabulas Astronomicas* illarumque *Canones*. Vide Lelandum cap. 365. Baleum XI. 13. Pitseum pag. 857. seq. Continuavit etiam *Chronicon* RICHARDI Pictaviensis, Monachi Cluniacensis ab A. 1190 ad 1367. Vide Bremensem tom. VII. pag. 939.

GUILELMUS *Redonensis*. Supra *Guil. Celdonensis*.

GUILELMUS Abbas *Remensis*; infra *Guil. S. Theodorici*.

GUILELMUS *Remingtonus* Baleo VII. 14. et Possevino *Rimston* vel *Rimyngton*, Anglus Ord. Cister. Theologus Oxon. circa Annum 1390. Scripsit *Conclusiones XLV. contra Wiclefistas*. Contra eosdem *Dialogum inter Catholicum et Haereticum* Tractatum *ad quendam Anachoretam*. Vide Pitseum pag. 553 et Vischium Bibioth. Cisterc. pag. 136. Baleus alia quoque *carmine* et prosa ab hoc Guilelmo scripta testatur.

GUILELMUS *Rievallensem* Monachum Ordinis Cister. scriptorem *Chronici* sive *Historiae miscellae*, *Anglorum* praecipue ad Ealredum Rievallensem Abbatem faciunt Baleus II. 92. Pitseus p. 223. Vischius in Bibl. Cisterc. pag. 136. ut tanto minus sit Vossio dandum vitio quod idem tradidit II. 51. de Hist. Latinis. Audiendus tamen Oudinus, qui tom. 2. pag. 1123. docet Ealredum in Abbatia Rievallensi successisse Silvano An. 1198. itaque Guilelmus iste quem Baleus ex Joanne Hagustaldensi narrat obiisse An. 1146. non potuit Ealredo illam Abbati dedicasse, neque eam deducere ab An. 1066 ad 1198. In MSS. Codicibus haec Historia rectius tribuitur GUILELMO Canonico Noviburgensi, de quo supra in *Guil. Neuburgensi*.

GUILELMUS *Rimston*, supra *Guil. Remingtonus*.

GUILELMUS *Rishangerus* Anglus, Monachus S. Albani, defunctus An. 1312. auctor continuationis Chronici MATTHÆI *Paris* ab An. 1259 ad 1273. quae ad calcem illius post editiones Lond. 1571. et

Tiguriu. 1606. prodiit ex recensione Guil. Watsii Lond. 1640 et 1684 fol. Praeter hanc Continuationem Rishangero apud Baleum IV. 94. tribuuntur: *Chronicorum* opus, cujus initium: *Sunt quaedam vetustatis indicia.* Liber *de jure Regis Anglorum ad Scotiam. De electione Scotorum Regis. Annales Eduardi I. De Joanne Balliolo Rege. De bellis Lewes et Evesham.* Adde Pitseum pag. 403.

GUILELMI Archiepiscopi per XXXII. annos *Rothomagensis* An. 1110 defuncti Epitaphium extat apud Ordericum Vitalem lib. XI. pag. 39. Alius de quo supra, *Guilelmus Dunelmensis.*

GUILELMUS *Rothwellus* Anglus Ord. Praed. circa Annum 1360 auctor postillarum *in lib. Judicum*: in *quatuor libros Regum*, in *Psalterium*, in *Ecclesiasticum* et *in Epistolas Pauli*, exceptis ad Timoth. Titum, Philem. et Hebraeos. Scripsit praeterea *in IV libros Sententiarum. Quaestiones* Scholasticas, *Sermones* quoque complures. Et quaedam Philosophica, de principis Naturae, de potentiis sensitivis, et de intellectu. Vide Baleum V. 92. Pitseum p. 487 et Jacobum Quetif tom. 1. p. 648.

GUILELMUS *de Rubio* sive *de Rubione*, ex oppido Villa franca regni Aragoniae, Ord. Minor. circa Annum 1330. cujus *Commentarii in IV. libros Sententiarum* prodiere Paris. 1517 et 1518 apud Badium duob. vol.

GUILELMUS *de Rubruc, de Rubruquis*, aliis *Risbrucke, Ruysbrocke*, Brabantus Ord. Minor. circa Annum 1253. (Cangio minus recte 1293) scriptor *itineris* cum Andrea de Lucime suscepti *in partes Orientales*, in quo de moribus rebusque Tartarorum, Turcarum etc. MS. in variis Angliae Bibibliothecis, sed luci etiam datum est plus simplici vice, et novissime etiam versum Gallice in Petri Van der Aa sylloge edita Lugd. Bat. 1726. 4. *Recueil de divers voyages curieux fait esen Tartarie, en Perse et ailleurs*, ubi praeterea obvia itidem Gallice Petri Bergeron scriptum de navigatione, atque alterum de Tartaris Saracenis, et Mahumedanis: Itinera Benjamini Tudelensis, Joannis de Plano Carpino et Nicolai Ascelini: observationes Báconis Monachi (qui Rogeri frater major natu fuit) de partibus Orbis septentrionalibus: Relationes de Tartaris ex R. Wendovero et Matthaeo Paris: Marci Pauli Veneti libri III. et Haytoni Armeni Historia Orientalis. Epitome itinerum Joannis de Mandevilla a Baleo, et Ambrosii Contareni iter in Persiam.

GUILELMUS *Sabinensis*, nuncius Apostolicus, cujus *statuta An.* 1248 *data populo Svecano* exstant in Actis litterariis Sveciae An. 1721 trimestri tertio pag. 196. 202. Et in diario Theologico, Fortgesetze Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen An. 1720. pag. 1055. 1063.

GUILELMUS *de Saccovilla*, cujus Sermones Dominicales MStos memorat Sanderus pag. 183. Biblioth. Belgic. Incip. *Videns civitatem, flevit.*

GUILELMUS *Safontis*, Theologus Augustinianus et An. 1433. Prior Tolosanus, a Possevino et Cangio praeter rem relatus ad Annum 1350. Scripsit in IV, libros Sententiarum, de DEO uno et trino, de diversitate rerum, et de idiomatum differentia. Vide Elssii encomiasticum Augustinianum pag. 265.

GUILELMUS *de Samuco* sive *Sanwilliaco* Tolosanus Gallus: Caveo rectius *de Sanvico,* Anglus: Carmelita circa Annum 1280 qui per aliquot annos in Syria versatus et a Saracenis pulsus ex urbe Achone in insulam Cyprum se contulit, ibique scripsit *Chronicon breve de amissione monasteriorum terrae sanctae* et *de multiplicatione Ordinis Carmelitici per Syriae provincias ac adventu Carmelitarum in Europam.* Prodiit insertum libro nono Philippi Riboti, Catalani de rebus Carmelitanis, in Danielis a Virgine Maria armamentario Carmelitarum, Antwerp. 1680, fol. et cum notis Papebrochii in prolegom. ad Acta Sanctorum tom. 3. Maij a) pag. LX. LXIV. Caetera Guilelmi scripta: *Declarationes Regulae* ALBERTI *Hierosol.* Carmelitis datae *Decretales Religiosorum*, et *in IV libros Sententiarum.* Vide Trithemium cap. 489, Possevinum et Alegrii paradisum Carme

a) Non Martii, ut apud Caveum excusum et Oudinum.

litici decoris pag. 270. Oudinum tom. 3. pag. 555.

GUILELMUS *de Sancta Fide* sive *Sancto fidensis*, Carmelita Anglus An. 1372 diem obiit. Hunc libros sophistico acumine non destitutos scripsisse notat Lelandus cap. 398. Memorant autem ejus *Initiationes Theologorum, Theologicas determinationes, Quodlibeta. Sermones per annum* et librum *de conceptione B. Virginis*. Vide Baleum VI, 45. Simlerum, Possevinum, Pitseum pag. 510. Alegrium pag. 307 etc.

GUILELMUS *de Sanvico*. Supra *Guil. de Samuco*.

GUILELMUS *de Sanvilliaco* qui apud Possevinum et Cangium Tolosanus fuisse et An. 2348 inter Carmelitas vixisse traditur, non diversus a superiore, vel alter ex altero confictus: certe eadem sub utroque nomine scripta referuntur: Itaque aut hoc admittendum, aut dicemus solum, quod memoravi Chronicon Gulielmo de Sanvico tribuendum esse, qui circa Annum 1280 vixit: caetera autem quae ibidem retuli, pertinere ad juniorem hunc Guilelmum de Sanvilliaco.

GUILELMUS *Scissor* Carthusiensis, prius Scholaris Navarrae, cuius carmen ad Joannem Gersonem An. 1421. Lugduni oblatum possit videri: legitur inter Gersonis Opera tom. IV, editionis novae pag. 784.

Sicut es humanae, Gerson, divaeque peritus
Legis et eloqu.i, Josephinam sensibus altam etc.

GUILELMUS *Scotiae* Rex ab An. 1189, defunctus An. 1214 cujus *Assisae et Statuta*, capitibus XXXIX, cum *XXII. Legibus Forestarum* edita in Joannis Skenaei veteribus Legibus et constitutionibus Scotiae, Lond. 1613, 4. quo in opere exstant 1) quatuor libri institutionum de legibus Scoticis, quorum initium: *Regiam Majestatem*, excerpti ex RAULPHI *de Glanvilla* libris XIII ejusdem argumenti sub Henrico II, scriptis quorum initium: *Regiam potestatem*, sicut Justiniani Institutionum verba prima sunt: *Imperatoriam Majestatem*. Vide Wilhelmum Nicolsonum Biblioth. historicor. Scotiae p. 255, seq. 2) Similiter Legum sylloge brevibus capitibus centum et uno. Incipit. *Quoniam Attachiamenta*. 3) *Leges Burgorum* mercatibus tuendis latae a Rege Scotorum DAVIDE I, qui ab An. 1114, praefuit, ac deinde ab aliis, capita CXLIII. 4) Curia quator Burgorum An. 1405 et Actus Parliamenti An. 1368. 5) *Statuta gildae* sive Societatis An. 1283 capitibus XLV, seq. sancita a *Roberto Durhamo*, eiusque fratribus. 6) Regis DAVIDIS I. Assisa sive Constitutio de mensuris ac ponderibus. 7) *Iter Camerarii* sive processus in Curia Chamberlainiana, capita XXXIX. 8) *Brevis et succincta forma itineris, seu Curiae Justitiarii*. 9 et 10) WILHELMI Regis *Statuta* et tributae eidem *Leges forestarum*, de quibus iam dixi. 11) Statuta ALEXANDRI II. Scotiae Regis ab An. 1214 capita XXV. 12) Statuta prima Regis ROBERTI I, ab An. 1306. Capita XXXV et Statuta secunda, capitibus XXXVIII. 13. Statuta Regis DAVIDIS II, ab An. 1329) Capita LII. 14) Statuta ROBERTI II, qui regnum gessit ab An. 1370. Capita XVII et Joannis ROBERTI III, qui ab An. 1390. Capita LV.

GUILELMUS *Scitonus* ex sola notus Pitsei appendice pag. 858 ubi gente Anglus et Medicinae Doctor Oxoniensis traditur fuisse cognomento *eximius*, utpote aemulus industriae Hippocratis. Scripsit *de curatione Chirurgica*, et *de potione Anglicana ad plagas diluendas*.

GUILELMUS *de Seligniaco* sive *Scilligniaco*, agri Autissiodorensis: scriptor *Summae Theologicae*, de qua supra pag. 407 in *Guil. Autissiodorensi*.

GUILELMUS *Senghamus* Anglus Augustinianus circa A. 1260. Vide Pitseum p. 339. Possevinum, atque Elssium in encomiastico Augustiniano pag. 265, seq. et quem hi sunt secuti, Baleum IV, 17 qui ad THOMÆ Colbii, Episcopi Waterfordensis Collectanea provocat. Scripta eius memorantur, *Scripturarum explicationes aliquot*. Liber *de claustro animae*. *De tentationum remediis*. *De professione Novitiorum*. Et *de Fide ac Legibus*, nullamque aliam esse Legem ad hominis Salutem, praeter CHristi Domini nostri Evangelium. Vide supra in GUILELMO *Peralto*, cui librum hunc de Fide et legibus, alii scriptores tribuunt.

GVILELMI *Sheperheved* Annales de Crokesden, quos MStos in privata Bibliotheca Lumleiana, ex Jani Dousae praefatione annalium Batavicorum, scriptorum carmine, memorat Vossius p. 706 de Hist. Lat. non memini qui ab eo tempore vel inspectos sibi esset testatus, vel inspiciendos aliis, in lucem protulisset.

GUILELMUS *Shirbirnus* Anglus, circa Annum 1390 cuius, ex Lelandi Collectaneis, Baleo XI, 26. Pitseo pag. 554 et Possevino nullum aliud monumentum ingenii datur referri quam *Quodlibeta Theologica.*

GUILELMUS *Shirwoodus* sive *Shirovodus* Anglus ex Archidiacono Dunelmensi Cancellarius Liudensis sive Lindocollinensis Ecclesiae, cuius variam scientiarum cognitionem laudavit Rogerus Baconus in libello de laudibus Mathematicae artis ad Clementem IV, circa An. 1266. Scripsit *Distinctiones Theologicas, et in Sententias* Petri Lombardi. Vide Lelandum cap. 239. Baleum IV 9. Pitseum pag. 321 qui Conciones eius celebrat.

GUILELMUS Monachus *Signiacensis* infra, *Guil. S. Theodorici.*

GUILELMUS *de Silmiaco*, vide *Guil. Autisiodorensis* Episcopus.

GUILELMUS *Slade, Sladius* sive *Sladaeus* Anglus, Bernardinus Ord. Cisterc. in Buchofestensi coenobio tempore Richardi II, sive circa Annum 1380. *quo tempore*, inquit Lelandus cap. 446. *non erat pars religionis infima, litteris assiduam dare operam.* Scripsit *super IV, libros Sententiarum, Quaestiones de anima, in libros Physicorum, Flosculos Moralium*, et *super Universalia.* adde Baleum VI, 74. Pitseum pag, 530.

GUILELMUS *Snotingamus*, Augustini et Rogerii frater, Anglus Ord. Minor. circa Annum 1250. Scripsit *Concordiam Evangelistarum* adjecto Commentario. Commentarium *in Epistolas Pauli*: et Epistolam sive libellum *de Obedientia.* Vide Lelandum cap. 271.

GUILELMUS *de Solanga*, agri Pataviui, Ord. Minor. a quo edita peregrinatio ODORICI *de Portu Naonis* in Orientem quam per sedecim annos Religionis Christianae propagandae causa suscepit, postea redux defunctus Utini A. 1331. Infra in ODORICO.

GUILELMUS *de Somerset*, supra, *Guil. Malmesburiensis.*

GUILELMUS *de Southamptonia* dioecesis Wintoniensis, Anglus Ord. Praed. circa Annum 1340 cujus scripta: *Postilla in Isaiam In IV libros Sententiarum. In S. Gregorii Magni Moralia. Quaestiones Theologicae. Sermones de tempore et de Sanctis.* Vide Baleum V. 61. Pitseum pag. 411. Jacobum Quetif tom. 1, pag. 602.

GUILELMUS *Speculator.* Supra *Guil. Durandus.*

GUILELMUS *Stapilartus* seu *Staphilartus* sive *Stapylhartus* inter Oxoniensis Academiae ornamenta circa Annum 1456. ubi Theologiam docuit teste Lelando cap. 505. Scripsit *in Canticum Mosis, in Esaiam, in Psalmos aliquot Quaestionum Ordinariarum* libros duos. *Sacras Conciones* ad Clerum Oxon. et *De paupertate.* Adde Baleum VIII 63 et Pitseum pag. 648.

GUILELMUS *Starnefeldius*, Anglus Cantianus, ex Doctore Oxoniensi Abbas Coenobii Carmelitarum Newendeniensis circa Annum 1390. Scripsit *Historiam Coenobii sui*, et *Lecturas* atque *Sermones.* Vide Baleum XII. 20 ex Lelandi collectaneis, Pitseum pag. 554. Possevinum etc.

GUILELMUS *Stenofordus*, Anglus Augustinianus fama et doctrina celebris teste Lelando c. 360.

GUILELMUS *Stephanus*, Stephani F. sive *Stephanides* Londinensis Anglus Monachus Ord. S. Bened. *Cantuariensis*, *Thomae* Becketi Archiepiscopi familiaris cuius *vitam, necem et mira* scripsit, nec non *gesta* Regis Angliae *Henrici II.* Praeterea *Epistolas.* Vide Lelandum c. 177. Baleum III. 37 Pitseum pag. 256 seq. Vossium pag. 425. seq. et de MSS. Codicibus Oudinum tom. 2, pag. 1517 seq. Hic est GUILELMUS *Cantuariensis*, ex quo et ALANO de quo supra tom. 1, pag. 34. Heriberto de BOSAHAM, ibid. pag. 245 et JOANNE Sarisberisberiensi collecta S. Thomae vita praefigitur Epistolis, vulgatis a Christiano Lupo. Bruxellis 1682 8.

GUILELMUS *Stubes* Anglus, Rector Collegii JEsu Cantabrig. circa Annum 1490. Scripsit *introductorium Logices, Declarationem Scoti* etc. Vide Possevinum.

GUILELMUS *Sudarandunus*, Anglus Doctor Theologus, cujus Concionum libellum laudat Lelandus c. 487.

GUILELMUS *Sudbervis* sive *Sudberius*, Monachus Westmonasteriensis Ord. Bened. cujus Summam sive librum *de proprietatibus Sanctorum* laudant Pitseus pag. 859 et Possevinus.

GUILELMUS *Sudre*, al. *Sutri*, Lemovicensis Gallus Ord. Praed. Magister sacri Palatii sub Clemente VI inde An. 1361. Episcopus Massiliensis et An. 1366. Cardinalis ac mox ab An. 1367 usque ad Annum 1373 quo diem obiit, Episcopus Ostiensis et Veletrensis. Vide Baluzium ad Papas Avenionenses pag. 990. seq. et Jacobum Quetif tom. 1, pag. 670. Scripta ejus celebrantur *Epistolae* plurimae ad varios de rebus Ecclesiasticis: tum *de Mysterio sanctae Crucis* Opusculum, et quaedam Philosophica *de subtilitatibus Logicae. Testamentum* ejus extat in vita S. Calminii a Thoma Aquinate Carmelita edita 1646. 12 et in Francisci du Chesne documentis ad vitas Cardinalium Gallorum pag. 625.

GUILELMUS *Surfluctus* sive *Surfletus* Carmelita in fano Batolphi, ubi diem obiit An. 1466. Nihil ejus praeter *Conciones* memorat Lelandus c. 589. Possevinus ac Pitseus etiam *librum de vitiis et virtutibus* pag. 657. ex Baleo XII. 91.

GUILELMUS *Suthampton*. Supra *Guil. de Sauthamptonia*.

GUILELMUS *Suttonus* Mathematicus et Astrologus, discipulus THOMÆ *Stacii* cujus exemplo scripsit circa Annum 1450. *de judiciis revolutionum*. Vide Baleum XI. 51 et Pitseum p. 642.

GUILELMUS *Talisforde*, vitiose apud Possevinum pro *Calisfordiensi*, de quo supra p. 133.

GUILELMUS Abbas S. *Theodorici* Ord. S. Benedicti in Monte aureo prope Remos, ab An. 1120. inde factus circa 1137 in gratiam S. Bernardi, amici sui Monachus Cisterciensis in Coenobio *Signacensi*, diem obiit ante Bernardum. h. e. ante Annum 1153. a) De eo Baleus tom. 2 Hist. Academ. Paris. pag. 743. et Oudinus tom. 2. pag. 1434. seq.

Scripta ejus haec vulgata sunt a Bertrando Tissierio, sive Textore, tom. 4. Bibliothecae Cisterciensis, Bono fonte 1669. fol.

1) Tractatus sive *Epistola ad Haimonem Priorem et Fratres de Monte DEI*, Carthusianos, *de vita solitaria*, inter S. Bernardi opera et sub BERNARDI nomine saepius prodierat: a Mabillonio verisimilius vindicata GUIGONI Priori Carthus. et sub ejus nomine in *tres* tributa *libros* exhibetur, ut notavi supra pag. 127. et tom. 1, pag. 209. Tissierium et jam pridem Henricum Gandavensem cap. 10. de scriptor. Eccles. et alios apud Trithemium, ut Guilelmo tribuerent, permovit prologus a librariis praemissus volumini ex Guigonis et Guilelmi constanti lucubrationibus, et ex utriusque contextus prologo, in quo et aliorum suorum opusculorum facit Guilelmus mentionem.

2) *Speculum Fidei.*

3) *Ænigma Fidei.*

4) *Meditationum liber* editus pridem Lovanii 1546. Antwerp. 1550. 1590. atque recusus in Bibliothecis Patrum, ut in Lugd. tom. XXII. pag. 1143. 1159. Guilelmus ipse, Meditationes, *Novitiis ad orandum formandis spiritibus, non usquequaque inutiles* appellat.

5) *De natura et dignitate amoris Divini*, itidem Lovan. et Antwerpiae atque in Bibliothecis Patrum et edit. Lugd. 1159. 1163. nec non inter S. Bernardi Opera tom. V. edit. Mabillonianae pag. 256.

6) *De contemplando DEO, liber*, itidem inter S. Bernardi Opera tom. V. pag. 246. Hic enim est qui in Codicibus quibusdam *liber soliloquiorum Bernardi inscribitur.*

7) *De natura Corporis et animae*, lib. II. ad Theophilum.

8) *Disputatio Catholicorum Patrum contra* PETRI *Abœlardi dogmata*, libri III. ad Hugonem Archiepiscopum Rothomagensem: cum praemissa *Epistola* ad GAUFRIDUM

a) Emendandum quod apud praestantiss. Caveum ad Annum 1140. legitur Ordinem Cisterciensem induisse An. 1153.

Carnotensem Episcopum et ad BERNARDUM Abbatem Claraevallensem, qua eos ad oppugnandam Theologiam Abaelardi hortatur, quod et ambo fecerunt: ut de Galfredo altero etiam notavi supra pag. 9. et de S. Bernardo tom. 1. pag. 208. Haec Guilelmi Epistola circa Annum CHristi 1139. data etiam inter S. Bernardi Epistolas 391. (in editionibus Mabillonianis 326.) legitur, cum Bernardi responsoria, qua illius consilium atque operam testatur sibi probari.

9) *De erroribus* GUILELMI *de Conchis*, de quo supra pag. 135 seq. et tom. 1. pag. 377.

10) *Expositio in Cantica Canticorum*, quod alio opere adversus Abaelardum suscepto imperfectum reliquit, cum venisset ad verba III. 3. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Incip. *Os sponsi, inspiratio Christi.*

11) *Commentarius in Epistolam ad Romanos*, cujus mentio in appendice ad Henricum Gandavensem cap. 6.

Praeter haec a Tissierio vulgata, exstat ejusdem Guilelmi *Commentarius* diversus a superiore *in Cantica Canticorum, et duplex* quidem, unus ab eo collectus ex scriptis S. AMBROSII, atque editus ad calcem operum S. Ambrosii tom. 1. edit Benedictin. pag. 145. 1618. Incip. *Non hic foeditatis incentiva, sed castitatis celebrantur mysteria.* Alter ex libris S. GREGORII Papae, quem inter Veterum aliquot Galliae et Belgii scriptorum opuscula sacra vulgavit Casimirus Oudinus Lugd. Bat. 1692. 8. Incip. *Potest per os, DEI unigenitus Filius designari.*

De vita S. Bernardi, liber I. desinens in An. 1130 apud Surium 20. Aug, et cum S. Bernardi operibus saepius editus. Vide supra t. 1. p. 616.

Opusculum *Sententiarum* a) *de Fide* ex S. AUGUSTINO, Thomae Blampino ut in appendice ad ultimum S. Augustini tomum ederet, tradidisse se narrat Oudinus tom. 2. pag. 1438. Nihil autem tale invenio in Augustino Benedictinorum, nisi in appendice ad tomum sextum pag. 782. seq. *Miscellaneas sententias Incerti Auctoris*, opusculum breve, et moralis potius quam dogmatici argumenti.

Guilelmus ipse praeterea scripsisse se testatur libellum *de Sacramento Altaris*, quem memorat etiam Trithemius cap. 383. et Carolus Vischius pag. 137. Bibl. Cisterc. qui addit etiam librum *contra errores* GILBERTI Porretani.

Ad hunc Guilelmum non modo plures Epistolas scripsit et ab eo accepit *S. Bernardus*, sede etiam illi dicavit Apologiam suam adversus Monachos Cluniacenses, tom. 1. edit novae pag. 531. et librum de Gratia et arbitrio pag. 609.

GUILELMUS *de Thoco* sive *Tocco*, Ord. Praed. discipulus et auditor *S. Thomae* Aquinatis, cujus etiam *vitam* scripsit, editam in Actis Sanctor. tom. 1. p. 657. 686. cum notis. Sine illis lucem viderat Venet. 1588. 4. sed et Italice versa a Joanne Baptista de Lectis, Firmi 1577. 8. Huic Guilelmo Jacobus Quetif tom. 1 de scriptis Dominicanorum pag. 552. etiam tribuendos putat *duos processus inquisitionis Vitae et miraculorum* S. Thomae, *unum* An. 1319. qui (minus integer, quam in MS. Colbertino) prodiit in Actis Sanctor. tom. 1. Martii p. 686. 716. et *alterum* A. 1321 adhuc ineditum, MS. in eadem Bibl. Colbertina.

GUILELMUS *de Thorne* sive *Thornaeus* Anglus Monachus Benedictinus Coenobii Cantuariensis S. Augustini, circa Annum 1380. scripsit *res gestas Abbatum Augustinianorum Cantuariensium* ab Augustini in Angliam adventu circa Annum 597. fere usque ad Annum 1375. In priori parte usque ad Annum 1272 vestigiis insistit THOMÆ *Spottii*, caetera ipse supplevit. Vide Lelandum c. 440. Baleum VI. 63. Pitseum pag. 529. qui praeterea memorat ejus *Chronica de Comitatibus, Episcopatibus et Abbatiis per totam Angliam:* quae MSta servari Cantabrigiae in Collegio S. Benedicti Cod. 67. testatur H. Warthonus ad Caveum. *Historiam de Regibus Cantiae, et vitas quorundam Sanctorum.* Sola gesta Abbatum Augustinianorum viderunt lucem inter Anglicanae Historiae scriptores decem,

a) Trithemius quoque post Guilelmi Speculum Fidei, et Aenigma Fidei, memorat ejus librum *Sententiarum Fidei.*

Rogero Twysdeno et Joanne Seldeno editoribus pag. 1758. 2202. Lond. 1652. fol. subjuncta praeter evidentias donationum illi Coenobio factas, Chronologia ejusdem ab Anno CHristi 597 ad 1419. p. 2229. 2292.

GUILELMUS *de Thosan* Ord. Cisterc. cujus *summae Theologicae* Volumina duo secundum et tertium MSta memorat Sanderus pag. 171.

GUILELMUS *Tillaeus*, (Cellingus a patria) Anglus, litterarum causa profectus in Italiam, contracta cum Politiano amicitia, cui Thomam Linacrum erudiendum commendavit: Redux circa Annum 1490. in patriam insignes Codices Graecos Latinosque secum attulisse traditur, inter alios Cyrillum in Prophetas, et Ciceronem de Rep. sed qui incendio perierit. Vide Lelandum cap. 590. Baleum XI. 72. Pitseum p. 851.

GUILELMUS *de Tornaco*, supra *S. Martini.*

GUILELMUS *de Tortona* Ord. Minor. cujus *commentarii in Logicam* MSS. apud Assisiates Franciscanos.

GUILELMUS *Tripolitanus* Conventus Acconensis, Ord. Praed. scripsit An. 1270. librum MS. in Galliae et Angliae Bibliothecis *de Statu Saracenorum et de Mahomete, Pseudopropheta eorum, et de ipsa gente et eorum lege et fide* ad Theobaldum Placentium, Archidiaconum (postea Gregorium X. Papam) qui tunc Eduardo Walliae Principi Comitem se itineris in Palaestina adjunxerat. Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 265. et Oudinum tom. 3. pag. 558. In fragmento quod edidit Andreas du Chesne tom. V. pag. 432. 435. quaedam occurrunt post illud tempus a Guilelmo addita, cum Gregorius jam ad Papatus culmen evectus esset A. 1271. 27. Octobr. Idem traditur etiam scripsisse *cladem Damiatae* quae incidit in Annum 1249.

GUILELMUS I. Archiepiscopus *Tyrus.* Hujus *Epistolae* plures memorantur *ad Bernardum* Patriarcham Antiochenum, qui a Latinis constitutus fuit ab An. 1100 ad 1136. Ipse diem obiisse traditur Guilelmus hic An. 1130. Diversus igitur et qui aetate longe antecessit Guilelmum Archiepiscopum et ipsum Tyrium, scriptorem Historiae, de quo mox sum dicturus.

GUILELMUS ex Archidiacono a) *Tyrius* sive *Tyrensis* ab An. 1175. Archiepiscopus b) in Phoenicia, natione ut videtur Hierosolymitanus, sed in scholis transmarinis c) in Italia litteras egregie edoctus, de quo praeter editores atque prae caeteris Bongarsium, consulendus Aubertus Miraeus in auctario pag. 61, seq. editionis a me curatae. Scripsit vir cordatus opus eximum *Historiam rerum in partibus transmarinis gestarum* a tempore successorum Mahumethi et ab An. 1048 ac praecipue ab An. 1100 usque ad An. 1184 *libris XXIII.* sed quorum ultimum vix inchoatum reliquit. Laudatur ab Antonino Florentino, Jacobo de Vitriaco, Paulo Æmilio aliisque. Prodiit primum Basileae 1549, fol. apud Nicolaum Brillingerum et Joannem Oporinum, studio Philippi Poissenoti Deinde ibid. 1564. fol. apud Henr. Petri, praefixa Guilelmi vita, curante Henrico Pantaleone, et subjuncta Basilii Joannis Heroldi continuatione usque ad Annum 1521 libris VI. qui viderant lucem separatim ibid. 1560, fol. Denique ex accurata recensione Jacobi Bongarsii in gestis DEI per Francos Hanov. 1611, fol. pag. 625 sed omissa Heroldi continuatione. Idem Bongarsius aliquot hujus operis versiones Gallicas habere se testatus est ineditas, ab interpretibus illis etiam continuatas, et lucem vidit Gabrielis du Preau sive Prateoli interpretatio, *la Franciade Orientale* Paris. 1573, fol. atque Italica, Josepho Horologgi interprete *Guerra sacra*, Venet. 1562, 4. et Thoma Baglioni curante Venet. 1610, 4. In temporum notatione Eutychium ducem secutum quandoque hallucinari notavit Pagius ad An. 1182 n. 11 qui etiam Hierosolymitanis Equitibus parum aequum videri monet ad An. 1155 n. 9.

In praefatione ad Historiam Guilelmus testatur se praeterea *rogatu Regis Almarici, ipso Arabica exemplaria ministrante*, conscripsisse *aliam Historiam a tempore seductoris Mahumeth usque in hunc annum, qui est nobis ab incarnatione Domini*

a) Lib. XXI. cap. 1.
b) Lib. XXI. cap. 9.
c) Lib. XIX. c. 4.

MCLXXXIV. per annos quingentos septuaginta decurrentem : profiteturque *auctorem se maxime secutum venerabilem* Scith, filium Patricii, *Alexandrinum Patriarcham,* illum ipsum nempe cujus Annales sub Eutychii nomine habemus. Hoc est opus *de gestis Orientalium Principum*, quod memorat Guilelmus lib. I. c. 3. sive de *Principibus Orientalibus et eorum actibus* lib. 19. cap. 15 et 21 cujus jacturam aegerrime ferri ab historiarum studiosis jam Bongarsius notavit : neque enim dubium est plura cum Eutychianis narrationibus adjunxisse.

Acta quoque Synodi Lateranensis Anno 1179 habitae consignavit, ad quam profectum se narrat lib. XXI. cap. 26. *Cujus,* inquit, *si quis statuta et Episcoporum nomina, numerum et titulos scire desiderat, relegat scriptum quod nos ad preces sanctorum Patrum, qui eidem Synodo interfuerunt, confecimus diligenter : quod in Archivo Tyrensis Ecclesiae inter caeteros, quos eidem contulimus Ecclesiae libros, jussimus collocari.* Etiam haec hodie desideramus.

GUILELMUS Abbas *de Valacia* (al. vitiose *de Vallada*) coenobii Cisterc. in Ducatu Normanniae : scriptor *Vitae Joannis Grandisylvae in Comitatu Tolosano conversi*, de quo Menolog. Cisterc. 21 Dec. vide Vischii Bibliothecam Cisterc. pag. 138.

GUILELMUS Abbas *Valcellis* Ord. Cisterc. in dioecesi Cameracensi An. 1316, condidit *libellum diffinitionum Ordinis* in XV, distinctiones partitum et An. 1318, approbatum a Joanne XXII.

GUILELMUS *de Valone* Ord. Praed. Episcopus in Gallia Ebroicensis, qui cum JOANNEM de Montesono, qui S. Mariam in peccato conceptam voce et scriptis affirmaverat defendisset, ad palinodiam redactus est An. 1388 in Regia Lupara coram Rege ac Regii sanguinis Principibus, utriusque Sacri Consistorii primariis, Rectore Academiae Paris. et deputatis quatuor Facultatum. Vide Natalem Alex. tom. 7. Hist. Eccles. pag. 132 edit. in fol.

GUILELMUS *de Velde* Leldrensis, Canonicus regularis S. Augustini in Franckenthal, Wormaciensis dioecesis, Theologus et Philosophus saeculo XV, labente scripsit *Epyreale majus* libris XIV, de toto universo, Mundique principio, medio et fine : et *Empyreale minus* libris VII, sive superioris operis epitomen : aliaque Mathematica, tabulas, Sermones etiam, et statuta sororum Ordinis sui, Carmina atque epigrammata. Laudat Trithemius de illustr. scriptoribus German.. c. 252.

GUILELMUS *Verus*, aliis *de Waria*, *Guaronis*, *Varrilio*, *Varro de Anglia*, sive *Warro*, *Guarro*, Anglus Ord. Minor. circa Annum 1270. *Doctor fundatus*, Wiloto *Guilelmus de Oona*, praeceptor Joannis Duns sive Scoti, a quo Scotistae : et scriptor *Commentarii in IV, libros Sententiarum* MSti variis Bibliothecis. Vide Oudinum t. 3. pag. 567, seq. Trithemium cap. 485. Lelandum cap. 295 et qui praeterea *Lecturas Theologiae*, *Quodlibeticas quaestiones* et *ordinarias* : ac *commentarios in Aristotelem* ad eum referunt; Baleum, Pitseumque p. 349, seq. et Waddingum pag. 157.

GUILELMUS *Viretus*, supra in *Grenaeo* pag. 101.

GUILELMUS *Vorilongus* Gallus Ord. Minor. Romae An. 1464 obiit. Ejus scripta : Commentarius *in IV, libros Sententiarum* juxta doctrinam. S. Bonaventurae et Scoti Lug. 1484. Paris 1505. Venet. 1519 *Vademecum* sive collectaneum quaestionum et repertorium quaestionum quae sunt contra Scotum. Argent. 1501. Vide Waddingum pag. 157.

GUILELMUS *de Waria, Warro*, etc. supra *Guil. Verus*.

GUILELMUS *de Wels*, sive *Wellys*, Latine *Fontanus*, Anglus, Augustinianus qui An. 1421 diem obiit, scriptis *Distinctionibus in Psalterium*, *Disputationibusque* et *Sermonibus*. Vide Lelandum cap. 521. Baleum VII, 65 et Pitseum p. 609 qui ambo praeterea memorant ejus Commentarium *in septem Psalmos Poenitentiales*, Postillationes *Evangeliorum*, *Declamationes vulgares*, *Actus cursorios* etc.

GUILELMUS *Wetheley* sive *Wethleius* Anglus, Ecclesiae Yathisberyensis Rector. Lelando *Boëthianus* quia in *Boëthii* libros

de Consolatione et in ejus *Divisiones*, libellumque *de disciplina scholarium* eidem tributum Boëthio, commentatus fuit sub Seculi decimi quarti initia. Vide Baleum VIII 88 et Pitseum ad Annum 1300. p. 400 qui ambo praeterea ejus *Epistolas ad diversos* commemorant.

GUILELMUS *Whyte* sive *Albus* ex Cantia Presbyter, sectator Wiclefi, An. 1428. Nordovici in Anglia exustus, de cujus scriptis contra Romanam Ecclesiam et contra Monachos mendicantes, vide si placet Baleum VII, 74.

GUILELMUS *Wiccamus*, aliis *Wickham*, vel *Wickevanus* aut de *Wykewone* Pitseo vitiose *Wickeranus*, Anglus, Episcopus Eboracensis, defunctus An. 1285 a) scripsit nescio quod *Memoriale* quod ex Nicolai Brigami, Latinae linguae interpretis eruditi, Venationibus rerum memorabilium referunt Baleus X, 72 et Pitseus pag. 370.

GUILELMUS *Wiltonus* Anglus, Philosophus cujus *commentarii in Aristotelis Analytica priora, atque in Ethicorum Nicomacheorum libros decem, et Quaestiones de Anima* laudantur apud Pitseum pag. 860.

GUILELMUS *Wittlesey* sive *Witteleseius* Anglus ex Rofensi Episcopus Vigorniensis ac denique ab An. 1368 ad 1375 Archiepiscopus Cantuariensis: Hujus nulla alia scripta idem Pitseus pag. 861 quam Conciones Synodales ad clerum suum Latine habitos memorat.

* Sunt eius litterae quaedam in collectione Concilior. Britanniae Wilkinsii a p. 78. ad 97.

GUILELMUS *Wodefordus*, Lelando cap. 467. *Widofordus* aliis *Waderfortensis* Ord. Minor. scripsit post WICLEFI mortem contra ejus haereses *Trialogum* et Articulos XVIII, ad Thomam Aruntovallensem sive Arundelium, Archiepiscopum ab An. 1396. Cantuariensem, et *Determinationum Oxoniensium libros IV*, praeterea *in Physicam Aristotelis et tres libellos de Dominio Civili. De Sacramento Evcharistiae: et librum LXXII, quaestionum. De decimis et oblationibus* contra GUALTERI *Briti* librum de auferendis Clero possessionibus. *De Sacerdotio Novi Test. ejusque dignitate. Defensorium mendicitatis* contra RICHARDUM Armachanum. *De conformatione nostra ad CHristum.* Postillam *in Matthaeum* et *Lucam: in Ecclesiasten* · in quaedam *Ezechielis* loca: *in Epistolam ad Romanos. Pro introitu Bibliorum. Sermones* etc. Vide Baleum VII, 3 et Pitseum pag. 463. Waddingumque pag. 158 qui praeterea memorat ejus librum MS. *an melius sit Religiosum in deserto vivere solitarie, quam conventualiter sub obedientia humani Praepositi in Congregatione.*

GUILELMUS *Worcestrius* Bristoliensis Anglus, Astronomus, Medicus et Historicus scripsit *Annales rerum Anglicarum* ab Anno CHristi 1324 ad 1491. ex quibus excerpta vulgavit Oxon. 1728, 8. V. C. Thomam Hearne a) una cum libro NIGRO Henrici II, et aliis quibusdam antiquis monumentis. Eidem Guilelmo (a quo diversum pag. 648 posuerat Guilelmum Botonerum) Pitseus pag. 861 tribuit *Itinerarium de notabilibus Bristolii*, nec non *de Civitatibus, Monasteriis, Abbatiis, deque longitudine et latitudine eorum, et de rebus aliis memorabilibus.*

GUIMANNUS Monachus Vedastinus Ord. Bened. scripsit medio saeculo XII. origines celeberrimi illius (A. C. 672. b) apud Atrebates conditi Monasterii, et Privilegia Imperatorum, Regum et Pontificum illi ab eo tempore concessa collegit. Vide Vossium pag. 780.

GUIMUNDUS, infra GUITMUNDUS.

GUISCARDA. Vide supra in *Hugone* FALCANDO t. 2. p. 550.

Jacobus GUISIUS Montensis Hannonius, Ord. Minor. defunctus An. 1398. scriptor *Annalium Hannoniae* MSS. Montibus apud Franciscanos, atque Antwerpiae in Collegio Jesuitarum quibus Acta Sanctorum Orbis eruditus debet. Dignos luce judicavit Aubertus Miraeus, qui eos cum fructu testatur se evolvisse. Vide Oudinum tom. 3. pag. 1221.

GUITELINUS. Londinensis Archiepiscopus *scientia et virtutibus insignis* Huic Pit-

a) Warthon tom. 1. Angliae S. p. 508.

a) Journal des Sav. 1729. Octobr. p. 245.
b) Sammarthan. t. 4. Galliae Crist. p. 912.

seus pag. 88. ut inter Scriptores locum concedat, ad Annum CHristi 445. tribuit, *Orationes, Conciones, Epistolas ad diversos,* quas nec ipse nec alius quisquam fortassis oculis usurpavit.

GUITMUNDUS, *Guimundus, Guismundus Wimundus, Witmundus* a) monachus primum Crucis Heltonis, S. Audoeni, sive S. Leufredi, Ord. Bened. in Normannia, dioecesis Ebroicensis, An. 1070. arcessitus in Angliam, rogatusque ab Angliae Rege Guilelmo I. b) inter Duces Normanniae Guilelmo II. ut in Anglia secum moraretur, et Ecclesiasticum regimen reciperet, illud recusàvit, reversusque in Neustriam sive Normanniam, defuncto c) An. 1079. Joanni, Rothomagensi Archipraesuli a Rege et aliis designatus successor, d) aemulis impedientibus Archiepiscopatum non obtinuit, sed ab Odilone Abbate suo licentia peregrinandi impetrata, a Gregorio VII. exceptus benigne, et inter Cardinales R. E. delectus e) postea etiam ab Urbano II. qui An. 1088. cöepit Papatum gerere, Metropolitanus Adversanus creatus est in Apulia regni Neapolitani, illamque Ecclesiam sibi commissam, teste Orderico f) diu rexit, adeoque An. 1090. et ulterius adhuc superstes: unde constat falli eos qui diem ajunt obiisse An. 1080. g) vel A. 1084. h) Ex Urbani II. ad eum Epistola fragmentum exstat in parte secunda Decreta Gratiani: causa 24. quaest. 2. can. 3. ex qua aetatem Guidmundi jam observavit Latinus Latinius t. 1. Bibl. sacro profanae p. 81. Itaque aut duos oportet statuere Guidmundos, vel Ordericum si audiamus, errare necesse est Anonymum Mellicensem qui cap. 102. Guidmundum ait a Gregorio VII. Aversae Episcopum factum esse. Parum etiam congruit cum Orderici relatione, quod idem Mellicensis Guidmundum facit Abbatem Stabulensem, qui aufugiens, ne agnosceretur, nomen CHRISTIANI assumserit, factusque Pontifex Apulorum, contra Berengarium disseruerit invictissime. Vide si placet quae supra in CHRISTIANO *Druthmaro* tom. 1. p. 345 seq. ubi etiam de *libris* ejus *tribus contra Berengarium*, scriptis dialogi more, interlocutore *Rogerio* Monacho, medicinae artis perito, cujus rogatu hoc opus agressus est, illique dedicavit. Scripsit hos libros observante Mabillonio, dum adhuc in Neustria versaretur, Gregorio VII. Pontifice. adeoque post Concilium Romanum (cujus meminit) habitum sub Nicolao II. A. 1059. et post LANFRANCUM, quem Magistrum suum appellat: sed ante Concilium Romanum A. 1078. Nemo illo accuratius, judice eodem Mabillonio, Berengarii a) ejusque asseclarum varias opiniones indagavit. Editi fuerant hi libri cum ALGERO (de quo supra tom. 1. pag. 65) per Erasmum Antwerp. 1530. et deinde Joanne Vlimmerio curante, Lovan. 1561. qui PASCHASII etiam et LANFRANCI de hoc argumento scripta subiunxit. Denique in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi t. XII. et Lugdunensi t. XVIII. p. 440 in qua (ut in prioribus) p. 465. etiam subjicitur Guitmundi *de Sancta Trinitate, CHristi humanitate, Corporisque ac Sanguinis Domini nostri veritate Confessio*: ac postremo p. 468 *Oratio ad Guilelmum I. Anglorum Regem cum recusaret Episcopatum*, qualis servata est ab Orderico Vitali IV. Hist. Eccles. p. 524-526.

Henricus de GULPEN Magister adhuc Artium praesens in Concilio Constantiensi An. 1415. Deinde Doctor Decretorum atque Abbas S. AEgidii Nurenburgensis Ord. Bened. interfuit Concilio Basileensi An. 1430. Scripsit *de passione Domini*, et in Decreti Distinctiones septem *de Paenitantia* et

a) Non confundendus cum *Guimundo*, Anglo, Augustiniano, de quo Lelandus c. 165. neque cum *Guidone* Aretino de quo supra p. 119. seq.

b) Ordericus Vitalis IV. p. 524. Mabillon. praef ad Sec. VI. Benedictin § 58.

c) Sammarthan. t. 1. Galliae Christ. p. 576.

d) Ordericus p. 526.

e) Id.

f) Ibid. adde Ughellum t. 1. Italiae sacrae pag. 488. ubi successoris in Archiepiscopatu Aversano Joannis mentio non ante Annum 1095.

g) Ita Labbeus, t. 1. de S. E. pag. 402. Caveus et alii.

h) G. Joseph Eggs in purpura docta p. 81.

a) Confer argumenta librorum Guitmundi recensentem Benedictum Pictetum in historia saeculi XI. p. 524. seq.

quinque *de Consecratione*. Vide Trithemium de illustribus Germ. scriptoribus cap. 165. et II. 138. illustr. Benedictin. et de Scriptoribus Eccles. cap. 771.

Henricus GUNDELFINGEN de Constantia, Magister Artium et Ecclesiae Friburgensis (non Brisgoviae sed Helvetiae) Capellanus, circa Annum 1476. scripsit *Chronicon* sive *Historiam domus Austriacae* libris III. ad Sigismundum Archiducem quae MSta in Biblioth. Caesarea servatur atque copiosius a Lambecio describitur quem si placet vide t. 2. p. 467. 476. 493. 497. 509.

GUNDOBADUS Rex Burgundionum circa Annum 500. cujus et filii SIGISMUNDI *liber Constitutionum* per titulos XIX. digestarum exstat in Basilii Joannis Heroldi sylloge Legum antiquarum Basil. 1557. p. 149-158. et in Frid. Lindenbrogii Codice Legum antiquarum pag. 261. seq. divisus in capita LXXXIX. praeter additamenta. Confer Carolum le Cointe tom. 1. Annalium Francorum pag. 428. Dolendum est novam harum aliarumque Legum veterum editionem, quam parabat vir harum litterarum peritissimus Joannes Georgius Eccardus, ipso An. 1730. extincto interceptam fuisse.

GUNDRAMNUS Monachus Fuldensis et Levita sive Diaconus, et Cancellarius Regius circa A. 840. ERMENRICUM scripta ad eum Epistola invitavit ad scribendam *Vitam B. Soli* sive *Solae*, Presbyteri ac Monachi. Vide supra in ERMENRICO t. 2. pag. 518.

GUNDULPHUS Episcopus Roffensis ab An. 1077 cujus Codex Bibliorum, superiore An. 1734 in sectione publica Bibliothecae clarissimi Viri Hermanni van de Wall, Amstelodami vaeniit. Codex membranaceus magnae molis, per duas columnas exaratus satis nitide, et hanc in fronte voluminis et partis utriusque, notam praeseferens: *Prima pars Bibliae, per bonae memoriae Gundulphum Roffensem Episcopum. Liber de claustro Roffensi: Quem qui inde alienavit, alienatum celavit, vel hunc titulum in fraudem delevit, excommunicatus est, ferentibus sententiam Episcopo, Priore, et singulis Presbyteris Capituli Roffensis.*

GUNTHERUS Babergensis sive Bambergensis ab An. 1060. Episcopus qui cum Sigfrido Archiep. Moguntino, Othone Ratisbonensi aliisque An. 1064 profectus in Palaestinam, peregrinationis suae historiam posteris tradere instituit, sed An. 1066. conatus ad suos reverti, et in Pannonia 10. Cal. August. extinctus, opus imperfectum reliquit. Vide Vossium pag. 796 nam in Martini Hofmanni Annalibus Bambergensis Episcopatus pag. 78 ubi de Gunthero hoc atque profectione ejus disseritur, de lucubratione hac ipsius ne vola.

GUNTHERUS Monachus S. Amandi Elnonensis, Ord. S. Benedicti in Hannonia congregationis Cluniacensis, circa Annum Christi 1100 cujus *Epistolas* et metro scriptam *S. Cyriaci et Julittae vitam ac martyrium* memorant Sigebertus cap. 166. et Trithemius cap. 354 de Script. Eccles. et II. 94 illustr. Benedictin.

GUNTHERUS Monachus ex Teutonica natione *Cisterciensis* in monasterio dioecesis Basileensis quod *Parisiense* dictum est, scripsit post Philippum Augustum Anno 1208 21. Jun. caesum, prosario sermone *Historiam CPolitanam* de urbe expugnata a Balduino: ex ore Martini Abbatis qui expugnationi illi A. C. 1204 interfuit, editam a Canisio Ingolstad. 1604 4. T. antiquae Lect. parte 2. pag. 358. et editionis novae Amst. 1725. fol. in limine tomi IV.

Solymarium sive Poëma de bello sacro et captis a Godofredo Bullioneo An. 1099. Hierosolymis memorat in Ligurino lib. 1. v. 13 seq. et lib. 10 v. 648 seq. sed illud hactenus lucem non vidit.

Ligurinus sive de rebus a Friderico I. Barbarossa, maxime in Liguria adversus Mediolanenses gestis *libri X.* carmine hexametro, supra illius aetatis exempla scito comtoque, quod non de iis quae vidit ipse, sed quae fama accepit (lib. IV. v. 607 seq. X. 567) spirante adhuc Friderico composuit et absolvit, licet filios etiam, atque in his primo loco Henricum IV alloquitur lib. v. 56 seq. quem patri constat successisse A. 1190. A *Conrado Celte* acceptum hoc poëma qui in Herciniae coenobio Eberacensi illud invenerat, edidit *Conradus Peutingerus*

Augustae Vindel. 1507. fol. Deinde junctum Richardi Bartholini, Perusini Austriados libris XII. scholiisque locupletibus additis *Jacobus Spigelius* Selestadiensis Argentorat. 1531 fol. ex quibus excerpta quaedam annotare duxit operae pretium Joannes Wolfius tom. 2. memorabilium pag. 13. seq. Prodiit iterum ex illo tempore Ligurinus Othoni Frisingensi junctus cum praefatione *Philippi Melanchthonis* Basileae 1569. fol. atque eodem Anno et in eadem Urbe inter scriptores recensitos a *Petro Pithaeo*, fol. Hinc in *Justi Reuberi* collectione, qui Argentoratensem editionem secutus etiam Jacobii Spigelii scholia addidit. Francof. 1584. Hanov. 1619 et Frf. 1726 fol. Separatim etiam emendatior cum praeclaris notis atque indice *Conradi Ritterhusii*, Tubing. 1598 8. Denique clarissimus Academiae Duisburgensis Doctor publicus *Johannes Hildebrandus Withofius* edito An. 1731 4 erudito specimine emendationum ad Guntheri Ligurinum spem fecit novae editionis com commentario, notis et emendationibus adornandae, cui praeter integras Ritterhusii, Pithoeique atque excerptas Spigelii, etiam selectas Barthii, Lipsii, Casauboni, Heinsii et aliorum observationes adjungere instituit. Historiam OTHONIS Frisingensis et RADEVICI eius continuatoris a Gunthero in synopsin redactam in Ligurino legi notavit Pagi ad Annum Christi 1319. n. 14.

Guntheri, dubito an ejusdem, *libri XIII* de tribus usitatis Christianorum actibus *oratione, jejunio et eleemosyna*, cum praefatione Conradi Leontorii, Mulbrunnensis prodiere Basil. 1504 1507 4. Argumenta tredecim horum librorum exhibet Gesnerus in Bibl.

GURDESTINUS, Monachus Ordin. Benedictin. Landevenecensis in Britannia Armorica, scriptor *Vitae* fundatoris Coenobii sui *S. Winwaloëi* libris II quae exstant in Actis Sanct. 3. Martii. tom. I, pag. 256. 260. Nec de Gurdestini nec de Winwaloëi aetate satis constat, licet Winwaloëus sive Guingaloëus ad sextum saeculum, ab Henschenio referatur.

GUTETI de Mixigia, Mediolanensis notarii et sociorum Versus comminatorii ad Ducem Cornubiae *Richardum*, aliaque carmina ac litterae in honorem *Alphonsi* Sapientis, Legionis et Castiliae Regis, electi An. 1257. Romanorum Imperatoris, extant in D. Simon.s Friderici Hannii collectione monumentorum veterum ac recentium, Brunsw. 1724. 8. tom. I. pag. 394. 396.

GUTTOLFUS, vide supra p. 76. GOTTULFUS.

Sylvester GYRALDUS, supra pag. 59. seq. ubi et de GYRALDO *Aurelianensi* et p. 62. de *Compostellano.* Omitto dicere de aliis Gyraldis junioribus, ut de *Lilio Gregorio* GYRALDO viro eruditissimo, qui An. 1552 et de Cynthio Joanne Baptista GYRALDO, qui An. 1573. diem obiit, et de quibus, aliisque hujus nominis Jacobus Gaddius tom. I. de scriptoribus non Ecclesiasticis p. 211. seq. Lilii Gregorii Gyraldi opera plena bonae frugis, post separatas singularum lucubrationum editiones junctim vulgata Basil. 1580. fol. et ex nova recensione V. C. Joannis Jensii a) nitide nec sine auctario et indicibus emendatioribus, locupletioribusque illustrata, Lugd. Batav. 1696. fol. Illius editionis series haec est: In tomo priore familiam ducit, partemque ejus maximam occupat opus praecipuum, *Historia de Diis*, eorumque generibus, nominibus ac cultu, digesta per syntagmata XVII. quorum ultimum tractat de Sacrificiis, templis, sacerdotibus, festis, supplicationibus, expiationibus, lectisterniis ac mortuorum inferiis. Succedunt *de Musis* syntagma, *Vita Herculis, de re nautica* libellus, et *de sepultura ac vario sepeliendi ritu* liber, amplo Joannis Faës, Theologi Stadiensis τȣ μακαριτȣ commentario illustratus, cum quo lucem singulari volumine viderat Helmstadii 1676. 4.

Posteriore tomo occurrit *Historia Poëtarum* Graecorum Latinorumque, dialogis decem erudite descripta, cum animadversionibis antea ineditis *Pauli Colomesii*, in quibus brevibus licet et non multis adeo, varia tamen haud protrita notantur. Caetera sunt *de Poëtis suorum temporum* dialogi duo. *Progymnasmata adversus litteras*

a) Act. Erud. 1696. p. 230.

et litteratos. Libellus in quo *aenigmata* pleraque antiquorum explicantur. *Symbolorum Pythagorae* Philosophi interpretatio cum *Pythagoricis praeceptis, e Plutarcho* expositis. Paraenesis *adversus ingratos*, et libellus, quomodo quis ingrati nomen crimenque possit effugere. Liber *de annis, mensibus, caeterisque temporum partibus*, una cum *Calendario* Romano Graecoque. *Dialogismi Critici XXX.* de variis rebus ad Antiquitates et bonas litteras spectantibus, praemisso dialogismo de studendi et annotandi ratione. Totum opus claudunt Gyraldi *carmina.*

LIBER VIII.

HADDO, infra, HATTO.

Joannes Busaeus S. Jes. in nota ad calcem *vitae S. Wigberchti* a LUPO *Servato* scriptae, et cum HINCMARI Remensis Epistolis editae Mogunt. 1602. 4. pag. 336: *Subjecta erat in eodem MS. Codice* historia eadem Carmine scripta *ab* HIRSFELDENSI *Monacho, qui nomen suum his litteris*: HAD. TAC. CUN *expressit, et dedicata* Brunvardo *Hirsfeldensi Abbati, caeterisque Praeceptoribus, ut ipse loquitur, in Coenobio S. Wigberchti degentibus. Successit hic Brunvardus* Brunoni (*ad quem* Lupus *suam historiam A. C 836. destinavit*) *et floruit sub Annum Domini 860. Nam Trithemius in Chronico Hirsaugiensi annotavit eum An. 848. Synodo Moguntinae sub Rabano Archiepiscopo interfuisse. Lambertus vero Schaffenburgensis in sua historia ait eum A. 875. obiisse. Verum, quia haec historia mutila erat, et tam insulso ac barbaro stylo exarata, ut tantum non Oedipo opus habeat ad assequendam intelligentiam verbis subjectam, malui illam praetermittere, et tria tantum ex ea describere miracula, quae auctor ille superioribus a* Lupo *enarratis adjecit, eo quod suo tempore accidissent.*

HADRIANUS sive ADRIANUS, Papa ab An. 772. Febr. 9. ad An. 795. Dec. 25. Caroli M. Imper. epitaphium ab Hadriano ejus datum memoriae, exhibui supra t. I. pag. 349 cum altero Carmine, quo Codicem Latinum Psalterii ei obtulit. Index et argumenta *Epistolarum* XLVI. Hadriani Papae ad Carolum M. exstant in Jac. Gretseri Codice Carolino Ingolst. 1613. 4. et tom. 6. Gretseri Operum, nec non in Sirmondi Conciliis Galliae tom. 2. pag. 202. et in Conciliorum Tomis, ubi etiam Epistolae XV. quae apud Sirmond. tom. 2. pag. 79. 81. 88. 89. 91. 92. 93. 94. 111. 115. 117. 119. 122. 124. 126. *Epistolae XLVIII.* apud Andream du Chesne tom. V. de rebus Francor. pag. 766. 823. *Epistola* ad Pipinum Archiep. Remensem, apud Sirmondum tom. 2. pag. 78. ex Flodoardi II. 17. Privilegium monasterio S. Dionysii concessum pag. 113. et apud Harduin. t. 3. Concil. p. 201. Ad Bertherium Metropolitanum Viennensem. id. pag. 2028. et Labbei tom. 6. pag. 188 Ad Fulradum et Magenarium, Baluz. tom. 7. Miscell. p. 120. Ejusdem fortasse de concessione fundi Apiniani, id p. 122. Epistola ad Episcopos Hispaniae contra *Elipandum* Episcopum Toletanum, apud Aguirrium tom. 3. Concil. Hispan. p. 94 et in Conciliorum tomis.

Capitula LXXX. ex Graecis et Latinis Canonibus tradita Ingelramo Mediomatricum Episcopo An. 780 in Sirmondi Conciliis Galliae tom. 2, pag. 99 et cum Antonii Augustini notis, in tomis Conciliorum. Confer Bibl. Graecam tom. XI. pag. 162. seq. *Codex Canonum* et *Decretorum Pontificum* Carolo M. Romae oblatus An. 787 cum praemissa *Epistola* quam edidit Sirmondus pag. 117. ex Codice S. Germani An. 803. exarato. Alia *Epitome Canonum* edita a Canisio tom. 6. antiquae Lect. pag. 413. (edition. novae tom. 2, pag. 266.) atque inde in Concilior. tomis.

Decretum pro Caroli Magni Patriciatu Romano, et jure eligendi Pontificem, factum in Synodo Romana a) CLIII. Episcoporum An. 774 indicat Goldastus in replicatione pro Imperio contra Baronium, b) Gretserum

a) Sigebert. ad Annum 773. Albericus p. 111. seq. Chronici, Gratianus Decret. dist. 63. can. 22.

b) Cum Baronio ad Annum 774. num. 10 18. Sigeberti et Gratiani fidem in dubium vocant Bellarminus, Binius, Petrus de Marca VIII. 12. de concordia Sacerdoti et Imperii, Sirmondus, Pagius

aliosque pag. 125 seq. et pag. 147. 191 et novissime Caspar Audoul in libro a) Gallice edito Paris. 1708. 4. traité del' origine de la regale et des causes de son établissement.

Epistola *ad Constantinum Imperatorem et Irenem Augustam*, cum Graeca versione, in Actis Concilii Nicaeni secundi a Binio tom. 3. Concil. parte 2. pag. 109. Labbeo tom. VII, pag. 915. Harduino tom IV. p. 774. Coleto. tom. IX. Meminit hujus libri Albericus pag. 107. Chronici, et Sigebertus in Chron. ad Annum. 773 et cap. 79. de S. E. testatus *ad Leonem* juniorem et Constantinum, filium ejus, pro venerandis imaginibus Hadrianum scripsisse.

Eodem Sigeberto teste et Joanne Diacono in Gregorii M. vita, Hadrianus *libros Epistolarum primi Gregorii Papae abbreviavit, et utiliora quaeque decerpens tredecim libros ad duos redegit.* Praeterea *Antiphonarium Ecclesiasticum et Responsoria de circulo anni* illi tribuit Ludov. Jacobus de S. Carolo. pag. 102. Bibl. Pontificiae. Sed *Quodlibetorum* quae ait se ex Trithemio memorare, nulla est apud Trithemium cap. 254 mentio. Idem Ludovicus ad Hadrianum I. male refert Epistolam ad Achridenum, de qua infra in Hadriano IV. Vicissim ad Hadrianum I. pertinent quae ex typographi vitio de Hadriano II. notantur apud Miraeum in auctario de S. E. pag. 40.

HADRIANUS II. Romanus ab An. 867. Decembr. 14 ad Annum 872. Novembr. 25. Papa, qui Cyrillum et Methodium Moravis Episcopos consecravit, et Slavonica lingua iisdem in Missa et Officiis Ecclesiasticis concessit uti. b) Ejus Epistola apud Baronium ex Nicol. Fabri Codice, et Sirmondum tom. 3. Concilior. Galliae, et in magnis Conciliorum tomis. 1) ad Synodum Tricassinam, Sirmond. tom. 3, pag. 362. 2) ad Episcopos Synodi Svessionensis, id. pag. 364. 3. 13. 14 19 25 29 30) ad Carolum Calvum Regem, pag. 366 375 376 386 395 400 401 4 12 18 21.) ad Hincmarum Remensem, pag. 367 375 382 390. 5) ad Herardum Archiep. Turonensem, pag. 368. 6) ad Actardum Episcopum Namneticae Ecclesiae, pag. 369 7 et 23) ad Ludovicum Regem Germaniae pag. 370 392 8) Lotharii Regis ad Hadrianum Papam. Hadriani responsio, cujus Regino meminit, non exstat. Sed exstat 9) alia Hadriani ad Lotharium Epistola de Teutbergae solutione, Sirmond. tom. 3, pag. 371. 10) ad Waldram, pag. 373. 11) ad Episcopos Germaniae, pag. 373. 15) ad Proceres regni Lotharii, pag. 379. 16. 22) ad Proceres regni Caroli Calvi, pag. 380. 391 17 20. 24) ad Episcopos in regno Caroli constitutos, pag. 381 389 396. 26) ad proceres regni Caroli Calvi, et quondam Lotharii Regis, pag. 395. 27) ad Episcopos in regno Caroli et quondam Lotharii constitutos, pag. 396. 28) ad Episcopos Synodi Duziacensis. pag. 379. 31 32) ad Adonem Viennensem Episcopum. 34) ad Episcopos in regno Ludovici constitutos pag. 393. Praeterea in Actis Synodi octavae sive CPolitanae An. 869 contra Photium habitae, Graece et Latine leguntur Actione I et VII. epistolae duae ad Basilium Imp. Actione VII ad Ignatium Patriarcham CPolit. cum allocutionibus tribus et decretis quinque: et Actione X. ad Imperatores Basilium, Constantinum et Leonem. Idem Hadrianus Acta Synodi hujus Latine verti jussit ab ANASTASIO Bibliothecario, ut hic in praef. testatur. Exstat illa versio in Binii et aliis Conciliorum tomis. Eiusdem Hadriani Decretum pro validitate matrimonii, testibus aliis legitimis praesentibus sed nullo Sacerdote contracti, edidit Baluzius tom. V. Miscell. pag. 488. Per calami lapsum Cangius huic Hadriano tribuit editam a Canisio epitomen Canonum, de qua supra in Hadriano I. *Psalterium* transferre coepisse in linguam suam, hoc est Italam, ex Genebrardo refert Ludovicus a S. Carolo pag. 105 et Ciacco-

ad Annum 774. n. 13. seq. Carolus le Cointe, Thomasinus, Mabillonius p. 250. diplomatic. aliique.

a) Mem. lit. de Trevoux A. 1708. pag. 955. *Mr. Audoul a pr s la defense de ce Canon, et a fait sur cela un longue dissertation, qui est peut être la part e de son Ouvrage la plus estimable. Il y attaque fortements les preuves des savantes Critiques aux quels il s' oppose. Et fait voir que Baronius n' a pas été sur ce point assez d' accord avec lui même.*

a) Vide Franciscum Pagi breviario Pontificum Rom. tom. 2 pag. 112. seq. Jac. Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis pag 118. s q.

nio teste laudato, *formam dedisse Aragonensibus sanctarum Legum et novam regni constituendi formam* proposuisse.

HADRIANUS III, ab An. 884. Mart. 1, ad Annum 885. Jul. 8. Epistolae Synodi Duziacensis An. 874 habitae male ad hunc Hadrianum a Lud. Jacobo scriptae feruntur, quas ad Hadrianum II, scriptas esse constat, sicut etiam Epistolae ad Basilium Imp. CPol. in Actis Synodi VIII, non Hadriani tertii sunt, sed secundi. At Basilii Imp. plenae irarum litterae ad Hadrianum III, quod et ipse Photio adversum se praebuisset, Hadriano demum defuncto Romam allatae sunt, ad quas respondit successor ejus Stephanus V. (al. VI.) apud Baron. ad Annum 885 num. IX, seq. Carolus Sigonius lib. V, de regno Italiae ad Annum 884 refert. Hadrianum III, statim sub. initium Papatus sui duo haec decreta fecisse, unum pro Romanorum libertate, *ut Pontifex designatus consecrari sine praesentia Regis aut Legatorum ejus posset*: alterum pro dignitate Italiae: *ut moriente Rege Crasso sine filiis, regnum Italicis Principibus una cum titulo Imperii traderetur*. Antiquiorem testem desiderabat Franciscus Pagi tom. 2 breviarii Pontificum pag. 161.

HADRIANUS IV, antea *Nicolaus Brankspeaere* sive *Hastifragus*, Anglus, Augustinianus, Abbas S. Rufi de Valentia, atque inde ex Episcopo Albanensi et Cardinali, Papa ab An. 1154. Decemb. 4 ad Annum 1159. Septembr. 1. Exstant ejus *Epistolae* XLII, in tomis Conciliorum: in quibus prima, de Hibernia occupanda ad Henricum II. Angliae Regem obvia apud Matthaeum Paris ad An. 1155 et Gualdum Cambrensem lib. 2. c. 6 et illae XIV, quae apud Andream Du Chesne tom. IV, scriptor Francicor. pag. 586-592 et Biblioth. Cluniacens. pag. 1445. Didacum Castejonum de primatu Toletano, Ughellum in Italia sacra, Dacherium: et Baluzium ad Petri de Marca Concordiam Sacerdotii et Imperii VII, 18. Adde Gesta DEI per Francos pag. 1184. Alias duas apud eundem Baluzium tom. 2. Miscell. pag. 223 224, aliam in ejusdem appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1317. Ejusdem *De sua legatione* librum, et alium *de Conceptione B. Mariae Virginis* ad Petrum Pontiniacum, Episcopum Atrebatensem: nec non *Homilias* et *Catechismaticas Leges ad populos Norwegicae et Sveciae* video memorari a Ludovico Jacobo Biblioth. Pontificiae pag. 105. Hujus etiam est *Epistola ad Basilium Achridenum*, Thessalonicensem, de reunienda Ecclesia Orientali cum Occidentali, quae cum Basilii responsione exstat in Marquardi Freheri Jure Graeco Rom. Francof. 1596, fol. Graece et Latine edito pag. 305 atque inde post Commentarios Joannis Zonarae in Canones Concilior. Paris. 1618, fol. pag. 781. De hoc Joannes Sarisberiensis VI, 24 de nugis Curial. et apud Albericum ad Annum 1154. p. 324. Audivi Papam Adrianum dicentem, quod Romano Pontifice nemo miserabilor est, conditione illius nulla miserabilior. Fatebatur enim se in eadem sede tantas miserias invenisse, ut facta collatione praecedentium, praecedens amaritudo jucunditas et felicitas fuerit. Spinosam dicebat Cathedram summi Pontificis, mantum acutissimis undequaque consertum aculeis, tantaeque molis, ut robustissimos premat, terat, et comminuat humeros. Coronam et phrygium clara merito videri, quoniam ignea sunt: se numquam a naturali solo Angliae malle exiisse, aut in claustro Beati Rufi perpetuo latuisse, quam tantas intrasse angustias, nisi quia Divinae dispensationi reluctari non auderet. Hoc etiam mihi saepissime adiecit, quod cum de gradu in gradum a claustrali Clerico per omnia officia in summum Pontificem ascendisset nil aut felicitatis aut tranquillae vitae quietis priori vitae adiectum est ab ascensu. Et ut verbis eius utar, *In incude*, inquit, *et malleo semper dilatavit me Dominus*: sed nunc oneri quod infirmitati meae imposuit, si placet supponat dexteram, quia mihi importabile est. Nonne miseria dignus est qui qui pro tanta pugnat miseria? sit ditissimus qui deligitur, sequenti die pauper est, et infinitis pene creditoribus tenebitur obligatus. Ambire ergo ad summum Pontificium, et non sine fraterno sanguine ad illud ascendere, est Romulo

succedere in parricidiis, non Petro in ovibus pascendis. Bene ergo dicitur non tam nuncupative quam substantive *servus servorum DEI.* Serviat enim servis avaritiae, id est Romanis, necesse est; adeo ut nisi servierit, fiat aut Expontifex, aut Exromanus. Haec Albericus.

HADRIANUS V. antea *Ottobonus de Flisco* Genuensis, Papa ab An. 1276. Jul. 16 ad August. 18 ejusdem Anni. *Constitutiones Ecclesiasticas* quas illi tribuit apud Ludovicum Jacobum Rupipozaeus, de illis intellige, quas sancivit Cardinalis Legatus in Angliam missus a Clemente IV. Eas illustrandas sibi sumsit *Joannes* ACTONUS sivd de ACTONA, de quo supra tom. 1. pag. 6.

HADRIANUS IV, antea *Hadrianus Florentii* dictus, naupego patre, Trajectinus Belga: natus An. 1459. XI. Martii, ex praeceptore Caroli V, et Cancellario, Episcopus Derthusensis et generalis per Hispaniam Inquisitor, atque An. 1517. Cardinalis: postremo Papa ab An. 1522. Febr. 16 ad Annum 1523. Septembr. 14. Vide Conradi Vecerii Orationem dictam Romae in ejus funere, Miraei auctarium pag. 99.

Hadriani VI, scripta sunt: *Quaestiones et Disputationes in quartum sententiarum* de Ecclesiae Sacramentis, Paris. 1512, 1516, 1518, 1527, fol. Rom. 1522 fol. Vide insignia ex illis specimina, apud Launojum parte 4. Epist. 7.

Quaestiones Quodlibeticae XII. Lovan. 1515, 1618. Paris. 1516, 1518, 1521. Paris. 1531, 8. et cum quaestionibus Joan. Briardi, Athensis, Lugd. 1546, 8.

Sermo de sacculo pertuso sive *de superbia* itemque *sermo paraeneticus in computum hominis agonizantis.* Rom. 1522, fol. una cum quaestionibus in quartum Sententiarum, et separatim Antwerp. 1520 4.

Regulae Cancellariae, Rom. 1523 atque inde Antwerpiae.

Bulla treguarum triennalium inter Principes Christianos An. 1523 4. edita, cui An. 1524 accessit vita ejus ex Epistola C. Batti, Parmensis dicata Hieronymo Saulio.

Epistolae variae Hadriani VI. et aliorum ad eum scriptae, in quibus et illae ad causam B. Lutheri spectantes ad Fridericum Elector. Sax. et ad Conventum Norimb. A. 1532 a) nec minus ad Erasmum, collectae a V. C. Carolo Burmanno, editaeque ad calcem ejus Vitae pag. 443. ad 504. subjunctis Wilhelmi de Lochorst litteris de ejus obitu. Omitto alia memorata Ludovico Jacobo a S. Carolo p. 107. Bibl. Pontificiae.

Vitam hujus Pontificis scripsit *Gerardus Moringus*, Theologus Lovaniensis, editam Lovanii 1536. cum iconibus aere descriptis, quam nitide recudendam curavit laudatus Carolus Burmannus, Trajecti 1727. 4. eique praeter eruditas notas subjunxit 1) Vitam ejusdem Papae editam a *Paulo Jovio*, et plus simplici vice praelis datam, cujus Italica quoque versio lucem vidit Florentiae 1549. 8. 2) *Conclave* sive Historiam Conclavis, in quo electus Hadrianus VI. ex *Dan. Papebrochii* propylaeo ad Acta Sanctor. Maji pag. 154. et *Burchardi Gotthelf Struvii* fasciculo III pag. 65. sq. praemissa ejusdem Struvii brevii dissertatione, et observatione de nummo rarissimo majoris moduli, in honorem Hadriani VI. cuso. 3) *Itinerarium* Hadriani VI ab Hispania Romam usque, ac ipsius Pontificatus eventus, per BLASIUM *Ortizium*, ex edit. Toletana An. 1546. et Baluzii t. 3. Misc. p. 361. de supra t. 1. p. 229. 4) *Cornelii Aurelii* Gaudani *Apocalypsis de spe reparandae Ecclesiae ex promotione Hadriani VI.* ex MS. Bonav. Vulcanii in Biblioth. Leidensi. 5) Variorum elogia et breves vitae descriptiones p. 321. seq. et secus quaedam atque in sinistram partem de eo scripta p. 428. seqq. 6) Documenta quaedam ad Hadriani VI. familiam pertinentia, pag. 511. 522.

HADRIANUS Carthusianus, in Carthusia vicina Monti S. Gertrudis in confinio Brabantiae et Hollandiae circa Annum 1410. exemplo Francisci Petrarchae scripsit librum *de remediis utriusque fortunae* excusum sine anni nota et loci. Vide Miraeum pag. 84 auctarii. Eundem librum MS. memorat Sanderus parte 2. Bibl. Belg. p. 53.

a) Exstat in Orthuini Gratii fasciculo expetendorum et fugiendorum Colon. 1535. fol. pag. 171. subjuncta pag. 172. Instructione ad Franciscum Cheregatum.

HADRIANUS *de Castello*, Italus e Corneto Tusciae, Presbyter *Cardinalis* S. Chrysogoni ab Alexandro VI. creatus, et neutiquam confundendus cum Hadriano VI. Pontifice, ut a non paucis factum praeclaris Viris, quod notat Carolus Burmannus ad Hadriani VI. vitam pag. 12 et pag. 95 ubi de fato ejus, quod circa A. 1518. obiisse creditur, de quo etiam consulendus Baelius in Lexico, *Hadrien.* Inter instauratores litterarum merito celebratur hic Hadrianus, ob editos insignes *Commentarios de sermone Latino*, saepius recusos et cum *Venatione* atque *itinere Julii II.* Basil. 1541 8. Colon. 1566. 8. et novissime Goudae in 4 curante Joanne Verwey, una cum Schori Phrasibus et Francisci Vavassoris de vi et usu quorundam verborum.

Venatio ad Ascanium Cardinalem S. Viti Vicecancellarium, carmen: Incipit: *eja surgite nunquid excitavit.* Venet. 1534. 8. Lugd. 1540, 8. etc.

Iter Julii II. Romani Pontificis Roma Bononiam A. 1511. descriptum carmine quod incipit: *Augusti memoranda dies vigesima sexta.* Exstat in Alphonsi Ciacconii vitis Pontificum, ediiis Rom. 1601. 1630 et 1677. in Julio II. et cum commentariis de Latina lingua.

Oratio de foedere inter Alexandrum VI. Papam et Regem Hispaniarum.

De vera Philosophia libri IV. Colon 1548. Vide Possevinum.

Virginis Mariae laudes, carmine elegiaco.

Ejus opus *de poëtis* quoque memorat Augustinus Oldoinus in Athenaeo Romano pag. 303. additque eundem *Veteris Testamenti libros ex Hebraeo in Latinum sermonem eleganter vertisse.*

Palatii quod prope Vaticanum condidit, *descriptio,* Carmine heroico.

HÆDERICUS sive HEDERICUS, Monachus Ord. Bened. Romanus circa Annum 640 qui ex Gregorii M. Commentariis in Jobum sententiarum librum defloravit. De eo Trithemius II. 12 illustr. Benedictin.

HAELHUCARUS Abbas Hybernus, quo dispensante ABEDOC Clericus scripsit ac digessit veterem Canonum collectionem. Vide supra tom. 1. pag. 2. seq.

HÆRES, vide supra, ARIBO, tom. 1. pag. 126.

HAGONONIS Episcopi circa Annum 840 Bergomensis, Epistola ad *Rampertum* Episcopum Brixiensem de *Maginardo* Monacho in Abbatem ordinando edita a Mabillonio tom. 2. Analect. pag. 81. (editionis novae p. 417.) Initio hujus Epistolae Hagano *servum se servorum DEI* appellat, quo titulo inter Papas primus usus est, non Damasus, licet in commentitia Epistola ei adscripta hoc legitur, sed Gregorius M. a) Eundem autem ab aliis etiam usurpatum Episcopis, Adelardi Veronensis, Joannis Ravennensis, S. Bonifacii Archiep. Moguntini Epist. ad Zachariam Pontificem, aliorumque apud Barthium XXIX. 10. Adversar. et XLII. 14. et apud Cangium exempla testantur. Vide D. Joan. Frid. Mayeri τυ μακαρίτȣ schediasma de hoc titulo editum Lipsiae 1671. 4.

HAICARIUS, vitiose pro HALITGARIO.

HAIMO sive *Haymo, Aymo, Aimo, Hemmo, Heimo, de Basochiis*, ex Archidiacono Episcopus An. 1151. Catalaunensis, *vir nobilis et religiosus qui fecit* enchiridion in decretis, *secundum Pannormiam IVONIS Carnotensis.* Haec de eo Albericus ad illum annum pag. 320. Confer quae infra in HUGONE Catalanensi.

HAYMO *de Bordis,* supra, GUIDO *S. Germani* pag. 124.

HAIMO Archidiaconus *Cantuariensis* circa Annum 1054 cuius haec scripta memorantur a Baleo II. 49 et Pitseo pag. 186. Commentarii *in Pentateuchum, Esaiam, libros duos Maccabaeorum, Epistolas Pauli, et Apocalypsin Joannis* Homilias *in Evangelia et Epistolas per annum. De fructu Incarnationis CHristi. De Sanctorum imitatione. De memoria rerum Christianorum* quod potius tribuendum HAYMONI Halberstadensi: *De pugna virtutum et vitiorum. De quibusdam Martyribus. De rebus Mo-*

a) Joannes Diaconus lib. 2. in Gregorii M. vita c. 1. Anno Pontificatus sexto (A. C. 595.) *Corripit litteris Joannem Patriarcham CPol. qui se Oecumenicum Patriarcham, seu universalis Ecclesiae Episcopum scribebat . . . ex humilitate ergo* Servum *se* Servorum DEI *appellare instituit, quod et successores hactenus fecerunt.*

nachorum. De revelatione corporis S. Dionysii.

HAIMO Monachus *Eboracensis* Ord. S. Benedicti, circa Annum 1010. Scripsit *de Martyrio S. Abbonis Floriacensis* lancea a Vasconibus interfecti An. 1004. Vide Pitseum pag. 181 et quae de Abbone notavi supra tom. 1, pag. 2. Fortasse igitur Haimo auctor Epistolae editae a Baluzio tom. 1. Miscell. pag. 411.

HAIMO *de Feversham* Anglus, Ordinis Minorum ab Anno 1239. Minister Generalis, inter eos fuit qui Gregorii IX. jussu *Breviarium Romanum* correxere, scripsitque praeter *Sermones*, Commentarium *in Magistrum sententiarum* et librum *de Missae Ceremoniis.* Diem obiit An. 1244. Vide Waddingi Annales ad illum annum, et Bibliothecam Ord. Minor. pag. 162 seq. Lelandum cap. 266 qui inter *Aristotelicos* ait fuisse *Aristotelissimum*. Pitseum pag. 340. seq. Baleum IV. 27.

HAIMO *Fuldensis.* Vide *Halberstad.*

HAIMO *Glocestrius* sive *Claudiocestrensis*, de quo ex Sylvestri Gyraldi speculo Ecclesiae II 34. Baleus X. 57 et Pitseus p. 861.

HAIMO Alcuini discipulus una cum Rabano-Mauro, qui eum amicum coluit, et libros XXII de universo illi dedicavit · Henrici Autisiodorensis praeceptor: Bedae imitatus studia et industriam: Ex Monacho Fuldensi Ord. Bened. Monachus Magister a) An. 839. Hersfeldensis et ab Anno 841 ad 853. b) Episcopus *Halberstadiensis.* Interfuit Synodo Moguntinae An. 848 in qua damnari Gotheschalcum contigit: et a Joanne a Winnigstedt in Chronico MS. c) traditur templum Cathedrale Halberstadiense insigni Bibliotheca, non parvis collecta sumptibus locupletasse, sed quae incendio ferali periit An. 1179. Melchior Neofanius in Catalogo Episcoporum Halberstadiensium de Haymone:

a) Abbatem fuisse scripsit Trithemius c. 257. quem alii sequuntur: negat Christoph. Browerus Antiquitatt. Fuldens. lib. 1. cap. 15. et D. Paulus Antonius ὁ μακαρίτης in diss. de vita et doctrina Haymonis, Halae Sax. 1700. p. 5. seq.

b) Non 854. ut Trithem. nec 858. ut Combefisius in Bibl. Concionatoria.

c) Apud D. Antonium p. 8.

Exemplum pietatis erat, studioque dicatus
Assidue, sacro sacros longo ordine libros
Edidit et scholiis Divina volumina doctis
Liquit adaucta . . .

Etiam Winnigstadio a) teste idem Haymo
Explicat ingenio Biblia tota suo.

Quae tamen ex ejus commentariis exstant hactenus edita, haec sunt:

In Psalmos explanatio, *quam ille veluti spiritualis apicula ex omnium veterum hortis ac pratis florentissimis* (Augustini, Cassiodori etc.) decerpsit: edita Friburgi, Antw. Coloniae, Paris. 1538. 8. vulgante Erasmo cujus vide lib. XXVIII. Epist. 11. Huic explanationi subjiciuntur scholia in Canticum Esaiae XII. Ezechiae Regis Es. XXXVIII. Annae, matris Samuelis 1. Reg. II. Mosis Exod. XV. Abacuci Prophetae cap. III. et Mosis Deut. XXXII.

In Esaiam libri III, a Nicolao Herborn, Ord. Minor. vulgati Colon. 1431, 8.

In XII. Prophetas et *in Cantica Canticorum* enarratio. Colon. 1533, 8. Miror Hoseam excipi a Guilelmo Crovaeo p. 165, elenchi scriptorum in Scripturam et Jacobo Longo pag. 766. Biblioth. sacrae, primus enim in hoc Volumine se offert Commentarius in Hoseam: in quo, sicut in aliis quoque, Hieronymum libenter Haymo sequitur. Levi porro conjectura nituntur qui enarrationem in Cantica vel *Cassiodoro* tribuunt vel *Thomae* Aquinati. Certe inter Haymonis scripta commentarium in Cantica Canticorum omnes referunt, etiam Anonymus Mellicensis cap. 76.

Homiliarum sive *Concionum popularium* in Evangelia diebus Dominicis, feriarum et de Sanctis, pars aestivalis et hyemalis. Colon. 1534, 8. 2. Volum. edente Godfrido Hittorpio, et emendatius 1540, 8.

Etiam in Homiliario Pauli Diaconi in Evangelia annua, nonnullae *homiliae* Haymonis leguntur. Vide infra HOMILIARIUS. Inde etiam in Combefisii Bibliotheca Concionatoria.

Commentarii in Epistolas Pauli omnes, ex Hilario Diacono, qui illi est Ambrosius, Augustino, Origene etc. 1528. sine loci nota: et Colon. 1539, 8.

a) Pag. 12.

Hos sub falso a) REMIGII Remensis nomine, edidit Joan. Baptista Villalpandus Rom. 1598, fol. recusos Moguntiae 1614 fol.

Alii Remigio Lugdunensi, b) alii verisimilius Remigio Autissiodorensi c) tribuere voluere: vide Richardum Simonem libr. 3 hist. Critic. Novi Testam. cap. 26. Ex commentario in priorem Epistolam ad Corinthios petitum esse breve scriptum Aimonis *de corpore et sanguine Domini*, quod sermonibus ejus subjectum in Codice San Germanensi reperit, ediditque Dacherius tom. XII. spicilegii pag. 27 notatur ab curatoribus editionis novae spicilegii tom. 1. pag. 42. Sed in commentario Haymonis ad 1. Corinth. XI. nihil tale invenio quod si scriptum ab Aymone est, nullum facile antiquorem testem aut apertiorem μετουσιώσεως suffragatorem dabitur citare, cujus tam expressa sit confessio: *Credimus et fideliter confitemur et tenemus, quod substantia panis et vini per operationem Divinae Virtutis substantialiter convertatur in aliam substantiam, id est in carnem et sanguinem.* Etiam Pauli Diaconi locus quem Haymoniano praemittit Mabillonius tom. 1 analect. pag. 215 (edit. novae pag. 497.) multum abest ut pro tam diserto testimonio haberi possit.

In Apocalypsin, libri VII. Paris 1535, 8. ex Ansberto, Primasio, Beda etc.

Plura non vidi, quamquam apud Trithemium atque inde apud Baleum XIII, 8. Pitseum pag. 147, aliosque memorantur Haymonis *in quinque libros Mosis, in Josuam, Judicum, Ruth*, in *quatuor libros Regum* et *Paralipomenon duos, Esdram, Nehemiam, Esther, Tobiam, Judith, Jobum, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, in Actus Apostolorum* et in *Epistolas Canonicas* libros VII, nec non *librum de S. Trinitate.* Honorius IV, 7 de S. E. etiam librum Haymonis *de voluptate Mundi* celebrat. Sed qui *brevem expositionem Canonum* laudaverit, cujus in diss. de vita et doctrina Haymonis pag. 14 fit mentio, non reperi: neque qui *quatuor libros* Commentariorum *in IV. Evangelistas*, quos memorat Pitseus pag. 147.

a) Rivetus Critici Sacri lib. IV. cap. 27.
b) Blondellus pag. 87. sq. de Episcopis
c) Albertinus de S. Eucharistia pag. 937.

De Christianarum rerum memoria a) a Christo nato usque ad tempora Theodosii Magni, *libri decem*: Compendium succinctum ex Eusebii et Rufini Historia Ecclesiastica. Prodiit edente Alex. Brassicano, Haganoae 1531 8. Colon. 1531 8. et 1573. 1602 12 et curante Marco Zuerio Boxhornio, cum rudimentis primis Religionis Christianae, scriptis vetusta lingua Alemannorum Saxonumque. Lugd. Bat. 1650 12. et ex recensione Joannis Joachimi Maderi. Helmst. 1671 4. et cum Petri Galesinii notis Rom. 1564 fol. subjunctum Salviano, Maximo Taurinensi, Paciano, Sulpicio Severo et Dorotheo Tyrio. Et Gallice Claudio Espencaeo interprete. Paris. 1573 8. Latini Latinii castigationes quaedam obviae in ejus Bibliotheca sacro profana pag. 166.

De varietate librorum, sive *de amore Caelestis Patriae*, libri III. Colon. 1531 8. et Paris.

* Qui commentariorum Haimonis in Isaiam editionem Coloniensem an. 1531. curavit, et edidit Eucharius Cervicornus in sua ad opus istud praefatione admonuit eo ipso tempore quo typi libro huic edendo sudabant, prodiisse alicubi librum commentariorum Haimonis, qui esset huius, quem ipse premebat, veluti recensio (*recognitio*) ab ipso eodem Haimone adornata. Sibi vero ait id nequaquam persuaderi ut Haimonius in idem opus bis incubuerit cum nec eius rei unquam ille meminerit, nec Germanica archiva commentariorum Haimonis in Isaiam nisi unicum offerant. Censet igitur postremum istud sive alterius Haimonis foetum esse eiusque forte Haimonis Franciscanae familiae alumni in classe scriptorum ecclesiasticorum a Trithemio relati, sive personati alicuius authoris commentum. Novus iste Haimonis commentarius in Isaiam, ille forte est quem eodem anno 1531. Parisienses vulgarunt. Cum vero Codicem quemdam Bibliothecae Canonicorum maioris

a) Hic genuinus titulus, in MSS. obvius et apud Vincentium Bellov. XII. 9. speculi Hist. Trithemium aliosque. Apud Turrianum pag. 37. apologiae pro Canonibus Apostolorum citatur Haymo de *rerum Christianarum memorabilibus*.

ecclesiae Lucensis evolverem inter excerpta multa Patrum ab anonymo quodam collecta in expositionem mysterii SS.Trinitatis nonnulla etiam offendi ex Haimonis Commentariis in Isaiam, ut titulus ipse ferebat descripta. Haec dum confero cum commentariis Haimonianis Coloniae vulgatis reperi omnino ab istis discrepare, et nisi quibusdam pauculis exceptis in quibus conveniunt in reliquis abire in diversa. Suspicor igitur fragmenta haec codicis Lucensis illorum Haimonis commentariorum lacinias esse easque cum excusum Parisiensis opus rari viderint, descripsi, quarum unam ad specimen hic exhibeo. De authore vero nihil habeo, quod promam; maluissem tamen Haimoni illi tribuere Cantuariensi Archidiacono Saec. XI. Scriptori, cui inter coetera scripta et in Isaiam commentarios assignari ab Anglis Scriptoribus Fabricius testatur.

Proferam modo speciminis gratia ex fragmentis MSS. unicum, cui et subiiciam simile aliud, quod in editis Coloniensibus legitur.

Seraphim stabant super illud; sex alae uni et sex alae alteri, duabus velabant faciem et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Et clamabat alter ad alterum et dicebant: Sanctus Sanctus Dominus Deus exercituum plena est omnis terra gloria eius. Seraphim interpetrantur incendentes juxta quod alibi legimus; Qui facit Angelos suos spiritum et ministros suos ignem urentem. Dominus in Seraphim ex parte ostenditur, ex parte celatur, faciem enim eius et pedes operiunt. Quia et praeterita ante mundum et futura post mundum scire non possumus, sed media tantum, quae in diebus facta sumt, contemplantur. Nec mirum hoc de Seraphim credere cum et Apostoli Salvatorem credentibus aperiant infidelibus abscondant. Et velum ante Arcam fuerit Testamenti. Alas quoque habere dicuntur propter velocitatem et in cuncta discursum, sive quia semper in altioribus commorantur. Neque enim illud quod de ventis dicitur, qui ambulat super pennas ventorum, pictorum licentiam pennas habere testatur. Sed celerem in cuncta discursum et in singulis senas alas qui de fabricatione tantum mundi etiam praesentis saeculi novimus. Quod autem clamat alter ad alterum vel juxta Haebraeos iste ad istum idest unum ad unum invicem, se ad laudes Domini cohortantur, et dicunt Sanctus Sanctus Sanctus Dominus exercituum ut mysterium Trinitatis in una Divinitate demonstrent. Et nequaquam templum Judaeorum sicut prius, sed omnem terram illius gloria plenam esse testantur, qui pro nostra salute dignatus est humanum corpus assumere, ad terrasque descendere. Quidam Latinorum duo Seraphim velut et novum istrumentum intelligunt: quod tantum de praesenti saeculo loquitur. Unde et sex alas habere dicatur, et faciem Dei pedesque velare, et certatim proferre testimonium veritatis, et omne quod clamat Trinitatis Sacramenta monstrare et mirari ad invicem quod Dominus Sabahot in forma Dei Patris potius servi formam acceperit, et humiliaverit se usque ad mortem, et mortem crucis, et nequaqum ut patrem coelestia eum tantum, sed et terra cognoscant.

Editus Coloniae 1531 sic. habet *Seraphim stabant super illud. Seraphim duo testamenta novum et vetus intelliguntur. Seraphim enim incendens sive incendium interpretatur. Et si quaerimus ubi sit hoc incendium salutare, nulli dubium est, quin in sacris voluminibus, e quorum lectione universa hominum vitia purgantur, e cordis intima in Dei ac proximi dilectione succenduntur.* Reliqua cum MS. nihil omnino cohaerent.

Homiliarum opus numquam satis, ut credo, discussum est a scriptoribus rei Litterariae. Sapientissimi scriptores Hist. Litt. Gallicanae t.V.p.118.animadverterunt duas esse Homiliarum Haymonis editiones inter se valde discretas; alteram sub hoc titulo. *Haymonis Episcopi* etc. *Homiliarum seu mavis Sermonum ad plebem opus praeclarum super Evangelia totius anni pars Hyemalis.* Colon. 1531. 8. cura Gotfridi Hittorpii. Alteram cuius est inscriptio. *Homiliae D. Haymonis Episcopi* etc. *in Evangelia Dominicalia.* Prius illud opus sincerum esse Haymonis foetum pronuntiant,

alterum tribuunt Haymoni Priori in Abbatia Hirshaugiensi, qui munus illud coepit A. MXCI. Opus Haymonis excusum primum Coloniae per Cervicornium dicunt A. 1531. 8. Manu verso Homiliarum Haymonis partem hyemalem absque impressoris nomine excusam Coloniae An. 1537. impensis M. Gotfridi Hittorpii. In cuius epistola dedicatoria ab Hittorpio data lego expressam esse hanc editionem ad exemplare codicis accepti a Petro Drolshagio abb. Heysterbacensi. Monet autem Hittorpius prodiisse parum ante illud tempus (*nuper*) Homiliarum Haymonis opus *boni fortasse auctoris, aut proprio nomine defraudati, aut si fuerit illi nomen Haymo, certe non is fuit, quem nos nunc damus, nempe Halberstadensis Episcopus* Signatur epistola illa An. 1532. pr. non. Augusti. Ex hoc vero colligo Coloniensem sinceram A. 1532. prodiisse. Quomodo ergo asseruerint Gallici illi scriptores Coloniensem ab Hittorpio curatam editionem An. 1531. paruisse? Nec ibi pariter Eucharii Cervicornii impressoris nomen ullum legitur. Si quae igitur fuit Coloniensis anni 1531. editio altera plane est a sincera per Hittorpium curata. Demum Coloniensis haec A. 1537. editio a nemine quem legerim indicata est. Aestivalis pars earundem homiliarum est pariter apud me signata anno 1537. per Cervicornium cuius nomen ibi legitur, impressa. Titulus vero est huiusmodi: *D. Haymonis* etc. *Homiliarum pars Aestivalis Aucta pars haec est appendice Homiliarum Haymonis trium et viginti super epistolas Dominicarum post festum Pentecostes, quae hactenus desideratae nunc primum exceptis quatuor antea semel impressis recens typis sunt excusae. Accesserunt praeter has et aliae duae homiliae in duas ex Apocalypsi lectiones, quarum prior antehac semel tantum impressa; posterior ante hunc diem typis excusa fuit nunquam.* Nulla praefatione instruitur postremum istud volumen. Titulus autem iste sic diligenter relatus plane demonstrat non satis accurate editiones huius operis relatas hucusque et discussas fuisse ascriptoribus rei litterariae, ut conferenti ea quae dicunt patebit. Iidem quoque scriptores Gallici non satis se capere dicunt, quid velit Crovveius in suo elencho scriptorum in S. Scripturam scribens annexam esse huic operi in omnes epistolas Canonicas enarrationem. Ego vero unde hoc acceperit Anglicus ille scriptor deprehendisse me blandior; ita enim lego in tit. Homiliarum hyemalium editionis eiusdem antea indicatae: *additi sunt sermones aliquot pulcherrimi eiusdem Haymonis in epistolas Canonicas.* Sed evolventi diligenter volumem illud nuspiam eos reperire datum est. *

HAIMO Monachus *Hirsaugiensis*, Scriptor coaevus *vitae S. Guilelmi Abbatis Hirsaug.* circa Annum 1091 quae obvia est in Actis Sanctor. tom. 2. Julii 4 pag. 155. 165. post editiones Caroli Stengelii, Augustae Vindel. 1611 et Joan. Mabillonii in Actis Benedictin. saeculo VI. De Guilelmo illo, supra pag. 140.

HAIMO *Matiscensis* sive *Matisconensis* in Gallia Episcopus cujus Epistolam A. 1230 a) datam edidit Baluzius tom. 6. Miscell. pag. 385 seq. in qua Epistolae Urbani II. Paschalis II. et Clementis III. pro monasterio S, Germani Autissiodorensis.

HAIMO Ordinis *Minorum* Minister Generalis, supra, *Haimo de Feversham.*

D. HAIMERANUS Reginoburgensis Praepositus, sub Imperatore Henrico quarto scripsit *de Ecclesiasticis scriptoribus*, quo usum se testatur Aventinus libro quinto Annalium Boiorum: qui autem in lucem proferret ab eo tempore adhuc repertus est nemo.

HAIMINIUS Monachus S. Vedasti Atrebatensis, Ord. Bened. Alcuini discipulus, cujus *miracula S. Vedasti* Episcopi Atrebat. et Cameracensis, defuncti circa Annum 540 et *Sermo in S. Vedasti Natali* 6 Febr. de XI parvulis, meritis ejus sanatis exstant in Actis Sanctor. tom. 1. Febr. pag. 801 et 802. seq.

HAITO sive HAITONUS, infra HAYTO.

HALDOINUS, Abbas Ord. Bened. Altivillarensis in Gallia in agro Remensi, cui ab Hincmaro Remensi commissus ad custodiam An 849. Goteschalcus, de quo su-

a) Baluz. pag. 588.

pra pag. 67. Ejus *versus in tumulum S. Remigii* An. 852 compositos edidit Mabillonius tom. 4. Analect. pag. 416 (edit. novae pag. 423.)

Alexander de HALES, supra in ALEXANDRO tom. 1, pag. 61.

HALITGARIUS sive *Halitcharius* Episcopus Cameracensis et Atrebatensis ab An. 816 usque ad 832 de quo Baldericus Chron. Camerac. I. 38. Albericus pag. 184 et e recentioribus Carolus le Cointe tom. VIII. Annal. Francor. pag. 146 seq. Ejus *librum poenitentialem secundum decreta Canonum* ad *Ebonem* Remorum Episcopum, cujus meminit Sigebertus cap. 122. Flodoardus II. 19. hist. Eccles. Remensis, vocat *sex libellos de remediis peccatorum, et ordine vel judiciis poenitentiae.* Ex his *quinque* editi ab Henrico Canisio tom. V. Lect. Antiqu. parte 2. pag. 227. Ingolstad. 1604 4. (tom. 2. editiones novae Basnag. parte 2. pag. 87.) recusi inde in Bibliothecis Patrum, Colon. 1618 tom. VIII et Paris. 1654 tom. V. et Lugd. 1672 tom. XIV. Ex his *libellus I.* et *II.* iidem sunt qui inter RABANI Mauri opera prodiere tom. 6, pag. 125 de vitiis et virtutibus et peccatorum satisfactione in remediis, sive de poenitentiis. *Libellus III.* et *IV.* respondent libro II. et III. de poenitentium satisfactione, inter ejusdem Rabani opera pag. 116 seq. de quaestionibus Canonum Poenitentialium ad *Heribaldum*, Episcopum Autissiodorensem. Confer librum Poenitentialem ad Heribaldum qui exstat apud Stevarium pag. 635 et tom. 2. editionis novae Canisii parte 2. pag. 293. *Libellus V.* idem est qui sub Rabani nomine ad Heribaldum legitur primus tom. 6. Opp. pag. 110. *Libellus VI.* denique est POENITENTIALE *Romanum*, ex Codice antiquo Corbeiensi vulgatum ab Hugone Menardo, illustratumque in notis ad Sacramentarium Gregorii M. Paris. 1642 4. pag. 238 et cum Menardi notis recusum in Biblioth. Patrum Lugd. tom. XIV. pag. 926 nec non in nova Operum Gregorii M. editione: et sine notis ad calcem Joan Morini de Poenitentia. Ante Menardum ediderat quoque cum Halitgarii praefatione Stevartius, ex quo exstat etiam in nova editione Canisiana tom. 2. parte 2. pag. 132 ubi et alter liber Poenitentialis ex scrinio Romanae Ecclesiae pag. 121 et Poenitentiale Halitgarii sive alterius incerti auctoris quod incipit: *Domine DEUS omnipotens*, pag. 141 cum Epistola HORMISDÆ Papae, cujus initium: *Ecce manifestissime constat*, pag. 143 et excerptum e PROSPERO, quantum remedii habeat Confessio peccatorum pag. 144. De aliis poenitentialibus libellis dictum in Biblioth. Graeca tom. XI, pag. 73. seq.

* Ambigebam olim num idem esset cum libro poenitentiali liber eiusdem auctoris inscriptus *de vita Sacerdotum*, quem eidem attribuit Albericus monachus trium fontium ad an. 850 nunc vero diversum esse utrumque opus comperi postquam libri de vita Sacerdotum epistolam ab authore lucubrationi suae praefixam et praefationes singulor. librorum tum et argumenta singulorum Capitum vulgavit P. Martene. Vet. Mon. 470. etc.

HAMBALDUS, aliis *Annibaldus*, *Hannibaldus*; apud Possevinum vitiose *Harbaldus*, Romanus, Theologiae Professor circa Annum 1270 cuius *Quodlibeta* et commentarium *in IV. Sententiarum libros* memorat Trithemius cap. 496 de S. E.

HAMELENSE Chronicon. vide JOANNES *de Polda.*

HAMELINUS de Verulamio, Anglus, discipulus Lanfranci Cantuariensis Anno 1089 defuncti, atque Coenobii S. Albani, Ordinis Benedictini Prior, scripsit librum *de Monachatu*, e quo excerpta vulgata ab Edmundo Martene tom. V. Thesauri Anecdotorum, pag. 1443. 1456.

HAMERSLEBIENSIS Monachus circa Annum 1126. scripsit *de rebus gestis Imperatorum, ab Henrico Aucupe ad Henricum V.* Exstat in illustris Leibnitii scriptoribus Brunsvicensibus tom. I. pag. 707. 710. Et *de Gregorio V. Papa*, id. pag. 576.

Guilelmus HAMERUS. Supra pag. 439. GUILELMUS.

Richardus Rollus de HAMPOOLE, vitiose aliis *Pampolitanus*, Eremita Augustinianus in Coenobio Angliae Hampolensi agri Eboracensis defunctus An. 1349. cujus Sanctis

adscripti *Officium* MS. in Bibliotheca Cottoniana, ubi *de vita et miraculis ejus* commemoratio. Vide Oudinum tom. 3. p. 927. seq. Scripta ejus a Johanne Fabro Hailbrunnensi, Ordinis Praedicatorum, edita Coloniae 1536. fol. 1) *De emendatione peccatoris et de regula vivendi* liber vulgatus pridem Parisiis 1510. 4, et recusus etiam in Bibliotheca Patrum tom. 26. editionis Lugdunensis pag. 609. 618. 2) Enarratio compendiosa *in Psalterium universum*, et 3) *in Cantica Veteris Testamenti in Ecclesiasticis observata officiis.* 4) Commentarius specialis *in Psalmum XX. Domine in virtute tua laetabitur Rex.* 5) *In Orationem Dominicam.* 6) *In Symbolum Apostolicum*, et 7) *in Symbolum Athanasii*, quae tria scripta obvia etiam in Bibliotheca Patrum editionis Lugdunensis tom. 26. pag. 618. 627. 8) In nonnulla loca *Cantici Canticorum* et 9) *in Threnos Jeremiae.* 10) *In novem lectiones Jobi*, quae leguntur in exequiis mortuorum, commentarius duplex verbis S. Gregorii M. concinnatus. 11) *Nominis JESU encomion.* 12) *De incendio amoris* a) ubi et vitam suam eremiticam breviter perstingit, et 13) *de amore summo eoque singulari*, in verba Salomonis Cantic. I. *Adolescentulae dilexerunt te nimis.* Etiam haec ejus tria scripta postema recusa in Bibliotheca Patrum tom. 26. editionis Lugdunensis pag. 627. 629. 630. 632. Alia ejus in variis Angliae Galliaeque Bibliothecis manu exarata servantur, ut *Annotationes in Apocalypsin*, Tractatus *de vita activa et contemplativa*, *Commendatio Castitatis*, *De contemtu Mundi*, *Scala Mundi*, *De spiritualibus ascensionibus*, *De stimulo Conscientiae*, (scriptum Latinum diversum a poëmate Anglico ejusdem argumenti, diviso in partes septem, MS. in Bibliotheca Lambethana, de quo Henricus Warthonus ad Caveum,) aliaque, de quibus Baleus V. 80. Pitseus pag. 465. seq. Philippus Elssius pag. 602. Lelandus c. 372 qui inter alia memorat etiam ejus *Philomelam, carmen rhythmicum*, MS. Londini in Bibl. Carmelitana.

a) Hoc scriptum integrius in Codice Sorbonico 1065. incipit: *Admirabar amplius quam enuncio.*

HAMRALDUS vitiose apud Possevinum pro HAMBALDO.

HAMULARIUS, supra, AMALARIUS. t. 1. pag. 75.

HAMULUS, supa AMOLO, t. 1. p. 81.

Guil. HANABERGUS, supra, GUILELMUS pag. 139.

Nicolaus de HANAPIS, dioecesis Remensis, Gallus, Ordinis Praedicatorum, et An. 1288. Episcopus Aconensis, Patriarcha Hierosolymitanus et Papae in Palaestina Legatus, ubi constitutis inquisitoribus haereticae pravitatis obiit An. 1291. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 422. seq. Exstant hujus Hanapii *Virtutum vitiorumque exempla ex utroque Testamento*, male tributa GUILELMO *Peraldo* Lugd. vel sub titulo, *Biblia pauperum* adscripta BONAVENTURÆ et ordine alio, alphabetico digesta. Editionibus plurimis a Quetifo, et ab Oudino tom. 3. pag. 694. annotatis, addes Basileensem 1556. fol. in qua florigerium hoc Valerio Maximo pluribusque aliis similium exemplorum historicorum collectoribus adjunctum legitur, de quibus dixi libro 2. Bibliothecae Latinae cap. 5. *Diaeta Salutis* a) MS. Lipsiae teste B. Joachimo Fellero p. 185. catalogi Bibliothecae Paulinae. *Tabula super Legendam auream* Jacobi de Voragine. *Praedicationes super Evangeliis et Epistolis in Quadragesima* etc.

* Idem Nicolaus de Hanapis themata quaedam concionum scripsit quae exhibet Cod. 764. membran. Bibl. Univ. Taurinensis; in cuius Cod. fine haec leguntur: *Explicit liber de exemplis S Scripturae compilatus a Ven. F. Nicolao Ord. F F. Praedicator. Socio D.* (Nicolai) *Ostiensis eius Ord. Cardinalis*, *postmodum vero Patriarcha Hierosolymitano.*

Nicolaus de HANCINIS Patriarcha Hierosol. A. 1285, nullus sed ex Nicolao de HANAPIS confictus. Vide Jacobum Quetif t. 1. Biblioth. Dominicanorum p. 425. et 427.

HANCO *de Fortena*, vide supra tom. 2. pag. 585. FORTENA.

HANNIBALDUS *de Hannibaldis* de Mola-

a) Vitio Typographi apud Oudinum: *Dieta Salutis.*

ria, Romanus, Ordinis Praedicatorum amicus Thomae de Aquino, ex Doctore Parisiensi Cardinalis An. 1261. qui obiit An. 1272. scripsitque *Commentarium in IV. libros Sententiarum*, qui sub falso THOMÆ nomine ad Hannibaldum, prodiit Basileae 1492. fol. Parisiis 1560. 1660. atque inter Thomae Opera tom. XVII. Romae 1570. Coloniae, seu Antwerpiae 1612. etc. vide Jacobum Quetif tom. I. pag. 261 qui etiam *Quodlibeta* hujus Hannibaldi memorat, notatque Thomam huicce dedicasse Catenam suam in Marcum, Lucam et Johannem. Odarum Pindarica sublimitate ab Hanibaldo scriptarum meminit G. Joseph. Eggs in purpura docta, tomo primo pag. 196.

HANNIBALDUS Gaytani de Ceccano, Aquinatis Dioecesis, Hernicus Campanus, ex Canonico Parisiensi et Archidiacono Atrebatensi Archiepiscopus ab An. 1326. *Neapolitanus*, et An. 1330. Cardinalis et Episcopus Tusculanus, defunctus A. 1350. de quo Baluzius ad Vitas Paparum Avenionensium tom. 1. pag. 756. seq, Ughellus tom. 6. pag. 125, et G. Joseph Eggs tom. 1. pag. 324. *Vitas SS. Apostolorum Petri et Pauli* heroico carmine ab eo celebratas laudat Guilelmus Eisengrenius in Catalogo testium Veritatis pag. 133. b.

HARCHELEGUS Anglus, subtilis disputator in Academia Oxoniensi, cujus *Qudlibeta*, opus varium et excussum, ut illa ferebant tempora, Lelandus c. 454. memorat.

Johanni HARDINGO Anglo, claro circa Annum 1461. inter Historicos Latinos locum concedit Vossius pag. 634. quanquam non Latine, sed Anglico metro scripsisse tradit Baleus VIII. 30. atque Eduardo VI. dedicasse *Chronicorum opus* libris duobus, in quo ab aliis narrata a Bruto usque ad Henricum IV. brevius explicavit, et deinceps comperta ac visa per LXI. annos ad Eduardum quartum usque et An. 1470. fusius demonstravit. Praeterea *Scotiae descriptionem brevem*, unde apud Vossium non *chronographiam* sed *chorographiam Scotiae* legere convenit. Hoc illud est: Itinerary and Map of Scotland, quod cum Chronico prodiit Anglice Lond. 1543. 4. Hanc descriptionem quantivis pretii habitam ab Henrico Savilio notavit W. Nicolson in Bibliotheca Historiae Scotiae pag. 24. qui pag. 282 et in Historia scriptorum de rebus Angliae pag. 68 observat Hardingum fuisse inimicum professum gentis Scoticae, in variis expeditionibus arma gessisse adversus Scotos, et singulari studio congessisse documenta quae Scotiam Angliae subjectam esse probarent. Hoc factum in libro cujus meminit pag. 654. Pitseus *de Submissione Regum Scotiae sub Anglia*. aliud opusculum *de titulo Regum Angliae in Regnum Franciae* memorat Oudinus tom. 3. pag. 2626.

Stephanus HARDINGUS Arnoldo Wiono vitiose *Arduinus*, Anglus monachus primo Shiroburnensis Ord. Bened. qui cum Scotos, Gallos, et Romam adiisset a) et per aliquod temporis inter Benedictinos vixisset in Burgundia, Cistercium inde petiit, atque ut Carolus Vischius b) de eo praedicat, fuit unus ex praecipuis Cisterciensis reformationis Auctoribus, ex Priore tertius Abbas Cisterciensis electus An. 1109. Sanctum Bernardum cum 30. sociis de seculo venientem habitu Ordinis donavit. Quo die *insignem habuit sermonem*, qui extat apud Bernardum Britum lib. 1. c. 22. Hist. Cisterciensis.

Primum generale capitulum Cistercii congregavit anno 1116 et 1119. constitutiones quasdam pro unione monasteriorum inter se, promulgavit quas vocari voluit *Chartam charitatis*: illasque a Calixto Papa II. (ordini Cisterciensi dudum charitate alligato) confirmari fecit. In Concilio Trecensi, anno 1128. doctissimas protulit sententias.

Scripsit insuper (teste Baleo II. 63. et Pitseo pag. 203) *librum exhortationum privatarum ad monachos*.

Vitae monasticae ritus et usus, vulgo *librum usum*. Britus quidem et Henriquez hunc librum S. BERNARDO tribuunt: at (praeter Pitseum) ejusdem authorem fuisse

a) Lelandus c. 145. de scriptoribus Britannicis. Lud. Jacobus de Scriptoribus Cabilonensibus pag. 158.

b) Visch. Bibl. Cisterc. p. 301.

Stephanum, scribunt Ignatius Firminus in notis ad Exordium minus, Seguinus libro de scriptoribus, et Possevinus in apparatu.

Sermonem ejus habitum in obitu S. Alberici, refert Manriquez tom. 1. Annalium ad annum 1109. Qui Author ad annum 1120. scribit quoque jussu Stephani scriptum esse *Exordium parvum Ordinis*, quod impressum extat cum notis Ignatii Firmini, An. 1610.

Denique scripsit *epistolas varias* admirabilis zeli, a) ex quibus extant duae inter Epistolas Sancti Bernardi 1 ad Ludovicum Galliae Regem, 2. ad Honorium Papam. Quanquam non videatur improbabile, has fuisse a Sancto Bernardo dictatas. Notandum autem, hunc eundem esse Stephanum, quem Possevinus in Apparatu, scribit fuisse Benedictinum congregationis Cluniacensis, et scripsisse *Exhortationes ad monachos*, et librum *de claritate*, seu (rectius) *de charitate*, qui est ille liber quem supra vocavimus, *Chartam charitatis*: extatque pluribus in locis typis expressus, novissime Antwerpiae in officina Plantinana anno 1663. et anno 1641. Lugduni tom. 1. Annalium Cisterc. Angeli Mariquez, ad annum 1119.

Caeterum, Stephanus tandem post 13. monasteria per seipsum fundata, et plura per filios, aetate ac laboribus fractus, anno Domini 1133. Abbatialem sarcinam resignavit, sequentique anno, sancto fine quievit in Domino, Martyrologio Romano post obitum adscriptus 17. Aprilis. b) Vitam ejus edidit Latine Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum, et Gallice Joannes d' Assigny, in Conclavi, tom. 1. Quam laudatus Vischius postmodum etiam Flandrice reddidit, et MS. asservavit, cum plurimis aliis vitis Sanctorum et Sanctarum ordinis Cisterc. Flandrico quoque idiomate ab eo donatis.

Omitto de *Thoma* HARDINGO dicere, utpote juniore, qui et ipse Anglus, ex Professore Hebraearum litterarum Oxoniensi Canonicus An. 1554. et Thesaurarius Sarisburiensis, sacrorum Romanorum adversus Episcopum suum Johannem Ivellum sive Jevellum fervidus propugnator, contra ejusdem Apologiam Ecclesiae Anglicanae, Provocationem et binas replicationes, ex Anglia profugus plura scripta Anglice edidit Lovanii An. 1564. 1565. 1566. 1567. in 4. ipse Lovanii etiam defunctus An. 1572. Vide Antonium a Wood tom. 2. hist. Universitatis Oxon. pag. 136. qui Hardingi scripta Latine versa refert a Guilelmo Raynoldo sive Reginaldo, Joannis fratre sed typis non escriptam illam versionem. Conferendae et Atenae Oxonienses tom. 1. p. 175. et ubi de Ivello pag. 169. seq.

HARIGERUS sive *Herigerus* Lobiensis seu Laubiensis Abbas Ord. Bened. in ditione Leodicensi: ab Anno 990. ad 1007. de quo auctor continuationis Fulcuini de gestis Abbatum Lobiensium, editus a Luca Dacherio tom. VI. (editionis novae t. 2. p. 844) *Scripsit gesta Pontificum Leodiensium: scripsit metrico stilo vitam S. Ursamari: scripsit etiam ad Hugonem, Epistolam de quibusdam quaestionibus; et alia multa composuit, sed in lucem non emisit, Scripsit sub sua et ADELBOLDI persona, Leodiensis Clerici, postea vero Ultrajectensis Episcopi, Dialogum dissonantia Ecclesiae: de Adventu Domini. Congessit etiam contra RATBERTUM multa Catholicorum Patrum scripta de Corpore et Sanguine Domini.* Haec ille, quae eadem leguntur apud Sigebertum cap. 138. et apud Trithemium cap. 306. de S. E. et H. 63. illustr. Benedictin. qui addit etiam *librum de Divinis officiis*, quem Oudinus t. 2. p. 487. sq. illum esse putabat, quem sub ALCUINI nomine editum habemus a Melch. Hittorpio inter scriptores hujus argumenti pag. 225. et XIII. capitibus locupletiorem inter Alcuini opera pag. 1007. *Gesta Episcoporum Leodiensium* a) primorum XXVII. a B. Materno ad B. Remaclum, edita a Chapeavillo in gestis Pontificum Tungrensium, Trajectensium et

a) Vischii haec verba p. 302.
b) Adde Acta Sanctor. t. 2 April. p. 496. seq.

a) Apud Trithemium male excusum, *Lobiensium.*

Leodiensium tom. 1. pag. 1-98: Leodii 1612. 4. *Vitam S. Ursmari* Episcopi et Abbatis in Belgio An. 713. defuncti, scriptam versibus hexametris leoninis, libris VI. MStam Gemblaci, negat se voluisse edere Henschenius tom. 1. Act. Sanctor. April. 18. p. 558. quod nihil historici contineat, quod non in vita ejusdem Ursmari, quam ANSO Abbas prosa scripsit, succinctius legatur. Specimina tamen quaedam dare non intermisit. Libros ipsos Harigeri vulgatos ab AEgidio Waulde inter alia monasterii Laubiensis monumenta, notavit Caveus. Titulus libri est; La vie et miracles de S. Ursmer et des sept autres Saints, avec la Chronique de Lobbes, recueillie par Gilles Waulde a Mons 1628. 4. *Epistolam ad Hugonem* edidit Edmundus Martene tom. 1 anecdotor. pag. 112. 118. Paris. 1717. fol. In hac Epistola subtiliter Harigerus adversus DIONYSII Exigui calculum annorum CHristi disputat, Hugoni vicissim septem quaestiones enucleandas proponit. Non video causam cur hanc Epistolam integram non esse cum Edmundo Martene existimem, qui pag. 117. etiam initium Epistolae HUGONIS ad Herigerum e MS. Codice publicavit. *Dialogus cum Adelboldo,* quem MS. Gemblaci servari monuit Miraeus ad Sigeberti c. 137. necdum quod sciam ab quoquam in lucem datus est. Liber *de corpore et sanguine Domini* non Radberto (Paschasio) oppositus est quem laudat et sequitur, sed RATHERIO a) monacho Lobiensi ac deinde Veronensi Episcopo, cujus librum de eodem argumento memorat Sigebertus c. 127. diversum ut puto ab ejus Epistola ad Patricium, quam edidit Dacherius t. 12. spicileg. pag. 37. (edit. novae t. 1. p. 375.) Harigeri librum primus, sed sine auctoris nomine vulgavit Cellotius ad historiae Gotheschalci calcem Paris. 1655. fol. Primus Harigeri esse observavit Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 211. (editionis novae pag. 495. seq.) et in praef. ad Sec. IV. Benedictin. §. II. et III. *Vita S. Landoaldi* Arphipresbyteri Sec. VII quam sub NOTGERI Episcopi Leodiensis nomine dedit Surius 19. Mart. cui ipsius etiam Nodgeri testimonio vindicat eam Vossius pag. 353. de Hist. Lat. Eandem Henschenius tom. 3. Martii pag. 35-42. cum notis exhibet scriptam jussu Nodgeri ab Harigero. Denique Harigero etiam asserit Mabillonius Sec. III. Act. Sanctor. Benedicti pag. 14. *Vitam S. Berlendis,* virginis circa Annum 700. in Brabantia, quam sine auctoris nomine dederat Bollandus tomo primo Febr. 3. p. 378. Quae in Catalogo librorum Bibl. Leidensis An. 1674. 4. edito per Fridericum Spanhemium inter MSta legati Scaligerani pag. 393. num. 31. memoratur *Ratio Abaci secundum Heringerum*, eam in Catalogo ejusdem Bibliothecae quem longe locupletiorem deinde An. 1716 fol. dedit Casimirus Oudinus, non invenio sed pag. 339. ADOLARDI Philosophorum asseclae ultimi. *Doctrinam* sive *Regulas abaci.*

* Huic authori reipsa adscribi librum *de ratione abaci* probat testimonium Alberici in chronico, qui hunc librum tribuit Harigero ad A. 990. *Harigeri habentur regulae numerorum super abacum Gerberti.* Remensis Archiepiscopi dein Ravennatensis, tum Romani Pontificis Silvestri II. nomine.

Historia rei litterariae Gallicanae multa scitu digna de scriptore hoc tradit. Principio quidem liber de *Corpore et sanguine Domini* scriptus omnino est adversus Paschasium Hadbertum; ita enim Sigebertus rotundis verbis adfirmat. Insuper liber sub hoc nomine a Cellotio editus diversus omnino est ab hoc ipso opere ab Harigero confecto; nam iidem auctores Hist. litterariae Gallicanae tom. VI. pag. 587. etc. non exigui momenti rationibus evicerunt collationum opus sincerum esse Silvestri Papae II. foetum. Ex quo fit ut Harigeri liber *de corpore et sanguine Domini* nondum lucem adspexerit. Vide eandem Historiam litterariam tom. VII p. 201. ubi et quaedam eius poetica in honorem Sanctorum et S. Virginis indicantur. *

HARINGUS *Sifridi Sinnama*, JCtus Coloniensis, clarus circa Annum 1493 de quo Trithemius cap. 815 de S. E. ubi laudat

a) Vide Oudinum tom. 2 pag. 486. quanquam de Radberto non dubitat Mabillonius praef. ad Sec. IV. Benedictin. §. 2. seq.

ejus Commentarios *in universos libros Juris Civilis Romani*, et *in quinque libros Decretalium*, nec non *in usus Feudorum*, et *de pace Constantiae*.

HARIULPHUS ex Monacho Centulensi S. Richarii, Abbas S. Petri Aldenburgensis non procul Brugis in Flandria Ord. Bened. ab Anno 1104 ad 1142 scriptor *Chronici Centulensis* Coenobii libris IV ab medio saeculo sexto ad Annum 1088 editi a Dacherio tom. IV. pag. 419 (editionis novae tom. 2, pag. 291. 356 ubi longe integrius et emendatius exhibetur beneficio Ursini Durand, ex MSto Centulensi) Versus quibus opus clauditur ediderat Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 431 (editionis novae pag. 378) Libro tertio pag. 310 notabilis est Catalogus Voluminum 256. MStorum inter divitias claustrales huius Coenobii asservatorum. Ut *Vitam S. Richarii* Abbatis libro primo, ita libro secundo *S. Anghilberti* Abbatis septimi, praeter alias persequitur, quam ex hoc Chronico offert etiam Mabillonius Sec. VI. Bened. pag. 91 et de *Richarii Miraculis* Sec. V. pag. 585 de quibus vide lib. 3 c. 18 et lib. 4 c. 9. De *Madelgisilo* Confessore disserit Hariulfus lib. 3 cap. 29 sed huius vitam peculiari libro scripsit, quem *Gervino*, sedis Ambianicae Episcopo dicavit. Hanc ex Mabillonii editione Sec. IV. Benedictin. parte 2 pag. 537 repetit Papebrochius additis notis tom. 7. Maii 30 pag. 265. 269. *Gervini* Abbatis vitam persequitur Hariulfus lib. IV cap. 18 seq. ubi itidem c. 32 notandus Catalogus MSS. voluminum XXXVI. quos Coenobio contulit. Huic Gervino An. 1071 defuncto successit Gervinus Abbas, secundus huius nominis, de quo lib. IV cap. 34 seq. ubi et epitaphium eius cap. 36. defuncti An. 1074. Sed scripsit etiam *Vitam S. Arnulfi* Svessionensium Episcopi An. 1087 extincti ad *Lambertum* Episcopum Tornacensem, MS. in monasterio Ursicampi Ord. Cisterc. in Gallia, dioecesis Noviomensis. Appendicem de miraculis S. Arnulfi addidit LISIARDUS, Episcopus et ipse ab Anno 1108. Svessionensis: Inde vitam quoque sub falso Lisiardi nomine, et malo more interpolatam vulgavit Surius 14. August. omissa triplici praefatione, quam post Vossium vidisse se in MS. Ursicampensi et altero S. Germani de pratis vidisse se testatur Oudinus tom. 2, pag. 926. Integram et sinceram edidit Mabillonius Sec. VI. Benedictin. parte 2. pag. 522 Apud Sanderum in Catalogo MSS. Belgii pag. 235 memorari videas *Hariulfum Abbatem Altenburgensem de miraculis S. Petri Apostoli in Aldenbrock.* Hunc a nostro minime diversum esse, unumque Hariulfum a Cangio in tres distrahi non dubito.

Guilelmus HARSICCUS, supra GUILELMUS, p. 139.

HARTMANNUS *Chronici* scriptor quod Norimbergense solet appellari, est *Hartmannus Schedelius*, Nurimbergensis, artium ac utriusque Medicinae Doctor a) cujus *Chronicon Mundi* sive *Chronicon Chronicorum* ex Bergomensi aliisque ab Orbe condito usque ad A. 1492. digestum prodiit Norimbergae 1493. fol. cum iconibus ligno incisis: et Augustae 1497. fol. etiam Germanice Norimb. 1493. apud Anton. Kobergerum et Augustae Vindel. 1496. typis Johann. Schoenspergeri. Ex hoc Chronico petitus *Commentariolus de Sarmatia* qui extat in Joan. Pistorii scriptoribus rerum Polonicarum parte 1. pag. 163. 164. *Consilium de peste* et alia Medicinalia Simlerus memorat.

HARTMANNUS Monachus S. Galli, quem tempore Grimaldi Abbatis et Harmoti h. e. circa Annum 850. claruisse testatur Eckerhardus in vita Notkeri cap. 15. b) *consilio magnum, qui litaniam,* Sanctus humili prece, *texuit. et melodiam fecerat.* Litaniam illam inter alios Hartmanni sacros Hymnos edidit Canisius tom. V. Antiqu. Lect. parte 2. (editionis novae tom. 2. parte 3. pag. 192.) recusos inde in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tom. 27. pag. 509. seq. Confer quae ex MS. Biblioth. Helmstadiensis proferuntur a Polycarpo Leysero in historia poëtarum medii aevi pag. 293. Ab

a) Joan. Petri Ludewig scriptores Bambergens. pag. 553. Essais de litterature An. 1702. t. 1 pag. 119. seq. Supra in DOERINGIO t. 2 p. 459.

b) Canis. tom. 5 edit. Basnagianae parte 2. p. 562. Adde tom. 3 parte 3. p. 187.

illo Hartmanno Eckhardus ibidem distinguit HARTMANNUM iuniorem, *cujus*, inquit, et WALTMAANI *melodiae, ipsi quales fuerint, non celant: opera enim illorum multa per Ecclesiam clara exstant.*

HARTMANNUS tertium junior, qui *vitam Wiboradae* Virginis et An. 925. Martyris pertexuit, affectam relictam ab ECCARDO sive ECKERARDO, defuncto An. 978. Extat in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Bened. t. V. p. 42. et cum notis Henschenii in Actis Sanctorum 2. Maji t. 1. p. 284-29. ubi etiam Wiboradae epitaphium.

Ab his omnibus diversus HARTMANNUS *Miles*, cujus Annales memorat Vossius ex Joannis Stumpfii commentariis rerum Helveticarum.

HARTMOTUS sive *Hartmudus, Hartmuate, Hartmuotus, Hartmutus, Hartmundus* Rabani Mauri discipulus, Monachus S. Galli Ord. Bened. circa Annum 841. vicarius sive ut Eckerardo in Notkeri vita c. 15. vocatur, *Connabas* Abbatis Grimoaldi, eoque A. 872. defuncto Abbas, inde et administratione Abbatiae Bernardo successori concessa extinctus ipse An. 883. ad quem OTFRIDUS Weissenburgensis Monachus Epistolas plures scripsit, atque eidem et Werimberto, ejusdem Coenobii S. Galli Monacho dicavit carmen Theotiscum quod exstat apud Lambecium t. 2. p. 441. 448. qui de eodem Hartmuto videndus pag. 449 seq. Hunc Trithemius de illustribus Scriptor. Germaniae cap. 22. Graecae, Latinae, Hebraicae et Arabicae linguae peritum celebrat, aitque Commentariis illustrasse aliquot libros Biblicos, et tam metro quam prosa scripsisse: Epistolas, sermones, Cantus, Hymnos, et varios tractatus Theologici argumenti. Nihil tamen eorum oculis se usurpasse profitetur. Catalogi duo librorum, non quos ipse scripsit, sed quos Bibliothecae S. Galli intulit, leguntur apud RATPERTUM cap. IX. et X. de origine Monasterii S. Galli, in Goldasti tomo 1. Alemannicor. p. 8. et 9. Ex illis libris, Codex Latinus Epistolarum Pauli nec non Catholicarum et Apocalypseos servatur in Bibliotheca illustris Raymundi de Krast, Consulis Ulmensis, adscriptum ut Clarissimo Schelhornio a) videtur ipsius Hartmoti manu habens hocce tetrasticon:

Iste liber Pauli retinet documenta sereni
Hartmotus Gallo quem contulit Abba beato
Si quis ei hunc sancti sumit de culmine Galli,
Hunc Gallus Paulusque simul dent pestibus amplis.

Pilippus HARVENGUS *de Eleemosyna*, Anselmi Laudunensis qui An. 1117. obiit discipulus, postea ab A. 1162. Abbas Coenobii Bonae Spei in Hannonia Ord. Praemonstrat. Hujus opera junctim edidit Nicolaus Chamart, Abbas eiusdem Coenobii, Duaci 1621. fol. Ea perstrinxi supra t. 2. pag. 301. recensentur etiam a Sweertio, Valerio Andrea, Miraeo, Caveo, et diligentius ab Oudino tom. 2. pag. 1445. seq. In Epistolis XXI quae inter illa ducunt familiam, Harvengus interdum tanquam πολυπραγμονα obiurgat *S. Bernardum*, ut Epistola X. cuius tamen defuncti memoriam carmine epitaphio celebravit, quod ad calcem scriptorum Harvengi prosariorum legitur, inter alia carmina quae scripsit in *Ivonem* Carnotensem, *Anselmum* Cantuar. *Petrum Abaelardum* et *Guilelmum de Conchis*. Epistola qua *Alexandro III.* A. 1181. Pontificatum max. gratulatur, edita est a Dacherio tom. 2. spicileg. pag. 453. (editionis novae tom. 3. pag. 527.) *Vitam S. Amandi* Episcopi Traiectensis cum Epistola ad *Hugonem*, et altera ad *Joannem* Abbates Elnonenses exhibet Bollandus Acta Sanctor. tom. 1, Februar. 6. p. 857. 872. qui Duacensem editionem cum duobus MStis contulit addiditque notas. Similiter *translationem S. Cyriaci et Julittae ad Elnonense S. Amandi monasterium* Papebrochius ad 16. Jul. tom. 3. pag. 34. 36. Sic *Vitam S. Odae* Virginis tom. 2. April. 20. pag. 773. 780. Idem Bollandus 21. Jan. tom. 2. p. 350. testatur se carmen elegiacum *de martyrio et laudibus S. Agnetis*, quod inter Harvengi opera p. exstat 796. et HILDEBERTO Cenomanensi ab aliis tribuitur, cum vetusto optimae notae Codice contulisse: et *de Actis Passionis S. Salvii Episcopi* Henschenius tom. 5, Junii 26. pag. 195: *Haec*

a) Johannes Georgius Schelhorn amoenitatt. litterar. t. 3 pag. 8.

Rosweidus contulit cum MS. Codice S. Foillani, Ord. Praemonstr. in Hannonia, et alio MS. Prioratus Benedictinorum S. Salvii, in quo diversus praeponitur prologus, *et nonnulla potissimum numero VIII. ex prioribus Actis inseruntur.* Epitaphium Ivoni Carnotensi positum exhibet etiam tom. V. Maii 20. pag. 248. *

HASMONIUS Monachus *de abbreviatione historiarum* MS. Cantabrigiae in Biblioth. domus S. Petri, ut Vossius iam notavit.

Thomas Ebendorfer de HASSELBACH, Theologiae Professor in Academia Viennensi a multis annis celebris, diem obiit An. 1464. De eo passim meminit cum laude Josephus Reichenau S. J. in conspectu historiae Universitatis Viennensis, edito Viennae 1722. 8. testatus pag. 188. sibi ad manus esse *Orationem* quam Viennae in Comitiis An. 1460. habuit praesente Friderico Imperatore. Eius *Chronicon Austriacum* libris V. ab Origine Gentis deductum usque ad Annum 1463. quo olim usus Joannes Cuspinianus, nuper vulgavit V. C. Hieronymus Petzius tom. 2. scriptorum Austriacorum p. 682. omissis tamen propter fabularum frequentiam libro primo et magna parte secundi: testatusque maiorem fidem mereri quae ab A. 1044 Hasselbachius tradidit. Hic est quem Trithemius cap. 705. et Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. Sanctae p. 215. et lib. 4. p. 386. aiunt spatio annorum unius et viginti, cum nondum pervenisset ad finem primi capitis Esaiae, quem continuo enarraverat, demum reliquisse enarrationis suae *in primum Esaiae caput libros XXIV.* Primus ante illos hoc tradiderat Æneas Sylvius postea Pius II. qui Epist. 165. Viennae describens statum, qualis fuit circa Annum 1453. *est et illic,* inquit, *hodie Thomas Hasselbach, non incelebratus Theologus: quem scribere historias non inutiles ajunt, cujus ego doctrinam laudarem, nisi duos et viginti annos Esaiae primum capitulum legisset, neque adhuc ad calcem venisset.* Praeter rem tamen hoc ab Æneа atque deinde ab aliis traditum esse contendit Sebastianus Mittendorfer in historia Academiae Viennensis. *Sermones Dominicales super Epistolas* excusi in fol. sine loci notatione An. 1478. *Sermones de Confessione et de Sanctis* MSti Augustae Vindel. Tractatus *de septem vitiis capitalibus* MS. in monasterio Cremifanensi Ord. Bened. in Austria, teste laudato Pezio Praeterea Trithemius c. 705 laudat ejus commentarios *in IV. libros Sententiarum*, et tractatum de *decem praeceptis,* aliumque *de quinque sensibus hominis.*

* Viri huius Germani sermones diligentius distinguendi sunt, sermones nempe *de tempore,* qui ex Evangelio desumpti, neque hucusque prodierunt: sermones etiam *de Sanctis* et sermones Dominicales super epistolas. Ita Lambacherus in notis ad Biblioth. antiq. Vindobon. civicam t. 1. p. 253.

Henricus de HASSIA, infra HENRICUS.

HATTO sive *Haddo, Hetto, Ahyto, Haydo, Haitho, Otto,* ex Augiensis Coenobii Abbate Episcopus An. 806. Basileensis, a Carolo M. A. 811. cum Hugone a) Turonensi et Ajone Aovileo missus ad Nicephorum Imp. Graecorum de pace et limitibus Imperii constituendis. Sed *Hodoeporicum* quo iter illud suum descripsit, hodie nusquam exstat. Senex ad Augiense Coenobium reversus obiit An. 836. b) *Visiones S. Wettini,* Monachi Augiensis prodiere cum Visionibus HILDEGARDIS de quibus infra, et in Mabillonii Sec. IV. Benedictin p. 263. *Capitulare* ad Presbyteros Dioeceseos Basileensis, circa Annum 827. promulgatum, capitulis XXV. publicavit Dacherius tom. 6 spicileg. pag. 961. (editionis novae tom. 1. pag. 584. 586.) unde in Conciliorum tomis repetitum a Labbeo, Harduino, Coleto.

HAUBERTUS Hispalensis scriptor fictitius, qui venditat se monachum Benedictinum Coenobii Dumiensis, aitque, se *Chronicon* in monasterio suo absolvisse A. C. 919. aetatis suae undeoctogesimo. Chronicon illud edidit et prolixis notis illustravit Gregorius Argaizius, Benedictinus Madrit. 1667. fol. pars prior Chronici a creatione Mundi usque ad Gratiam: pars posterior a

a) In annalibus Pithoeanis inter XII. scriptores pag. 22. et apud Anon. Mellicensem c. 45. hic vocatur Hugo.

b) Miraeus, Caveus et alii ex Hermanno Contracto.

Virginis partu usque ad Annum Christi 916. cum additione nescio cujus *Walambosi Merii*. Merum esse commentum hoc opus, sicut etiam Pseudo Dextri et Pseudo Liberati scripta, quae Argaizius subjunxit, liquido demonstratum dedit Nic. Antonius lib. VI. Bibl. vet. Hispanae c. 22. p. 400. seq.

HAYMINUS, supra HAIMINUS.

HAYMO, supra HAIMO.

HAYTO supra AITHONUS. tom. 1. p. 86. seq. De eodem Joannes le Paige in Bibliotheca Praemonstratensi pag. 306. seq. et 588. et de Rege Armenio hujus nominis, cujus propinquum scriptor Hayto se profitetur, id. pag. 586.

HEADA, infra HEDDA.

HEBERNUS sive *Herbernus* ex Abbate majoris Monasterii S. Martini Turonensis Archiepiscopus ab An. 887. ad 917. Vide Sammarthanos tom. 1. pag. 749 seq. Scripsit *miracula B. Martini* post translationem ejus corporis a) ab Autissiodorensibus ad Turonenses An. 887. facta edidit Baluzius tom. 7. Miscel. pag. 169. 195. Suppositum esse scriptum probat auctor dissertationis insertae memoriis litterariis Trevoltinis An. 1716. pag. 145. ubi etiam notatur in Baluzii editione deesse dedicationem ad Comitem Ingelgerum, quae fortasse exstat in aliis Codicibus MSS. ut in illo quem memorat Sanderus parte 2. p. 217.

HEBRETHMUS Monachus Cluniacensis scripsit An. 1084. *Acta translationis S. Indaletii Episcopi* quae exstant in Actis Sanctor. tom. 3 April. 30 pag. 717 731.

HECTOR *Boëthius* sive *Boëtis*, genere Scotus, b) Parisiis amicum coluit Erasmum atque inde Anno 1497 ad ornandam Academiam Aberdoniensem, in Scotia recens conditam a Guilelmo Elphistono, Episcopo Aberdoniensi, vocatus, permultos annos cum magna laude eloquentiae et ingenii illi praefuit. Vide Georgium Mackenzie de utriusque copiose tradentem in vitis illustrium Scotorum, vulgatis Anglice Edinburg. 1711. fol tomo secundo: ac de Hectore quidem pag. 376 seq. Scripsit *Vitas Episcoporum Murthlacensium et Aberonensium*, editas Paris. 1522 4. et *Historicae Scoticae* libros XVII a prima gentis origine usque ad obitum Jacobi I. cum praemissa *descriptione* brevi *Scotiae*, ibid. 1526 fol. Hic deinde recusi diu post auctoris obitum, addito libro XVIII et undevigesimo affecto Paris. 1574 fol. cum subjuncta continuatione Joan. Ferrerii, Pedemontani usque ad extrema Jacobi III. Ex Latino Historia Boëthii translata in linguam Scoticam est a Joanne Bellendo, Edinburg. 1536 et contractior Anglice, interprete Willelmo Harrison, continuataque ab auctore non uno usque ad Annum 1586 et ab An. 1571 per Franciscum Thynne Lond. 1587 fol. edente inter alios Britannicos Historicos, Raphaele Holinshead. De fide quam in narratione Boëthii, constat a multis a) desiderari, videndus Wilhelmus Nicolsonus in Bibliotheca historicorum Scotiae pag. 104 seq. et Mackenzius tom. 2, pag. 447 seq. qui *descriptionem Scotiae* Boëthianam quoque exhibet Anglice pag. 384 seq. Praeterea Baleus XIV. 61 celebrat Boëthii *Catalogum Scotiae Regum*, librum *de navigationibus*, *Sermones* et *Lecturas*, *Orationes* atque *Epistolas*, quas eloquentissimas appellat.

HECTUS aliis *Hetti* vel *Hetto* ex Abbate Epternacensi Archiepiscopus ad Annum 814 ad 850. Trevirensis et Anno 817. Legatus Ludovici Pii Imp. cui etiam An. 840 excedenti ex hac vita praesens adfuit. Ejus *Epistola ad Frotarium*, Tullensem Episcopum, tempore legationis data, exstat in Sirmondi Epistola ad Constantinum Caetanum de duobus Amalariis tom. IV. Opp. Sirmondi pag. 644 Ex alia Epistola ad eundem Frotarium, de regula Canonicorum observanda, et de Monasticis habitationibus instaurandis, pars apud Sirmondum notis ad Concilia Galliae tom. 2, pag. 684. Regula Canonicorum quae respicitur, data est in Concilio Aquisgranensi An. 816 atque exstat apud Sirmondum tom. 2, pag.

a) Festum exceptionis reliquiarum, sive reversionis celebratur 13 Decembr.

b) Labbeus de S. E. tom. 1. pag. 418.

a) Clarissimo Schurzfleischio diss. de Druidibus: *scriptor haud inscitus, sed perquam fabulosus.* Adde Vossium de Hist. Lat. pag. 688 Novam Bibliothecam Hallensem, editam Germanice XVI. pag. seq. Acta Erud. 1717. p. 107. ec.

435 seq. Confer Labbei Concilia tom. 7, pag. 1865. Carolum le Cointe t. 7, p. 434.

Guilelmus HEDA, sipra in *Guilelmo* p. 140.

HEDDA sive *Heada*, Episcopus in Anglia per triginta amplius annos Wintoniensis, laudatus Bedae V. 18 Hist. Eccles. Anglor. et Guilelmo Malmesburiensi lib. 2 de Pontificibus Anglor. pag 241 qui testatur selegisse *ejus formales Epistolas non nimis indocte compositas*, et ALDELMI (Episcopi deinde Shirburnensis) *ad eum scripta, maximam vim eloquentiae et scientiae redolentia.* Vide Lelandum cap. 69. Baleum I. 86. Pitseum pag. 115 qui obitum ejus refert ad Annum 704.

HEDDIUS, *Heddi*, *Eddi*, cognomento *Stephanus*, de quo Beda IV. 2. Hist. *Primus, excepto Jacobo, cantandi Magister Nordanhumbrorum Ecclesiis Eddi, cognomento Stephanus fuit invitatus* (sub annum a) 665.) *de Cantia a reverendissimo Viro, Wilfrido.* Hujus *Wilfridi* Eboracensis, atque inde Hagustaldensis Episcopi An. 709 defuncti Vitam scripsit ad Accam Episcopum et Tetbertum Abbatem, editam a Mabillonio atque integriorem a Thoma Galeo, ut dixi supra in EDDIO tom. 2 pag. 493. Idem *Vitam Eatae* et *Tumberti* consignasse traditur a Baleo centur. I. cap. 92. Pitseo pag. 122. Vossio aliisque.

Guilelmus HEDDIUS, supra EDDIUS, 2. pag. 493.

HEDERICUS supra p. 170. HÆDERICUS.

Joannes de HEES sive de *Hese*, Presbyter Trajectensis, *iter* suum Hierosolymis *in Indiam, Arabiam, Æthiopiam* A. 1389 b) susceptum descripsit *libris duobus* de mirabilibus Indiae. Prodiit ejus *Itinerarius* Daventriae c) 1490 tum Paris. 4 d) et Antw. 1565 8. Memorat et Vossius editionem sine loco et anno, cum litteris Soldani ad Pium II. Papam, hujusque responso: et Joannis Presbyteri Imperatoris Æthiopici Epistola, ac quibusdam aliis. Multa fidem exsuperantia ex aevi illius credulitate ab hoc scriptore narrari notavit Valerius Andreas pag. 514.

a) Heddius ipse in vita Wilfridi cap. 14. adde Oudin. tom. 1. pag. 1673.

b) Perperam 1489. in Sweertii Athenis Belg. pag. 458.

c) Oudin. tom. 3. p. 1240.

d) Haec Parisiensis editio servatur in Biblioth. Leidensi.

De HEGESIPPO, Graeco saeculi secundi scriptore dixi Biblioth. Graecae lib. V. c. 1. pag. 189. qui ut est in Martyrologio Rom. 7 April. legas, *Ecclesiasticorum actuum a passione DOMINI usque ad suam aetatem* (libris V.) *sermone simplici* (Graeco) *texuit historiam, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem.* Sed exstant quoque Latine scripti HEGESIPPI *de Bello Judaico, et excidio Urbis Hierosolymitanae libri V.* quibus cum superiori opere neque quo ad argumentum, neque quo ad linguam, neque quoad auctorem quicquam est commune: Nam hi de bello Judaico libri liberiorem a) librorum septem *Flavii Josephi* Ἰεδαϊκῆς ἱςορίας περὶ ἁλώσεως versionem continent, et nomen ipsum Hegesippi ex Josippi b) sive Josephi corruptum nomine, potius auctorem librorum qui Latine versi exhibentur, quam interpretem et auctorem versionis designat. Interpretem esse non qui post Antiochiam Persis A. C. 968 ereptam, c) sed vel AMBROSIUM Mediolanensem, qui aetate adolescentiori aut in exordiis praesulatus sui, opus hoc luserit d): vel aliquem Theodosii temporibus alium non infacundum scriptorem, pulchre est a Gronovio demonstratum, qui multa etiam similia in Hegesippi libris cum phrasi Ambrosii annotavit cap. 1. et 21. monobibli Observationum Ecclesiasticarum. Quanquam igitur Benedictini in luculenta sua Ambrosianorum operum

a) Sic ut varia ex suo ingenio addiderit: adde Scaligerum ad Euseb. p. 153.

b) Joan. Frid. Gronovius in monobiblo Observat. Eccles. cap. 1. Isaacus Vossius de LXX. Interpretibus pag. 127. Caveus ad Annum 374. adde lib. IV Biblioth. Graec. c. 6. § 2.

c) Sexcentis et fortasse amplius annis Ambrosio juniorem facit 3. de Hist. Lat. pag. 706. et de Hist. Graecis pag. 250. et Oudinus tom. 2. p. 1027. seq. Seq locum Hegesippi de Antiochia III. 5. rectius ad Joviani Imp. tempora refert Gronovius in monobiblo Observ. Eccles. cap. 21. Vide sis etiam quae notat Tillemontius. T. 1. memoriar. Hist. Eccles. ad Vitam S. Petri Apostoli, nota 49. Verba Ammiani Marcellini transcripta ab Hegesippo notavit Valesius ad XXIII. 5. Vide p. 108. edit. primæ.

d) Ita idem Gronovius cap. 1. p. 6.

editione Hegesippum profitentur se omisisse, quod in eo nihil se Ambrosiani styli atque ingenii simile cernere sibi viderentur, tamen Ambrosii nomen praeferunt veteres editiones: ut Parisiensis 1511 fol. *Hegesippus ab Ambrosio versus cum tabellis congruentiarum cum Josephi libris et gestis Maccabaeorum*: et Mediolanensis 1513 fol. Colon. 1526 fol. Ambrosio tribuit etiam MS. glossarium Scriverianum quod Gronovius inspexit. Etiam Joannes Mabillonius in Codice antiquissimo Mediolanensi libros hos Ambrosio adscriptos reperisse se testatur tom. 1. musei Italici pag. 14. Et Carolus Daubusius lib. 4. de testimonio Josephi de CHristo pag. 16 notat in Codice Cantabrigiensi ad extremum libri primi exstare haec verba: *Beatissimi Ambrosii translatio ex Josepho, liber primus explicit.* Et in Catalogo MSS. Monasterii Cremifanensis Ord. S. Benedicti in Austria memoratur num. 58 *tractatus Ambrosii Episcopi de historia Josephi captivi translati ab ipso ex Graeco in Latinum.* Prodiit Hegesippus post veteres tres, quas supra memoravi editiones, recensitus a Renato Laurentio de la Barre, qui cum MS. contulit, et scholiis illustravit in historia Christiana veterum Patrum, Paris. 1583 fol. pag. 123. Deinde ex recensione Cornelii Gualtheri, Gaudensis, Colon. 1575 1580 8. Denique in Bibliothecis Patrum, Barrium secutis, Paris. tom. VIII. Colon. tom. IV et Lugd. tom. V. Etiam Italicam Hegesippi versionem exstare, illustris Scipio Maffejus Tradutt fol. 48. ex Joanne Baptista Donio annotavit. (138. Extat revera Petri Lauri (Venet. 1544. 1548.) Italica versio. Divi Ambrosii vero Latinam et Italicam Matth. Bandelli (qui Jo. Boccaccii Fab. de Tito Egesippo Latine vertit Mediol. 1508.) inter somnia reponendas Apost. Zeno ad Fontanin. (Bibl. dell' Eloq. Italiana II. 182. 282) acute demonstravit.)

HEGESIPPI junioris *Egesippi, Eugesippi*, qui circa Annum 1040 scripsit, libellus *de distantiis locorum terrae sanctae* editus ex Codice Caroli Moroni a Bartoldo Nihusio in Leonis Allatii σύμμικτοις, pag. 104. 120. Amst. 1653 8.

Petrus von der HEIDEN, sive *a Thymo*, Brabantus, Canonicus Bruxellensis, defunctus An. C. 1573 aetatis 80 auctor inediti adhuc operis Historici de Brabantia, tomis tribus: in quo et *laudes Brabantiae* persecutus docere instituit quod est *Beata, Regalis, Antiqua, Bona, Audax, Nobilis, Charitativa, Justa* et *Abundans.* Deinde tractat *genealogiam* et *res Ducum Brabantiae*, denique *Martyrologium et Vitas Sanctorum* illius regionis describit. Vide Vossium de Hist. Lat. pag. 544 808 atque Oudinum t. 3. pag. 2634. Valerium Andream pag. 764. Sweertium pag. 637.

HEIDENRICUS Hallensis in Saxonia Praepositus circa Annum 1137 scripsit librum *de cura Pastorali.* Haec Cangius ex Possevino.

HEIMERICUS, *Halmericus, Aimericus, Aymericus, Eimericus, Eymericus, Hemericus, Haymericus, Emericus.* Vide HEMERICUS et Nic. EYMERICUS t. 2. p. 541.

HEMIO, supra, HAIMO.

Joannes HEINSBERGIUS, ex Praeposito Aquisgranensi Episcopus Leodiensis ab A. 1419 ad 1455 quo Episcopatum Ludovico Borbonio resignavit, diemque obiit A. 1456 sive ut Zantflietus et alii An. 1459. Vide Joan. Chapeavilli gesta Episcoporum Leodiensium tom. 3, pag. 115 seq. et 131. Hic statuta in Synodo An. 1445 celebrata et a decessoribus suis condita collegit, edita Lovanii 1500. ut a Valerio Andrea pag. 514. jam notatum.

HEIRICUS Autissiodorensis. Vide supra ERICUS, tom. 2, pag. 517.

HELENAM Constantini M. matrem multis celebrans Lelandus libro de Scriptoribus Britannicis cap. 15 testatur se in Sylvestri Pontificis vita, D. Helenae Augustae *Epistolas* aliquot docte, argute, eleganter scriptas offendisse. *Nec mirum*, inquit, *videri debet, quod foemina Britannica per tot annos inter doctissimos Romanae nobilitatis versata, pure et Latine scripserit. Nam id temporis lingua Latina vel apud plebem Rom. multo purior, quam aliquot saeculis praeteritis apud Magistros nostros.* Nescio an in illa Sylvestri Acta Lelandus inciderit, quae laudat Agobardus libro de

imaginibus pag. 292 (tom. 14. Biblioth. Patrum Lugd.) nam illa quae apud Lipomannum tom. V. et Surium 31 Decembr. exstant, ex Graeco versa sunt, et Epistolas Helenae nullas habent. At Baleus quoque centur. 1. cap. 35 *Epistolas* Helenae *ad Constantinum* memorat, earumque hoc apponit initium: *Veritatem sapientis animus non re.* Ait etiam scripsisse *Normam recte vivendi, Domino semper Augusto filio.* Epistolas plures *ad Sylvestrum Pontificem, ad Antonium Abbatem, Monita pia* ad Filium. *De Providentia DEI, de immortalitate animae, Revelationum librum* et *Carmina quaedam Graeca.* Haec licet Guilelmo Eisengrenio ad Annum 327 etiam memorata et Pitseo pag. 81 nec illos tamen nec quenquam mortalium oculis usurpasse existimo. Caeterum de S. Helena videndus Baronius ad Martyrolog. Rom. 18. Augusti, et de Sylvestri Actis, dubiae utique fidei, ad 31 Decembr. et quae de iisdem notavi in Biblioth. Graeca t. VI. p. 103 et t. IX. p. 141.

HELGALDUS, *Heligaudus*, vitiose *Helgandus*, *Helgacidus*, Monachus Floriacensis, Ord. Bened. scripsit *Vitam Abbonis* Abbatis Floriacensis, quem An. 1004 interemtum dixi tom. 1, pag. 2. Vide quae ex illa affert Baronius ad Annum 998 num. 2. et 4. ubi vitam Abbonis fidelissime scriptam ab eo laudat. Epitomam *vitae Roberti* ab Anno 988 ad An. 1016. *Regis Francorum* Hugonis Capeti F. ex alterius Monachi scriptis contractam primus edidit inter XI scriptores Petrus Pithoeus Francof. 1596. fol. praemisso *testamento LEODEBODI, Abbatis S. Aniani* sub Chlodoveo Rege, Dagoberti Senioris filio. Deinde cum eodem testamento pag. 59 sed ex MS. Codice emendatiorem Andreas du Chesne tom. IV. scriptorum de rebus Francor. pag. 62 79. Paris. 1641 fol.

* Historiae Gallicanae scriptores eruditissimi adoptare se profitentur sententiam D. De S. Palaye, qui in dissertatione sua legenda in t. X. Hist. de l'Acad, des Inscript. invictis rationibus demonstravit epitomam vitae Roberti Regis excerptum nequaquam esse fusioris alterius vitae ab altero scriptae. Ipse enim per se Herigerus sibi proposuit vitam Roberti Regis per compendium scribere. Vide eamdem historiam Litterariam pag. 407. Vitam *S. Abbonis Abbatis* Floriacensis ab uno tantummodo Vossio Helgaldo abscribitur, reipsa tamen opus est Aimoini discipuli eiusdem Abbonis, ut docti illi scriptores suo loco demonstrarunt. Denique vita illa Roberti Regis priusquam a Pithoeo ederetur, lucem viderat opera Gaguini. Francofurti an. 1577.

HELIAS, supra ELIAS tom. 2 pag. 503.

HELIAS Hierosolymitani Patriarchae Theodosii An. 869 870. Syncellus, et inter Papas sive Patriarchas Hierosolymitanos An. 881 ipse Elias III. cujus *Epistola Encyclica pro Malaceno Episcopo* a Saracenis male habito vulgata est a Mabillonio tom. 3. Analect. pag. 434 (editionis novae pag. 428.) Altera *ad Carolum Crassum et Gallos Episcopos* pro Ecclesiis suis instaurandis, apud Dacherium tom. 2 spicileg. p. 373 (editionis novae tom. 3, pag. 363.)

HELIAS *Regnier* JCtus Pictaviensis circa Annum 1494 cujus *Casus* libri *sexti Decretalium* et *Casus Clementinarum* laudant Trithemius cap. 939 de S. E.

*HELIAS *de Rofiaco* Monachus S. Martialis Lemovicensis, et Henrici III. Angliae Regis Capellanus circa Annum 1160. cujus nomine Labbeus tom. 2. Bibl. novae MSS. pag. 273 edidit continuationem commemorationis Abbatum S. Martialis Lemovicensis, scriptae ab ADEMARO Cabanensi. In illa pag. 274 haec verba leguntur: *Obiit vigesimus secundus Abbas Petrus, 4. Id. Septembr. anno ab incarnatione DOMINI 1164 in quo anno sedata est tempestas inter Henricum probissimum Regem Angliae terrae et filios suos, quae fere per duos annos duraverat. Helias de Rofiaco, Capellanus suus, earum rerum scriptor, quem de suo beneplacito huius Ecclesiae Monachum fecit.*

HELIGAUDUS, supra *Helgaldus.*

HELINANDUS, aliis *Helmandus,* a) *Helmundus*, *Elymandus*, Hermanni, Flandri nobilis in Galliam profugi filius, Monachus *frigidi Montis* Ord. Cisterc. in dioecesi Bel-

a) Apud Vincentium Bellov. XXIX. 119. spec. histor. *Hellebandum* patruum sum vocat, Henrici quondam, Remensis Archiepiscopi cubicularium.

lovacensi, defunctus An. 1227 de quo diligentius Bertrandus Tissier in praeludiis ad Helinandi Chronicon, Antonius Loisellus in Epistola praemissa versibus Gallicis Helinandi de morte, et in historia Bellovacensi Gallice edita Paris. 1617 4. et Oudinus tom. 3, pag. 19 seq. ne dicam de Labbeo, Vischio, Natali Alexandro, Busaeo in historia Academiae Paris. tom. 2, pag. 746. et tom. 3, pag. 65 etc. Multa scripsit Helinandus, sed praecipue opus ingens *Chronicorum*, quo libenter utuntur Vincentius Bellovacensis in speculo Historiali, Albericus, Antoninus Florentinus et auctor magni Chronici Belgici, aliique juniores. Etiam verba quae ex Joannis Tinmouth historia, tunc inedita, profert Caveus, eadem non modo apud Bellovacensem XXIX. 108 sed et apud Antoninum reperio, summae histor. tit. XVIII. cap. 5. tom. 3 pag. 57. *Etiam Chronica diligenter ab initio Mundi usque ad tempus suum in maximo quodam Volumine digessit. Et hoc quidem opus ita dissipatum est et dispersum, ut nusquam totum reperiatur. Fertur enim quod idem Helinandus cuidam familiari suo, scilicet bonae memoriae* Garino *Sylvanectensi Episcopo quosdam ejusdem operis quaterniones accomodaverit, sicque sive per oblivionem, sive per negligentiam sive alia de causa penitus amiserit.* Nimirum de rebus ab Orbe condito, libris XVI. Helinandus tractavit usque ad Darii Nothi tempora: deinde aliis XVI libris a Dario usque ad natum Salvatorem generis humani. Hinc a nato CHristo usque ad Annum 635. Quarta pars sola typis exscripta est quae deducitur ab A. C. 636 ad Annum 1204 atque exstat in tomo septimo Bibliothecae Cisterciensis, quam Bertrandus Tissier adornavit, pag. 73 seq.

Sermones XXVIII. de variis festivitatibus et argumentis ibid. pag. 206.

De cognitione sui ipsius id. pag. 306. et apud Vincentium Bellov. XXIX. 109. 217. speculi Historial. ubi pro *gnotosolitos*, legendum γνωϑι σεαυτον

Planctus Monachi lapsi, ac de reparatione lapsi, sive *Epistola de laude vitae claustralis* ad Gualterum Canonicum Praemonstratensem, edita ab eodem Tisserio p. 316 et Bellovacensi XXIX. 108. memorata, sed et a cap. 134 ad 148 tota fere descripta.

De regimine principum, cujus opusculi meminit Guilelmus de Nangis ad Annum 1210. Hoc est quod *de constituendo Rege* apud Vincentium Bellov. XXIX. 121. 133.

Agon seu *Martyrum S. Gereonis et sociorum* ex Thebaeis Martyribus An. 286. a) Octobr. laudat idem Vincentius XII. 4.

Epistolarum quoque Helinandi Bellarminus aliique meminere, sed editas non notat.

Denique Vincentius lib. XXIX. cap. 108 testatur Helinandum nostrum scripsisse Gallice *versus de morte, qui publice leguntur*, editi etiam ab Antonio Loisello An. 1594.

HELINANDUS Monachus *de Persenia* Ord. Cisterc. in dioecesi Cenomanensi. a superiore Helinando recte distinguitur non a Vischio solum sed etiam a Tissierio, quibus malo assentiri quam Oudino, qui eundem esse non dubitat, testatus ejus se *commentarium* prolixum ineditum *in Apocalipsin* bis vidisse MS. in Bibliotheca Longi Pontis Ord. Cisterc. Dioecesis Svessionensis. Huic commentario *glossulas in Exodum* addit Vischius pag. 142.

HELISABETH Abbatissa Schoenaugiensis, supra ELISABETH tom. 2. p. 504. sq.

Telesinus HELIUS ex Bardorum genere Vates Britannicus circa Annum 540. *dulcia qui didicit sapientis dogmata Gildae*, Britannice et Latine scripsisse traditur *Acta Regis Arthuri, Carmina* Latina et Cambrica, *Vaticinia* et nescio quam *historiam vaticinalem*. Vide Lelandum cap. 24. Baleum Centur. 1. cap. 54. et Pitseum pag 95.

HELLADIUS. Episcopus post Aurasium Toletanus. Anno CHristi 667 b) rebus humanis valedixit. Doctor eximius *Scribere renuit*, teste Ildefonso cap. 7. de scriptoribus Eccles. *quia quod scribendum fuit, quotidianae operationis pagina demonstravit.* De eo Baronius ad Martyrolog. Rom Februar. 18. ubi Ildefonsi caput ex codice Vaticano locis aliquot emendatius, et Acta Sanctorum tom. 3. Febr. p. 79. seq.

a) De his supra in EUCHERIO tom. 2. p. 558. sq.

b) Eutrandus apud Nicolaum Antonium tomo 2. Bibliothecae veteris Hispanae pag. 286. num. 668.

HELMOLDUS, aliis *Helmboldus*, *Helemoldus*, *Helinandus*, Presbyter et Rector Parochiae in Buzu, sive Bosaw, (Bützaw) *Bosoviensis*, in Wagria, discipulus Wicelini Oldenburgensis et Geroldi primi, Oldenburgo Lubecam translati, Lubecensis Episcopi, et hujus etiam in convertendis ad CHristum Venedis ab An. 1155. comes fidelis, et post Geroldum An. 1164. extinctum ipse adhuc superstes An. 1170. Vide illustris Leibnitii introductionem in tomum secundum Historicum Brunsvicensium num. XLV. Johannis Molleri τȣ μακαριτȣ diatribam Historico-Criticam de Helmoldo, Lubecae 1702. 4. Nova Liter. Hamb. 1702. p. 248. Acta Eruditorum 1703. pag. 137. Biblioth. Historicam Hamb. Cent. I. p. 157. seq.

Scripsit persvasione Geroldi ad Canonicos Ecclesiae Lubecensis *Chronicon Slavorum et Venedorum* libris II. a Caroli Magni temporibus et Saxonum per eum conversione ad Annum CHristi 1170 in quibus non tantum Wagriorum Holsatici, Polaborum Lauenburgici et Obotritorum Meclenburgici tractus incolarum. Pomeranorumque superstitiones idololatricas, bellorum, cladium ac difficillimae ad sacra Christiana conversionis, per clerum dioeceseos Aldenburgicae, sive Oldenburgicae historiam diligentius persequitur, sed etiam Holsatiae reliquae res, origines Lubecae, Saxoniae inferioris memorabilia et Germaniae universae Regnique Danici, non inficianda luce perfundit. Prodiit primum cum *Philippi Melanchthonis* praefatione, et summariis scholiisque *Sigismundi Schorckelii*, a) Numburgensis Medici, Francofurti 1556. et 1573. 4. Deinde longe emendatior collatis duobus Codicibus MStis a *Reinero Reineccio*, Francofurti 1581. fol. relata a Romanis in Indicem quod multis aliis item bonis libris contigisse viri docti non possunt ignorare. Hinc praestantissimam Helmoldi editionem adornavit vir eruditus qui et scriptorem hunc ad quatuor manuscriptos Codices castigatum dedit, et ARNOLDI continuationem integram usque ad An. 1209. adjunxit atque eruditas notas, idoneumque indicem adjecit *Henricus Bangertus*, Rector Athenaei Lubecensis, a) Lubecae 1659. 4. Denique cum magna pars Chronici Helmoldiani ad Ducem Henricum Leonem, ejusque patrem avumque et liberos pertineat, illustris *G. G. Leibnitius* ei quoque locum dare voluit in scriptoribus Brunsvicensibus t. 2. pag. 537. seq. Hanoverae 1710. fol. ubi illud collatum cum Chronico Christophori CORMERI et subinde emendatum legitur.

Continuatores Helmoldi sunt duo, unus ARNOLDUS, Abbas Lubecensis, qui libris sex ab An. 1170. usque ad Annum 1209. et ANONYMUS Bremensis, qui usque ad 1448. illud continuavit. Arnoldi librum primum, s. potius prima novem tantum libri primi capita, usque ad verba: *et sex camelos, qui eas ferrent,* addidit in sua editione Schorckelius. In Reinecciana, libri sex continuationis Arnoldinae exhibentur ex Codice Poucheniano, exceptis quinque postremis, quae in illo deerant, capitibus libri ultimi, XVIII-XII. Haec capita primus vulgavit An. 1609. Erpoldus Lindenbrogius pag. 274. scriptorum Septentrionalium, atque integrius ex Codice Ranzoviano Henricus Meibomius senior An. 1624. in apologia pro Othone IV. et Henricus Meibomius nepos in Opusculis avi recusis, Helmstadii 1660. 4. Totus inde Arnoldus in Bangerti et Leibnitii editionibus cum praefatione ad Philippum, Raceburgensis Ecclesiae Antistitem, et universos ibidem fratres.

Alter continuator ANONYMUS Danis iniquior, sub titulo *Chronici veteris Holsatiae* vulgatus a laudato Leibnitio est tomo primo accessionum Historicarum, Hanoverae 1698. 4. atque a Carolo Magno progreditur usque ad An. 1448. licet Leibnitii editio Codicem Viennensem exprimens in A. 1430 desinit, quam MStus Arnae Magnae fortasse possit supplere.

a) apud Labbeum vitiose *Segorckelius*, apud alios *Schoeboelius*.

a) De hoc Bangerto, qui An. 1665. diem obiit, adeundus praeter laudatum Mollerum §. XIII. clarissimus Johannes Henricus van Seelen in Athenis Lubecensibus tomo IV. pag. 433. seq. et tom. 1. pag. 64. seq. qui et Bangertum secundis curis de nova Helmoldi editione cogitasse testatur tom. IV. p. 44.

Jucundum erit harumce litterarum amatoribus, quod novae Hemoldi editionis spem facit nomen bonae fidei et promissis implendis par atque idoneus, laudatissimus vir *Johannes Henricus van Seelen*, qui institutum suum exposuit tom. 3. Athenarum Lubecensium pag. 839 540. *Animus est, fundamenti loco ponere praestantissimam editionem Bangertinam, quam integram reddam, ita, ut Bangerti Notae vel novae passim iis adjiciantur. Multa enim loca Notis adhuc carent, quae illustrari tamen omnino merentur. Unicus etiam modo continuator*, Arnoldus, *in nostra quoque editione repetendus, hactenus cum Helmoldo est conjunctus: praeter illum vero, quem in Accessionibus Historicis dedit summus Leibnitius, non desunt alia monumenta Historica inedita, ad Slavorum inprimis Historiam spectantia, quae Helmoldo addi queunt. Exhibebo etiam Dissertationes nonnullas Historicas, quas novam editionem illustrare posse arbitror. Paucis: quicquid ad supplendum, explicandum ornandum hoc opus spectat, ea, qua par est, fide et industria, si vitam et vires clementissimum Numen concesserit, exsequi studebo.*

Illos vero eruditos, qui meum institutum poterunt juvare, decenter rogo, velint pro humanitate sua mecum communicare ea, quae novae Helmodi editioni possunt inservire. Codices intelligo MStos nondum collatos, continuatores ineditos, documenta fide digna, singulares observationes, et quidquid historiae et antiquitatibus, Helmoldi atque Continuatorum operibus comprehensis, lucem poterit afferre. Laudabo eos, per quos licebit proficere, eorumque humanitatem praedicare nunquam desinam. Instructus quidem, quod praefiscine dixerim, ad hunc laborem perficiendum sum aliquot subsidiis: sed gratissimo tamen animo accipiam cuncta, quibus ista poterunt augeri.

HELPIS, supra, ELPIS. tom. 2 pag. 505.

HELPRICUS, *Elpricus, Hulpricus, Helpericus, Helphericus, Chilpericus, Hilphericus, Hilpericus,* Monachus S. Galli, Ordinis S. Benedicti, circa Annum 980 scripsit librum *de computo Ecclesiastico*, quem edidit Bernhardus Pez tom. 2. Anecdotorum parte 2. pag. 182 222. Idem liber est, qui in aliis Codicibus *de arte calculatoria* inscribitur. Vide laudatum Pezium tom. 3. parte 3. p. 622. Praefationem ad *Asprum,* Abbatem sive Decanum Monasterii S. Germani apud Autissiodorum ediderat Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 113 (editionis novae p. 431.) ex Codice Bibliothecae S. Germani de Pratis, in quo Helpericus iste *Abbatis* venit titulo. A Sigeberto cap. 145 de S. E. et in Chronico refertur ad Annum 1005. Verum exempli verba, quae adducit, in MSto, quem inspexit Mabillonius, desiderantur, videnturque addita a scriptore Codicis, quo usus est Sigebertus, nam nec in Pezii editione illa invenio. Guilelmus de Conchis libro tertio secundariae sive Dialogi de Substantiis pag. 89. *Si causas nominum illorum quaeris signorum* (in zodiaco) *Helpricum lege.* At enim *ELPRICI Monachi Epistola, cur natalitia Sanctorum in laetitia, Parasceve vero in tristitia celebremus,* quae capiti XVIII. Alcuini de Divinis Officiis pag. 1054 seq. subjuncta legitur, vel post Alcuini tempora accessit, vel si ad Alcuinum scripta est, alium atque antiquiorem Helpericum habet auctorem. Trithemius libro de viris illustribus Germaniae cap. 42. HelpericumMonachum S. Galli, quem Philosophum, Astronomum et Poetam celeberrimum appellat, testatur etiam *librum de Musica*, et quaedam *Carmina* scripsisse: aetatem ejus ibi refert ad Annum 1040 sed lib. de scriptoribus Ecclesiasticis cap 325. ad An. 1096 ita et II. 76 illustr. Benedictin.

Levinus (al. *Ferius*) HELPERICUS, Monachus Selingestadiensis, scriptor *Carminis* epici *de Carolo Magno et Leonis III. Papae* ad eum Anno 799 *adventu*, de quo dixi supra t. 1, p. 320 ubi de CAROLO Magno.

HELVETICARUM rerum a) scriptores

a) Notitiam aliorum de rebus Helveticis scriptorum petere licebit ex. *Joan. Henrici Hottingeri* methodo legendas historias Helveticas, in ejus pentade diss. Miscellan. atque ubi lucem viderit *Joan. Henrici Rhonii*, Quaestoris Tigurini *Biologia Historico Helvetica sive de vitis omnium undequaque Scriptorum qui operibus suis historiam Helvetiorum adornarunt, una cum recensione et brevi enarratione contentorum eorundem operum.*

edere Tiguri instituit vir clarissimus *Joannes Conradus Fueslinus*, quorum licet plerique juniores sint, quam ut in censum nostrum referendi veniant, placet tamen syllabum eorundem superiore Anno 1734. publici juris ab eo factum cum benevolo Lectore communicare.

1. *JOANNIS de Ordine Fratrum minorum de oppido Winterthur acta et gesta suorum temporum, praesertim in Alemanniae partibus.* Quodnam autori Gentilitium nomen fuerit, ignoratur. Vixit autem initio seculi decimi quarti. Chronicum hunc librum integrum reddemus secundum Autoris autographum nonaginta tribus constans foliis in quarta forma, quod in publica Tigurinorum Bibliotheca servatur. In hoc Chronico multas res levioris argumenti contineri ab obscuro et a politicis negotiis segregato homine conscriptas non diffitemur, sunt tamen aliae plurimae in eo proditae, propterea maximi aestimandae, quia aliunde non sunt hauriendae.

2. *FELICIS HÆMMERLIN, Canonici et Cantoris Thuricensis, Decretorum doctoris valde inutilis nonnulla, ex tractatu de Nobilitate; De Suitensium ortu, nomine, confoederatione, moribus et quibusdam utinam bene gestis.* Quanquam hic liber typis jam olim, nempe ante Annum millesimum quingentesimum fuerit excusus, rarissime tamen prostat. In Helvetia profecto ac vicinis Helvetiae urbibus, utut assidue requisitus fuerit, reperiri non potuit. Post longas demum ambages in media Germania inventum ab illius professore doctissimo et plurimum Reverendo Domino JOH. ERNEST. VOCKERODIO Molhusae Thuringorum rerum Divinarum interprete, Clarissimi Amici opera impetravimus. Tractatus integer de Nobilitate volumen efficit nonaginta duabus constans chartis, forma, quam in folio dicunt, typis barbariem temporis redolentibus. Nec Editoris nec Typographi nomen adscriptum est, ex quibusdam tamen indiciis conjicio Argentorati curante Sebastiano Brandio typis subjectum esse. Claruit Malleolus Anno MCCCCXL. Lectores vero non ignorare velim, nonnulla hujus autoris supprimenda fuisse, quae nigrum succum loliginis, aeruginemque meram sapiebant, ipsius enim Malleoli exemplum nos docuit, nobis quid ex usu fiet. Vide FELIX MALLEOLUS tom. 2 pag. 563.

3. *BILIBALDI PIRCHEIMERI Historia belli Suitensis sive Helvetici, duobus libris descripta.* Dabimus hunc libellum secundum Melchioris Goldasti Editionem raram illam optimamque Francofurti Anno MDCX procuratam, quae illustris viri omnia habet opera a Goldasto recensita et digesta. Constat hujus belli Historia foliis septem et parte folii dimidia in forma maxima typis valde minutis.

4. *HENRICI LORITI GLAREANI Descriptio de situ Helvetiae et vicinis gentibus. IDEM de quatuor Helvetiorum pagis. EJUSDEM pro justissimo Helvetiorum foedere Panegyricon, cum commentariis Oswaldi Myconii, Lucernani.* Juxta Editionem Basileensem apud Johannem Frobenium Anno MDCXIX. factam; novem ea foliis in quarto absolvitur; quae vero in altera Editione, quam Glareanus ipse ibidem An. MDLIV. curavit, vel addita vel mutata fuerunt, sub finem dabo adjuncta. Caeterum observatu dignum judicat Fueslinus, ante Glareani tempora apud Helvetios parum litteris tributum fuisse, quo factum sit, ut res prudentissime fortissimeque cum ingenti gloria ab iis gestae nullo lumine literarum illustratae fuerint.

5. *ÆGIDII TSCUDII, Glaronensis, Viri apud Helvetios Clarissimi de prisca ac vera Alpina Rhaetia, cum caetero Alpinarum gentium tractu, nobilis ac erudita ex optimis quibusque ac probatissimis scriptoribus descriptio; per Sebastianum Munsterum latine reddita.* Editionem Basileae apud Michaelem Isengrinium An. MDXXXVIII. emissam sequar, quae folia habet octodecim in quarta forma. Hunc libellum mira antiquitatis observatione, locis illis peragratis et optimis quibusque in hoc genere, authoribus et vetustis ubique literarum ac instrumentorum, ut vocant, monumentis perlectis compositum perhibet Conradus Gesnerus in Bibliotheca:

6. *OSWALDI MYCONII, Lucernani de*

tumultu BERNENSIUM intestino commentarius. Ex apographo in Bibliotheca civica conservato, quod novendecim constat foliis in quarto, nunc primum exhibebimus. Hactenus ita ignoratus fuit, ut nullum meminerimus Catalogum vel scriptum vel impressum, in quo ejus facta fuerit mentio. Apographum illud sphalmatum plenum est, ut ab imperito amanuensi scriptum esse facile appareat. Nonnullibi reperiuntur lacunae, ubi auctorum nomina erant designanda. Caeterum luce et autore libellum dignissimum judico, sub modesta enim inscriptione partem belli Capellani primam complectitur, in qua Bernenses sociique rem felicibus auspiciis gesserunt, desinit autem cum An. MDXXX quo belli fortuna mutata est.

7. *Ejusdem OSWALDI MYCONII Narratio verissima civilis Helvetiorum belli, per modum Dialogi congesta*. Et hoc Myconii opusculum omnium hactenus oculos et memorias effugerat. Autographon aliquis literarum studiis expolitissimus Juvenis, bonis libris ubique inhians e pauperi quadam domo extractum veluti ex naufragio servavit. Myconii Chirographum esse nemo dubitabit, qui scripturam cum Epistolis Myconii ad nostrum Bullingerum missis comparaverit, quae iu Bibl. publica in MS. reperiuntur. Imperfectum necdum finitum opus auctorem reliquisse, vel ex eo sit verisimile, quod postrema pagella in adversa duntaxat facie perscripta a tergo candida sit. Hic Dialogus quatuor complet folia. Duros autem et iniquos posterioris Belli Capellani causus depingit; sub finem plura de Zwinglii vita, moribus et studiis scitu non itutilia sunt commemorata.

8. *JOSIÆ SIMLERI de Valesia libri duo*. Juxta editionem Froschauerianam Anno MDLXXIV. per ipsum adornatam in octavo, foliis septem. In hoc libello regionis situs, populi mores, Reipublicae forma, et praeterea Valesianorum res gestae describuntur.

9. *EJUSDEM de Alpibus commentarius*. Ad eandem Froschauerianam, foliis XI.

10. *EJUSDEM Respublica Helvetiorum* h. e. *exacta tum communis Helvetiae, tum rerum ab initio foedere gestarum descriptio*. Ad editionem Wolphianam Anno MDCVIII. cum Froschaueriana recognitam. In octavo foliis septem et viginti.

11. *EJUSDEM PROCESSUS tumltuosus Consulis Waldmanni* A. MCCCCLXXXIX. Ex apographo MS. nunc primum in lucem editur, duobus foliis. Simleri scripta exteris omnium sunt notissima, eum enim autorem in praecipuis sequuntur, quando de Helvetiorum rebus quidquam litteris consignant.

12. *CHRISTIANI URSTISII* Mathematicarum in Gymnasio Basiliensi Professoris *Epitome historiae Basiliensis*, praeter totius Rauricae descriptionem, urbis primordia, antiquitates, res memorandas, clarorum civium monumenta, caeteraque his similia complectens: una cum Episcoporum Basiliensium catalogo. Ad Editionem Basiliensem Sebastiano Henric-Petro Typographo per ipsum Auctorem curatam, A. 1577.

13. *FRANCISCI GUILLIMANNI*, Friburgi Aventicorum nobili genere nati *de rebus Helvetiorum, sive Antiquitatum libri quinque*, ex variis scriptis, Tabulis, monimentis, lapidibus, optimis plurium linguarum autoribus. Hos typis describendos curabo secundum unicam Friburgensem apud M. Wilh. Maess ab ipso Auctore procuratam editionem in forma quarta Anno MDXVIII. quae enim exemplaria Amiterni urbis et Camilleti librarii nomina simulant, annumque MDCXXIII. mentiuntur, si sex pagellas a primo limine, in quibus Rubrica, dedicatio et capitum index redduntur, exceperis, ab illa ne apice quidem diversa sunt, quae tamem Librarii fraus Menckenium et Gundlingium decepit. Sunt folia sexaginta.

14. *EJUSDEM Habspurgiaca*, sive de antiqua et vera origine domus Austriacae, vita et rebus gestis comitum Vindoniensium, sive Altenburgensium, imprimis Habsburgiorum, libri septem. Secundum editionem Mediolanensem in officina Regia Pandulphi et Marci Tullii Malatestae Anno MDCV. sumtu liberalissimo adornatam. Constat ea forma quarta foliis quadraginta et quatuor. De libertatis Helveticae initiis neminem novi, qui eruditius, plenius et simul certius scripserit.

15. *JOANNIS HENRICI SVICERI* in agro Tigurino apud Rikenbachenses Pastoris *Chronologia Helvetica*, res gestas Helvetiorum ad initium usque seculi decimi septimi indicans ordine, et brevissime complectens. Secundum editionem Hanoviensem typis Wechelianis An. MDCVII. factam. Constat foliis XVI. Nostrum Suicerum compendiosi et accurati scriptoris encomio ornat Joh. Henricus Hottingerus.

16. *JOAN. BAPTISTÆ PLANTINI* Lausanensis et apud Castrodunenses Helvetios V. D. M. *Helvetia antiqua et nova*, seu opus describens I. Helvetiam quoad adjuncta et partes et Helvetiorum antiquitatem et originem, nomina, mores, antiquam linguam, religionem, politiam, virtutem bellicam. II. Antiquora Helvetiae loca. III. Populos Helvetiae finitimos: secundum Editionem Bernensem An. MDCLVI. in octavo. Foliis quatuor et viginti. Qui Auctor et magnam industriam et judicium singulare comprobat.

17. *PEREGRINI SIMPLICII, AMERINI Bellum civile Helveticum* Anno MDCLVI in duodecimo, tribus foliis. Sub hac persona Waltherum Schnorfium, Badensem, Caspari Ludovici, Equitis et apud Aquensem Civitatem Praetoris et vexilliferi, meritis inclyti viri patrem latere voluisse prodiderunt Basilienses in supplementis ad Buddei Lexicon historicum. At certioribus indiciis compertum habeo, non Schnorfium sed Pappum quendam a Canonicis capituli Constantiensis, non ignobilis foetus genuinum esse parentem.

18. *JOHANNIS HENRICI HOTTINGERI Speculum Historico-Tigurinum* πενταγωνον quo breviter et succincte de Helvetiorum, Tigurinorum cumprimis agitur statu I. Politico. II. Ecclesiastico. III. Militari. IV. Eventuali. Accedit V. Compendium Chronologicum de rebus Tigurinorum. Secundum Editionem unicam Tigurinam Anno MDCLXIV. in duodecimo, Foliis viginti sex. Hoc opusculum totum loca ex antiquis monumentis diplomatibusque summa diligentia decerpta et erudito cum judicio exquisita conficiunt absolvuntque.

19. *EJUSDEM Irenicum Helveticum* sive axiomata, quae Helvetiis pacis et concordiae studium excitare queant. In Octavo, Anno MDCLIV. tribus foliis.

20. *EJUSDEM Methodus legendi historiam Helveticam* sive canones in lectione historiae domesticae observati. Accedit urbis Thuricensis ex vetustis Monumentis σκιαγραφία in octavo, foliis viginti septem. Canones illi sunt arbitrarii ex diversis observationibus, quas historia Helvetica magno numero suppeditare potest, derivati.

HELVICUS sive *Helwicus* ex Thuringia Germanus, Ottocari Bohemiae Regis Ducis Austriae et Stiriae ac Moraviae Marchionis notarius scripsit *Rationarium Austriae et Stiriae*, quod partim An. 1265 et 1267 sub Ottocaro Rege, partim An. 1283 sub Imperatore Rudolpho, profitetur se composuisse MStum in Bibl. Caesarea. Hoc, in syntagmate rerum Germanicarum edere voluit Lambecius, et post eum Daniel Nesselius, sed prius quam hocce promissum implerent, rebus humanis ambo exemti. Vide Lambecium tom. 2. pag. 2. et pag. 71. sq. qui prima capita Rationarii Syriae exhibet pag. 75. seq. et Rationarii Austriae pag. 78. seq. Omitto *Chronicon de finibus Austriae et Stiriae* quod ejusdem Helvici manu An. 1265. scriptum Germanice servat eadem Bibliotheca Vindobonensis, atque evoluisse se testatur Wolfgangus Lazius libro de migratione gentium septimo pag. 400. 401. 402. 404. 409. 413. Vide iterum Lambecium tom. 2. pag. 958.

HELVIDIUS Gennadio cap. 32. d. S. E. et Honorio Augustod. II. 32. testibus *Auxentii discipulus, Symmachi imitator*. Auxentium intelligunt viri docti Mediolanensem Episcopum, Arianum *Symmachum* vero non idolatriae defensorem quem Prudentius oppugnavit, sed Ebionitam a) notari mihi persuadeo. *Scripsit* Gelvidius *religionis studio, sed non secundum scientiam, librum neque sermone neque vera ratione nitidum, in cujus opere ita sanctarum Scripturarum sensum ad suam perversitatem flectere conatus est, ut earum testimoniis asserere voluerit, S. Mariam post nativitatem Domini, quae virgo peperit, Joseph*

a) De hoc III. 12. Bibl. Gr. §. 10. p. 557.

sponso suo junctam, et ex ejus consortio filios suscepisse, qui fratres Domini appellati sunt. Cujus pravitatem HIERONYMUS arguens, libellum documentis Scripturarum sufficienter factum, adversum eum edidit, in quo ostendit beatissimam Mariam genitricem Domini nostri JESU CHristi sicut virginem ante partum, ita virginem permansisse post partum. Haec Gennadius, qui Helvidii sententiam *blasphemiam* vocat cap. 69. de dogmatibus Eccles. Vide et Epiphan haeresi 78. Augustinum et Praedestinat. haeresi 84. Ildefonsum de virginitate Mariae c. 2. Hieronymi liber adversus Helvidium circa Annum 383. scriptus saepe inter Doctoris illius opera lucem vidit, in quo et quaedam Helvidii fragmenta, editionis novae tom. IV. pag. 131. 133. 134. 135. etc. Conferre etiam licebit Friderici Spanhemii Patris, dubia Evangelica tom. 1. pag. 220. seq. Andream Rivetum tom. 3. Opp. pag. 6040. Tillemontii memorias tom. 12. pag. 81. seq. Joannem Saubertum in Palaestra diss. pag. 227. seq.

Adamus HEMELENDUNUS sive *Hemlingtonus*, suprà in ADAMO tom. 1. pag. 10.

HEMERICUS, vide EMERICUS Monachus supra tom. 2. pag. 506. et Nicolaus EYMERICUS pag. 541. AYMERICUS *de Peyraco* tom. 1. pag. 150.

HEMERICUS *de Campo*, Vicecancellarius Coloniensis missus ad Concilium Basileense An. 1430. Ejus *problemata* inter Albertum M. et S. Thomam ad utriusque opinionis intelligentiam conferentia prodierunt Coloniae 1490. Sanderus parte 2. Biblioth. Belg. MSS. pag. 616. memorat ejus *Centilogicon, Millelogicon, Alphabetum Doctrinale. Speculare aenigma Universi. Testamentum doctrinale.* Scripsit praeterea *De auctoritate Generalis Concilii Compendium Quaestionum* ad Nicolaum de Cusa, postea Cardinalem. *Compendium Divinorum, libris IV. in IV. libros Sententiarum. De esse et essentia. Sermones et Quaestiones disputatas, Orationesque.* Vide Trithemium de illustr. Germanicis scriptoribus cap. 172.

HEMERICUS sive AYMERICUS *de Ripis*, Cenomanensis (Alberico ad Annum 1241. HENRICUS) Juris Canonici Doctor et ex Archidiacono Parisiensi Archiepiscopus Lugdunensis ab An. 1136. ad 1148. quo post Concilium cui interfuit Lugdunense, in Grandimontensem Abbatiam secessit, ibique obiit An. 1257. Ab Alberico vocatur *studiosus, studiosorumque amator praeclarus*: In epitaphio:

Laus Cenomanensis et gloria Lemovicensis.
Quo doctore prius et justo judice fulsit
Inclyta Parisius, et quo Pastore reluxit
Largus, famosus, subtilis et ingeniosus etc.

De eo Boulaeus tom. 3. hist. Academiae Paris. pag. 674. et Sammarthani tom. 1. Galliae Christ. pag. 323.

HEMMERLINI, supra FELIX *Malleolus* tom. 2. pag. 563.

HEMMINGUS Anglus Monachus et Presbyter Wigorniensis circa Annum 1095. cujus *libri V. de Ecclesiae Vigorniensis dotatione, privilegiis et possessionibus* MSti in Bibliotheca Cottoniana. Ex illis vita S. Wulstani Episcopi et Acta Synodi A. 192. habitae, aliaque apud H. Warthonum t. 1. Angliae sacrae pag. 541. seq. Alia etiam in Guilelmi Dugdale Monastici Anglicani tomo primo, ut praestantissimo Caveo jam notatum.

* HEMMINGUS alius Svecus falsa quaedam dogmata in eadem provincia sparsis de quibus *alia fuerunt contra fidem; aliqua contra Decreta SS. reliqua contra regulam Salvatoris S. Birgittae traditam. Quo vocato citavit eum Episcopus ad Lincopiam ubi dum comparuit convictus est de haeresi* etc. Leguntur haec in Diario Vazstanensi a Bezelio vulgato ad an. 1442.

HEMMO, supra HAIMO.

HEMOALDUS *Providus*, Anglo Saxo cui Beda libellum de ratione anni quadrantis sive bissexti dedicavit. Scripsisse et ipse nescio quae de rebus Mathematicis circa Annum 740. traditur a Baleo Centur. 2. cap. 2. et a Pitseo p. 143. de quibus silet Lelandus cap. 95. pag. 143.

Gualterus HEMELINCTONUS infra RADULPHUS de S. Albano.

Petrus HENHAMUS, Monachus Anglus Vallidenensis, res Anglicas a tempore Hengisti Saxonis, sive a medio seculo post CHristum natum quinto, usque ad Annum 1244. scripsit tam bona fide quam qui un-

quam optima, judice Lelando c. 233. quem sequuntur Baleus III. 83 et Pitseus p. 297.

HENRICIANI haeretici duplices in veterum scriptis memorantur: alii nomen ducunt ab *Henrico IV.* Imperatore et *Henrico V.* quos nemo mirabitur plus quam haereticos habitos ac pronunciatos fuisse, quod ambitioni Gregorii VII. et successorum ejus non prorsus suffragarentur. Et quanquam de Simonia Curiae Romanae plenisunt libri, a) tamen gravissima Henricis invidia facta est *haereseos Simonaicae* opprobrio, quod Episcopatuum et Ecclesiarum scilicet investituras pretio accepto vendere dicerentur. Vide Cangium in glossario Latino, et notis ad Comnenae Alexiadem p. 136. et Joannis Picardi notas ad Anselmi Cantuariensis lib. 3. Episs. 44. p. 569.

* Nunquam alienori loco suas in Ecclesiam Romanam criminationes Fabricius collocavit. Audet enim occasione Gregorii VII Ecclesiae Romanae Simoniam ne dicam commemorare, sed exprobare quasi inter doctos non constet nullum Romanum Pontificem severius in crimen simoniacum animadvertisse prae illo. Profecto si per illum stetisset gratis ecclesiastica omnia distributa fuissent. Et severas adeo in simoniam leges tulit, ut nullum vel tradi vel retineri beneficium passus fuerit, cui potiundo sive pecuniae sive assentationis obsequii aliquid intercessisset. Quam dein Rom. Pontifices dederint operam, ut labem hanc (quae est terrenarum rerum conditio ut rubiginem quandam sensim contrahant) paulatim corripientem Ecclesiam abstergerent. Vide ap. Tomasinum de nova et vet. Ecclesiae disciplina p. 3. t. 1. c. 59.

Quam vero Fabricius hic appellat Gregorii VII. ambitionem, nos sacerdotalem constantiam appellamus nolentis quippe pati servitutem illam, quam nec Christus induxerat, nec ratio suadebat.

a) Vide Joan. Launoji Rom. Ecclesiae circa Simoniam traditionem pag. 280. seq. 285. seq. Franc. Hotomanni brutum fulmen pag. 76. 81. Electorum Rom. Imperii querelam An. 1522 Oratori Pontificio in praesentia Caroli V. propositam; Petrum de Marca libro VI. de Concordia Sacerdotii et Imperii. M. Antonium de Dominis IX. 9. de Rep. Eccles. D. Justum Henningum Boehmerum diss. de involucris Simoniae detectis, Halae 1715. 4. et Juris Ecclesiastici tomo IV. B. Joan. Wolfgangi Jaegeri diss. de Simonia Curiae Romanae, Tubing. 1711. 8.

Alii HENRICIANI nomen habent ab HENRICO quodam Monacho eremita Petri Bruisii a) discipulo. Hic Lausanae primum b) tum circa Annum 1116. apud Cenomanenses c) praedicare atque plebem adversus clerum commovere coepit, deinde damnatus in Concilio Pisano An. 1134. d) idem tamen tentavit Pictavi, tum Burdegalae, ac denique An. 1147. apud Tolosanos. e) Haeresin ***Manichaeorum*** hisce Henricianis tribuit Heribertus II. 16. de S. Bernardi miraculis. Henrici ipsius *et turpitudinem in vita et errorem in doctrina* innotuisse scribit Hildebertus Cenomanensis Epist. 78. quorum testimoniis utpote hostium difficile est fidem omnino habere, atque ex dogmatibus quae illi impinguntur, quaedam ita sunt comparata, ut inter testes Veritatis f) etiam locum illi vindicent. Non alius ut puto Henricus de quo Reinerus libro contra Waldenses tom. 25. Bibliotheca Patrum Lugd. pag. 264. *Cum quidam haeresiarcha nomine* Hainricus - *duceretur ad mortem, dixit coram omnibus: Merito nos damnatis: quia, si status noster non esset minoratus, potestatem quam exercetis contra nos modo, hanc nos exercuissemus contra vos, omnes scilicet clericos et religiosos.*

HENRICUS I. Auceps, Imperator Romanus ab An. 919. ad 938. Ejus diplomata

a) Petrus Cluniacensis *Pseudo Apostolum Petri* inde vocat hunc Henricum; et Praef. ad librum contra Petro Brusianos pag. 1119. Biblioth. Cluniacen. *Post rogum Petri de Bruis, haeres nequitiae ejus, Henricus cum nescio quibus aliis doctrinam diabolicam non quidem emendavit sed immutavit. et sicut nuper in* tomo *qui ab ore ejus exceptus, dicebatur, scriptum vidi, non quinque tantum sed* plura capitula *edidit.*

b) S. Bernardus Epist. 241. ad Ildefonsum.

c) Auctor de gestis Episcopor. Cenomanensium apud Mabillon. tom. 3. Anslect. pag. 312. seq. (editionie novae p. 316. sd.) Pagi annum 1116. num. 19. seq. Mabillon. praef. ad S. Bernardum §. 69. sd.

d) Gesta Episcopor. Cenom. pag. 341. seq. (editionis novae pag. 323.) Pagi ad Annum 113?. num. 4.

e) Bernardus Epist. 241.

f) Vide Flacii Catalogum et Centuriatores Magdeburg. Sec. XII. Henrici Cornelii Heckeri diss. de Petrobruisianis et Henricianis, testibus veritatis. Lips. 1721. 4.

quaedam in illustris Besselii Chronico Gotwicensi tom. 1. pag. 139. seq. alia in Udalrici Babebergensis Codice apud Joannem Georgium Eccardum in corpore scriptorum medii aevi p. 63. seq. Rebus magni hujus Imperatoris illustrandis singulare ab aliquo tempore studium impensum a Joanne Henrico Boeclero de rebus Sec. IX. et X. an. 1656 tom. 3 Opp. pag. 185. Joanne Conrado Dieterico in historia Augusta Imperatorum Germanicorum familiae Saxonicae, Giessae 1666. Casp. Sagittario in antiquitatibus a) Marchionatus Thuringici: et singularibus scriptis a Nicolao Hieronymo Gundlingio, b) qui diplomata Henrici Aucupis subjunxit pag. 305. 314. Joanne Petro Ludewig, c) Conrado Hulsio, d) etc.

HENRICUS II. Sanctus, Imperator ab An. 1003 ad 125. De vita ejus ab ADELBOLDO scripta dixi tom. 1. pag. 31. ac praeter Gretserum in Divis Bambergensibus, et Acta Sanctorum tom. 3. Jul. pag. 711. seq. consulere de illa licebit D. Joannis Feitzii selecta ex historia Henrici sancti, Argentorat. 1612. 4. ut Joannem Conradum Dietericum aliosque utpote notiores omittam. Diplomata quaedam in laudato Chronico Gotwicensi tom. 1. pag. 227. seq. Supposititium de regalibus S. Petro concessis oppugnat Goldastus in replicatione pro Henrico IV. contra Gretserum pag. 338. seqq.

HENRICUS III. Niger, Conradi II. Salici F. Imperator ab An. 1046 ad 1057. Diplomata quaedam in Chronico Gotwicensi tom. 1. pag. 263. seq. Panegyricum quem sacellanus hujus WIPO illi scripsit versibus leoninis, edidit Canisius tom. 1. antiquar. lect. p. 191. (t. 3 edit. novae p. 164.)

HENRICUS IV. tertii F. Imperator ab A. 1057. ad 1105. Ejus Vita defuncti a synchrono scripta et Epistolae IX. in Urstisii tom. 1. pag. 380. 400. et apud Reuberum p. 182. seq. et a Reinero Reineccio: in his obvia etiam Epistola ad Hildebrandum. (Gregorium VII.) quae in laudati Eccardi Corpore tom. 2. pag. 173. Etiam Epistola ad Regem Celtarum, miseriarium ejus tragoediam continens, *quae* ut ait Albericus pag. 199. *saxeas quoque mentes ad mutabilium rerum aerumnas contemplandas ac deplorandas emollire posset.* Sed aliae ejus servatae ab Udalrico Babebergensi pag. 205. seqq. 265. seq. 269. et Diplomata quaedam in Chronico Gotwicensi tom 1. pag. 279. seqq. Anonymi Poëtae libri tres carmine hexametro Leonino scripti de bello Henrici IV. contra Saxones, exstant in Reuberi scriptoribus pag. 202. 216. et in Goldasti apologia pro Henrico IV. adversus Gregorii VII. Hanoniae 1611. Hanoviae 1611. 4. p. 20. sed syllabum scriptorum veterum in illa apologia obviorum memini me dare supra in Gregorio pag. 87. Historiam Henrici IV. singulari studio scripsit Joannes Stumpfius, editam Tiguri 1556. fol. non Latine sed Germanice. De HENRICIANIS haereticis, qui ab hoc consueverunt Henrico appellari, supra. Excommunicationis iteratae formulam An. 1076. et 1080. a Gregorio septimo habet Laurentius Cherubinus tom. 1 Bullarii pag. 52. Baronius aliique.

HENRICUS V. Henrici IV Filius Imperator ab An. 1105. ad 1126. Ejus diplomata quaedam in Chronico Gotwicensi p. 307. Restitutio investiturarum ab Imperatore, et restitutio regaliorum a Callisto II. Pontifice An. 1122. facta exstat apud Laertium Cherubinum in Bullario pag. 58. sq. Confer Alberici Chronicon ad Annum 1111. pag. 213. seq.

HENRICUS VI. Asper, Friderici I. Barbarossae F. Imperator ab An. 1190 ad 1198 Diplomata ejus nonnulla in Chronico Gotwicensi pag. 390. sq.

HERICUS VII. ex Comite Lucelburgensi Imperator ab An. 1308 ad 1314. De *vitae* ejus scriptore CONRADO Vercerio dixi supra tom. 1. pag. 388. ubi etiam de morte Imperatoris quam veneno infecta hostia illi attulisse traditur, a) de qua JOHANNIS

a) Acta Erud. Germanica LXII. tom. 6. pag. 88. seq.

b) de Henrico Aucupe Franciae Orientalis Saxonumque Rege. Halae 1711. 4. Mem. lit. de Trevoux 1712. pag. 2076. Acta Erud. 1711. pag. 424.

c) Henricus auceps historia arleeps. Halae 1713. 4.

d) Diss. de Henrico Aucupe Hunnorum prope Martisburgum Victore. Lipsiae 1686. 4.

a) Scriptores qui illud affirmant, produxere Sandius ad Vossium de Hist. Lat. et Martinus Diefen-

Bohemiae Regis, qui Henrici VII. filius, fuit Epistola data An. 1346. et crimen illud a Dominicanorum ordine prorsus removens, edita est a Baluzio tom. 1. Miscell. p. 162. Vide etiam Natalem Alex. tom. VII. Hist. Eccles. pag. 273. seq. Raynaldum an Annum 1313. pag. 128. Muratorium tom. 2. anecdot. Latin. pag. 28. et tom. XI. thesauri Italiae pag. 747. Gaddium tom. 1 de scriptoribus non Eccles. pag. 226. Henrici VII. et fratris ejus Baldewini de Luzenburg, Archiepiscopi Treverensis *vita* libris tribus scripta ab Anonymo exstat in ejusdem Baluzii Miscellaneis tom. p. 93. 161.

* Diplomata principis huius extant in MS. cod. Bibl. Riccardianae ut ex eius catalogo p. 163. Processus eius et Sententia contra Florentinos habetur vulgata a cl. Lamio in Deliciis eruditor. ex MS. cod. eiusd. Bibliot. t. 8. Bonincontri Hist. Sic. III. p. 200. seqq.

HENRICUS I. Rex Angliae cognomento Beloclericus, Parlamenti instaurator defunctus An. 1135. Ejus Leges editae ab Abrahamo Wheloco et Davide Wilhinsio ut dicere ne memini tom. 1. pag. 283. Vide Lelandum cap. 145.

HENRICUS II. Rex Angliae cognomento Plantagenetus seu Plantagenista. Hiberniam Angliae junxit A. 1175. obiitque An. 1189. De ejus Epistolis ad Alexand. III. Papam aliosque, quas plures scripsit, vide Baleum III. 26. et Pitseum pag. 153 qui etiam Leges ejus et Statuta celebrant. Epistolae eius nonnullae leguntur inter Thomae Cantuariensis Epistolas de quo infra. Vide iterum Lelandum c. 179.

HENRICI III. Regis Angliae Epistolae aliquot ad Rupertum Imp. cum RUPERTI Imp. responsione MSS. in Biblioth. Paulina Lipsiensi. Vide B. Felleri Catalogum p. 366 De *magna Charta* Henrici III. dixi supra tom. 1, pag. 283. Henricus III. praefuit ab An. 1216 ad 1271.

HENRICI VII. Salomonis Anglorum, qui An. 1508 cum viginti tres annos et octo menses regnasset, humanis rebus valedixit, vitam et res gestas, scite descripsit Baco Verulamius, qui Leges ejus pluribus cum celebrasset, pag. 1040. Opp. petit hoc a Lectoribus suis bonam in partem accipi, primo quod virtus ista eximia in hoc Rege fuerit, ut optimus Legislator esset: deinde quod illud ipsum in optimis historiarum scriptoribus merito desideretur, cum tamen Leges sint Acta Pacis principalia. *Etsi enim*, inquit, *in Voluminibus Legum ipsarum, maxima ex parte reperiri soleant, neutiquam tamen hoc tam bene informat judicium Regum et Consiliariorum et Virorum Civilium, quam si videant eas descriptas et veluti depictas in tabulis temporum.*

bachius in libro de vero mortis genere quo extinctus Henricus VII.

HENRICUS Abbas *S. Ægidii* Brunsvicens. et alius Nurimbergensis. Infra, HENRICUS *Lubecensis* Episcopus, et HENRICUS *Gulpen.*

HENRICUS *Afinius*, sive *Afineus*, Lyrensis, cujus Quaestiones Medicae et naturales excusae sunt Antwerpiae 1517 4.

HENRICUS *Affligemensis*, infra. *Henricus de Bruxellis.*

HENRICUS *Albanus* Episcopus, infra, *Henricus Claraevallensis.*

HENRICUS *ad Albanum* Monachus, infra, *Henricus Blancford*

HENRICUS *de Alemannia* super Ethica memoratur a Sandero in Bibliotheca Belgica MS. pag. 199 et Summa libri Ethicorum in B. Felleri Catalogo Codicum Bibliothecae Paulinae Lipsiensis pag. 390.

HENRICUS *de Amondavila*, sive *Amandi villa*, Chirurgus Philippi IV. Francorum Regis circa Annum 1306. Ejus *Chirurgia* MSta in Bibliotheca Hohendorfiana, quae in Caesaream illata est. Vide part. 3. Catalogi Hohendorfiani pag. 274.

HENRICUS *de Andernaco*, Teutonicus, Carmelita Parisiis primum clarus, deinde apud Colonienses circa Annum 1390. De eo Trithemius cap. 141 de illustribus scriptoribus German. et cap. 688 de S. E. qui scripta ejus refert, Commentarium *in Sententiarum libros quatuor, Quaestiones notabiles Philosophiae*, *Sermones* de tempore et de Sanctis. Nec plura Alegrius p. 374.

HENRICUS *de Aquila*, itidem Germanus, et Carmelita, Doctor Parisiensis circa Annum 1330. Scripsit *in Cantica Canticorum*, et *Quodlibeta*, *Quaestionesque ordinarias*, et librum *contra Petrum de Cro-*

salit. Haec idem Alegrius pag. 286 ex Possevino, cui *Petrus* ille *de Crosa* appellatur.

HENRICUS *Aquilonipolensis* patria, disciplina et studio Witebergensis, carmine elegiaco descripsit *Naumachiam* An. 1511. die Laurentii pugnatam inter classes Regis Daniae Johannis atque Urbium Vandalicarum foederatarum. MStum habuit Henricus Meibomius avus, a quo Francofurti 1620 4 vulgata ejusdem *Adolpheis* de gestis Comitum Theorosburgensium, sive Schaumburgensium, et Hamburgensis Civitatis, itidem versibus elegiacis, una cum libris duobus *de primordiis Lubicanae Urbis Caesareae* eodem carminis genere: quae utraque recusa dedit Henricus Meibomius nepos t. 1. rerum Germanicarum pag. 599 605. Alias ejus lucubrationes memorat auctor Centuriae scriptorum a Madero editae, *de vita et laudibus S. Augustini*, itidem versibus, nec non *Epigrammata*, et soluta oratione *Sophologiam*.

HENRICUS *Archidiaconus*, cujus *Epistolam de Regibus Britonum* ad Britonem *Varinum* circa Annum 1039 et fragmenta ex ejus *Historia* servavit ROBERTUS *de Monte*, qui circa Annum 1184 scripsit, ediditque Lucas Dacherius ad calcem Guiberti de Novigento pag. 736 740. seq. Parisiis 1651. fol. infra *Henr. Huntington.*

HENRICUS de *Arena*, sive *Harena*, vitiose aliis *Hanna*, Anglus, Norvicensis Carmelitarum Provincialis, qui diem obiit Stanfordiae An. 1299 (non, ut apud Cangium e Possevino, 1399.) Scripsit *Ordinationes Conventuum*, sive Coenobiorum sui Ordinis. *Sermones. Formulas Epistolarum.* Vide Alegrium pag. 276.

HENRICUS *Arnoldi*, Prior Carthusiae Basileensis, defunctus Anno 1487 de quo Trithemius de illustr. German. cap. 226. et de S. E. cap. 872. Ex scriptis ei memoratis, librum *de commendatione charitatis* edidit Bernardus Pez tomo sexto Bibliothecae Asceticae, sed sub titulo *Dialogi de modo perveniendi ad perfectam DEI, proximique dilectionem.* Caetera sunt: Meditationes *de vita CHristi. Concordantia Evangelistarum de passione Domini. Dialogus inter JESUM et Mariam.* Alius *inter S. Margaretham et ejus servulum, de exercitiis spiritualibus.* Alius inter eosdem *de Cruce.* Orationes *duae de humilitate. Chronica domus Carthusiensium Basil.* Tractatus *de Novitiorum instructione. Orationes. Sermones. Historiae de diversis Sanctis. De immaculata conceptione B. Virginis.*

HENRICUS *Augiae* divitis Abbas, infra, *Henricus de Kalve.*

HENRICUS *Autissiodorensis* supra, ERICUS tom. 2, pag. 517.

HENRICUS *de Balma*, sive *de Palma*, supra, BALMA, tom. 1, pag. 157.

HENRICUS *Beaufort*, Anglus, Episcopus Wintoniensis et ab Anno 1426. Cardinalis, An. 1447 defunctus. Vide Henrici Warthoni Angliam sacram tom. 1, pag. 318. et 800. Interfuit Concilio Constantiensi A. 1417 sq.

HENRICUS *Bebelius*, supra, BEBELIUS, tom. 1, pag. 172.

HENRICUS *Bedericus*, sive *de Bury*, Suffolciensis, Anglus, Augustinianus circa Annum 1380 scripsit *Quaestiones Theologiae, Lecturam*, sive *Commentarios in Magistrum Sententiarum*, *Sermones* per annum, et *de B. Virgine.* Vide Pitseum pag. 237 ex Balei VI. 51.

HENRICUS *Benedictinus*, de quo Albericus ad annum 1156. *Et Magister Henricus degens in Bituria, de nigro ordine Monachus, nobile opus* super Esaiam, *et multa alia edidit.* Vide infra, HERVEUS.

HENRICUS *Bercholtsgadensis*, infra, *Henricus Saltzburgensis.*

HENRICUS *de Bernten* Marienrodensis scripsit *Chronicon Monasterii Marienrodensis* Ord. Cisterc. prope Hildeshemium inde ad An. 1210 ad 1454 fatisque concessit A. 1463. Prodiit illud Chronicon in illustris Leibnitii scriptoribus Brunsvicensibus t. 2. pag. 432 seq. cum brevibus continuationibus, a recentiore manu pag. 464 469 usque ab An. 1580. de quibus adeunda laudati Leibnitii prolegomena num. XXXVI.

HENRICUS *Blancford* Anglus circa An. 1425. Monachus ad S. Albanum Ord. Bened. scriptor *Chronici* edendi a V. C. Tho. Hearne. Vide infra Tho. WALSINGHAM.

HENRICUS *Blesensis*, infra *Henr. de Soliaco.*

HENRICUS *Bodo* in Coenobio Clusano Gandersheimensi vicino, Monachus Benedictinus auctor *Chronici Picturati*: scripsit etiam plena bonae frugis Chronica duo: *Gandesianum* sive *Gandersheimensis* et *Clusinum* Ediderat *Gandesianum* illud syntagma de constructione perfectione et defectione Coenobii Gandesiani Henricus Meibomius tom. 2. rerum German. pag. 479. 509. Sed amplum supplementum addidit Leibnitius tom. 2. scriptor. Brunsvic. pag. 345 addito Chronico *Clusino* pag. 345 370 quod in Anno 1541 desinit.

HENRICUS *Bohit* super I. III. et IV. Decretalium MS. Lipsiae in Bibliotheca Paulina. Vide mox, *Henr. Boyk.*

HENRICUS *Bonicolli*, infra *Henricus Gandavensis.*

HENRICUS *Boyk* Germanus Carmelita Episcopus Croatiensis circa An. 1360. Possevino teste scripsit *de celebratione missarum*: et *Epistolas* ad Joannem Hildesheimensem, aliosque.

HENRICUS *Boyk* sive *Boick* Brito Armoricus, JCtus circa Annum 1390 de quo supra tom. 1, pag. 233. Praeter commentarios in V. libros Decretalium, Trithemius de S. E. cap. 671 etiam ejus Commentarium *in librum sextum Decretalium* commemorat. Commentarios autem *in Decretum* negat se vidisse.

HENRICUS *de Boyo* sive *Boyus* Carmelita, Doctor Parrisiensis circa Annum 1450 cujus apud Possevinum, Alegrium aliosque laudantur *Quaestiones variae*, et Commentarius *in IV. libros Sententiarum.*

HENRICUS *Brabantinus*: infra *Henricus Lubecensis* Episcopus.

HENRICUS *de Bracton* sive *Brachedunus* alius *Bratton*, *Breton*, *Britton*, a) *de Bryctona*, JCtus Oxoniensis circa Annum 1240 et Praeses Justitiae per annos viginti sub Henrico III. Scripsit *de Legibus et consuetudinibus Anglicanis libros quinque.* Vide Baleum III. 98 et Pitseum pag. 310. Lelandus cap. 276 *librum de legibus* vocat, cujus inscriptio libri in Bibliotheca Branomensi, *Brito.* In Catalogo Biblioth. Cottonianae pag. 79. b. *Bractonus de legibus et consuetudinibus Anglicanis.* De Epitoma ejus supra pag. 168 seq. in GILBERTO *Thorntono.*

HENRICUS *Bradoha*, (Possevino vitiose *Brundshaw*) Cestriensis, Anglus, Ord. Benedict. diem obiit An. 1513 scripsit teste Baleo IX. 17 et Pitseo pag. 690. *Chronicon* nescio quod, et *Vitam Werburgae Virginis*, Seculo octavo, ex Regali stirpe, de cujus vita a GOSCELINO scripta dixi supra pag. 72. Addit nescio quo auctore Pitseus, ab Henrico scriptos etiam libros plures *de antiquitate et magnificentia Urbis Cestriae.*

HENRICUS Abbas in *Bretenau* sive *Britenaviensis*, Dioeceseos Moguntinae Ord. Bened. circa Annum 1132. Philosophus, Orator et Poëta, cujus scripta apud Guilelmum Eisengreinium et Possevinum haec laudari video: Dialogum in persona divitis epulonis, et pauperis Lazari. De seculi contemtu. Libellum Orationum. De conflictu virtutum et vitiorum. De duodecim abusibus. De lapsu primi hominis, ac de taedio praesentis exilii. De civitate, cujus nomen DOMINUS. De habitu Virginis et de Beatitudine. De resurrectione Sanctorum De cogitanda mortalitate. De Domino nostro JESU CHristo. De B. Maria Virgine. De corpore CHristi mystico. De fide Catholica ad Carnotensem Episcopum. Flosculorum librum et Hymnorum opus.

HENRICUS *Brundshaw* vide *Henricus Bradshaus.*

HENRICUS *de Bruxellis*, Monachus Affligemensis in Brabantia, Ordin. Bened. sub Seculi XIV. initia, *calculatoriae artis peritus* discordiam *naturalis computi* Lunae et Cycli decemnovennalis *diligenter absolvens*, Kalendarium *ita distinxit*, *ut positis secundum Cyclum decemnovennalem suo loco primilunis*, *ipse e regione non solum qua die vel qua hora*, *sed etiam qua parte horae singularum* lunationum *singulis mensibus* accensio *contingeret*, *annotaret.* Haec de eo Henricus Gandavensis cap. 58 ex quo Trithemius II. 127 illustr. Benedictin. et illustr. German. cap. 98 et de scriptoribus Eccles. cap. 535 illi tribuit librum de ratione

a) Guilelmo Nicolsono pag. 224. Biblioth. Histor. Angl. *Joannes Bracton*, calami vitio, nam *Henricum* ipse vocat pag. 227. ubi de Thorntoni epitome.

computi, et Calendarium *de accensionibus* sive accessionibus lucis, ita enim apud Trithemium malim legere, non *incensionibus.*

HENRICUS *de Bury*, supra Henricus *Bedericus.*

HENRICUS *Calteisenius*, infra *Henricus Kalteisen.*

HENRICUS *de Caleto,* (Chalhem) aliis vitiose *de Carreto.* Ord. Minor. Episcopus ab Anno 1300. Lucanus sive Lucensis, et relicta ob Schisma Pontificium cathedra defunctus An. 1330. Vide Ughellum tom. 1, pag. 823 et Baluzii Papas Avenionenses sex tom. 1, pag. 609. Scripsit, teste Waddingo pag. 163 volumen mediocre, *super visionem rotarum Ezechielis Prophetae.* MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 781. teste Jacobo Longo, et Tolosae in Bibl. Collegii Fuxensis. Nescio ejus ne sit *Epistola* sub *Ezechielis* Prophetae nomine *super causa schismatis in Ecclesia*, quae MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, teste B. Fellero pag. 91. Ejus scriptum *de nullitate processuum Joannis XXII. contra Ludovicum Bavarum*, exstat in Freheri scriptoribus rerum Germaniae pag. 661. 654.

* Synodales eius constitutiones incerto anno in synodo Dioecesana latas, ratasque ex MS Lucensi Codice ego vulgavi in supplementor. ad concilia Veneto Labbeana t. II 307.

HENRICUS *de Campo*, supra *Hemericus*

HENRICUS *de Campo*, Theologus Lovan.

HENRICUS Chichley, ex Episcopo Menevensi *Cantuariensis* ab Anno 1413. ad 1443. Archiepiscopus. Vide H. Warthoni Angliam sacram tom. 1 p. 122. et Arthurum Duck in ejus vita. Oxon. 1616. 4. Ejus constitutiones Ecclesiasticae leguntur, in tomis Conciliorum ad A. 1415. 1416. 1417. Vide t. XI Biblioth. Graecae p. 617.

De convocatione Cleri Londinensi An. 1438. qua super postulatis Papae, Synodum consulendam censuit, quod a Normannorum temporibus factum non fuerat, idem Warthonus pag. 668. Et de Epistola ad Regem pag. 800. cui demonstravit injuriam a Papa fieri quod Episcopum Wintoniensem Legatum suum per Angliam et Cardinalem creasset.

HENRICUS *Cardinalis*, vide *Henricus Beaufort*: *Claraevallensis*, *Ostiensis*, *Segusinus*.

HENRICUS *Carnotensis*, infra, *Henricus Surdus.*

HENRICI *de Carreto*, supra, *Henricus de Caleto.*

HENRICUS *de Castro Marsiaco*, infra *Henricus Claraevallensis.*

HENRICUS supra HEMRICUS *de Ripis.*

HENRICUS *Chichley* sive *Chichele*, supra, *Henricus Cantuariensis.*

HENRICUS de Castro Marsiaco Abbas An. 1161. Altaecombae in Sabaudia et A. 1177. *Claraevallensis* Ord. Cisterc. deinde Anno 1179 sub Alexandro III. Episcopus Albanus sive Albanensis in Campania Romana, et Cardinalis, Legatusque Apostolicus sub Gregorio VII. diem obiit An. 1185 De eo Ughellius tom. 1. pag. 254. seq. Sammarthani t. 4. pag. 31. et 256. Oudinus t, 2. p. 1559. Ejus scripta haec extant in tomo tertio Bibliothecae Cisterciensis Bertrandi Textoris sive Tissieri. Commentarius sive sermones *de peregrinante Civitate DEI.* Declaratio *adversus Albigenses,* quae ex Baronio ad Annum 1178. num. 29-37 extat etiam in Chrysostomi Henriquez libro 2. fasciculi Sanctorum Ord. Cisterc. dist. 25. *Epistolae ad diversos*, conferendae cum *Epistolis undecim* quas ex Codice Claraevallensi edidit Edmundus Martene t. 1. anecdotor. pag. 576. seq. His nuper accessit *Censura morum et corruptelae inter Clericos et Sacerdotes sui temporis*, quam vulgavit Joannes Petrus a Ludewig in Reliquiis MStorum et diplomatum ineditorum t. 2. p. 438-441. *et litterae quibus convocat Praesules Germaniae ad Comitia deliberaturos de bello sacro adversus Saracenos* id. p. 449-452.

* Inter epistolas a Martene t. 1. vet. mon. vulgatas legitur pariter eius edictum quod dein Io. Petrus Ludewig in cuis reliquiis t. 1 vulgavit sub hoc tit. *Censura morum et corruptelae inter clericos et sacerdotes sui temporis.* In Ludewigo tamen integriores sunt litterae istae quam apud Martene; vicissim autem Martenis illae multo correctiores sunt Ludevvigianis. Prae-

stat insuper animadvertere nec litteras illas Ludevvrigi integras essa, ved habere in fine assutum fragmentum alterum epistolae forte ab altero authore, et diverso de argumento scriptae: vide quae hac de re scripsti in t. 2. supplem Concil. p. 742.

HENRICUS *Clericus* Pomposiani Monasterii, cujus Epistolam de comparata Bibliotheca An. 1093. ad Stephanum, quem Philosophiae sponte decenter imbutum appellat, edidit celeberr. Montfauconus Diarii Italici r. 84-96.

HENRICUS *a Clingenberg*, infra *Henricus Constantiensis*.

HENRICUS I. de Fautreriis, Abbas undetrigesimus *Cluniacensis* ab Anno 1308. ad 1419. atque inde Episcopus in Flori in Aquitania, defunctus A. 1320 cujus *collectionem Statutorum Cluniacensium* in quatuor partes digestam edidit Andreas du Chesne in Bibliotheca Cluniacensi Paris 1614. f. p. 1542-1590.

HENRICUS *Cnigthon*, Lelando cap. 429. *Cnitiodunus*, infra *Henricus de Knighton*.

HENRICUS *de Coesveldia*, *Consveldia*, *Cosweldia* Westphalus, Prior Carthus. S. Mariae prope montem B. Gertrudis in Hollandia, obiit An. 1440 de quo Trithemius c. 125 scriptor. German. et de S. E. c. 747 memorans ejus *expositionem mysticam in Exodum*, *in Epist. ad Romanos. Contra vitium proprietatis religiosorum. De tribus custodiis Monachicis. De tribus votis substantialibus Religionis, libri II. De institutione Novitiorum. Circumcisorum Mysticum. Librum de Sacramento Altaris. De annuntiatione Dominica. Eulogium Pauli, primi Eremitae. Sermones de tempore et de Sanctis. Epistolas ad diversos et compendium operis* GUILELMI Parisiensis *de universo corporeo et incorporeo*. De hoc Guilelmo, inter cujus opera liber uterque de Universo lucem vidit, dictum supra, pag. 149.

HENRICUS *de Colonia*, infra, *Henricus de Piro*.

HENRICUS de Brandis, Episcopus *Constantiensis* ab Anno 1363 ad 1383 a quo scriptum *Horologium aeternae sapientiae* memorat Possevinus.

HENRICUS Clingenberg sive Klingenberg, *Constantiensis* Episcopus ab Anno 1294 ad 1306 scriptor *Chronici de Principibus Habsspurgiacis*.

HENRICUS de Hoven, Episcopus *Constantiensis* ab An. 1436 ad 1462 ad quem Æneae Sylvii Epistolae, 71 et 116.

HENRICUS Gundelfingen *de Constantia*, Capellanus Friburgensis circa Annum 1476 scriptor *Chronici Historiae domus Austriae* Vide supra pag. 163.

HENRICUS *Cosseius* seu *Costesejus*, Anglus, Ord. Minor. obiit An. 1336 *Lectura* ejus *in Apocalypsin* et *majores* quoque in eandem *Commentarii* MSS. in Angliae et Belgii Bibliothecis. Vide Jacobi Longi Biblicam exegeticam pag. 771. *Tertios* etiam hujus Henrici in Apocalypsin *Commentarios* memorant Baleus V. 38 et Pitseus p. 432 ac praeterea explanationem *in Psalterium*, et *in varios textus S. Scripturae*. Sic et Waddingus pag. 163.

HENRICUS *de Cosweldia*, supra *Henricus de Coesveld*.

HENRICUS *Crixtedus* (vitiose *Criatedus*) Anglus, Monachus Benedictinus, a Possevino atque inde a Pitseo pag. 862 aliisque traditur scripsisse in Regulam S. Benedicti.

HENRICUS *Cuyckius*, Episcopus Ruremundensis scripsit *Officium S. Gerlaci* Eremitae Ord. Praemonstratensis, obvium in Bibliotheca Praemonstratensi Joannis le Paige pag. 499 sed junior est quam ut lector exspectet eum hoc loco a me commemorari, defunctus An. 1609. Caetera ejus scripta dabunt Valerius Andreas pag. 349 et Franciscus Sweertius pag. 326.

HENRICUS *Daniel*, Anglus Monachus Ord. Praed. sed artis Medicae peritus, circa Annum 1379 ad amantissimum sodalem suum Gualterum Catenaeum sive de Keten, Medicinae Doctorem scripsit *manipulum florum de morborum remediis*, et *uricrisiarum* sive *de judiciis urinarum* libros III. Vide Baleum VI. 58. Pitseum pag. 521 et Jacobum Quetif, tom. 1, pag. 676.

HENRICUS *de Dolendorpio*, Carmelitarum Prior Provincialis, defunctus Coloniae An. 1375. a) Ejus commentarium *in IV. li-*

a) Al. 1365 vel. 1306 minus recte. Vide Possevinum.

bros Sententiarum memorat Trithemius cap. 654. de S. E. atque de scriptoibus Germanic. 115 ubi addit *Sermones* ad populum : Possevinus in apparatu atque Alegrius pag. 304 etiam librum *in Philosophiam moralem*.

HENRICUS *Ebredunensis* Archiep. infra, *Henr. Ostiensis*.

HENRICUS *de Enckefeld*, Carthusianus Gemnicensis in Austria, ad quem Anonymus scripsit Epistolam Historicam de eventibus et rebus per Europam gestis A. 1456 editam a V. C. Bernardo Pez tom. 2. anecdotorum parte 3. pag. 343 352.

HENRICUS *de Eimbeck* sive *Eymbeck*, Saxo dictus *Magister Engelus*, b) Theologiam et Philosophiam docuit Pragae, ibique legit et complevit An. 1373. *Lecturam super IV. libros Sententiarum, Logicam* et *Vocabularium*. Oportet ad summam senectutem pervenisse, quoniam Trithemius cap. 176 de scriptoribus Germ. testatur eum diem obiisse in Herdegessen, prope oppidum Gottingense in Saxonia An. 1430.

HENRICUS *de Erfordia*, infra *Henricus de Hervordia*.

HENRICUS *Esseburnus*, *Ercheburnus* (Lelando cap. 316. *Iscaeburnus*) Anglus Ord. Praed. circa Annum 1280 scripsit commentarios *in Parabolas* atque *in Ecclesiastem Salomonis*. Hisce a Lelando memoratis Baleus IV. 53 et Pitseus pag. 360 addunt *Lecturam Bibliorum*, *Processus in Theologia* et *Sermones*. Neque alia Jacobus Quetif. tom. 1, pag. 382.

HENRICUS *de Estria*, Prior Ecclesiae Cantuariensis, cujus *Catalogum Archiepiscoporum Cantuariensium* ab Anno CHristi 599 usque ad Walterum (qui fuit ab An. 1313.) edidit H. Warthonus tom. 1. Angliae Sacrae pag. 83 84.

HENRICUS *Euta*, infra, *Henricus Oyta*

HENRICUS *Euticus* Norimbergensis, Philosophus et Medicus qui Augustae Vindel. et circa Annum 1495. Francofurti ad Moenum artem suam exercuit, scripsit *Satiram in Sophistas* humaniorum litterarum inimicos : et vario carminis genere *scommata* seu urbanos et lepidos Juvenum *jocos, Epigrammata* quoque et *Laudes B. Mariae Virginis* atque *Epistolas*, et opuscula plura *Medica*. Vide Trithemium de illustr. German. c. 256 et de S. E. c. 931.

HENRICUS *de Ferraria, Firmaria, Frimaria*, infra *Henricus de Vrimaria*.

HENRICUS *Florentinus*, infra, *Henricus Septimellensis*.

HENRICUS *de Firmaria* infra *Henricus de Vrimaria*.

HENRICUS *Friso*, Carthusianus circa Annum 1500 scriptor *Chronici* sui Ordinis, libri *de Vita et de Novitiorum instructione*.

HENRICUS *Goedhals* (Bonicollius) *Gandavensis*, vel Mudanus etiam, a Muda, Gandavi suburbio, Doctor Parisiensis, Archidiaconus Tornacensis : inter Scholasticos *Doctoris solennis* titulo celebris, defunctus Tornaci 1293 8. Sept. aet. 76. Vide Labbeum tom. 1. de *S.* E. pag, 422 seq. Scripsit *Theologica Quodlibeta* sive Quaestiones Parisiis disputatas *in IV. libros Sententiarum*, editas apud Badium Paris. 1518. Meminit eorum RANULPHUS Normannus, Canonicus Paris. An. 1274. apud Baleum tom. 3 hist. Academ. Paris. pag. 410. Alia *Quodlibeta* ejus *de variis materiis*, ordine digesta Alphabetico, Lovanii se vidisse testatur Valerius Andreas atque alibi *Quodlibetum de mercimoniis et negotiationibus*. *Summam Theologiae* seu *Quaestionum Ordinariarum* idem Badius Paris. 1520 excudit. Librum ejus *de Virginitate* MS. apud Sylvaeducenses Dominicanos atque *Summam de poenitentia* Namurci apud Cruciferos idem Andreas observavit. Praeterea Commentarios *in Aristotelis VIII. libros Physicorum* et *libros XIV. Metaphysicae*, et in alios ejus libros multos memorat Trihemius de S. E. cap. 497 et de scriptoribus German. cap. 90. *Sermones* item varios et *diversas in sacra pagina lecturas*. *Sermones*, Volum. in 4 in Bibliotheca Curiae, Episcopatus Chiemensis in Carniola repertos notavit Sweertius pag. 328. Athen. Belg. Mirum est utroque loco praeteriri a Trithemio libellum Henrici notissimum *de*

a) Sic Angelum de Brunsvico dictum fuisse *Magistrum Engelinum* notavit Trithemius cap. 219. de Scriptor. Germ. De illo Angelo supra tom 1. p. 260. seq.

Scriptoribus Ecclesiasticis, quem cum appendice XI. Capitum, auctore SILLEBERTO, cognomento Universali a) ad Sigebertum, primus edidit Suffridus Petrus, Leovardiensis Frisius Colon. 1580 8. cum vulgatis jam ante Hieronymo, Gennadio, Isidoro, Honorio. Deinde Aubertus Miraeus in Bibliotheca Ecclesiastica Antwerp. 1639 fol. quam cum Trithemio aliisque auctariis recudi curavi Hamb. 1718 fol. Quam porro scriptam ab Henrico tradunt *Vitam S. Eleutherii* Tornacensium Episcopi An. 531 defuncti, videndum est sitne illa quam sine nomine auctoris edidit Bollandus in Actis Sanctor. tom. 3. Februar. 20 pag. 180 Alius tamen est HENRICUS Canonicus Tornacensis, cui facta An. 1141. Revelatio refertur ab eodem Bollando pag. 195.

HENRICUS *de Gauda*, Augustinianus Heidelbergae docuit circa Annum 1435. scripsitque *in IV libros Sententiarum*: *De celebratione Missae. Quaestiones disputatas. Orationes.* Vide Trithemium cap. 775. de S. E. et de scriptoribus German. cap. 168.

* Scripsit non quidem in omnes IV. libros sententiarum at super priorem tantummodo librum, ut monet P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis pag. 160.

HENRICUS *de Geilnhusen*, Monachus Spanheimensis Ord. Bened. obiit An. 1489. Scripsit *Vitam S. Benedicti* carmine elegiaco. *Contra pluralitatem Beneficiorum. Epistolas* ad diversos et unam prolixiorem *de institutione spirituali. Sermones de tempore et de sanctis.* Vide Trithemium de illustribus Germ. cap. 228. Vossium de Hist. Lat. pag. 571. seq.

HENRICUS *Gorcomius*, *de Gorrichen*, *Gorickem*, sive *Gorckheim*, Batavus, Theologiae Doctor et Vicecancellarius Coloniensis circa Annum 1460. vide Trithemium de S. E. cap. 812 et de script. German. cap. 190. Scripsit *Conclusiones in IV. libros Sententiarum. De Superstitionibus* (de superstiosis quibusdam casibus seu cerimoniis Ecclesiasticis Colon. 1503 4. Lugd. 1621 8.) *De festorum celebratione* (Colon. 1503 4. Lugd. 1621 8.) *Contra Hussitas et Bohemos. Summarium dictorum S. Thomae. Sermones* et *Collationes. Quaestiones*, *Determinationes*, *Lecturas.* His apud Trithemium memoratis multa adduntur a Swertio pag. 328 et Valerio Andrea pag. 352. seq. *Conclusiones et Concordantiae Bibliorum ac Canonum in libros Magistri Sententiarum*, additis *Summariis*, tum etiam notatione locorum *in quibus Magister non tenetur*, Parisiis et in Anglia damnatorum. Argent. 1489. Basil. 1492. Colon. 1502. 1513. Venet 1506 fol. *Positiones in Aristotelem de Coelo et Mundo.* Colon. 1501. *Quaestiones Methaphysicae de Ente et Essentia.* ibid. 1502. *Libellus de puella Aurelianensi* inter Joanni Gersonis opera tom. 4 editionis novae pag. 859 863. *Quaestiones de Ente et Essentia.* ibid. 1502. *In libros Phisicorum Ethicorumque Aristotelis. De modo conjurandi Daemones*, sive *an practica ejiciendi daemones sit licita. De Sepultura et processionibus. De Simonia. De bello justo. De obligationibus. Complementum tertiae partis Thomae. De Sacramento Eucharistiae et efficacia Missae. De Divinis Nominibus. De Praedestinatione.*

HENRICUS *Gulpen*, Doctor Decretorum Abbas S. Ægidii Nurembergensis Ord. Bened. de quo Trithemius cap. 771 de S. E. et de illustribus Benedictinis II. 138. et de scriptoribus German. cap. 166. Scripsit *super septem Distinctiones de Poenitentia*: *Super dist. de Consecratione et de passione Domini.* Interfuit Conciliis Constantiensi et Basileensi.

HENRICUS *Gundelfingius* de Constantia, de quo supra pag. 163.

HENRICUS *Hachemburg* sive *de Hachenburgo*, Ord. Praed. Conventus Confluentini, circa Annum 1440. Hujus duobus locis facit mentionem Trithemius de scriptoribus German. c. 123 et de Scriptoribus Eccles. c. 718 sed ex scriptis ejus nihil commemorat praeter *Sermones* de tempore, de Sanctis et de Quadragesima. Nec plura Jacobus Quetif. tom. 1, pag. 780.

HENRICUS *haereticus.* Supra pag. 193.

HENRICUS *de Hanna*, sive *de Harena.* Supra, *Henricus de Arena.*

HENRICUS *Harclejus*, *Harchelejus*, *Har-*

a) Voss. p. 490. de Hist. Lat.

keley, Harkelaeus Anglus, sacras litteras edoctus Oxonii, clarusque circa Annum 1396. Scripsit *super Magistrum Sententiarum*, *et de Transsubstantiatione.* Incip. *Utrum de necessitate Salutis.* Praeterea *Quaestiones Theologiae*, *Determinationes et Quodlibeta.* Vide Baleum VI. 95. quem sequuntur Pitseus p. 562. Possevinus et c.

HENRICUS *Hardekese*, cujus *Rhetorica* MS. in Paulina Lipsiensi. Vide B. Felleri Catalogum. p. 365.

HENRICUS *Harphius* (non ut Labbeo t. 1. pag. 424. in mentem venisse video, *Citharaedum* notanto nomine, sed patriam *de Herp*, *Herph*, *Erp*, seu *Hierp*, pago Campaniae Brabanticae) Ord. Minor. Conventus Mechliniensis Guardianus diem obiit An. 1477. ut Sweertius, sive ut Valerius Andreas, 1478. Inter scriptores Asceticos et Mysticos non contemnendus visus, scripsit *De Theologia Mystica* tum speculativa tum affectiva *libros tres*: *Epithalamium* in Cantica Canticorum. 2. *Directorium* quod Belgice scriptum ab auctore, Latine vertit Petrus a Blomennena: atque 3. *Eden* sive *Paradisum Contemplativorum.* Prodiit Colon. 1529. deinde Brunone Lohero, Carthusiano curante 1555. cum praef. ad Ignatium Lojolam, Ordinis Jesuitici auctorem. Tertio cum introductione ad doctrinam libri secundi, per Petrum Paulum Philippum, Ord. Praed. Rom. 1585. quae sola editio, repurgata scilicet, indice Romano legenda permittitur, atque recusa est Brixiae 1601. Colon. 1611. 4. et Gallice, interpetre Johanne Baptista Machaldo Paris. 1617. 4. Vide Possevinum, Waddingum, Labbeum, H. Warthonum. *Compendium Directorii*, sive Collationes III. accommodatas pervenire cupientibus ad Christianae Religionis perfectionem. Antw. 1513. atque deinde alibi. *Speculum aureum praeceptorum DEI*, editum Mogunt. 1474. Norimb. 1481. Argent. 1486. Basil. 1496. Argent. 1520. 4. *Sermones de tempore et Sanctis*: *de tribus Paenitentiae partibus*; *de triplici adventu CHristi.* Spirae 1484. Haganoae 1509. *Speculum perfectionis*, Venet. 1524. Duas prolixas Conciones *de passione Domini* memorat Sanderus parte 2. Biblioth. Belg. MSS. pag. 137. *Tractatum de effusione Cordis*, Swertius p. 330. Tractatum *de modo fructuose recitandi Rosarium*, Waddingus pag. 164. Laudat hunc Henricum Trithemius de S. E. c. 817. et de scriptoribus German. c. 195.

HENRICUS *de Hassia*, senior, cognomento *de Langenstein*, Magister in Theologia et Vice-Cancellarius Parisiensis, Sacerdos inde et Canonicus Wormaciensis, denique ab Alberto, Duce Austriae, vocatus Theologiam docuit Viennae Austriae ab Anno 1384. usque ad 1397. quo diem obiit supremum: Carthusianis vel Augustinianis praeter rem a viris doctis accensitus. Vide Trithemium cap. 684. de S. E. et de scriptoribus Germanicis cap. 138. Bulaeum hist. Academ. Paris. t. IV. pag. 961. seq. ac praecipue Bernardi Pez dissertationem isagog. ad tomum 2. Anecdotorum pag. 74. et Oudinum tomo. 3. pag. 1252. seq. Hermannum ab Hardt prolegom ad tom. 2. Concilii Constantiensis pag. 10. seq. D. Nicolai Hieronymi Gudlingii Historiam Eruditionis, post auctoris obitum vulgatam Germanice tom. 2. p. 1889. seq. Epitaphium ei positum a familiari *Petro Lewin*, a) ita se habet:

Mortales cuncti, moveat vel tumba sepulti
Hassonis Henrici, vermibus expositi.
Mors est a tergo: sapiens homo se paret ergo.

Scripta ejus edita, maximamque partem inedita haec sunt:

Vocabularius Biblicus, editus sub initium typographiae, in folio, sine anni nota et loci.

Colloquium de animae conditionibus, al. *Soliloquium animae*, sive *Speculum animae*, b) post veterem editionem cum praefatione Jacobi Wimpehelingii An. 1507. 4. obvium in Orthodoxographis utrisque, Basileae 1555. p. 1321. et A. 1569. p. 1607.

De quatuor novissimis, sive *Cordiale* prodiit sub tempora typographiae nascentis in 4. In quibusdam Codicibus *Thomae* tribuitur *Haselbachio.*

a) Lambec. tomo 2. pag. 125.
b) Fortegesetze Sammlung vod Alten und Neuen A. 1731. pag. 1004.

De arte praedicandi, libellus exstat ex vetori editione Johannis Gruningeri, incipit: *Ars praedicandi est scientia docens.*

Sacerdotum secreta a) *circa Missam*, incipit: *Quam brevis fuerit Missa*, itidem ex veteri editione sine anno et loco. Et *explanatio Orationis Dominicae* ad Rev. in CHristo Patrem et Dominum Eckardum (al Erhardum, verius est Richardum,) Episcopum Wormatiensem; atque in *Salutationem Angelicam*; sive *Ave Maria.*

Sermo *in festo Lanceae et clavorum Domini*, vulgatus ex Codice Gothano a V. C. Johanne Henrico van Seelen, in Miscellaneis editis Lubecae 1734. 8. p. 378-393.

Regulae ad cognoscendum differentiam inter peccatum mortale et veniale, excusae cum S. Antonino et inter Johannis Gersonii opera, cui rectius auctori tribuntur.

De eruditione Confessariorum, Memmingae 1483.

Quaestiones XXXIII. de Contractibus et de ordine Censuum, b) in appendice Operum Gersonis, Coloniae 1484 fol.

De vitiis et erroribus spiritualium ad Johannem, Episcopum Wormatiensem, in Jacobi Gruytrodii, Carthusiani, libro de erroribus Christianorum.

De Discretione Spirituum, sive *de quatuor instinctibus* inter Gersonis opera, cura Cornelii Dielmanni, Antwerp. 1652. 8.

De verbo incarnato, inter Gersonis opera.

Consilium Pacis sive de Unione ac Reformatione Ecclesiae in Concilio universali quaerenda, scriptum Parisiis A. 1381. Ex hujus Consilii capite XVI. sq. Clariss. Harditus observat petita esse, quae sub *Johannis* GERSONII nomine legebatur: *Declaratio compendiosa defectuum Virorum Ecclesiasticorum.* Primus ex Codice Helmstadiensi auctoris, ut putat, avtographo edidit auctorique restituit laudatus Hermannus ab Hardt t. 2. Concilii Constantiensis parte 1. qui Johanni Gersoni lectum observat: inde Ludov. Ellies du Pin idem scriptum curavit excudi in appendice ad tomum secundum Gersonis Operum p. 809. Prodiit etiam Lipsiae scriptum simile A. 1697. ex Codice Gvelpherbytano. cujus editionis meminit Jacobus Lenfant in Historia Concilii Pisani pag. 51.

Dialogus de Schismate, in quo colloquuntur Clementinus pro Clemente VII. et Urbanista pro Urbano VI. Vide Baluzium tomo 1. Paparum Avenionensium p. 1230.

Liber *adversus* TELESPHORI, *Eremitae pronosticatoris*, *vaticinia de ultimis temporibus*, de fortuna Paparum, cessatione Schismatis, quod ab Anno 1378. Ecclesiam vexavit, et adventu Antichristi, ad Gregorium, Salisburgensem ab Anno 1396. Praepositum. Editus ab Bernhardo Pez tomo 1. Anecdotorum parte 2. p. 507 564. Hic est tractatus *de Schismate Paparum* ad Bertholdum, Frisingensem Episcopum: de quo Hardtius prolegom. p. 15.

Epistolam pacis quam in consilio cap. 15. Henricus allegat, atque doctum nec parvum opus vocat laudatus Hardtius, edere tamen intermisit, perinde ut *Epistolam* prolixam *ad Episcopum Wormatiensem* de flebili illorum temporum conditione, in qua pluribus disserit de HILDEGARDIS vaticiniis. Adde Bulaeum hist. Academ. Paris. tomo 3. pag. 1259.

Contra disceptationes et praedicationes contrarias fratrum Mendicantium, (*Joannis de Montesono* in Urbe Parisiensi, aliorumque,) *super conceptione S. Mariae Virginis*: *et contra maculam S. Bernardo mendaciter impositam.* Vide Oudinum tom. 3. pag. 1255 et de illa macula, quae notavi supra tom. 1, pag. 205. Librum hunc editum primum Mediolani 1480 etiam impressum in Germania in 4 vidit Gesnerus.

De vitio proprietatis Monachorum, sive *Religiosorum.* Incipit: *Regularium, sive Claustralium sacra Religio.*

Tractatus sive Sermo in illud, Matth. XIX. 27. *Ecce nos reliquimus omnia.* Vide Pezium pag. 76.

De modo celebrandi et recipiendi Sacramentum Eucharistiae.

Meditatio devota Missam cantaturi. Incipit: *exurge nunc, anima mea.*

a) Videntur haec illa dicta *Secreta Secretorum*, quae memorant vulgata Daventriae 1501

b) Typorum vitio *Sensuum* excusum apud Oudinum tomo 3. pag. 1261. et in Gundlingiana Eruditionis historia tom. 2. p. 1891.

De moribus et vita Canonicorum Regularium. MS. in Bibl. Basil.

De vita Religiosa.

Epistola invectiva contra aemulos Cleri. MS. in Bibl. Augustana.

De eruditione Sacerdotum, ibid.

De Mundi contemtu. ibid.

Lectura super prologo Bibliorum. Incip. *Ita scribitur in capite totius.*

Tractatus *de Verbo in Divinis.* Incip. *quis mihi det Verbum.*

Quatuor volumina prolixa *in quatuor prima Geneseos Capita,* quibus explicandis multos annos impendisse traditur ab Henrico Pantaleone in prosopographia, aliisque.

Tractatus *de decem praeceptis*, quanquam alii Codices hunc tribunt HENRICO *de Vrimaria.*

Commentarius *in Canticum Canticorum.*

Auctoritates Sacrae Theologiae, sive Tractatus, scientiae Divinae commendatorius.

Scriptum *super XI. Zachiae*, *de ultimis temporibus praecedentibus Antichristum.* MStum iu Paulina Bibliotheca Lipsiensi.

Tractatus *de instantibus.* MS. in eadem Paulina.

Summa Quaestionum in quatuor libros Sententiarum. MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensis.

Commentarius in quartum librum.

Contra quendam Wiclefitam. Trithem.

De erroribus et moribus Christianorum. MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, una cum aliis aliorum de eodem argumento. Vide B. Felleri Catalogum pag. 146.

Liber IX. Quaestionum de passione Domini. Incip. *Primo quaeritur, an CHristus tribus vel quatuor clavis Cruci sit affixus.*

Tractatus de Passione Homini, per septem horas Canonicas.

Expositio Symboli.

Quaestiones de blasphemia et peccato in Spiritum Sanctum

Resolutio Quaestionis: *utrum mali spiritus sint magis solliciti contra hominem, quam Angeli boni in contrarium.* Incip. *Arguitur quod sic. Angeli non* etc. MS. in Codice Axpacensi, teste Pezio pag. 78.

Determinatio quarundam Quaestionum et Propositionum de Sacramento Eucharistiae.

Dubia de jejunio Ecclesiastico.

De officiis, locis et personis ad sacra deputatis.

De clavibus Sacerdotalibus. Incip. *Tibi dabo claves regni Coelorum* MS. in Bibl. Caesarea.

Quare DEUS permittat suos electos multipliciter in hoc Mundo tribulari. Incip. *Justus quidem tu es Domine.* Omnino diversum est hoc scriptum a *Soliloquio,* de quo supra, et quod incipit: *Anima mea, novi quod curiosa es.* Nescio an diversus sit etiam tractatus *De nobilitate animae,* qui teste B. Antonio Ruisero p. 46. MStus est in Bibliotheca Augustana, una cum ejus sermone *de Adscensione Domini*, et *Quaestionibus: utrum DEUS sit in aliquo genere: Num in DEO sit idem Essentia et Esse. Utrum e Sacra Scriptura Vet. Testam. et eorundem sensibus sit certum, CHristum venisse. Num Judaei credere debeant praedicationi Apostolorum secundum Prophetias Veteris Testamenti*, aliisque quaestionibus de eodem argumento, et *de dignitate Papae*, nec non de *Æternitate.*

Tractatus de poenis damnatorum.

Directorium pro audienda peccatorum Confessione, MStum in Bibliotheca Augustana.

De cognitione peccati, seu *de cognitione sui* et *de septem peccatis capitalibus* ad Ducem Albertum, quem librum Germanice ab Henrico scriptum laudatus Pezius p. 77. annotat. Lambecius vero tom. 2, pag. 775 monet in Bibliotheca Caesarea praeter varios *Sermones sacros* Henrici de Hassia servari tractatum *de septem vitiis mortalibus et aliquibus virtutibus ei oppositis.*

Sermones I. II. de Conceptione, III. IV. de assumtione, V. de Nativitate B. Virginis VI. de SS. Trinitate, VII. de S. Bernardo, VIII. in Coena Domini, et IX. in die Animarum MSS. Vide Pezium pag. 77.

Homilia *in illud Lucae XI. 27. Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.* MSta in Bibliotheca Regia Parisiensi.

De Visione Divinae Essentiae, et *de septem clavibus Scripturae*, et *de Divinis nominibus* memorat Sanderus in MSS. Belg. parte 2. pag. 172.

Epistolae, I. Luciferi nomine, Acherontis Imperatoris, Ducis Erebi ad Principes Ecclesiasticos. II. de contemptu Mundi, ad Joannem de Eberstein, Camerarium Moguntinum. III. De contemptu divitiarum. IV. ad Canonicos Neuburgenses. Vide Pezium pag. 79.

Epistola ad Johannem de Eberstein. Camerarium Moguntinum, eadem MS. in Bibl. Regis Galliae. Vide Oudinum t. 3, p. 1260.

Tractatus bipertius de Contractibus, et Epistola prolixa sive tractatus *de contractibus emtionis et venditionis*, XXVI documenta Salutis continens, ad Cives Wiennenses, MS. in Biblioth. Caesarea, Vide Lambecium tom. 2, pag. 125. Nescio an diversum hoc a scripto edito de Contractibus et Censuum ordine, quod supra jam memoravi.

De reductione effectuum in suas causas, et *Catena aurea* sive *de concatenatione causarum*, sive *de causarum habitudine et influxu naturae communis respectu inferiorum*. MS. in Bibl. Bodlejana, Lipsiensi et aliis.

Contra Astrologos.

Tractatus *de improbatione epicyclorum et concentricorum. Theoricae Planetarum et alia quaedam Astronomica*, laudata Georgio Purbachio Praef. ad tabulas eclipsium, qui addit, quam doctus Henricus hic Astronomiae fuerit, commentationes ejus in Genesin testari, quarum supra jam facta est mentio. Praecipue vero Theologus et Mathematicus Giessensis celebris *D. Joan. Georgius Liebknecht* in programmate inaugurali de Hassia Mathematica Anno 1707. edito, atque An. 1722 8. praemisso Orationi de felici Matheseos cum Theologia nexu Henricum non minus testem insignem Veritatis, quam Mathematicarum scientiarum suo tempore in Germania instauratorem celebravit, promisitque opera ejus se collecturum junctimque editurum.

Statuta Facultatis Theolog. Academiae Viennensis quae cum Henrico de Oytta, Leonbardo de Carinthia, Augustiniano, Conrado de Ebraco, Ord. Cisterc. aliisque An. 1384 condidit, vulgata sunt a Lambecio tom. 2. pag. 125 238.

Ajunt laudatum Hardtium etiam publicasse Henrici hujus de Hassia *Epistolam de oblato sibi Episcopatu Livoniensi*. quam non memini me invenisse vel annotasse.

Scripta carmine: *Invectiva in monstrum Babylonis* sive *schisma sui temporis*. Anno 1393. Incip. *Heu frustra scripsi, multos dictamine movi*: versus plures octingentis.

Carmen epicum, *an Castor comedi debeat diebus jejuniorum*. Incip. *Suscipe magne pater Praesul cunctis venerande.*

HENRICUS *de Hassia*, junior, Monachus Carthusianus et Prior Domus Gelriae Monachorum S. Mariae, defunctus A. 1427 12. Aug. de quo Trithemius de S. E. cap. 734. et de scriptoribus German. cap. 163. ac diligentius Benedictus Pez loco supra citato.

Ejus scripta: Commentarius *in Genesin, Exodum*, *Parabolas Salomonis* et *Apocalypsin.*

Dialogus inter Episcopum et Presbyterum. Tractatus *de Clavibus* seu *de Confessione*, compositus Heidelbergae Anno 1414.

Etiam *sermones* huic Henrico tribuit Trithemius, quem libenter sequor, quanquam Oudinum tom: 3, pag. 1254 absurdum putat Carthusiano *sermones ad populum* tribui.

Alios tres Henricos de Hassia, quos virorum doctorum dubitatio induxit, commentitos esse, facile lector accredet observatis ab eodem Oudino t. 3, p. 1256 seq.

* In Biblioth. PP. Benedictinor. S. M. ad Scotos Viennae reperi opusculum MS. Henrici de Hassia titulum praeferentem. *Tractatus de proprietatibus religiosorum* editus per Magistr. Henricum de Hassia S. Theologiae doctorem eximium in Vienna regentem. Incipit. *Pro salute eorum.* Exordium istud longe diversum est ab eo quod hic legitur apud Fabricium: *Regularium sive claustralium sacra religio.* Num forte eiusdem argumenti gemina opuscula effudit? Tractatus contra disceptationes etc. est mihi Germanica editio Argentoratensis ut coniicio An. 1500. in 4. h. tit. *Henricus de Hassia plantator Gymnasii Viennensis in Austria contra disceptationes et contrarias praedicationes FF. Mendicatiam super conceptione B. M. Virginis*

et contra maculam S. Bernardo mendaciter impositam. Praefixam habet epistolam Jacobi Wimphelingi de Selestadio ad Henricum Bavariae Ducem, et cum adiuncta elegia Joannis Gallinarii Brisacensis Ecclesiae Rectoris, in qua quaeritur et dolet omnes ordines hominum inter se esse commissos. Hanc utpote non invito Apolline scriptam, et forte rariorem quam ut manibus omnium teratur, hic dare visum est, postquam operis totius libri imaginem depinxero, Est in fine exasticon Sebastiani Brant in laudem Wimpelingi, qui opus curavit, et Henrici de Hassia. Denique monita succedunt quaedam eiusdem Brant ad adolescentem Varnerum de Ursirupe seu Berenfeldensem, cum epigrammate Germanico.

Joannes Gallinarias Brisacensis Ecclesiae lector paci a Christo cunctis Christianis indictae dicavit.

Quid precor horrisoni genitrix discordia belli
 Ludificas miris pectora nostra modis?
Cur Mahumeticolae non das tua semina genti?
 Quae Mariae natum non putat esse Deum?
Sat sumus illusi satis est fudisse cruorem
 Quid nos Christicolas praecipitare studes?
Rusticus Agricolam, rex regem, miles ephebos
 Persequitur dociles doctiloquosque patres
Gaudet presbyteros ignavum spernere vulgus
 Carpere curatu m religiosus ovat
Juristam artistae taxant relista modernum
 Spernunt Iuristae Theologosque graves,
Cordigeri laudant Scotistica dogmata fratres
 Quae rodit studio saepe Thomista suo
Et nova Massilium versoris secta refusat,
 Ac pie te Gerson heu Jacobita premit
Gessit Alexander per prolem tristia bella
 Julius in proprio corpore bella gerit.
Exanimis livor cunctas vexat modo gentes
 Heus odium praedas et fera bella movet
Factio philosophos corrumpit, factio cives,
 Et regem spernit infima nobilitas.
Elvetium Svevus, jam torquet Gallicus Anglum
 Fidis Germanis detrhait Ausonius.
Theutones heu Phrisios urgent Guelphi Gibelinos
 Et proceres tendunt civibus insidias.
Sic avidi crebro ingeminant conamine rixas;
 Quisque suos fratres ludificare studet.
Hoc facit immanes qnod non prosternere Turcas
 Possumus et gentem dilacerare sacram
Proh pudor! illustres haud sic sperare triumphos
 Discitur et rabidos perdomuisse Scythas.
Si cupitis vestro Turcas discludere regno
 Christicolae, unanimes vos, precor, este viri.*

HENRICUS *Hazer,* Ord. Praed. Coloniae circa Annum 1360 vide Jacobum Quetif. tom. 1, pag. 648 qui ejus nonnulla in Aristotelem, et commentarium in IV. libros sententiarum commemorat.

HENRICUS *de Herp*: supra, *Henricus Harphius.*

HENRICUS *de Hervordia* (vitiose Trithemio, Possevino aliisque *de Erfordia*) Hervordiae a) enim non Erfurti natus, et apud Mindenses Ordini Dominicano nomen dedit, obiitque Mindae An. 1370. Vide Oudinum tom. 3, pag. 973 et Jacobum Quetif t. 1, pag. 665. Scriptorum ejus praecipuum *liber rerum memorabiliorum* sive *Chronicon* ab Orbe condito ad Annum CHristi 1355. quatuor spissis voluminibus, adhuc ineditum: perinde ut *Catena aurea* de quolibet ente, more problematum, secundum entium cohaerentiam, divisa in *partes* decem, pars quaelibet in plures *ansas*, ansa in *quaestiones.* Tractatus *de Conceptione Virginis gloriosae. De ornatu Clerici. De Diis Gentium. De invectivis in HEBRIDAM metricum. Expositio in illud* Matth. XXIII. Super Cathedram Mosis. *De metris et eorum pedibus. De proverbiis. De principio Oratorum et Poëtarum. Orationes pro juniorum instructione et exercitatione. Summa de casibus Conscientiae. Sermones.* Tractatum de conceptione B. Virginis, alterum de ornatu Clerici, et Summam de casibus Conscientiae, Oudinus malit tribuere JOANNI *de Erfordia.* Suspicatur etiam Chronicon quod sine nomine auctoris ab Orbe Condito usque ad Caroli IV. tempora, eique dicatum exstat MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi, teste B. Fellero pag. 301 non diversum esse a jam memorato Henrici Chronico.

HENRICUS homiliarum scriptor in Evangelia, memoratus Honorio IV. 8. de S. E.

HENRICUS *Horneby* Lincolniensis, Theologus Cantabrigiensis, scripsit ad Margare-

a) *Fratrem Henricum de Herfordia* vocat etiam auctor magni Chronici Belgici p. 180. atque alibi. Flacius itidem in Catalogo testium Veritatis, aliique. Vide illustrem Leibnitium praef. ad tom. 3. scriptor. Brunsvic. p. 21 et Oudinum tom. 3. pag. 973. seq.

tam Reginam Henrici VIII. Regis Matrem, *Historiam nominis JEsu*, et *Historiam Visitationis Mariae*. Vide Baleum XI. 86. Pitseum pag. 686.

HENRICUS *de Huda*, Anglus Ord. Minor. circa Annum 1350 cujus commentaria in Magistrum Sententiarum laudat Waddingus pag. 165.

HENRICUS *de Huecta* infra, *Henricus de Oyta*.

HENRICUS ex Lincolniensi Canonico Archidiaconus *Huntindonensis*, *Huntendunien-sis* sive *Huntingtonensis*. Vide Baleum II. 82 et Pitseum pag. 211. Scripsit petitione Alexandri, Lincolniensis Episcopi *Historiam Anglorum* libris VIII. ab Originibus Gentis et maxime ab Anglorum Saxonumque transitu in Britanniam usque ad obitum Stephani Regis A. C. 1153. Prodiit in H. Savilii scriptoribus rerum Anglicarum Lond. 1596 et Francof. typis Wechelianis 1601. fol. pag. 296. His octo libris, *nonum*, *decimum*, *undecimum* et *duodecimum*, Henricus, addidit quos maximam partem adhuc ineditos servari in duobus Biblioth. Lambethanae perpulchris MStis Codicibus notavit H. Warthonus praef. ad tom. 2. Angliae sacrae, pag. XXIX. In his liber *nonus* agit *de Sanctis Angliae et de Miraculis eorum*. Liber *decimus de Summitatibus rerum* titulum habet. In Praefatione quam an. 1135 scripsit, *de fine mundi* disserit. Praefationi succedit Epistola ad Henricum Regem, MS. etiam in Bibliotheca Cottoniana pag. 76 *de serie Regum* et Imperatorum Judaeorum, Assyriorum, Persarum, Macedonum et Romanorum usque ad Imp. Conradum III. sive ad sua tempora. Dein alia ad Warinum Britonem Epistola *de origine regum Britannorum* a) a Bruto ad Cadwalladrum; quos in Historia sua praetermiserat, postea autem in *Galfridi Arthuri* libro apud Beccum invenerat. Huic succedit tertia ad Walterum Episcopum Wintoniensem, Epistola An. 1145 *de mundi contemtu per ea quae ipsi vidimus*: seu (ut alius habet Codex) *de imagine Mundi*, alius *de Mundi appetitu*, sive *de Episcopis et viris illustribus sui temporis*. Hanc ex utroque Codice Lambethano exhibuit, laudatus Warthonus t. 2. Angliae sacrae pag. 692. 702. variantibus alterius lectionibus ad marginem appositis. Eam antea evulgaverat Dacherius in Spicilegio suo tom. 8. pag. 178 (editionis novae tom. 3, pag. 503.) Liber *undecimus* Satiras el Epigrammata complectitur; *duodecimus* Hymnos sacros, lusus amatorios et carmina diversi generis habet. Ex unico hoc Historiarum Opere Baleus II. 82. et Pitseus cap. 204 pag. 212 plusquam viginti libros procuderunt, singulas fere Epistolas et Carmina pluribus subinde titulis pro arbitrio efflctis insignita saepius recensentes. Videndum an diversum aliquod sit opusculum *de provincia Britanniae*, quod in Bibliotheca Cantabrigiensi publica servari notavit Caveus. Henricus ipse ad Walterum a) carmina sua memorans, ad ea quae libro undecimo leguntur, respicit:

Henricus tibi serta gerens, Epigrammata primum,
Praelia mox Veneris, Germina b) deinde tuli.
Nunc Waltere sibi fero carmen funebre, totus
Alter ab Henrico qui tria serta tulit.

Versus autem in laudem *Elfledae* Merciorum Dominae atque c) *Alfredi*, petiti sunt ex libro Historiae Henrici hujus quinto p. 354 et 352. edit. Wechelianae.

HENRICUS *Institoris*, Ord. Praed. Lector Ecclesiae Saltzburgensis, sacrae Paginae Professor atque Inquisitor haereticae pravitatis in partibus Alemanniae superioris ab Anno 1484 una cum *Jacobo Sprengero* scripsit *Malleum maleficarum* toties editum Norimb. 1494. Lugd. 1584. 4. Paris. apud Joannem Parvum, 8. Colon. 1520. 8. Venet. 1576. Francof. 1580 8. Lugd. 1620. 1669. 4. Huic in editione Francof. 1582. 8. additus est tomus secundus, in quo continentur 1) *M. Bernhardi Basini*, Canonici Caesaraugustanensis Opusculum de artibus Magicis de Magorum maleficiis pag. 1. 2) *Ulrici Molitoris* de Constantia, Decretorum Doctoris, Dialogus de Pythonicis mulieri-

a) Et hanc edidit Dacherius. Vide supra p. 526. in Henrico Archidiacono.

a) Tom. 2. Angliae sacrae pag. 702.
b) Al. *Gramina*.
c) Tom. 1. Angliae sacrae p. 207. 208.

bus pag. 34. 3) *Hieronymi Mengi.* Vitellianensis, Ord. Minor. *Flagellum Daemonum* sive exorcismi, ex edit. Bononiensi Anno 1571 pag. 92. 4) *Johannis de Gersono*, Cancellarii Paris. de probatione spirituum pag. 336. 5) *Thomae* Murneri Ord. Minor. de Pythonico contractu pag. 351. 6) *Felicis Malleoli*, J. U. Doctoris, Cantoris Thuricensis et Praepositi Salodonensis tractatus I. et II. de exorcismis seu adjurationibus pag. 378 397. et III. de credulitate Daemonibus adhibenda pag. 422. 7) *Bartholomaei de Spina* sive *Spinaei* Ord. Praed. SS. litterarum Professoris, et Palatii Apostolici Magistri Quaestio de strigibus pag. 452 atque in *Joannem Ponzinibium* J. U. D. de Lamiis apologia quadruplex pag. 620. 656. 686. et 699 704. Caetera Henrici Institoris scripta sunt:

Liber *de plenaria potestate Pontificis et Monarchiae*, adversus Monarchiam sive librum de potestate Imperatoris, editum ab *Antonio Rosello*, JCto Patavino, a) Prodiit Venet. 1499 fol. *Clypeus Romanae Ecclesiae contra Pikardos* et *Waldenses.* fol. sine anno et loco. Tractatus varii junctim editi Nurimberg. 1496 4. in quibus occurrit *replica* adversus tractatum nescio cujus, qui CHristum non nisi sub conditione in Eucharistia adorandum praedicaverat, et tractatus ipse praemittitur. *Sermones XI. de Eucharistia.* atque ejusdem argumenti alii XIX. et alii item VI. *Avisamenta pro Clericis*, Opusculum *de Sacramento miraculoso* sub specie sanguinis, a trecentis annis Augustae Vindelic. asservato, et fulminatione excommunicationis adversus opinantes Sacramentum in forma cruoris aut carnis apparens non esse verum Sacramentum. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 897.

HENRICUS *Isnensis* Benedictinus Abbas in Svevia, cum conventu suo Anno 1350. extinctus uno die, incuria coci, qui venenum cibis admixtum apposuerat. Ejus volumen *de tribus custodiis monasticis* scriptum versu heroico, laudat Eisengreinius pag. 140 et ex eo Possevinus in apparatu.

a) Roselli liber, partibus divisus quinque, recusus exstat in Goldasti Monarchia Imperii tom. 1. p. 252. 556. (Ant. Roselli immo fuit Arretinus. Vide Op. *Elogi d' Illustri Toscani* II. VII.)

HENRICUS *Kalkariensis* Clivius, cognomento *Æger*, Prior Carthus. S. Barbarae apud Colonienses, ubi octogenarius obiit An. 1408. a) Vide Trithemium de S. E. cap. 666 et de scriptoribus German. cap. 130 qui testatur eum scripsisse *Loquagium* de Rhetorica: *Cantuagium de Musica*, *Exercitatorium Monachale* et A. 1398 b) librum *de ortu ac progressu Ordinis Carthusiensis*, qui MS. in Bibliotheca Basileensi.

*Ex ejus opere de ortu ac progressu Ord. Carthusiensis nonnulla excerpit, deditque Anonymus Carthusiensis vulgatus a Martene Vet. monum. t. IX. 158.

HENRICUS *Kalteysen* (de frigido ferro) *Caltysenius*, vitiose *Kalthuserus*, *Caltaesemius* etc. Confluentinus Ord. Praed. haereticae pravitatis inquisitor Moguntinus, interfuit Concilio Basileensi ac postea Nicolai V. Legatus ad Lovaniensem Academiam, et Archiepiscopus Nidroniensis in Norwegia ac Caesariensis, diem obiit in patria sua, Confluentiae An. 1465. Exstat ejus *de libera Verbi DEI praedicatione* dissertatio sive Oratio per triduum An. 1433 in Concilio Basileensi contra Udalricum et Bohemos habita, editaque primum a Canisio tom. 4. antiquar Lect. parte 2. (editionis novae tom. IV. pag. 628. 708.) atque inde apud Bzovium ad Annum 1433 num. 254. pag. 219. in Binii atque aliis Conciliorum editionibus, Regia, Labbeana, Harduiniana et Coleti. Alia ejus memorant Trithemius cap. 808 de S. E. et de scriptoribus Germ. cap. 289 *Super Magnificat*, *Quaestiones varias*, *Collationes ad Clerum*, *in Sententias Petri Lombardi*, *Sermones de tempore*, *de sanctis* et *per Quadragesimam.* Longe plura Jacobus Quetif tom. 1. p. 829 seq. quae in Bibliotheca Conventus Confluentini, sed aliis aliorum admista et ab iis non satis distinguenda scriptis servantur manu exarata in octo voluminibus. In quibus et *Speculum devotionis rhythmicum cum aurea fabrica et gaudiis B. Virginis*, quod edidit Federicus Steill in Ephemeri-

a) Ita recte Voss. pag. 540. de Hist. Lat. non 1448. ut Oudinus tom. 3. p. 2211.

b) Arnoldus Bostius cap. 12. de illustribus Carthus.

dibus Dominicanis 2. Octobr. pag. 524 546. Tum tractatus, *quomodo qui praesunt se debeant habere, quum mala exorta perseverant*, ubi multa de Ecclesiae regimine contra Schismaticos, ad Conradum Ryngraf, Archiepiscopum Moguntinum. *De arte sermocinandi. De morali Babylonia et ejus per vitia constructione.*

HENRICUS Comes *a Kalben* sive *de Kalve*, Augiae Divitis (*Reichen Auvv*) in insula lacus Bodamici, Ord. Bened. Abbas Anno 1210 a) ad 1237. Scripsit Warmannum secutus *vitam S. Pyrmini*, primi Augiae circa Annum 724. b) Abbatis atque Chorepiscopi in Alemannia, cujus memoria colitur in Martyrologiis 3. Nov. Vide infra, WARMANNUS.

HENRICUS *a Klingenberg*. Supra Henricus Constantiensis.

HENRICUS *de Knygthon* Anglus, Canonicus Regularis Abbatiae Leicestrensis sub Seculi decimi quarti exitum: hodie non solum notus ex Joannis Rossi Warwicani testimonio, atque inde Lelandi, Balei VI. 48. et Pitsei pag. 523 sed longe magis ex ejus monumentis in lucem editis, quibus eximium inter Historicos Angliae locum meruit. Ejus libri V. de eventibus Angliae a tempore Regis Edgari usque ad Richardum Regem sive ab Anno Christi 958. ad 1395 editi inter Historiae Anglicanae scriptores decem a Rogerio Twisdeno Lond. 1652. fol. In libris II. III. multa se ad verbum profitetur repetere ex septimo libro Historiae Polychronicae *Ranulphi* HIGDENI, *Cestrensis*, de quo infra. Knightoni libris pag. 2744 seqq. subjiciuntur *Acta depositionis* et *resignationis Richardi II.* factae An. 1399. De hoc scriptore videndus Seldenus in praef. pag. 47. (tom. 2. Opp. pag. 1174. seq.) et H. Warthonus ad Caveum.

HENRICUS *de Langenstein*, supra, *Henricus de Hassia*

HENRICUS *Leicestrensis*, supra, *Henricus Knyghton*, a quo praeter rem veluti diversum Historicum Anglum memorat Pitseus pag. 863 cum de Knightono dixisset pag. 523.

HENRICUS *Lincolniensis*, supra, *Henricus Huntingtonensis.*

HENRICUS Brabantinus ex Abbate S. Ægidii, Ordinis Benedictini, Brunsvicensi Episcopus ab Anno 1270 ad 1284. *Lubecensis.* Adhuc Abbas, factus comes itineris Henrico Leoni, Duci Brunsvicensi, cum eo adiit Constantinopolin, et praesente Imperatore Graecorum, Michaële Palaeologo, et Duce suo *grandem sustinuit disputationem super processione Spiritus Sancti*, ut refert Albertus Crantzius in metropoli VII. 2. et fusius Arnoldus, Helmoldi continuator. III 5. pag. 247 seq. et Albertus Crummedyckius in Chronico Lubecensi tom. 2. Meibom. pag. 396. *Reliquit* etiam, eodem Crantzio teste, *quaedam sui nominis monumenta, ex quibus est* Homilia in Evangelium Joh. XIX. 25. Stabat juxta Crucem JESU, *quae qualis fuerit in caeteris, satis demonstrat, quam sensu profundus, quam excultus eloquio. Sed praestabat omnibus sincera in Viro devotio.*

HENRICI *de Magdeburg*. Summa super titulos Decretalium, MSta in Bibliotheca Paulina Lipsiensi. Vide B. Felleri Catalogum pag. 240 241 et 242.

HENRICUS *Marionovensis* Germanus prope Pannoniam, Carmelita, incertae sedis Episcopus circa Annum 1440 quem astrorum et Coeli scientia claruisse ex Baptista Mantuano annotant Possevinus atque in paradiso Carmelitici decoris Alegrius pag. 344. Ab iisdem traditur scripsisse *contra Simoniacos, De Ordine Carmelitico,* et *De siderum cursu.*

HENRICUS *Maunsfeldius*, Anglus, sive Cambrobritannus, cujus *Commentarios super Boëthium* MS. Oxonii in Collegio Novo. Vide Pitseum pag. 863.

HENRICUS *Mediolanensis.* Hujus libri duo *de controversia hominis et fortunae* carmine scripti elegiaco ad Clementem IV. prodiere Coloniae cum Commentario Cypriani a Popma, Coloniae 1570 et 1584. 8. Vide Suffridum Petri de scriptoribus Fri-

a) Caspar Bruschius in Chronologia Monasteriorum Germaniae pag. 44.

b) Idem Bruschius pag. 30. ubi *Episcopum Meldensem* vocat Pyrminum, cum Trithemio multisque aliis Sed a Sammarthanis inter Meldenses Episcopos omittitur, recteque omitti docent notata ab Arnoldo Wion tom. 2. Ligni vitae pag. 360.

siae pag. 249. Clemens IV. Papa fuit ab A. 1265 ad 1268.

HENRICUS *de Montejardino* Genuensis, Oridinis Minorum. circa Annum 1350. Scripsit *Commentarios in Johannem*, in *Evangelia totius anni* et *Quadragesimalia* quinque. Vide Waddingum p. 166 ex Possevino.

HENRICUS de *Northeim*, opido Saxoniae, scripsit metro et prosa *dimetromachiam* de conflictu virtutum et vitiorum, ad Fridericum, Marchionem Misniae et Ducem Saxoniae. Vixit adhuc An. 1494 laudatus a Trithemio de S. E. cap. 947. et de illustr. Germ. cap. 285. ubi etiam carmina alia ejus, et Epistolas ad diversos memorat.

HENRICUS de Bartholomaeis, de Suse, sive de Segusia, (Secusio Pedemontii opido) ex Sistaricensi Episcopo Archiepiscopus A. 1250. Ebredunensis in Delphinatu Galliae, et ab An. 1263. Cardinalis Hostiensis sive *Ostiensis*, fons Juris utriusque et Orator, diem obiit An. 1271. Vide Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 1, pag. 279. Praecipuum ejus opus Summa Juris Canonici, •quae ab eo *Summa Ostiensis* appellari consuevit. Tum commentarius *in Epistolas Decretales*. Etiam ejus *in Decretum* fertur, et MS. est in Paulina Lipsiensi. Vide B. Felleri catalogum pag. 227. De discipulo hujus Henrici, *Guilelmo* DURANDO, Speculatore, dixi supra tom. 2, pag. 482.

* Summae Ostiensis priorem edit. puto quae sub tit. *Ostiensis Summa aurea in Decretales* prodiit sine nom. loci sed quae excusa creditur Romae fol. A. 1470. tum et lucem vidit Romae 1473 1477. et alibi saepe. Lectura eius in V. Decretalium libros et extravagantes per Jo. Coletum correcta in fol. Paris 1512.

HENRICUS *Oxoniensis*, Ordinis Minorum, cujus nihil praeter *Sermones Dominicales et festivales* Baleus XII. 68. H. Willotus, Possevinus, Pitseus pag. 863. et Waddingus memorant.

HENRICUS *Oyta*, *Euta*, *Otha*, *Heucta*, Germanus, Doctor insignis Viennensis circa Annum 1380. et Collega Henrici de Hassia, de quo supra pag. 204. Vide Trithemium de S. E. cap. 687. et de scriptoribus German. cap. 140. Scripsit *super IV. libros Sententiarum. De Conceptione B. Mariae. Sermones. Quodlibeta.* Ejus liber *de Contractibus* et separatim lucem vidit, atque inter Johannis Gersonis opera prodiit. Ex *Propositionibus* ejus *et earum explicatione*, loca quaedam excerpsit vulgavitque Flacius in Catalogo testium Veritatis, ut Caveo jam notatum. In Bibliotheca Paulina teste pag. 361. B. Fellero, MSta extat ejus interpretatio *posteriorum Analyticorum* Aristotelis *Elenchorumque*, *Veteris Artis*, *Physicorum*, *de Coelo*, *de generatione et corruptione*, *de meteoris*, *de anima*, *Oeconomicorum*, *Politicorum*, *Eticorum*. Adde pag. 370.

HENRICUS *de Palma*, supra, BALMA, tom. 1. p. 157.

HENRICUS *Pauper*, infra, *Henricus Septimellensis*.

HENRICUS *Penia*, sub Seculi XVI. exordium brevi libello scripsit bellum Persico- Turcicum, quo Ismaël Sophi Turcarum An. 1509. victor ab illis victus est A. 1514. Prodiit Basileae 1515. 4. inter alia opuscula apud Johannem Frobenium.

HENRICUS *de Piro*, idem dictus *de Colonia* Juris utriusque Doctor, An. 1415. interfuit Concilio Constantiensi, cujus vide Acta sessione XVI. tum apud alios, tum apud Bzovium ad illum Annum pag. ubi semel vitiose Henricus de Piro *promotor*, excusum est, legendumque ut antea, *procurator*. A Trithemio cap. 935. de S. E. dicitur ad Carthusianos deinde accessisse, atque claruisse A. 1470. traditur, quod repetit cap. 205. de scriptoribus Germanicis. Ejus scripta: *Commentarius in IV. libros Institutorum Juris. Consilia. Liber ad novitios de Reformatione interna. Sermones* de tempore et de Sanctis.

* In MS. Cod. Hasnonensi opusculum offendisse se testatur P. Martene. Itin. Liter. II. 97. hoc tit. *Henricus de Piro cognomento Brunonis Legum Doctor quondam S. Pauli Leodiensis Canonicus postea ad ordinem Carthusiensem conversus* de esu et abstinentia carnium Bartholomaeo S. Theologiae. Professori Carthusiensi in Rute munda.

HENRICUS Vraede, cognomento *Pru-*

dens, Prior Carthusiensium domus Vallis prope Brugas in Flandria, et in nova domo S. Sophiae CPolitana prope Sylvam ducis, ubi defunctus est An. 1484. Scripsit *tetralogum devotionis* libris III. et plures devotas *Epistolas*. Vide Trithemium cap. 868. de S. E. et de Scriptoribus Germ. cap. 423. et Possevinum.

HENRICUS Monachus Augustinianus in *Rebdorf*, dioecesis Aichstadiensis, qui A. 1350. Jubilaeo Romae celebrato interfuit, atque An. 1361. insignia Imperialia lustrasse se testatur in Curia Noribergensi. Scripsit *Annales* rerum ab Anno 1295. sub Adolpho Nassovio, Alberto Austriaco, Henrico VII. Friderico Austriaco, Ludovico Bavaro in quo est diligentior, et Carolo IV. usque ad Annum 1362. gestarum, interposita etiam Pontificum illius temporis historia. Primus edidit Marquardus Freherus t. 1. scriptor. rerum Germanicarum Francof. 1600. pag. 411. adjunctis nonnullis Actis publicis illius temporis, veteribusque monumentis (ut HENRICI VIII. sententia in Robertum Siculum latam, ex Alberico de Rosate in L. Quisquis (ad leg. Jul. majestatis.) Post Freherum, cujus sylloge recusa etiam An. 1624. eosdem Annales emendatiores ex Codice Bebdorsensi vulgavit Christophorus Gewoldus. Ingolstadii 1618. 4. Denique Burchardus Gotthelf Struvius in nova scriptorum Germ. Freherianorum editione Argentor. 1717. fol. 1. p. 599. sq. et Gewoldianam contulit, et addidit notas quibus loca aliorum scriptorum res easdem illustrantium signantur.

HENRICUS Ludovici VII. Regis Galliae frater, Archiepiscopus ab Anno 1162. ad 1172. *Remensis*, de quo Sammarthani t. 1. Galliae Christianae pag. 517. Ejus *Epistolam ad Alexandrum III.* contra Robertum de Aria sedis Cameracensis invasorem publici juris fecit Jacobus Hommey p. 551. supplementi Patrum. Epistolam increpatoriam *ad Cardinales* Rom. Ecclesiae An. 1170. datam in causa Drogonis, Noviomensis Cancellarii, Baluzius tom. 2. Miscell. pag. 228. et similem in eadem causa *ad Alexandrum III.* pag. 230. cum Alexandri responsoria.

HENRICUS *de Ripis*, supra HEMERICUS pag. 192.

HENRICUS *Rosla*, Nienborgensis Saxo, scriptor *Herlingbergae* sive carminis epici pro illis temporibus non inelegantis de bello ob arcem Herlingsbergam An. 1287. gesto inter Henricum mirabilem, Ducem Brunsvicensem, et Lunaeburgensem, ac confoederatos Saxoniae Principes. Primus edidit cum *Tiderici LANGEN* Saxonia, et notis illustravit Joannes Henricus Meibomius, Henrici Filius, Luneburg. 1652. 4. deinde recudi fecit Henricus Meibomius, nepos t. 1 scriptor. rerum Germanicarum pag. 772. Saepius citatur hic Henricus Rosla in Chronico Theoderici Engelhusii: Et quoniam versus quidam ab eo laudati in Herlingesberga non leguntur, hinc suspicio est illum alia etiam historici argumenti carmine, quae lucem necdum viderint, composuisse.

HENRICUS *Salteriensis* Hibernus, Monachus circa Annum 1150. scripsit ad Henricum Abbatem de Sartis, *de Purgatorio S. Patricii* (incertum veteris ne illius, an potius Patricii Abbatis circa Annum 850.) sive de spelunca *quam ingressus quivis veraciter poenitens spatio unius diei ac noctis moram in ea fecerit, ab omnibus purgatur peccatis quibus in tota vita sua DEUM offendit.* Non tantum prologum, sed tractatum Denrici integrum vulgavit Thomas Messinghamus in florilegio Insulae sanctorum Hiberniae Paris. 1624. fol. pag. 89-109. unde emendandus Oudinus tom. 2 p. 1440. Exstat itidem in Johannis Colgani triade thaumaturga, Lovan. 1645. fol. Conferenda etiam quae de S. Patricii purgatorio notantur in Actis Sanctorum tom. 2 Martii 17. pag. 587. seq. Ab illa narratione Henrici de S. Patricii purgatorio non differunt *Visiones S. Oeni militis*, quas ab illa distinguit Carolus Vischius pag. 145. Biblioth. Cisterc. Vide Messinghamum pag. 99. seqq. Quem vero Cisterciensem facit idem Vischius et Pitseus pag. 207. hunc Benedictinum alii, ut Baleus II. 77. Nimirum Cistercienses et ipsi sunt genus quoddam Benedictinorum.

HENRICUS Archidiaconus *Salzburgensis* et Praepositus Berchtolsgadensis Ord. Ca-

nonicorum Regularium S. Augustini circa Annum 1174. scripsit *historiam calamitatum Ecclesiae Salzburgensis* sub Adelberto Archiepiscopo: editam a Bernardo Pez tom. 2 anecdotorum parte 3. p. 199–218.

HENRICUS *Sanvicensis*, apud Miraeum pag. 90. Auctarii: rectius GUILELMUS de quo supra pag. 154.

HENRICUS *Samariensis*, infra *Henricus Septimellensis.*

HENRICUS *de Secusia* sive *Segusia*, Cardinalis. Supra *Henricus Ostiensis.* Vide et Petrum Frizon in Gallia purpurata pag. 231. sq.

HENRICUS *Selderus* non notus mihi nisi ex praeclari Cangii monitione, qui testatur ejus lucubrationes se evolvisse in Codice Regio Paris. 190.

HENRICUS Aper, *Senonensis* Archiep. ab Anno 1122. ad 1144. Ejus brevem *Epistolam* ad Stephanum Episcopum Paris. edidit Dacherius tom. 3 spicileg. pag. 158. (editionis novae tom. 3 pag. 390.) Epistolam Innocentii II. ad hunc Henricum, Sammarthani tom. 1 Galliae Christianae p. 631.

HENRICUS *Septimellensis* a patria, pago agri Florentini, dictus etiam *Florentinus*: sed et *Samariensis*: *Sangelsinus,* a) et *Henricus Pauper*, quem ad eam inopiam redactum tradunt, ut charta deficiente, versus suos in veteri et attrito pellitio exarare cogeretur. Scripsit circa annum 1193. b) exemplo Boethii *de diversitate fortunae, et Philosophiae consolatione* libros quatuor versibus mille, carmine elegiaco jucundos lectu, in quibus Boëthii etiam nominetenus facit mentionem III. 49. ubi Philosophia.

Nonne meus Severinus inani jure peremtus
Carcere Papiae non patienda tulit?

Bononiae se litteris imbutum docet III. 71.

Dic, ubi sunt, quae te docuit Bononia quondam?

Primus hosce libellos typis exscribendos dedit Christianus Daumius, Chemnitii A. 1684. a) in 8. apud Conradum Stoesselium, ex Codice Lipsiensi, et membranis Florentinis ab illustri Magliabechio communicatis, atque MSto Marquardi Gudii. Nam Codicem Bibliothecae Aprosianae, et Patavinum et Marii Florentinii, Equitis Lucensis, aliis conferendos, notas etiam ab alio adjiciendas reliquit. Ab eo tempore eosdem libros ex Codice Helmstadiensi et Guelpherbytano vulgavit integros Halae 1721. 8. Polycarpus Leyserus ὁ μακαρίτης in historia Poëtarum medii aevi pag. 453-496. In primo statim versu:

Quomodo sola sedet probitas? stet et ingemit aleph,

Putem Henricum scripsisse,

Stet et ingemit ah ah.

Certe in versibus *Hugonis* Sacerdotis, quos Henrici carmini, manu ille sua descripto subjunxit p. 496. legendum.

Et mallent flentes se non genuisse parentes.

et pag. 497.

Quae dat in his libris documenta peroptima cunctis.

Denique hi libri cum versione veteri Italica prosaria b) facta circa annum 1340. lucem viderunt Florentiae 1730. 4. (138. Et postea *in Milano* 1815. 16.) Julius Niger in Historia scriptorum Florentinorum pag. 72. testatur vitam Henrici Septimellensis, qui ipsi est *Arrigo Simintendi da Settimello*, scriptam a Philippo Villano, fuisse apud celebratum Magliabechium, et eundem Henricum composuisse etiam versionem Hetruscam Metamorphoseon Ovidii laudarique et ipsam ab auctoribus Dictionarii Cruscantium sive Infarinatorum. Nulla tamen hujus mentio apud illustrem Scipionem Maffejum, ubi interpretes Italos poëmatum Ovidii c) tanta industria recenset, ut liceat mihi de illa re addubitare.

* Vitam ejus scriptam a Philippo Villano vulgavit nuper v. clariss. quem colo et amo utpote de literaria historia Italica longe meritissimus Com. Jo. M. Mazzu-

a) Joach. Feller Catalogo Codicum MSS. Bibliohecae Paulinae pag. 289.

b) Colliges hoc ex lib. 2. v. 61. seq *Nuper Alemanus Siculam delatus in oram* ec. ubi perstringitur infelix Henrici VI. adeversus Tancredum expeditio An. 1191. et lib. 3. v. 164. captus An. 4193. Richardus, Angliae Rex. *Captus et inclusus Anglicus acta uit* Seq magnam Henrici victoriam Siculos An. 1193. subjugantis tacet, ut laudato Leysero bene notatum.

a) Non A. 1709. ut legitur in Diario Eruditorum Italiae t. 33. p. 19. Laudat B. Daumii studium Jo. Cinelli Bibl. volante scanz. 4. p. 45.

b) *Arrighetto*, quo titulo citatur in Dictionario Italico academiae Cruscantium sive Furfurariorum Florentinae.

c) Bibliotheque Italique tom. VII. p. 7. p. 267. Novelle d' Albrizi A. 1750. p. 177.

d) Traduttori Italiani p. 66. seq.

chellus Brixianus. Est vero illa brevis quaedam commentatio contenta in op. *Le Vite di uomini illustri Fiorentini scritte da F. Villani.* Quod opus integrum eodem auctore evulgatum est Venetiis 1747 in 4 (139 et Latine Florentiae 1847. in 4.) Codicem MS. elegiae huius servat Bibliotheca olim. D. Marii Florentini Lucensis patricii Francisci M. V. C. filii, modo Francisci Marii filii et Francisci M. nepotis eumque mihi inspicere ac pro voluntate versare fas fuit. Ex hoc olim variantes exhibere Daumius constituerat, at quod in tempus non venerint, omittere coactus est. Eius defectum ego modo suppleturus sum, variantibus illis in appendice huius operis descriptis ex instituta inter Florentinam Mannii editionem et Lucensem codicem collatione resultantibus. Porro Lucense hoc volumen membranaceum est scriptum Sec. XIII. referens glossisque seu annotationibus inter lineas et non raro ad marginem adscriptis ditatur. Scriptor operis nomen suum prodit in opusculi finem tribus de suo versiculis, adiectis, ibi a me describendis, ubi variantes istas dabo. Quantum ex his versiculis intelligimus appellabatur Gandolfinus, nec omnino ineptus erat scriptor, si quidem iste annotationum author, habeatur; quamvis enim in illis levia sunt multa: interdum et saepe etiam optima notantur, et ad capiendam obscuri scriptoris mentem aptissima. Lectiones codicis huius feliciores sunt interdum quam aliae aliorum codicum et quod caput est, versus quatuor, seu disticha duo hic omittuntur ut totum opusculum mille tantummodo versibus constet, quod utique testimonio authoris melius congruit: ait enim mille se versibus totam scriptionem comprehendisse. Quamquam nescio quo consilio scriptor nostri codicis duos Versiculos jam supra in eodem poemate insertos repetit, qui sane duo versiculi millenos Henrici versus excedunt. Hos si demas mille supersunt. Lectio primi versiculi frustra hic a Fabricio sollicitatur. Retinendam enim esse veterem, et MSS. Codices omnes conveniunt, et ratio ipsa confirmat; Threnos enim Jeremiae qui per Hebraica elementa digesti sunt, haec fundens carmina Poeta noster respiciens canit.

Quomodo sola sedet probitas, flet, et ingemit aleph.*

(140. De eo et Vinc Follini in Ephem. cui tit. *Antologia n.* 96. accurate scripsit. *Henrici Simintendi.* Pratensis, non Septimellensis nostri, est versio Metamorphoseos cur. cl. viris Casim. Basi et Caes. Guasti *in Prato* 1852. 53. vol. 4. 8. cusa cum glossario P. Francisci Frediani.)

HENRICUS *de Snirenberg*, cujus *Commentarius super librum de sphaera*, (Johannis de Sacro Bosco, opinor, qui An. 1256. obiit) *Computus*, sive *Algorythmus* prosaice et metrice, et *de figuris Planetarum*, in Bibliothecis Belgicis MSta occurrunt teste Sandero p. 199.

HENRICUS *de Soliaco* Blesensis, Henrici II. Angliae Regis, sororis Adelae filius, Abbas Bermundensis primum, deinde Glasconiensis, Ordinis Benedictini, ac denique Episcopus Wintoniensis, circa A. 1190. in gratiam avunculi sui scripsisse traditur *de inventione corporis Arthuri.* Vide Vossium pag. 782. sq. ex Balei XIII. 28. qui plura etiam ait eum prosa et carmine composuisse, quorum nihil appellat de nomine.

HENRICUS de *Stain*, arce prope Reichersbergam, Jurisconsultus Utinensis, *Henrici duodecimi, reguli Bojorum*, (qui Anno 1234. natus, An. 1290. decessit) *res gestas litteris commendavit,* teste Aventino, qui usum se illo esse testatur in libro septimo Annalium Bojorum, in cujus cap. 7. seq. de illius Henrici et fratris Ludovici II. gestis disserit.

HENRICUS *Stero*, sive *Steronis*, Monachus Altahae, sive Altaichi inferioris in inferiore Bavaria ad Danubium, Ordinis Benedictini circa Annum 1300. ac fortasse Abbas Piburgensis. Vide Vossium pag. 502. Exstant ejus *Annales* de rebus potissimum Austriae, Bavariae, Sveviae: quibus apud Freherum initium, sicut apud Canisium extrema pars deest, ut notavit Jacobus Basnagius, qui in nova sua Lectionum Canisianarum editione, collatis utriusque, integros exhibet tom. IV pag. 172-214. ab Anno 1152. ad 1300. subjuncta EBER-

HARDI, de quo supra tom. 2 p. 281. continuatione vel repetitione ab Anno 1273. ad 1305. Freherus tom. 1 scriptorum rerum Germanicarum pag. 383 (editionis novae pag. 555.) vulgaverat ab Anno 1266. ad 1300. cum continuatione UDALRICI *Welling*, atque fratris ejus CONRADI, Monachorum S. Udalrici et Afrae Augustanorum, et memorati Eberhardi ab anno 1302. ad 1334. pag. 404-410. (editionis novae Struvianae pag. 581-596.) Apud Canisium vero tom. 1 veteris editionis pag. 229. hi annales exstant ab anno 1152. ad 1272.

HENRICUS *Svinesius*, Abbas Glasconiensis circa annum 1190. cui diversi generis poëmata tribuit Pitseus pag. 258. non dubito eundem esse cum *Henrico Stain*, de quo supra.

HENRICUS Carnotensis, cognomento *Surdus*, archiater Henrici 1. Regis Francorum, ut constat ex Orderici Vitalis libro 3. ad annum 1059. et Wilhelmo Gemeticensi lib. 7. c. 38.

HENRICUS (aliis *Amandus*) *Suso*, Constantiensis Svevus, Ordinis Praedicator. obiit Ulmae A. 1465. 25. Januar. inter Doctores Mysticos illius aetatis eximius, de quo post Possevinum, Caveum, a) Labbeum, b) Oudinum, c) Gundlingium d) aliosque, accuratius Jacobus Quetif tom. 1 p. 653. seq. Vitam Latine scriptam Operibus ejus praemisit Surius, usus commentario, quem soror Elisabetha Staglin de vita fratris Susonis in litteras Germanice miserat: Ex Surio eandem dedit Bollandus, in Actis Sanctorum tom. 2 Januar. pag. 653-689. cui Henricus iste *Sanctus et Theopnevstus Scriptor* appellatur. Opera a Surio Coloniae 1555. et 1588. 8. edita recusaque 1615. 8. et Neapoli 1658. 12. et magnam partem versa e Germanico alia Latine antea edita, sed a Surio interpolata, haec sunt:

1) *Dialogus Sapientiae et Ministri ejus*, sive *Horologium Sapientiae* scriptum circa annum 1340. Latine ab Auctore, saepiusque editum Parisiis 1470. 1480. et cum exercitiis S. Gertrudis 1578. tum Venetiis 1492. 1536. forma minore et 1539. atque MStum in plurimis Bibliothecis: Prologum ex Codice Colbertino primus vulgavit laudatus Quetif tom. 1 pag. 654. 655. qui etiam versionis veteris Gallicae mentionem facit p. 656. seq. etiam typis exscriptae Parisiis 1493. fol. et 1530. 8. et ex nova versione 1684. 12. et Germanicae, atque Anglicae, Belgicaeque.

2) *Conciones* aliquot.

3) *Epistolae* complures, in quibus et illa lectu digna ad hominem in agone mortis constitutum, quae exstat apud Bzovium ad annum 1337. num. XV.

4) *Dialogus de Veritate*, sive Veritatis, cum Discipulo. Hunc Dialogum Gallice vertit Parisiis 1701. 12. idem, qui An. 1684. Horologium, D. de Vienne, S. Capellae Variensis in Bria Canonicus.

5) Libellus *de novem rupibus.*

6) *Centum Meditationes Dominicae Passionis*, cum totidem petitionibus, editae etiam cum exercitiis S. Gertrudis, Parisiis 1578. Ad eas prologus e Codice Regio Parisiensi, editus a Jacobo Quetif t. 1 p. 658.

7) *De aeterna Sapientia exercitium amanti animae dulcissimum.*

8) *Officium quotidianum de aeterna Sapientia*, saepe, ut notat Labbeus, commissum typis, variisque in locis, ut Parisiis 1578. Luxemburgi 1605. Opera Henrici Susonis ex Suriana Latina Gallice versa Parisiis 1586. 1597. 1614. 8. atque Italice, Ignatio del Nente, Florentino, Ordinis Praedicatorum, interprete Romae 1663. 4.

HENRICUS *Teuto*, Ord. Minor. infra *Henricus de Verlis.*

HENRICUS Teuto, Alberti Magni discipulus, Ord. Praed. primus Prior Coloniensis ab Anno 1224. atque ante Annum 1234. defunctus. Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 94. ubi ex Jordani Saxonis testimonio refert eum antequam Coloniam perveniret,

a) Cave. Hist. Lit. S. E. ad Annum 1290.

b) Tom. 1. de S. E. pag. 428.

c) Oudinus tomo. 3. pag. 1064. seq. qui Horologium A. 1369. compositum ab. auctore, perperam colligit ex subscriptione Codicis Oxoniensis, ex qua Codicem illum A. 1369. exaratum, librum ab. Henrico Constantiensi compositum recte colligas

d) In Historia eruditionis edita Germanice t. 2. pag. 1941. seq.

Parisiis, juvenem licet in audientia omnis Cleri, facundum et gratiosum per omnia Praedicatorem claruisse. In Bibliotheca Paulina Lipsiensi Vita ejus servatur MSta, vide B. Felleri Catalogum p. 359.

HENRICUS Teuto tertius, patria Martisburgensis itidem Ord. Praed. qui Palaestinam adiit et ex ea reversus A. 1227. concessit Parisios atque inde Coloniam, ubi primus Theologiae Lectorem gessit, atque inde iterum facto in Palaestinam sacro itinere, Parisios secundum rediit An. 1233. atque apud Regem Ludovicum IX. gratiosus effecit ut ex voluntate Gregorii IX. A. 1240. exurerentur collectae apud Dominicanos et Franciscanos librorum Talmudicorum quadrigatae seu vehes ac plaustra XX. Vide Jacobum Quetif, tom. 1 p. 148. ubi de hujus Henrici Sermonibus sacris.

HENRICUS *Thaborita* sive Monachus Coenobii Thaboritici Regularium Canonicorum prope Snecam in Frisia, scriptor Historiae mixtae sive Ecclesiasticae ac Politicae a nato CHristo usque ad saeculi decimi sexti initia. (usque ad Annum 1501. Valerius Andreas in utraque editione. Franciscus Sweertius et ex eo Vossius ad Annum 1508. nam apud Possevinum typorum vitio legitur 1580.) Usum ea se profitetur Suffridus Petri ad Annales suos Frisicos concinnandos.

HENRICUS *Toke*, Canonicus Magdeburgensis, et Archiepiscopi ad Basileense Consilium post Annum 1431. Legatus, Ex cujus opere haud exiguo *de quaestione, an Ecclesia Catholica, militans, sancta et immaculata, sit ex omnibus fidelibus nec non malis congregata, singulis mortalibus personis, etiam Papali, praelata?* haec pridem attulit clarissimus Hermannus ab Hardt praef. ad tomum sextum Concilii Constantiensis pag. 20. *Quid necesse est pro isto adducere multos, cum semel sit determinatum auctoritate universalis Ecclesiae in sacro Concilio Constantiensi, ante cujus tempora apud Magistros hujus seculi erat dubium, et hinc inde disputatum. Sed Domino DEO misericorditer ordinante, omnibus minus recte sapientibus impositum est silentium per decretum Concilii nominati. Quod iterum in hoc sacro Concilio Basileensi est innovatum, laudatum et confirmatum, ad sanguinem ab omnibus CHristi fidelibus defendendum. . . . Concilium generale non posse revocari sine auctoritate et voluntate Concilii, per solum Papam: decretum est universalis Ecclesiae, in Concilio Constantiensi per Martinum Papam confirmatum: sed si sic liceret dici confirmatum, cum magis proprie sic dicitur approbatum quam confirmatum.*

* In MS Cod. 65. Jur. Can. Bibl. Caesar. Vindobonensis unus aliquis extat monumenta quaedam continens ad Basileense Conc. pertinentia; ibi inter coetera legitur Henrici huius disputatio *De suprema Concilii in omnes, ne excepto quidem Pontifice, authoritate.* Incipit *Quaeritur an etiam* etc. consignatur in fine An. 1433.

HENRICUS Canonicus *Tornacensis* circa Annum 1141. Vide quae supra in ELEUTHERIO *Tornacensi*, tom. 2. pag. 272. et quae Oudinus tom. 2. pag. 1227.

HENRICUS Archidiaconus *Tornacensis*, supra, in *Henrico Gandavensi.*

HENRICUS ex Scholastico *Trevirensi* Episcopus *Vercellensis* An. 1083. Trithemio cap. 341. *Wenericus*, Ughello *Wennericus*, aliis *Guenricus* Sigeberto Gemblacensi cap. 160. *Henricus*, *scripsit* (circa Annum 1082.) *librum sub persona* TEODORICI ab Anno 1049 ad 1090. Virdunensis Episcopi, *ad Hildebrandum* sive *Gregorium VII Papam* de discordia Regni et Sacerdotii, *non eum increpans, sed ut seniorem obsecrans ut Patrem, et amicabili inductione quasi affectu dolentis, suggerens ei omnia quae contra jus legum et fas Religionis eum fecisse et dixisse divulgabat loquax fama.* Haec Sigebertus. Epistolam illam non indignam lectu edidit Edmundus Martene t. 1. anecdotorum pag. 214. 230 et scriptam ab Henrico adhuc Scholastico patet ex subscriptione. Epistola autem quae ibidem p. 230 subjuncta est *CUIUSDAM adversus Laicorum in Presbyteros conjugatos calumniam,* SIGEBERTUM Gemblacensem auctorem habet, ut constat ex ejus catalogo S. E. c. ult.

HENRICUS *Venantodunensis* Joanni Le-

lando cap. 167. Vide supra *Henricus Huntingtonensis.*

HENRICUS *de Verlis* al. Verkleir. Possevino, Waddingoque *Werlius*, Ord. Minor. in Provincia Coloniensi, circa Annum 1440 (non 1390 ut apud Trithemium cap. 800 de S. E. atque inde apud Cangium legitur. Vitiose etiam in libro Trithemii de scriptoribus Germ. c. 181 An. 1400.) Scripsit tempore Basileensis Concilii et Florentini *de potestate Ecclesiastica et Concilii generalis*: tum *in Universalia Porphyrii* atque *in quatuor libros Sententiarum*: denique *Sermones*, atque in his eximium *de passione Domini.*

HENRICUS *Vicanus*, infra, *Henricus Wichingam.*

HENRICUS *de la Vile*, Anglus, Philos. Oxoniensis, cuius Commentarios in Aristotelis libros III. de Anima MStos servari Oxonii in Biblioth. S. Mariae Magdalenae, Pitseus pag. 863 annotavit.

HENRICUS *Utidonensis* Anglus, cuius Hstoriam rerum Anglicarum usque ad obitum Stephani Regis, h. e. usque ad Annum Christi 1154 laudat Vossius pag. 420 idem est cum *Henrico Huntingtoniensi* de quo supra pag 660. Omitto iuniorem HENRICUM *Untonum*, Reginae Anglorum Elisabethae in Galliam legatum, qui historiam legationis suae reliquit, MStam in Bibliotheca Bodleiana.

HENRICUS *de Viri*, *Vrimarius*, *Frimarius*, *de Vrimaria*, *Frimelia*, *Vrimach*, corrupte *de Firmaria*, *de Ferraria*, Thuringus. Ord. fratrum Eremitanorum, praeter rem Dominicanis a quibusdam accensitus, ut fatetur Jacobus Quetif tom. 1, pag. 741. Doctor Parisiensis circa Annum 1334. Ejus *Confessionale* MS. An. 1460 exaratum, in Bibliothaca Patavina, teste Tomasino p. 75. Liber *de quatuor instinctibus Divino*, *Angelico*, *Diabolico et Mundano*. Venet. 1498. et Paris. ad calcem Bartholomaei Rimbertini, Ord. Praed. de sensibilibus deliciis Paradisi 1514. 12. et Haganoae 1513. *cum sermonibus de Passione Domini et de Sanctis.* Idem liber ab aliis tributus HENRICO *de Hassia*, in Bibliotheca Quedlimburgensi S. Servatii MStus exstat sub nomine FRANCISCI *Mayronis*, teste Tobia Eckardo in notitia ejus Biblioth. pag. 20. Praeterea Trithemius cap. 589. de S: E. et de scriptoribus German. cap. 108. etiam memorat ejus *Quodlibeta* sive *Quaestiones quodlibetarias* Parisiis disputatas, et *Additiones in IV. Sententiarum libros* cum Ægidii Romani commentariis editas Colon. 1513. *Flores ex collatione Patrum* sive ex collationum *Joannis Cassiani* libris XXIV. excerptus *liber de perfectione interioris hominis*, cujus MSti in Bibliotheca Heilsbronnensi, argumenta capitum XXIV. notavit Joannes Ludovicus Hockerus in notitia Bibliothecae Heilsbronnensis pag. 96. De *incarnatione Verbi*. *De exemptione.* Expositionem Decretalis *de celebranda Missa*. *Sermones* de tempore et de Sanctis et de passione Domini.. *In multos Bibliorum*, *in multos Philosophiae Aristotelicae libros*, speciatim *in decem libros Ethicorum* ad Nicomachum. Etiam *praeceptorium* sive expositionem trivariam in decem praecepta. Nicolai LYRANI nomine editam Colon. 1498 8. huic Henrico a quibusdam tribui, Miraeus pag. 80 auctarii annotavit: atque in MS. Codice Biblioth. Quedlinburgensis, et a Trithemio aliisque Henrico nostro adscribitur.

* Inter ejus opera praeter ea quae hic recensentur a Fabricio, commemoratur etiam a P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis pag. 168 169. *liber de spiritibus eorumque discretione*, cuius operis liber primus est Henrici huius, prodiitique cum aliis aliorum libris Antverpiae an. 1652. in 8. opera P. Cornelii Dielman Augustiniani. Tum. et *Tractatus pro B. M. V. conceptione*, qui junctim cum aliis aliorum scriptorum curante Petro de Alva excusus est Lovanii 1664. in 4. Itidem in *Cantica Canticorum liber* nondum in lucem productus, sicut nec reliqui mox subiungendi. *De quatuor* versibus scripturae lib. 1. *Manuale Sacerdotum* lib. 1. *De vitiis capitalibus* lib. 1. *De nocturnis illusionibus* lib. 1. *De mortificatione propriae voluntatis* lib. 1. *Super orationem Dominicam et Salutationem Angelicam*

HENRICUS *Vroede*, supra, *Henricus Prudens*.

HENRICUS contra *Wecelinum*. Ad calcem librorum duorum ALBERTI Metensis de diversitate temporum, de quo supra tom. 1 pag. 45. in celeb. Eccardi Corpore scriptorum medii aevi tom 1, pag. 121. 131 legitur WECELINI apostatae, ex Clerico Judaei facti, Epistola ab HENRICO quodam confutata tempore Henrici II. Imp. h. e. circa A. C. 1010. Vide pag 96.

HENRICUS *de Werlis*, supra, *Henricus de Verlis*.

HENRICUS *Wichingamus* sive *Vicanus* (Sixto Senensi *Vinchiagan*) Anglus, Nordvicensis, Carmelita, Doctor Oxoniensis, circa Annum 1447. Scripsit teste Baleo VIII 6. *In Esaiam* Lectiones XVIII. *In Apocalypsin* Lectiones XXX. *De quadruplici adventu CHristi. De conceptione S. Mariae*, *Sermones* aestivales, hyemales et de Sanctis. Eadem Pitseus pag. 639 atque Alegrius pag. 348. qui D. Hieronymi fidelem in exponendis libris sacris styli imitatorem facit. His *Quaestionum Theologicarum* librum adjungit Lelandus c. 551 ubi tres alios Wichingamos commemorat, Carmelitas omnes, *Simonem* cui itidem tribuit *Quaestiones*, et librum *Quodlibetorum*: tum *Richardum*, scriptorem commentariorum in libros Magistri Sententiarum duos priores et Concionum sacrarum centum et sex. Ac denique Thomam versatum Coloniae Agrippinae, sed cujus nullum ingenii monumentum nominat.

HENRICI *Wolteri*, Canonici S. Anscharii Bremensis *Chronicon Archiepiscopatus Bremensis* a temporibus Caroli Magni, et S. Willehadi Archiepiscopi sive ab Anno CHristi 788 ad 1463 exstat in H. Meibomii scriptoribus rerum Germanicarum t. 2 p. 19 82.

HENRICI *de Wimaria*, Ord. Augustin. *Sermones de Sanctis* MSti in Biblioth. Paulina Lipsiensi pag. 168.

HENRICUS *Wintoniensis* Episcopus, supra, *Henricus de Soliaco*.

Balduinus HENRICUS sive HENRICI *de Zierixsee* Decretorum Doctor et Professor Lovanii circa Annum 1420 ac deinceps, cujus *Lecturam* sive ingentes commentarios *in quinque libros Decretalium*, MStos Lovanii, memorat Valerius Andreas p. 99.

HENRICUS *de Zoemeren*, vico Brabantiae, Doctor Parisinus Theologiae et Professor Lovanii et Decanus Antwerpiensis, obiit An. 1472. Hunc magnum et eximium vocat auctor magni Chronici Belgici, editi a Pistorio pag. 379. ubi *captam* ab Imperatore Turcarum Mahumede secundo A. 1453. *CPolin* narrans, quaedam ex ejus Epistola de illo argumento refert. Eam integram Johannes a Meerhout inseruit libro de mirabilibus eventibus cap. 116. teste Valerio Andrea pag. 373. Praeterea Henricus scripsit in gratiam Bessarionis Cardinalis, *epitomen operis Guilelmi Occami de haereticis* editam Lovanii 1481. fol. quae laudatur a Seldeno de Synedriis lib. 1. cap. 10 pag. 229 atque emendandum quod apud Simlerum, Vossium et Sweertium pag. 439 liber Henrici de Haereticis a jam dicta epitome velut diversus distinguitur.

HENRICUS *Zutphaniensis*, testis Veritatis, cum biennium Bremae aedis Anscharianae Pastor fuisset, Nicolao Boyo, Pastore Meldorpensi, suadente et nobili vidua Wiba Petri Nannii sorore venit in Dithmarsiam, ubi interceptus persecutorum crudelitate pro haeretico combustus vivus est Anno 1524. 14. Decembr.

De ejus Martyrio Epistola Jacobi Hyperensis An. 1525 data ad D. Lutherum exstat in V C. Friderici Jacobi Beyschlagii sylloge Variorum Opusculorum pag. 877. ut omittam quae de praeclaro hoc viro notata sunt tum ab laudato Beyschlagio pag. 885 seq. et in singularibus scriptis Doctorum τῶν μακαρίτων Henrici Muhlii, Superint. General. Holsat. et Theolog. Kilon. Oratione in ejus diss. Historico Theologicis pag. 401. Gerhardi Meieri Superintendentis Bremensis: et Superintendentis Stadensis, Johannis Hermanni Elschwichii. Ejus *disputationes* aliquot cum dispp. D. Lutheri editae Witeb. 1535 8. *Propositiones* de Natura, Lege, Evangelio, Fide et Charitate, in Diario Theologico, *Unschuldige Nachrichten* 1709 pag. 25 32 et in laudati D. Muhlii diss. ad hanc ejus confessionem doctrinae, Kil. 1717. 4. *Theses* contra Missam privatam in celeb. Johannis Erhardi Kappii spicilegio (*Nachlese zur Erlauterung der*

Reformations *Geschichte nutzlicher Urkunden*) tom. 2. pag. 487. 494. *Epistola* ad Jacob. Oyperensem et ad Reynerum id. p. 550.

Guilelmus HENTISBERIUS. Supra GUILELMUS pag. 140.

HEPIDANNUS sive *Hepidamnus* Monachus S. Galli. Scripsit ad Udalricum ab A. 1072. Abbatem suum *vitam S. Wiboradae* Virginis et Martyris CHristi, libris *duobus* quam vulgavit Goldastus tom. 1. scriptorum Alemannicorum p. 206 atque Papebrochius in Actis Sanctor. 2. Maji tom. 1. pag. 293 308. Memorat Hepidannus, fratrem quendam nomine EKKEHARDUM, ante se idem facere instituisse, quam in rem confer quae de vita S. Wiboradae ab Eccardo affecta et ab HARTMANNO suppleta atque perducta ad umbilicum dixi supra p. 180. Confer et Mabillonium Sec. V. Act. Sanctor. Ord. Bened. pag. 42. Ejusdem Hepidanni *Annales* breves ab Anno CHristi 709 ad Annum 1044 exstant apud eundem Goldastum ante tom. 1. Alemannicor. atque inde in Quercetani sive Andreae du Chesne tom. 3. scriptor. de rebus Francor. pag. 471. 480. Diversum esse Annalium scriptorem a scriptore vitae S. Wiboradae, nullo idoneo argumento Hallervordus colligit. Hepidamnum circa An. 1080. rebus humanis valedixisse, Oudini suspicio est t. 2. p. 619.

HERARDUS Turonensis Archiepiscopus ab Anno 855. ad 871. Ejus *Capitula* circa Annum 858. condita edidit Sirmondus tom. 3 Concilior. Galliae pag. 111. inde saepius recusa in tomis Conciliorum, ut Labbei tom. VIII pag. 637. Harduini tom. V pag. 450. etc. Confer de hoc Herardo Natalem Alex. tom. VI edit. in fol. pag. 64. seq. et Sammarthanos, tom. 1 Galliae Christianae p. 744. seq.

HERBERNUS Turonensis. Supra HEBERNUS pag. 182.

HERBERTUS, *Hebertus*, *Aubertus*, Decanus Autissiodorensis circa Annum 1247. qui in compendium misit *summam* GUILELMI Autissiodorensis, de quo supra p. 130. Vide librum Gallicum, continuation des memoires de litterature et d' Histoire tom. 3 part. 2. Paris. 1727. 12. p. 326.

HERBERTUS, Herebertus, Heribertus *de Bosham*, a) sive *Bossanhamensis* supra t. 1 pag. 245. De eo cum dixisset Lelandus cap. 190. de scriptoribus Britannicis, subjungit: *Erat et alter HEREBERTUS sed aetate prior, vir magni nominis, nec minoris doctrinae, de quo Radulphus Dicetensis, Decanus fani Pauli, Londini scribit*: Herebertus natus inter medios Saxones, transiens in Siciliam, assensu Regis Guilelmi creatus est in Calabria Consensanus (*Consentinus*) Episcopus, qui postea terrae motu absorptus est.

Guilelmus HERBERTUS Ord. Minor. supra pag. 140.

S. HERBERTI Episcopi Leodiensis Vita apud Surium 3. Novembr.

HERBERTUS sive HEBRECHTUS de quo Leo Ostiensis, Chronici Casinensis lib. 2. cap. 10. *Dominus Herbrechtus in historia quam de Longobardorum Gente post PAULUM Diaconum scripsit, ita refert.* Non alius hic ab ERCHEMBERTO de quo supra t. 2 pag. 515.

HERBERTI Monachi Epistola *de haereticis Petragoricis* eorumque principe *Ponno*, edita ab Edmundo Martene t. 1 anecdotor. pag. 453. et ante Edmundum a Mabillonio tom. 3 Analect. p. 467. (editionis novae pag. 483.) Confer Baronium ad Annum 1147. et Pagium ad Annum 1163. Principem horum haereticorum Mabillonii editio *Pontium*, Edmundi *Ponnum* appellat. Sed in eo consentit utraque, *solitos centies illos de die genua flectere*, non ut Pagius malebat *septies*.

HERBERTUS *Turritanus* sive *Turrium Sardiniae* Archiepiscopus circa Annum 1178. Ejus *libri III de miraculis* Ord. Cisterc. et Congregationis Claraevallensis, editi a Petro Francisco Chiffletio in S. Bernardi genere illustri asserto, Divione 1660 4. Laudat Albericus in Chronico p. 266 274. etc.

HERBORDUS Scholasticus. Hic *Vitam S. Othonis* Bambergensis Episcopi qui A. 1139 obiit, dicitur *libello quodam dramatico, carmine vel etiam prosa luculentissime persudasse.* Vide Oudinum tom. 2,

a) Vitiose apud Possevin. *de Hoscham.*

pag. 1195. De aliis S. Othonis vitae scriptoribus supra in ANDREA S. Michaëlis, tom. 1, pag. 90 et in EBBONE tom. 2, pag. 486 et quae de SIFFRIDO, suo loco.

Acta S. HERCULIANI. Infra *Anonymus* PERUSINUS.

HEREBERTUS *Losinga* al. *Consinga*, Sudvolciensis Anglus ex Monacho Cluniacensi Episcopus Thetfordiensis a) in Anglia Orientali, quam Episcopalem sedem An. 1096. Nordovicum transtulit, obiitque An. 1120. Scripta ejus teste Baleo II 62: Ad Anselmum Cantuar. *contra malos Sacerdotes. Constitutiones Monachorum. De prolixitate temporum. De fine Mundi. Epistolae ad diversos. Sermones XVIII.* Eadem Possevinus et pag. 197 seq. Pitseus.

HERIBERTUS et LISOIUS circa Annum 1023 impia dogmata professi Aurelianis, et cum asseclis combusti, de quibus Glaber Radulphus III. 8.

HEREMPERTUS supra ERCHEMBERTUS tom. 2, pag. 515.

Petrus de HERENTHAL, sive HERRENTHAENSIS Brabantus, Canonicus Praemonstratensis et Prior Monasterii Floreffiensis in Comitatu Namurcensi vergente seculo decimo quarto. Ejus scripta: praeter *Commentarium* in VII. Psalmos Poenitentiales atque in XV. Cantica graduum, *Catena in Psalmos universos* ad Joannem de Arckel, Trajectensem atque inde Leodiensem Episcopum, Colon. 1483. b) atque deinde saepius. Vide Oudinum tom. 3, pag. 1218 ubi etiam de Codicibus MSS. tum hujus operis tum *Commentarii in quatuor Evangelia* duobus tomis in fol. nec non *Chronici ab Orbe condito usque ad Annum CHristi* 1385 cujus nihil aliud est editum quam Vita Joannis XXII. Benedicti XII. Clementis VI. Gregorii XI et Clementis VII in Baluzii Papis Avenionensibus tom. 1. pag 179 238 310 483 539. Praeter illud Chronicon etiam *Compendium* sive *Biblia pauperum* ab initio Mundi usque ad Willelmum VI. Comitem Hollandiae, quod MS. in Bibliotheca Paulina Lipsiensi pag. 314. hunc Petrum habere auctorem, idem Oudinus suspicatur. Sicut Valerius Andreas et Franciscus Sweertius illi etiam tribuunt Catalogum ac res gestas Abbatum Floreffensium.

a) Ita legendum pro 1453. apud Valerium Andream p. 744.

b) Cangio *Trifordiensis*, minus recte.

HERENUS *de Boio* sive *Boyo*, Brito Aremoricus Carmelita post seculi XIV. initia, cujus *Varias Quaestiones* et commentarium *in IV. libros Sententiarum* laudat Trithemius c. 567.

HERIBALDUS sive *Heriboldus* Carolo Calvo Regi charus et intimus, Episcopus Auxerrensis sive Autissiodorensis circa Annum 849. ad quem Epistolae Lupi Ferrariensis, et Walafridi Strabi carmina. Vide Sammarthanos tom. 2. Galliae Cristianae pag. 269. seq. Huic et Rabano Mauro tribuit Thomas Waldensis, a) eoque nomine utrumque damnat, quod Eucharistiae Sacramentum, cibum digerendum in humanam carnem, ei secessui obnoxium esse scripserint. Idem ante Thomam in Rabano et Heribaldo graviter reprehendit Gerbertus, qui postea Silvester II. Pontifex, hic enim est auctor scripti: ex quo tunc adhuc inedito sine scriptoris nomine locum illum produxere Usserius, b) Blondellus, c) Albertinus: d) nuper autem librum praefixo Gerberti nomine publicavit Bernhardus Pez t. 1. anecdotor. parte 2. pag. 133. *Et his quidem, qui dixerunt secessui obnoxium, quod nunquam est auditum; id est;* Heribaldo *Autissiodorensi Episcopo, qui turpiter proposuit:* et Rabano *Moguntino, qui turpius assumsit, turpissime vero conclusit, suus ad respondendum locus servetur.*

HERICUS *Autissiodorensis:* supra ERICUS t. 2. p. 517.

HERICUS *Daniae* Rex, supra t. 2 p. 517.

HERICUS qui Vossio pag. 480. is Eisengreinio pag. 114. NERICUS, aliis *Udalri-*

a) tom. 1. doctrinalis de Fide, in Prologo ad Martinum V. et tom. 2. de Sacramentis cap. 19. 52. et 61.

b) Usserius de Christianar. Ecclesiar. successione. cap. 2. p. 46.

c) Blondellus. esclaircissements sur l'Eucharistie pag. 428.

d) Aubertinus de Sacramento Eucharistiae pag. 928.

cus Nerlinger a Wurmberg Abbas Ordinis Benedictini Campidonensis scripsit *Chronicon Monasterii sui* usque ad Annum 1261. quo magna pars ejus conflagravit. Ipse diem obiit An. 1268.

HERIGERUS, supra, HARIGERUS pag. 177. ubi Valerii Andreae et Francisci Swertii notatis varias observationes additas Lector reperiet. Neque vero gesta Abbatum Laubiensium Herigerus tradidit, ut a Cangio calami errore scriptum est, sed ut recte etiam apud Valerium Andream legitur, Leodicensium Episcoporum.

HERIMANNUS, infra, HERMANNUS *Monachus et Hermannus Tornacensis.*

HERIMBERTUS a quo libros de rebus a Carolo M. gestis compositos Gesnerus in appendice ad Bibl. suam annotavit. *Eginhardi* nomen sub eo latere conjiciebat Vossius pag. 707. Sed nihil impedit verum nomen *Herimbertum* scriptoris esse librorum, quos sub *Micrologi* nomine exstare notavi supra tom. 1. pag. 322.

HERIVEUS, Remensis ab Anno 900. ad 922. Archiepiscopus, Cancellarius Caroli Simplicis Regis Francorum. Vide Sammarthanos t. 1. Galliae Christianae p. 490. seq. Ejus *Epistola ad Witonem* Coarchiepiscopum Rotomagensem, *qualis poenitentia debeat iniungi non baptizatis et rebaptizatis et postea more paganico Ecclesias devastantibus et Christianitatem delentibus*: *Capitula XXIII. ex sententiis Patrum et Canonibus et Decretalibus Pontificum Romanorum*, exstat in Bibliotheca Patrum tom. XVII. edit. Lugd. pag. 247. 259. Sed in loco praemisso Flodoardi ex eius Historia Ecclesiae Rem. lib. IV. cap. 14. pro verbis: *qualiter ipsi Mortui anni tractari deberent*, legendum *ipsi Nortmanni*, ut recte pag. 604 eiusdem tomi legitur, in quo Flodoardi opus integrum exstat.

HERMANNUS *Æдituus*, cuius Chronici edendi spem fecit Joannes Basilius Heroldus praef. ad Marianum Scotum, non potest intelligi HERMANNUS *Contractus*, quia ille iam editus erat apud Henricum Petri An. 1536. cum Heroldus Marianum proferret An. 1559.

HERMANNUS ab Anno 1242. ad 1273. Abbas Altahensis sive *Altaichii* inferioris in Bavaria, Ord. Bened. et Ottonis, Bavariae Ducis filiique eius a Consiliis scripsit. *Chronicon Altaichiense*, maximam partem ex meris diplomatibus coaetaneis coagmentatum ab Anno 1242 ad 1273. quod MS. in Bibliotheca Caesarea. Vide Lambecium tom. VIII p. 77 80. Usus eo olim Aventinus libro tertio: sed editionem eius quam Christoph. Gewoldus praef. ad Chron Reicherspergense desiderabat, quamq; post Lambecium Daniel quoque Nesselius promisit, adhuc curavit nemo. Eiusdem Hermanni est *Chronicon Augustense* quod continuavit HENRICUS *Stero*, eius Capellanus de quo supra pag. 210. Excerpta hujus Chronici per Matthaeum Marschallum de Bappenheim, J. U. D. et Canonicum exhibet Freherus tom. 2, pag. 343 357. (493. 508.) ab An. 973 ad 1104 una cum Chronico Monasterii SS. Udalrici et Afrae Augustani ab An. 1152. ad 1265. pag. 458. 383. (509 536.)

HERMANNUS qui de Astrolabio scripsit, infra, *Hermannus Contractus.*

HERMANNUS *Augustanus* Ord. Praed. circa Annum 1353 quem ajunt scripsisse *de cognitione creata sensitiva et intellectiva.* Tum *Quodlibeta* plurima, complures que *quaestiones.* Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 641.

HERMANNUS *Augustinensis* Episcopus, cujus *Epistola ad Ottonem* Babenbergensem Episcopum Anno 1132 data in Jo. Georgii Eccardi Corpore medii aevi II. 364.

HERMANNUS *Brucher* Northusianus ord. Minor. circa Annum 1376 cuius *Sermones de Sanctis* memorantur ab Eysengreinio, Waddingo etc.

HERMANNUS *de Campo Veteri*, Westphalus Ord. Cisterc. circa Annum 1440. scripsit pro defensione Concilii Basileensis, *de vocibus definitivis in Concilio generali. De potestate Papae et Concilii. De Schismate De Neutralitate.* Vide Trithemium cap. 792 de S. E. et de scriptor. German. cap. 178. Vischium pag. 146 seq.

HERMANNUS *Cappembergensis*, infra, HERMANNUS *Judaeus.*

HERMANNUS *Cisterciensis.* Vide *Hermannus de Campo*, et *de Petra.*

HERMANNUS a debilitate membrorum qua laboravit ab infantia, dictus *Contractus*, filius Comitis Vöringensis et Sulgoviensis in Svevia: Monachus S. Galli primum, deinde Augiae Majoris sive divitis Ord. Bened. praestans ingenio, Latinae Graecae et Arabicae peritus linguae, et qui variis scientiis animum excoluisset. Diem obiit An. 1054 in praedio suo Aleshusano. a) De eo Trithemius cap. 321 de S. E. et II. 84 illustr. Benedictin. et de scriptoribus Germ. cap. 44 et ex recentioribus, ut innumeros notissimosque praeteream. Nic. Hieron. Gundlingius in Gundlingianis t. 1, pag. 51 seq. et B. Joannes Hubnerus noster in Bibliothecae Historicae Centuria III. pag. 71 seq. Inter Opera ejus praecipuum est *Chronicon de sex Mundi aetatibus*, quod ab rerum originibus perduxit ad Annum CHristi 1054. Eius variae et aliae aliis locupletiores exstant editiones, quoniam auctor ipse intercedente tempore videtur opus suum repastinasse vel locupletasse. Prima editio ex Codice S. Galli lucem vidit edente *Joan. Sichardo* Basileae 1529. 1536. cum Chronico *Eusebii* et *Hieronymi* quod Hermannus, sicut *Prosperi*, *Jornandis* et *Bedae* quoque in A. C. 726 desinentis diligenter est secutus. Deinde in tomo uno *Joannis Pistorii* Francof. 1583 1613. (et curante V. C. Burchardo Gotthelf Struvio, Ratisbonae 1726 fol.) cum continuatione ab Anno 1054 usque ad Annum 1065. Ex meliori hinc codice Coenobii S. Georgii prope Rothwilam, *Christianus Urstisius* inter scriptores rerum Germanicarum, Francof. 1584 et 1670. tomo priore Chronicon Hermanni locupletius edidit veteri editione per columnas ex adverso posita, subiunctaque praeter continuationem ANONYMI ab A. 1054. ad 1065 etiam alia BERTHOLDI Presbyteri Constantiensis ab Anno 1053 usque ad Annum 1100. Denique *Henricus Canisius* ex Codice Biblioth. S. Afrae et Udalrici Augustano Chronicon hoc melius atque locupletius edidit Ingolstad, 1601 4. tom. 1. Lectionum antiquar. (tom. 3. editionis novae pag. 193) cum continuatione priore usque ad Annum 1066. Canisii editionem secuti sunt Bibliothecae Patrum curatores, Coloniensis tom. XI. et Lugdunensis t. XVIII. Daniel quoq; Nesselius promisit ex Caesáreo Codice continuationem huius Chronici usque ad Annum 1347. Continuationem ab Anno 1279 ad 1310. WICHARDO *de Polheim*, Archiepiscopo Saltzburgensi tribui, Lambecius tom. 2, pag. 3. annotavit, qui et continuationis usque ad Annum 1347. meminit pag. 70. Caetera Hermanni scripta apud Anonymum Mellicensem cap. 91 memorantur haec:

a) Vide Pagium ad Annum 1054. n. 10.

1. *Gesta Chunradi et Henrici.*

2. Carmen, *de conflictu ovis et lini*, et aliud in modum *Theoduli*. Aliud item *de contemtu Mundi*. Ex carmine *de Virtutibus* vide Eccardi t. 2. Corporis medii aevi p. 6.

3. Liber *de principalibus computi regulis.*

His a Trithemio adduntur: 4. *Vitae plurium Sanctorum.*

5. *De Physiognomonia.*

6. *De compositione* sive *mensura Astrolabii* et *de ejus utilitate*, quae duo scripta primus edidit Bernhardus Pez tom. 3. thesauri anecdotorum, parte 2. pag. 95 et 109. Hos propter libros Hermannus inventor Astrolabii habitus fuit a Guilelmo Durando IV. 22 aliisque. Vide laudati Pezii prolegomena pag. IX. Sed notum est ante Ptolemaei tempora usum Astrolabii iam frequentatum fuisse.

7. *De eclipsibus.*

8. *De quadratura Circuli.*

9. *De conflictu rhythmomachiae.*

10. Honorius IV. 12 scribit *dulcisonum cantum* composuisse. Anonymus Mellicensis: *in Musica paene modernis omnibus subtiliorem, Cantilenas plurimas de Musica, Cantusque de Sanctis, satis auctorabiles* edidisse. Trithemius: praeter scriptum *de Musica* et aliud *de monachordo* ait *dulci et regulari melodia cum cantus et prosas pulcherrimas composuisse. E quibus est illa de beata Virgine dulcissima,* Salve Regina a)

a) Hanc. alii minus verisimiliter Ademaro Podiensi Episcopo tribuerunt, unde *Antiphona de Podio* apud Albericum in Chronico ad An. 1130. pag. 265. alii Petro de Monsoncio, Episcopo circa A. 960. Compostellano. Vide Nicolaum Antonium VI.

et Alma Redemtoris Mater, *et caeterae quarum copiosus est numerus.* Sequentia quoque, *Veni sancte Spiritus et emite coelitus lucis tuae radium* ad Hermannum auctorem refertur. Vide Joannem Egonem de Viris illustribus Augiae Divitis cap. 28 p. 689 tom. 1. anecdotorum Bernardi Pezii parte 3. pag. 68 et Possevinum in Apparatu. Longe plura adduntur tum ab eodem Egone, tum a Joanne Metzlero cap. 47 de Viris illustribus Sangallensibus tom. 1. ejusdem Pezii parte 3. pag. 582. *Ave praeclara maris stella.* Historiae sive Officia Annunciationis *S.* Mariae et S. Mariae Magdalenae responsorium, *Simon Barjona.* Et Sequentia: *Rex omnipotens* de Adscensione Domini: et Historia de Angelis. Denique Trithemio teste *transtulit nonnulla Graecorum Philosophorum et Arabum Astrologorum Volumina in Latinum*: e quibus JoannesMetzlerus nominat Rhetoricam et Poësin Aristotelis ex Arabico.

* Scripsit etiam Hymnum seu Rhytmum applaudens gloriae Henrici II. Imp. cum Obbone Regis Ungariae invasore pulso Petrum legitimum principem restituit. Incipit haec cantilena; *vox haec melos pangat.* Vide Albericum in Chronico ad an. 1045. Hermanni huius elogium historicum ab ejus familiari anno forte 1054 conscriptum ex MS. Cod. Vindobon. dedit Muratorius Antiq. t. III. pag. 933. In eo vero praeter opera Contracti hic recensita commemoratur libellus *De octo vitiis capitalibus jocundulus metrica diversitate lyricum poetice* (sic)

HERMANNUS *Cygneus*, infra, *Hermannus Minorita.*

HERMANNUS *Dalmata* scriptor Chronici Saracenorum.

HERMANNUS *Doceomiensis* Frisius et ad S. Vitum Leovardiae Pastor circa Annum 1500 cuius *Commentarium in XVII. Psalmos primores* Possevinus et alii ex Suffrido Petri commemorant.

HERMANNUS Eremitarum in Nariscis (a) sive Waldsassensibus (Oortgaw) Abbas Benedictinus circa Annum 1214 scripsit de Cherubim et Seraphim, ac caeteris Angelorum choris. Vide Possevinum.

HERMANNUS *Gigas* et HERMANNUS *Januensis*, infra *Hermannus Minorita.*

Joannes HERMANNI, vide infra JOANNES *Wesselus.*

HERMANNUS Coloniensis, *Judas* quondam dictus, genere Israëlita, tribu Levita, ex *Judaeo* Christianus, colloquiis Ruperti, Abbatis ab Anno 1124. Tuitiensis, Eckebertique Episcopi ab Anno 1127. Monasteriensis, aliorumque clericorum sermonibus permotus, atque adducto etiam ad Christianos fratre suo, Canonicus *Cappenbergensis* Ord. Praemonstr. in Westphalia scripsit *Opusculum de conversione sua* ad Henricum, quem modo filium, modo fratrem carissimum appellat. Hoc ex Codice Biblioth. Paulinae Lipsiensis in quo Esaiam commentariis iunctum erat, vulgavit D. Joannes Benedictus Harpzovius ὁ μακαρίτης ad calcem pugionis fidei Raymundi Martini, observationibus Josephi de Voisin illustrati. Lips. 1687 fol. *Non*, inquit Hermannus, *ea facilitate conversus sum, qua multos saepe infideles, sive Judaeos sive paganos, ad fidem Catholicam repentina et inopinata mutatione converti videmus, ut quos heri perfidos dolebamus, hodie fideles et nostros in gratia Christi factos coheredes gaudeamus. Atvero mea conversio, gravissimis in ejus primordio crebrescentibus tentationum procellis, multisque se ei opponente antiquo hoste insidiis, et longa protelata fluctuatione, et maximis tandem laboribus, effectui est mancipata.* Baptismi, qui Coloniae in B. Petri basilica ei obtigit, historiam cap. 19 texit his verbis: *in caeteris ad fidem orthodoxam pertinentibus sufficienter pro mea capacitate imbutus, solum de baptismi trina immersione in nomine sacrae Trinitatis exhibenda, ex ministrorum negligentia, immo potius ex insidiantis mihi inimici fraudulentia edoctus non fueram. Fluenta igitur vivifici fontis ingressus, et in eo semel contra orientem immersus, solam hanc immersionem suffecisse credebam ad antiquae vetustatis renovationem. Clerici autem*

14. Biblioth. vet. Hispan. pag. 579. S. Bernardi Opera tom. 2. edit. novae Mabillonianae Paris. 1719. fol. p. 738. 749.

b) Perperam apud Cangium *in Noricis*,

baptisterium circumstantes, saepius me mergi debere clamabant. Sed ego qui fonte jam recens emerseram, discrete eorum voces audire vel clare, quos mihi faciebant, nutus, defluente nimirum hinc inde piloso capite aqua, videre non poteram. Igitur a facie detersa manibus aqua, quid vellent audivi, sed magno fontis astrictus frigore, eorum primo voluntati non libenter obedivi. Attamen blanda Baptistae mei flexus ammonitione, feci, quod faciendum erat pro salute. Ratus itaque hac me secunda tinctione Divinis mysteriis satisfecisse, coepi de fonte velle exire. Siquidem prae nimio ejus algore pene totus obrigueram. Sed clerus magnis rursum vocibus perstrepebat, me ad consummationem sacramenti versus ad austrum, salutaribus fluentis humiliter debere submitti. Diabolica igitur fraude circumventus, suspicatus sum, haberi me ab eis derisui. Unde sicut ille quondam Naaman Syrus accepto ab Heliseo propheta septies lavandi, magno animi succensus furore, ac morae totius impatiens, volebam e baptisterio prosilire. Sed, Deo gratias, quod etsi se inimicus erexit, non adversum me praevaluit. Enimvero quemadmodum idem Naaman suorum flexus ammonitione comitum, salutari Prophetae consilio obtemperavit; ita blanda religiosorum, qui aderant, clericorum exhortatio, propulso ab animo meo concepto malae suspicionis contagio, meam in fide pusillanimitatem roboravit Ut igitur per omnia veteribus nova liceat comparare, Naaman Jordaneis septies lotus fluentis, a lepra carnis visibiliter est curatus, ego in baptismo per septiformem Spiritus sancti gratiam invisibiliter sum ab animae lepra mundatus. Vide et infra, *Hermannus Praemonstratensis.*

HERMANNUS *Kornerus*: de quo supra in CORNERO tom. 1, pag. 396.

HERMANNUS *Lerbecius* sive *Lerbeccensis*, *de Lerbeke*, Monachus Dominicanus Domus S. Pauli, Mindensis, scriptor *Chronici Comitum de Schowenberg* sive Schavenburgicorum ab Anno CHristi 1030. ad Annum 1404 (non 1414 ut Vossius) quod auctor dicavit fratribus Bernhardo Praeposito Hamburgensi, atque Ottoni in Schowenborg Comiti magnifico. Hoc cum notis eruditis historicis, edidit Henricus Meibomius avus, Helmst. 1620 4 et Henricus Meibomius nepos recudi fecit tom. 1. rerum Germanicarum p. 495 521 notis a p. 521. ad pag. 548 progredientibus. Germanicam quoque Chronici hujus versionem, adhuc ineditam Meibomius commemorat. Vide Jacobum Quetif tom. 1. de scriptis Dominicanorum pag. 751.

HERMANNUS *Mindensis*, ab *Hermanno de Lerbeke* neutiquam diversus.

HERMANNUS *Minorita* Chronicon condidit, quo MS. usum se profitetur qui Abbati Urspergensi paralipomena adiecit. Huic Vossii notationi Sandius subiungit: *dubio procul is est HERMANNUS Gigas, qui Minorita dicitur*, Chronico *autem*, *quod scripsit*, *titulum dedit* de floribus temporum. Eundem auctorem videtur Blondellus de Johanna Papissa pag. 11 vocare HERMANNUM *Cygneum.* Nimirum MARTINUS Minorita *Flores temporum* collegit ab Origine rerum usque ad annum Gratiae 1290. HERMANNUS vero *Januensis* continuavit usque ad An, 1346 atque ita cum continuatione exhibentur a G. V. Georgio Eccardo tom. 1. Corporis medii aevi pag. 1551 1640. Lubens insuper audivi HERMANNI *Gigantis* flores temporum a Rev. D. Joanne Gerardo Meuschenio exspectari vulgandos cum continuatione *Michaëlis* EISENHARTI.

Nescio quis qualisve sit *Frater* HERMANNUS cujus *Dialogum* excusum Ligni An. 1481 memorat Jo. Caillius histor. typographiae pag. 43 et ex eo Mich. Maittaire pag. 161 tom. 1. annal. typogr.

HERMANNUS sive HERIMANNUS Monachus, cujus *Epistolam* ad Bartholomaeum Episcopum Laudunensem *de Miraculis S. Mariae Laudunensis* in Codice Sangermanensi 527 legit praestantissimus Cangius, eadem est quam vulgavit Dacherius ad calcem operum Guiberti Novigentini p. 526 praemissam ejusdem Hermanni *libris tribus,* quorum duo priores miracula illa persequantur, tertius autem isque prolixior tractat de ornata per S. Norbertum et Bartholomaeum Episcopum, et Monasteriis locupletata dioecesi Laudunensi. Bartholo-

maeus ille praefuit ab An. 1113 usque ad 1150. vide Sammarthanos tom. 2 Galliae Christ. pag. 620. seq. Idem Hermannus testatur scripsisse se *vitam S. Hildefonsi*, Toletani Archiepiscopi, eamque libris ejus tribus de Virginitate sua praemisisse. Hermannum hunc in genealogia illius Bartholomaei tradenda testem omni exceptione majorem laudat Petrus de Marca, Marcae Hispanicae libro IV. pag. 455. Non diversus hic ab **HERMANNO** Tornacensi, de quo infra.

HERMANNUS *de Petra*, Ordinis Cisterciensis. Ejus *Sermones* MStos in Biblioth. Abbatiae Hasnoniensis, Ord. Bened. in Hannonia memorant Sanderus pag. 314. atque ex eo Vischius pag. 146.

HERMANNUS *Petra de Stutdorp*, sive *Santdorpius*, Virginum Carthusianarum domus S. Annae prope Brugas per annos XXIX. ut Trithemius c. 752 de S. E. et c. 162 de scriptoribus Germ. vel ut Valerius Andreas pag. 383 triginta quatuor Coenobiarcha, defunctus An. 1428 Scripsit *Sermones de tempore*, tribus Voluminibus totidem. *Super Oratione Dominica* Sermones quinquaginta, editos Aldenardae 1480. et Lovan. 1484. *De regimine Monialium, De immaculata Conceptione S. Mariae.*

HERMANNUS *Praemonstratensis*, si Oudinum tom. 1. pag. 1088 audimus, primus a S. Norberto constitutus Praepositus in Westphalia Cappenbergensis, idem scilicet qui *Judaeus* antea, opusculum de conversione sua scripsit (de quo supra pag. 223.) et scriptor *vitae S. Godofredi* ex Cappenbergensi Comite Canonici Ord. Praemonstratensis et Praepositurae Cappenbergensi fundatoris. An. 1126. defuncti, quae sine nomine auctoris exstat apud Surium 13 Januar. et in Actis Sanctor. tom. 1. Januar. pag. 847 atque incipit: *Temporibus B. Ludgeri:* Sed in notia Praepositorum Cappenbergensium obvia in iisdem Actis pag. 842 seq. nulla Hermanni hujus mentio occurit.

HERMANNUS *de Saxonia*, Ord. Minor. cujus librum *de Casibus Conscientiae* MStum in Bibliotheca Conventus Assisii, memorat Waddingus pag. 169.

HERMANNUS *de Schildis* Westphalus, Germanus Augustinianus qui diem obiit Herbipoli in Franconia An. 1357. Vide Trithemium de S. E. cap. 494 et Philippum Elssium Encomiastici Augustiniani p. 282. Scripta ejus: *De quatuor sensibus S. Scripturae.* MS. in Biblioth. Basileensi. *Lectura* sive *Postilla in Genesin. Hexaëmeron duplex. De decem praeceptis. Postilla in Canticum Canticorum. De materia Cantici Canticorum. Quadragesimale. De XLII. Mansionibus. Expositio Orationis Dominicae duplex*, una secundum verba Matthaei, altera secundum verba Lucae. Super *Ave Maria. Expositio Missae. De comparatione Missae, In primum Sententiarum. Breviloquium. Manuale Sacerdotum. De vitiis capitalibus. Claustrum animae. De conceptione S. Mariae. De modo studendi. De vera et falsa amicitia. De horis Canonicis. Contra flagellatores Sermones varii. Collationes praedicabiles. Quaestionum diversarum* liber. *De quinque sensibus. De divisione Philosophiae*, metrice. *In Ethicam et Rhetoricam Aristotelis. Super C.* Omnis utriusque. *Introductorium Juris.*

HERMANNUS *Petra de Stutdorp*, supra, *Hermannus Petra.*

HERMANNUS Abbas S. Martini Tornacensis Ord. Bened. ab Anno 1127 ad 1137 incertum quot annis superstes post abdicatum munus fuerit. Exstat ejus 1) *narratio restaurationis Abbatiae S. Martini Tornacensis* ad Patres, Fratres et Filios universos illius Coenobii. Primus vulgavit Lucas Dacherius tom. XII. spicilegii pag. 358 seq. (editionis novae tom. 2. pag. 888.) cum additionibus aliorum auctorum pag. 922 et 926. ab Anno 1127 usque ad Annum 1160. Hoc est scriptum de quo tum adhuc inedito Vossius pag. 433. *Multa in eo leguntur de Regibus Galliae ac Comitibus Flandriae, atque ut Episcopatus Tornacensis separatus sit a Noviomensi.*

2) *De incarnatione JEsu CHristi Domini nostri*, tractatus ad Stephanum Viennensem in Gallia Archiepiscopum, editus primum a Casimiro Oudino inter Opuscula sacra Veterum aliquot, Galliae et Belgii scriptorum Lugd. Bat. 1692 8. In praefatione, Hermannus, *Sciatis*, inquit, *me in eo nihil de meo posuisse, sed quod in san-*

ctis Doctoribus legeram, et maxime in libro Domini ANSELMI *Cantuariensis Archiepiscopi, quem de eadem materia compositum* Cur DEus homo *nominavit, velut in uno vasculo congregasse. Praeterea Dominus* ODO *Cameracensis Episcopus piae memoriae vir, nostri Coenobii id est Beati Martini Tornacensis primus Monachus et primus Abbas, qui me et patrem meum tresque germanos meos Monachos fecit, et cui ego licet indignus in ejusdem Coenobii regimine tertius Abbas successi: is inquam Abbas Odo in vigilia Nativitatis Domini, de eadem incarnatione ejus, sermonem perpulchrum et prolixum fratribus nostris in capitulo singulis annis facere consueverat: adeo ut cum mane inciperet, usque ad horam fere sextam eum protenderet. Et quia tunc eram adolescens et capacis ingenii, non pauca ex ejus verbis memoriae commendavi, quae nunc etiam referam vobis et omni legere volenti.*

3) *De miraculis B. Mariae Laudunensis* libri tres, de quibus supra in Hermanno Monacho p. 223.

HERMAS Pastor, Apostolicis vicinus temporibus, Graece quidem non Latine scripsit, sed admodum vetus exstat Latina trium ejus librorum interpretatio, quam cum Graecis quae supersunt fragmentis notisque Jo. Baptistae Cotelerii aliorumque recudendam dedi in parte tertia Codicis Apocryphi Novi Testamenti. Hamb. 1719. 8. Primam editionem debemus Jacobo Fabro Stapulensi qui Hermam vulgavit Paris. 1513. fol. apud H. Stephanum avum una cum Visionibus Uguetini monachi, fratris Roberti, S. Hildegardis, Elisabethae Sconaugiensis, et Mechtildis.

S. HERMENGILDI, Regis et Martyris in Hispania, circa A. C. 586. *Vita* in Actis Sanctor. 13. April. t. 2 p. 134. seq. petita ex Joanne Mariana.

HERMENOLDUS Abbas Anianensis, non diversus ut videtur ab ERMOLDO *Nigello*, de quo supra tom. 2 pag. 519.

Adso HERMERICUS. Supra ADSO. t. I. 17.

HERMERI Prophetia, qui ibi dicitur Deus Sapientum, MS. in Bibliot. Cottoniana p. 76.

HERMETIS Trismegisti nomine scripta nonnulla feruntur non Graece ab eo composita nedum Latine, sed Latine versa olim ab APULEJO atque aliis ex Graeco, et ex lucubrationibus Alexandrinorum Philosophorum Graece nomen Hermetis praeferentibus, de quibus abunde dictum lib. 1. Bibl. Graecae cap. 7. seq. et in Bibl. Latina ubi de Apulejo.

HERMIAS Philosophus Christianus ab aliud agente praestantissimo Cangio inter hos scriptores numeratur, quem neutiquam fugiebat Graece non Latine scripsisse Hermiam, notissimam illam et brevem, Gentilium Philosophorum irrisionem cujus versio Latina Bibliothecis Patrum inserta legitur. De aliis editionibus dictum in Bibliotheca Graeca lib. V. c. 1. p. 96. seq.

HERMOLAUS *Barbarus*. Supra t. 1 161.

HEROLDUS Monachus Hirsaugiensis Ord. Bened. circa Annum 1149. scripsit *de laude Martyrum*, ut ex Possevino Cangius.

Joannes HEROLDUS sive HEROLT, qui sub nomine DISCIPULI est notior. De eo supra tom. 2 pag. 452. Apud Possevinum vitiose *Joannes Beroli.* Vide Oudinum t. 3 p. 2654. seq.

Petrus HERP Ord. Praed. Francofurti ad Moenum scripsit *Annales breves Dominicanorum Francofurtensium* ab An. 1306. ad 1506. quos ex MSto Bibliothecae Uffenbachianae vulgavit superiore Anno Henricus Christianus Senckenbergius tomo secundo selectorum Juris et Historiarum, Francofurt. 1734. 8. pag. 1-30. Laudat Henricus Speelmannus in glossario pag. 300. voce *Frigdora* ex quo apud Senckenbergium pag. 13. pro *modos asserere*, legendum apparet *modos assuere.*

Stephanus HERRANDUS ex Abbate Isenburgensis Coenobii Ord. Bened. Episcopus Halberstadensis, defunctus An. 1107. Vide Trithemium cap. 360. de S. E. et de Scriptor. German. cap. 61. Ejus *Epistola* defensoria Papae ad *Waltramum* scripta nomine *Ludovici* Landgravii Thuringiae, ad quem WALTRAMUS Naumburgensis a)

a) Apud Pistorium pag. 458. *Megdeburgensis.* seq pag. 461. rectius *Numburgensis*, sicut apud Trithemium quoque *Nienburgensis.* Vide Goldastum diss. de auctoribus apologiae pro Henrico IV. praemissa pag. 20. seq.

Episcopus pro Henrico IV. scripserat, exstat utraque apud Dodechinum ad Annum CHristi 1090. tom. 1 Pistorii pag. 458. seq. et in Goldasti apologia pro Henrico IV. p. 31. et 252.

HERVARDUS Leodiensis Archidiaconus, circa Annum 1200. scripsit *Epistolam* ad G. Canonicum Laudunensem scriptorem vitae S. Servatii, Tungrensis Episcopi, itemque epici carminis quo cultu et qua conversationis forma se agant Clerici qui pie CHristo volunt vivere. In hac Hervardus Canonicum illum rogat, ut Guiberti Martini, Abbatis Gemblacensis desiderio Vitam S. Martini Turonensis scribendam in se suscipere ne gravetur. Edita Epistola a Mabillonio tom. 2 Analect. p. 236. (edit. novae pag. 480.)

HERVELDENSIS Monachi Chronicon ab Orbe condito ad Annum CHristi 1076. in Simonis Schardii t. 1 rerum Germ. p. 369.

HERVEUS Brito, infra, *Herveus Natalis.*

HERVEUS Cenomanensis, Monachus Burgidolensis sive Dolensis Ordinis Benedictini in dioecesi Bituricensi circa An. 1130. de cujus Vita et scriptis Epistolam Encyclicam Monachorum Burgidolensium edidere Dacherius tom. 2 spicileg. pag. 514. (editionis novae tom. 3 pag. 461.) Oudinus t. 2 pag. 114. et Bernhardus Pez. Praef. ad tom. 3 anecdotorum pag. IV. Cujus eam partem qua scripta Hervei recensentur, hic apponam, additis notis, ex quibus constet quantum ex illis hodie superesse sit compertum.

Fecit ergo primum Expositionem mirabilem super Librum B. Dionysii de Hierarchiis Angelorum.

Deinde exposuit totum Librum Isaiae Prophetae, a) et Lamentationes, Jeremiae, extremamque partem Ezechielis, *ibi incipiens, ubi sanctus Gregorius Papa dimiserat, et ad finem usque perducens.*

Simul etiam Deuteronomium Moysis a) et Ecclesiastem Salomonis, *nec non quoque* Librum Judicum et Libellum Ruth, librumque Tobiae, *omnia quae in illis minus intelligentibus solam litteram sonare videntur, in convincibili ratione ostendens, CHristi et Ecclesiae contestari et praedicare mysteria.*

Praeterea et Apostoli Pauli Epistolas b) *et cum tanta sapientiae affluentia,* exposuit, *ut, qui eas legerunt, asserant, nunquam se illis comparabiles cognovisse, et vix aut nunquam tanta expositas diligentia posse alicubi reperire.*

Ad ultimum, cum fama doctrinae ejus circumquaque spargeretur, et jam nullus ei, sicut attestantur, qui eum veraciter cognoverunt, Canonicarum Scripturarum scientia primus haberetur, Librum Duodecim Prophetarum et Librum Genesis *ex integro tam mirabili sensu* exposuit, *ut expositionem super illos necdum potuerimus invenire, quae suae aequiparari possit.*

Inter haec quippe fecit plurimas Expositiones de Lectionibus sanctorum Evangeliorum, Canticorum *etiam, quae in Ecclesia leguntur.*

Libellum *quoque* de connexione quarundam Lectionum, *ostendens aliter in quibusdam Ecclesiis legi, quam in Sacra Historia continentur: de quibus unum quod subditur exemplum, sufficiat. Legitur in Quadragesima, Lectio quaedam de Libro Esther*: oravit Esther ad Dominum dicens: Domine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita. *Quam orationem ipse illic ex auctore sacrae historiae probat non fecisse Esther*: oravit Mardochaeus. *Et multa similia ibidem asserit.*

a) Commentarios amplissimos *in Esaiam* libris distinctos VIII. ad Joannem Abbatem Dolensem in pluribus Galliae Bibliothecis MStos viderunt Labbeus tom. 1. de S. E. pag 432. et Oudinus tom. 2. pag. 1117. Eosdem sed sine praefatione ad Joannem Abbatem, ex Codice Monasterii S. Crucis Ord. Cisterc. et Garstensi prope Styram edidit. Bernh. Pez. t. 3. anecdotor. Augustae. Vindel. 1721. fol. etiam Commentarios ejusdem Hervei MStos in Bibl. Cisterciensibus exstantes refert se vidisse *in Leviticum*, Librum *Judicum, Ecclesiasten, Canticum Mosis, Abacuc et Annae Prophetissae* et Expositionem *in Duodecim Prophetas.*

a) Postillae breves *in Deuteronomium* MSS. in Bibl. S. Germani Paris.

b) Hi sunt Commentarii *in Pauli Epistolas* quos sub Anselmi nomine Colon. 1533. cum Praef. Gottfridi Hittorpii primum editos, deinde inter ANSELMI Cantuariensis Opera plus semel prodiisse dixi t. 1. pag. 106.

Librum *etiam non minimum fecit* de Miraculis S. Mariae DEi Genitricis, *quae eadem inviolata Virgo temporibus ejus gessit in Dolensi templo, quae ipse mox postquam gesta erant, sicut audiebat ab ipsis, in quibus fiebant, et a Monacho Custode Monasterii, sine aliqua dilatione scribebat.*

HERVEUS *Natalis*, Brito Aremoricus, Ord. Praed. Magister generalis, defunctus An. 1323. de quo Jacobus Quetif tom. 1 pag. 533. seq. Labbeus, H. Warthonus ad Caveum et alii. *Subtilissimum in Logica et Philosophia* vocat S. Antoninus summae Hist. XXIII. 11. 2. tom. 3 pag. 68. Scripsit *de secundis intentionibus* Paris. 1489. 4. Commentarium *in IV. libros Sententiarum* Venet. 1505. fol. et Paris. 1647. cum tractatu *de potestate Papae*, qui separatim prodierat Paris. 1500, et 1506. 4. *Quodlibeta minora* XXIV. et *de Beatitudine.* Venet. 1513. fol. *Quodlibeta majora* quatuor, quorum quartum est contra PETRUM *Aureolum.* Venet. 1486. fol. et cum septem ex minoribus. ibid. 1513. fol. et tractatus VIII. *de beatitudine*, *de Verbo*, *de aeternitate Mundi*, *de materia Coeli*, *de relationibus*, *de pluralitate formarum*, *de virtutibus*, *de motu Angeli.* Omitto alia vel inedita adhuc, vel in Quodlibetis aut Quaestionibus disputatis obvia, quae a Quetifo memorantur, ut *de esse et essentia* atque *de intellectu et voluntate* contra HENRICUM *Gandavensem*: *De peccato originali. De paupertate CHristi et Apostolorum. De speciebus. De latitudine entium. De Voto religiosorum.* In *Aristotelem* de praedicamentis et in libros duos perihermenias, in librum divisionum *Boëthii*, in *Porphyrii* communitates. *De cognitione primi principii. De indulgentiis. Utrum ponere ea, quae sunt Fidei, repugnare seu non posse stare cum apparentibus*, *sit ponere falsum subesse Fidei nostrae. Utrum DEum esse*, *possit demonstrative probari via causalitatis efficientiae. Defensorium vero contra impugnantes Fratrum Praedicatorum Ordinem*, *quod non vivant secundum Apostolicam Vitam*, non Hervei est, sed JACOBI *de Voragine*, de quo infra. Commentarius *in Epistolas Pauli* auctorem habet, ut jam paullo ante notavi, HERVEUM Dolensem. Verisimilius tamen est nostro deberi *Totius Logicae Aristotelis summam*, quae inter THOMAE Aquinatis legitur, opusculum XLVIII.

HERVEUS *Remensis,* supra, HERIVEUS pag. 220.

Arnoldus HESSELS, de quo t. 1 p. 133.

HESSO Scholasticus et Presbyter Remensis, cujus brevem *Commentarium de rebus* An. 1119 *gestis inter Calixtum II. Papam et Henricum V. Imp.* Acta *Concilii Remenis* illo anno celebrati complexum edidit Seb. Tengnagelius inter Vetera monumenta, vulgata Ingolstad. 1612 4. atque inde in Conciliorum tomis. Adde Ordericum Vitalem XII. pag. 857 seq. et Pagium ad Annum 1119 num. 9. seq. Laudat Conradus Abbas Urspergensis pag. 263. Chronici.

HESYCHIUS auctor *librorum VII. Explanationum allegoricarum in Leviticum* ad Diaconum Eutychianum Latine quidem tantum exstant, laudati pridem Amalario, Rabano, Strabo, aliisque, et editi Basil. 1527. fol. Paris. 1581 8. et in Bibliothecis. Patrum ut tom. XII. edit. Lugd. pag. 52 plerisque autem visi sunt scriptoris esse Graeci, Hesychii nempe, ut titulus habet, Hierosolymitani a) presbyteri, versi latine ante multa secula ab interprete nescio quo. Tamen, *Latine primitus scriptum prorsus existimo*, inquit celeberrimus Montfauconus pag. 75. diss. praeliminar. in Hexapla Origenis: *neque enim ullatenus olet interpretationem ex Graeco factam. Et Commentaria non Graece sed Latine edidisse vel hinc evincitur*, *quod in Catenis Graecis*

a) In glossa Ordinaria vocatur etiam Episcopus Hierosolymitanus: sed non est tanta illius auctoritas, ut ideo non possit tribui Hesychio qui presbyter Hierosolymitanus A. C. 433. obiit et ab explanatione Sripturarum magnam sibi celebritatem nominis parasse in Menologio Graecorum ad 28. Martii traditur. In MS. Regio Paris. quod est in fol 800. circiter annorum, *incipit liber Isicii Hierosolymitani in Leviticum.* Recentior manus mutavit, scripsitque *Salonitani.* Graecis scriptoribus accensere etiam non dubitat Nic. Comnenus praenotion. mystagogic. pag. 163. 180. etc. De Hesychio. presbytero Hierosol. Graeco scriptore, et de aliis Hesychiis dictum tom. VI. Bibl. Graecae. p. 243. seq.

in Leviticum, quae magno numero variis in Bibliothecis habentur, nihil ex Hesychio Graece usquam compareat.

HESYCHIUS *Salonitanus*, in Dalmatia Episcopus, cujus Epistola una ad Augustinum et duae ad eum Augustini exstant, num. 78. 79. 80. (in nova editione 197. 198 199.) Augustinus XX. 5 de Civ. DEI: *Epistola quam rescripsi ad beatae memoriae virum Hesychium Salonitanae Urbis Episcopum, cujus Epistolae titulus est de fine saeculi.* Est illa Epist. 80. (in nova editione 199.) Epistola prima Zosimi Papae ad hunc Hesychium data fertur Honorio XII. et Theodosio VIII. COSS. hoc est A. C. 418. tom. 1. Concilior. edit. Binianae pag. 711. Ad hunc Hesychium exstant S. Chrysostomi Epistolae. Neque hunc explanationum in Leviticum interpretem videri potest probabile, qui Hesychio Hierosolymitano antiquior non raro verba S. Scripturae ex Hieronymi versione adscripsit, quae illi *nostra translatio*, *praesens translatio* appellatur. Confer Richardum Simonem in Censura Bibliothecae Divinae Hieronymianae Gallice edita pag. 35 seq. 40. seq. et in Epistolis Criticis pag. 69. seq. et tom. 4. Biblioth. Criticae pag. 55 et in censura Biblioth. Ecclesiasticae Dupinianae tom. 1, pag. 161 seq. Salmasium de transubstantiatione pag. 57. Edm. Albertinum de S. Eucharistia pag. 847. Labbeum de scriptoribus Ecclesiasticis tom. 1, pag. 633. Natalem Alex. Sec. V. pag. 136. Usserium apud Caveum, et Antonium Arnaldum in scripto Gallico: Tradition de l'Eglise touchant l'Eucharistie tom. 4. de la perpetuité de la foy pag. 21. seq.

HETERICUS, supra, ETHERIUS t. 2. p. 523

HETTIUS ex Abbate Epternacensi Archiepiscopus Trevirensis, supra, *Hectus*. pag. 182.

HETTO ex Augiensi Abbate Episcopus Basileensis, vide supra *Hatto* pag. 181. Hic a Cangio male traditur vixisse Anno 924. nam diem obiit An. 836.

Joannes HEXHAM, Prior Haghulstadensis, scripsit *Historiam XXV. annorum*, hoc est Historiam *SIMEONIS* Dunelmensis de gestis Regum Anglorum continuavit ab Anno 1130 ab 1154. Exstat inter decem Scriptores Historiae Anglicanae Rogero Twisdeno et Joanne Seldeno curantibus editos Lond. 1652 fol. ad calcem Simeonis Dunelmensis tom. 1. pag. 257. 282. Praeterea Baleus III. 31. et Pitseus ad Annum 1190 ei tribuunt *Descriptionem Scotici belli*, *librum de signis et Cometis*. Anno 1133 nec non aliquot *Conciones*.

Ranulphus HICKEDEN, infra, HIGDENUS.

Joannes HICKLEY Augustinianus, Doctor Theologus scripsit contra omnes haereticos, schismaticos et persecutores Ecclesiae ingens volumen in tres tomos distributum, cui titulum fecit: *De potestate Ecclesiae*. Laudat Bzovius ad An. 1415. n. LVIII.

HIEREMIAS *Judex*, cujus *Compendium Moralium notabilium* memorat Sanderus in Bibliotheca MStorum Belgii pag. 225. non diversus ab Gesneri HIEREMIA *Paduano*, sive HIEREMIA *Montagnono* seu *de Montanione*, quem Judicem Patavinum notavit Scardeonius, defunctum An. 1300 et ex Scardeonio Nicolaus Comnenus Papadopoli tom. 2 historiae Gymnasii Patavini pag. 6. Idem Compendium memoratur apud Sanderum pag. 199 ubi male *Hieremias de Monvangione* appellatur: ille vero exstat editus liber, Nicolao Comneno judice perutilis inscriptus *Epitome Sapientiae*. Continet excerpta, collectaque ac in capita operose digesta, quae ex pluribus excerpsit scriptoribus, dicta, exempla, ratiocinia ad rem moralem pertinentia. Lucem vidit Venetiis 1505 4. Vide Mich. Maittaire Annales typograph. tom. 2. pag. 152. Eundem Hiremiam quoque *de auctoribus scientiarum et libris eorum* scripsisse testantur Gesnerus in appendice ad Biblioth. et ex eo Simlerus aliique.

HIERONYMI *Æmiliani*, Patritii Veneti Congregationis Clericorum Regularium Somaschae in agro Bergomensi institutoris, qui An. 1537 obiit, vita scripta libris IV. ab Augustino Turtura, Congregationis Praeposito Generali ad Horatium Cardinalem Lancelotum, exstat in Actis Sanctorum tom. 2. Febr. 8. pag. 226 274.

HIERONYMUS *Albertuccius de Borsellis*

sive *Bursellus*, Bononiensis Ord. Praed. diem obiit An. 1497 et traditur scripsisse Chronicon ab O. C. ad Annum 1494. Annales sui Ordinis, et tabulam duplicem de Generalibus Magistris ejusdem Virisque illustribus. Aliam itidem de Doctoribus asseverantibus B. Virginem originali peccato aliquando fuisse obnoxiam. Historiam Pontificum Romanorum a S. Petro ad Alexandrum VI. Chronicon sive descriptionem plurium Italiae Civitatum, et Chronicon Bononiense ac Sermones. Vide Jacobum Quetif tom. 1, p. 883 et Vossium p. 627 seq.

HIERONYMUS *Balbus*, Parisiis eloquentiae laude clarus circa Annum 1494 edidit *Rhetorem gloriosum*, sive dialogum quo Guilelmum Tardivum perstringendum sibi sumsit. Vide Trithemium cap. 942. Postea Episcopus Gurcensis in Carinthia, Carolo V. dicavit opusculum *de Coronatione*, aliaque scripsit carmine et prosa de quibus adeundus Hendreichius in pandectis Brandenburg. pag. 390.

* *Hieronymus Balbus* Foroliviensis, quo praeceptore usum se Symphorianus Camperius celebris Lugdunensis medicus profitetur in catalogo praeceptorum et patronorum suorum.

HIERONYMUS *Bononius* Tarvisinus defunctus An. 1517. Praeter *vitam S. Hieronymi* prosa et versu, nec non *promiscua* scripsit dissertationem brevem *de Tarvisinis illustribus* editam in tomo secundo supplementi ad Diarium eruditorum Italiae pag. 115 131.

HIERONYMUS *de Bononia*, supra, *Hieronymus Albertuccius*.

(141 HIERONYMI *Bottigellae* J. V. D. Oratio pro Magnif. Francor. R. consiliario Jo. Phi. Gambaloita Papiae Praetore (1494) c. 8, in 4. praeced. Epist. eiusd. ad. Jo. Fr. Rosati et Carmen. Argelati De Script. Mediol. 666 et Marini Archiatri Pontificj. II. 325.)

HIERONYMUS *Camaldulensis*, infra, *Hieronymus Pragensis*.

HIERONYMUS *Donatus*. Vide DONATUS tom. 2. pag. 473.

HIERONYMUS *Ferrariensis*, infra, SAVONAROLA.

HIERONYMUS *a Sancta Fide* Hispanus antea inter Judaeos *Josua Lurcki*, Medicus Petri de Luna sive Benedicti XIII. Judaismum ejuravit An. 1412. atque An. 1413. Conventum haberi curavit Girundae in Catalonia, in quo adversus Judaeos praesente Benedicto XIII disputasse traditur eo successu, ut ad quinquies mille a Judaismo ad Christianismum amplectendum adducerentur. Libri ejus *duo*, argumentum illius disputationis *adversus Judaeos* complexi, prior de Messia, alter de erroribus Talmudis prodierunt Latine sine loco et anno, tempore nascentis typographiae, in fol. Vide V. C. Georgii Schelhornii amoenitat. literar. tom. 3, pag. 141 ut alias editiones in Bibliotheca Patrum Paris. tom. 4. et Lugd. tom. 26 repetitas praeteream. Vide quae de hoc Hieronymo eruditiss. nostri Wolffii Bibliothecae Hebraeae tom. 1. pag. 462 et tom. 3, pag. 345 et Jacobum Lenfantium hist. Concilii Pisani lib. VI. §. 26. seq. pag. 140 qui etiam de scriptis Judaeorum adversus Hieronymum pag. 170. et laudatus Wolfius tom. 1. pag. 464. Talmudis dicta non satis accurate ab hoc Hieronymo allegari notavit Wagenseilius praef. ad tela ignea Satanae pag. 78 quanquam alioqui non somniculose in coacervandis Judaeorum blasphemiis versatum professus pag. 76.

HIERONYMUS *Florentinus*, Monachus Ord. Vallis Umbrosae, scripsisse traditur *miracula S. Joannis Gualberti*, qui Ordinem Vallumbrosanum instituit An. 1040. Sed vide quae infra in *Hieronymo Radiolensi*.

HIERONYMUS *Foroliviensis* Ord. Praed. qui non ultra Annum 1476 vitam produxisse traditur, scripsit praeter *Sermones* de Sanctis, de tempore, Quadragesimales, Dominicalesque, *Annales Forolivienses* ab Anno 1397 ad 1433. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XXI. pag. 395. seq. Jacobum Quetif tom. 1, pag. 527.

* Annales religiosi huius scriptoris vulgavit Muratorius Rer. Italicar. tom. XIX. idemque vero doctissimus vir censet hunc ipsum scriptorem e vivis abiisse circa exitum an. 1433. nec enim ad an. 1476 vitam prorogasse credibile est cum anno 1358 in

invasione Foroliviensi inter mortales egisset. Quis enim credat tam longevam vitam traduxisse ut pertingere posset ad an. 1476.

HIERONYMUS *de S. Marco*, Baccalaureus Oxoniensis, Ord. Minor. cujus *parva Logica* memorat Waddingus pag. 472. et Pitseus pag. 863 ex H. Willoto.

HIERONYMUS de *Ocon*, sive *Ochon*, *Ochus* (vitiose *Otho*) Monachus Carmelita Coenobii Perpinianensis, quam urbem fortasse habuit patriam, inde Episcopus Helenensis sive Perpinianensis et Benedicti XIII. a Confessionibus circa Annum 1420. Neque mirum inter Helenenses Episcopus nullam ejus mentionem apud Sammarthanos tom. 2. Galliae Christianae pag. 608. fieri, quorum Catalogum illorum Episcoporum mendosissimum esse notavit Baluzius ad Marcam Hispanicam pag. 444. Scripsit *in libros Maccabaeorum*, quod opus vidisse se testatur Alegrius pag. 334 atque erudite scripsisse judicium est Nicolai Antonii t. 2. Biblioth. Veteris Hispanae pag. 138. Praeterea *Acta* sive *librum de Vita et moribus Benedicti XIII.*

HIERONYMUS *Ochus* Navarrus, Pampilonensis, ejusdem Ordinis Carmelitici Monachus eidem Benedicto XIII. charus, et actorum eius scriptor fuisse fingitur, quem nullum fuisse ex laudato Nic. Antonio facile colligas.

HIERONYMUS *de Padua*, infra, *Hieronymus Vallis.*

HIERONYMUS *Paulus*, Catalanus, Canonicus Barcinonensis, sub saeculi decimi quinti exitum, praeter *Sententiam de donatione Constantini* M. memoratam Gesnero, scripsit *de fluminibus et montibus Hispaniae et de urbe Barcinonensi*, quae opuscula Andreas Schottus exhibet tomo secundo Hispaniae illustratae. Ejusdem *Codicem* sive *Provinciale Ecclesiarum Orbis Christiani* notis et auctario ornatum vulgavit Aubertus Miraeus, Paris 1610. ut ipse profitetur in auctario de S. E. pag. 105. Sed nullam Hieronymi Pauli mentionem fieri a Miraeo video, et miror, neque in editione illius Codicis ad calcem collectionis Decretalium, vulgata a Carolo Labbeo Paris. 1610. fol. neque in notitia Episcopatum Orbis Christiani libro quarto. Antwerp. 1613. 8. De hoc Hieronymo Vossius p. 657.

* Scriptum ab hoc Hieronymo Provinciale prodiit Romae an. 1493 in 4. typis Joannis de Besichen et Sigismundi de Marchian. Titulus libelli huius rarissimi est: *Provinciale omnum ecclesiarum exemplatum e libro Cancellariae Apostolicae cui addita est practica Cancellariae Apostolicae extracta e quibusdam fragmentis scriptis a R. D. Hieronymo Pau. Catalano Canonico Barchinonensi et Alexandri Papae VI. cubiculario.* Haec igitur fortasse ratio fuit cur neque a Miraeo neque ab aliis mentio facta sit Hieronymi Pauli cum Provinciale Ecclesiarum recudendum curarunt; non enim ex Hieronymo Paulo acceptum est Provinciale istud, sed illi debetur practica Cancellariae apostolicae.

Eiusdem Hieronymi libellus *de* Fluminibus et montibus Hispaniarum* ad Rodericum Episcopum Portuensem Card. Valentinum in 4. vetustis typis absque loco et anno prodivit.

HIERONYMUS *Pragensis*, Vir pius, doctus atque eloquens, Joannis HUSSI amicus et parastata, ac propter liberam assertionem testatissimorum, sed exosorum dogmatum idem cum eo fatum expertus, combustusque in Concilio Constantiensi An. 1416. 3. Cal. Junii. Vide Ambrosium Camaldulensem lib. XIX. Epist. 16. tom. 3 anecdot. Edmundi Martene pag. 671. Pogii Florenti Epistolam ad Leonhardum Brunum, Aretinum in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum et ad calcem Operum Joannis Hussi tom. 2 p. CCCLVIII. atque alibi obviam, Æneam Sylvium in historia Bohemiae, sed praecipue Acta Concilii Constantiensis, etiam Bzovium ad A. 1415. num. 48. pag. 477. et An. 1416. pag. 496. 504. seq. Jacobum Lenfantium ac prae omnibus Hermannum ab Hardt Concilii Constantiensis tom. IV. ubi programma ejus, quo salvum conductum sibi dari ab Imperatore Sigismundo et Synodo petit pag. 103. et quomodo ter citatus pag. 119. 146. denique comparuerit, pag. 149. captivus inde examinatus pag. 216. 181. recantaverit ex metu et timore pag. 761. 682. 497. 499. 502.

sed post mox revocatam et solenniter abnegatum recantationem, examinatus iterum sit ad Articulos pag. 634. 646. 751, 755. 766. condemnatus pag. 796. exustusque p. 771.

HIERONYMUS *Pragensis* Bohemus, Eremita Camaldulensis, sacrae Paginae Professor An. 1431. interfuit Concilio Basileensi, in quo acrius pro Concilio stetit adversus Eugenium IV. atque Apostolus Lithuanorum diem obiit Venetiis An. 1440. Ejus *Sermo* An. 1433. habitus in Carthusia Basileensi *de vita S. Romualdi Abbatis* Ord. Camaldulensis Sec. XI fundatoris exstat in Actis Sanctor. tom. 2 Febr. 7. pag. 124. 140, cum Jo. Bollandi notis.

* Scripsit etiam adversus errores Bohemorum opusculum directum Alberto Priori Majoris Carthusiae Basileensis, quem in Aquicintio MS. Cod. servari lego in Itinerario II. PP. Martene et Durand. pag. 79. In altero etiam Cod. eiusd. Biblioth. exstat eius concio coram Basileensibus Patribus habita die *quasi modo* An. 1433.

HIERONYMUS *Radiolensis*, Monachus Vallumbrosanus, scripsit ad Laurentium Medicem libros III. de miraculis S. Joannis Gualberti, qui Ordinem Vallis umbrosae condidit circa Annum 1050. Exstant in Actis Sanctorum tom. 3 Julii 12. pag. 382-453

* *Hier. Radiolensis* Prior Abbatiae S. Donati in Vincula scripsit praeter ea, de quibus hic Fabricius *vitam D. M. Virginis* Item *De gestis nonnullorum sanctitate praestantium. De tribus votis solemnibus. De gradibus humilitatis. De virtute patientiae et varias ad diversos* epistolas: ex Bandino in Specim. liter. Florent. 142. Opusculum capit. XXI. huius script. *De vita solitaria* e MS. Cod. Med. Laurent. prodiit pag. 139. 182. volum. cui tit. *Vita del B. Michele Flammini scritta da Gius. M. Brocchi*. Firenze 1761 in 4. fig.)

HIERONYMUS *Rhamnusius* sive *Ramusius,* Venetus, Vir Arabice doctus, Avicenae quaedam dicitur Latine vertisse Damasci cum illic medicinam factitaret An. 1484. De eo sic Paulus Manutius Epistola praefatoria ad Paulum Rhamnusium Joannis Baptistae filium, in Caesaris commentarios: *Mitto* Hieronymum, *patruum tuum*, *Medicinae ac Philosophiae studiis praestantem, qui cum in Syriam eo consilio esset profectus, ut Arabicis litteris imbueretur, paucis annis tantum profecit, ut plerosque Avicenae libros in Latinam linguam egregie converterit.* Haec ex politisimo Manutio Paulus Colomesius p. 7. Italiae Orientalis. Eundem Hieronymi laborem laudant atque ejus Codice usos se profitentur editores Avicennae Latini ex versione Gerardi Cremonensis et Andreae Alpagi, Belunensis castigatione. Venet. 1608. fol. 2. Vol.

HIERONYMUS *Salgherius* Patavinus qui scripsit vitam Eustachiae Monachae in Coenobio S. Prosdocimi defunctae An. 1469. idibus Febr. Vide Vossium pag. 810.

HIERONYMUS *Savonarola*, infra, SAVONAROLA.

S. HIERONYMUS *Stridonensis*. Dalmata lumen Ecclesiae singulare, cuius eruditionem conjunctam cum vehementi zelo atque industria profutura legentibus vix quisquam inter veteres Latinos doctores aequavit, antegressus certe est nemo. Factus Presbyter A. C. 350. aetatis suae 29 cum per triennium Romae et quatuor annos in Syriae eremo versatus esset, reliquam omnem aetatem postea Betlehemi libenter exegit, diemque obiit An. 420. proprior nonagenario. De vitae ejus scriptoribus Operumque editionibus et de scriptis non editis inter opera sed separatim vulgatis non repetam quae dixi lib IV. Bibliothecae Latinae cap. 3. neque quae Oudinus t. 1 p. 790-883. tantum addam, novam meliorem auctioremque Chronico atque aliis, longeque emendatiorem scriptorum Hieronymi editionem jam parari a viris doctis Veronensibus, Scipione Maffeio et Dominico Vallarsio: ut didici ex observationibus ad Cardinalis Norisii Opera t. IV pag. 843. atque ex ephemeridibus litterariis Paris. An. 1733. mense Maio pag. 129 ubi etiam pag. 131. spes fit supplementi ad Parisiensem ἔκδοσιν novissimam Joannis Marcianaei: quod ab erudito Benedictino jubemur exspectare qui Justini S. Martyris, Tatiani, Athenagorae etc. operibus expoliendis operam suam addixit: Sed. in laudati illustris Scipionis Maffeii Antiquitati-

bus selectis Galliae, non modo pag. 99. luculenta sit mentio strenuae operae quae a Clarissimo Vallarsio in emendandum Hieronymum impenditur, sed etiam pag. 177. titulus novae editioni Hieronymi post emissum Hilarium in lucem dandi praefigendus exhibetur hunc in modum. *S. Eusebii* Hieronymi *Stridonensis Presbyteri opera, post Monachorum Ord. S. Benedicti e S. Mauri recensionem denuo ad MStos Codices Romanos, Mediolanenses, Veronenses aliosque, nec non ad priores editiones castigata, quibusdam ineditis monumentis multisque S. Doctoris lucubrationibus seorsim tantum antea vulgatis aucta, et adnotationibus, monitis variisque lectionibus continenter illustrata, Opera et studio* Dominici Vallarsii, *Veronensis Presbyteri, opem ferentibus aliis in eadem Civitate litteratis Viris, et praecipue Marchione* Scipione Maffeio, Veronae 1735.

* Nova illa editio opp. S. Hieronymi cuius spem fecerat erudito orbi cl. Vallarsius, lucem tandem aspexit Veronae, undecim in fol. voluminibus absolutaque est an. demum 1742. Nova continet plura, quae frustra ex aliis editionibus repeterentur. Tomus prior continet epistolas in novum chronologicum ordinem digestas ex quibus quatuor in lucem hic publicam primo extractae sunt. De reliquis pauca occurrunt ex prioribus editionibus, vel saltem ex aliis libris haud nota. Ex apocriphis et spuriis nonnulla adhuc inedita vulgantur. Quid vero haec editio afferat novi et nondum aliis in editionibus spectatum, cernere est in conspectu novae huius Veronensis editionis, qui exhibetur in tabula apposita in mantissa editionis. t. XI. p. 1072.

Inter apocripha S. Hieronymi merito quidem accenserentur carmina quaedam, quae olim ego offendi in MS. Cod. Bibl. Malatestarum Caesenatensis; quae sane carmina cum nullibi excusa legerim hic dare praetium operae fore censui.

Versus B. Hieronymi de Natale Domini et de virginitate B. Mariae.

Virgo parens hac luce Deumque hominemque creavit
Mater dans hominem noscere virgo deum
Fit fabricator opus, servi rex induit artus
Mortalemque domum Vivificator habet
Ipse sator, semenque sui, matrisque creator
Filius ipse hominis, qui pater est hominum
Bis genitus, sine matre opifex cum Patre (forte sine Patre) Redemptor.
Amplus utrisque modis, amplior unde minor
Sic voluit nasci domuit qui crimina mundi
Et mortem iussit mortuus ipse mori.

Jam inde ante multos annos pervulgatum erat fama superesse adhuc in pluteis Bibliothecarum S. Hieronymi commentarios in Jobum; id vero servari ferebant in Biblioth. Marci Meibomii Trajecti Batavorum. Sed vanum hoc esse commentum jam tandem Vallarsius in t. III. editionis suae pag. 823 ostendit evincitque prolatis excerptis ex hoc commentario evulgatis ab Heumanno in actis Erudit. Lipsiens. An. 1744 nihil esse aliud commentarium istum quam celebrem Philippi Commentarium in eundem scripturae librum saepe alias evulgatum.

Denique in MS. Cod. Biblioth. Canonicor. Major. Ecclesiae Lucensis exstare fragmenta duo inedita opp. S. Hieronymi vulgo olim creditum est, persuasumque fuit P. Mabillonio, ut ipse memorat in Itin. Ital. Verum cum olim ad me ea de re scripsisset cl. Vallarsius morem illi gesturus, codicem ipsum consului, ac reperi fragmenta illa nullum ferre authoris nomen reipsa vero excerpta esse operis Etymologiarum S. Isidori. Vide Commentarium meum in hunc codicem Carolina aetate scriptum inter Opuscula P. Calogerà Venetiis excusa t. XLV.

P. D. Abbas Jo. Crysost. Trombelli antehac parum inter anecdota veterum PP. Latinor. opuscula Bononiae an. 1751 vulgata ex veteri MS. Cod. protulit *Quaestiones in Habacuc prophetam* breves, quae in eodem cod. praeferebant nomen Hieronymi; vix tamen idem vir doctus reputat posse et deberi Hieronymo Stridonensi tribui. Quod etsi admitto, non erat tamen, cur eius commemoratio hic praeteriretur. Ibidem etiam ex codice MS. datur (apocryphus utique) sermo S. Hieronymi in die Dominica Paschae. Incipit *In omni quidem psalterio.*

HIERONYMUS *Vallis* sive *de Vallibus*, *Vallensis* Eques Medicus et Poëta eximius Patavinus ad Petrum Donatum, Episcopum Patavinum scripsit *Jesuidem* sive poëma heroicum de passione JEsu CHristi,

quod incipit: *Maxime Coelicolum supera qui celsus in aula:* Prodiit Vien. 1510. 4. Lip. 1509. 1512. 1516. 1517. 4. Antw. 1559. 12. cum Dominici Mancini poematis, edente Theod Pulmanno: atque sine nomine auctoris cura Wolfgangi Lazii, Basil. 1552. fol. ante vitas Apostolorum tributas Abdiae Babylonico. Alia etiam scripsit poëmata, quae MSta habuit Laur. Pignorius teste Tomasino pag. 86. MSS. Patavin. atque ipse ait *gesta Patrum* se *cantasse*, fecisseque *vivere perpetua posteritate viros.* Quanquam vero An. 1494. adhuc vixisse tradit Trithemius c. 953. tamen verius est, quod notat Vossius, diem obiisse An. 1443. Vide Epistolam Christiani Daumii ad Nicolaum Heinsium tom. V sylloges Burmannianae p. 249. 250. Diarium eruditorum Italiae tom. X pag. 487. seq. et tom. XI pag. 299. ubi memorant et hujus Hieronymi *Orationem* MS. in Biblioth. Ambrosiana, quam habuit ad Serenissimum novum Ducem creatum, D. Pasqualem Maripetro

Magister HIERONYMUS *de Werdea*, Sveviae oppido, ante Monasticum Institutum *Joannes,* inde ab Anno 1463. Prior Monseensis seu Lunaelacensis in Austria. Ord. Bened. Scripsit tractatum *de profectu religiosorum* per capita XV. quem edidit Bernhardus Pez tom. 2. Bibliothecae Asceticae pag. 173 226. Ratisbonae 1723 8. Idem in praefatione docet hunc Hieronymum reliquisse *in solo Monasterio Monseensi sex supra viginti volumina, sua veneranda manu exarata, in quae partim proprii ingenii, partim lectiora aliorum monumenta litteraria intulit. Accuratam singulorum voluminum recensionem instituit Adm. Reverendus, ac singulari eruditione praeditus D. P. Honorius Khobalter, Benedictinus Lunaelacensis, nunc in Monasterio Mellicensi contubernalis noster, in peculiari Opere, cui titulus*: Poma Septembris, hoc est: Acta litteraria Venerabilis Magistri Hieronymi de Werdea, Prioris Lunaelacensis, qui floruit in Lunae lacu ab Anno Domini MCCCCLI. usque ad An. MCCCCLXXV. quo obiit. *Ex his actis suo tempore* in Bibliotheca Benedictina *omnia diligenter seligam, quae ad amplius demonstrandam Hieronymi eruditionem. et ad historiam ejus Operum aliquid facere videbuntur.*

Ranulphus sive *Radulphus* (HIGDENUS, Hygeden, Hickeden) Monachus *Chestrensis* sive *Cestrensis* Ord. Benedict. scripsit *Polychronici* libros septem, iuxta numerum aetatum Mundi et dierum quibus Mundus creatus est, ab Origine rerum usque ad Annum Christi 1357 quibus nonnulli Codices addunt continuationem usque ad Annum 1377 cum auctor jam in senectute bona obiisset An. 1363. Primo libro descriptio Orbis continetur, quam *Mappam Mundi* Baleus, Pitseus et Vossius pag. 442 appellant. Primos sex libros usque ad Annum 1065 atque ad Conquestum Guilelmi, et Haraldi mortem primus Latine vulgavit Thomas Galeus in Historiae Britannicae, Saxonicae, Anglo Danicae scriptoribus, XV. Lond. 1691 fol. tom. 1, p. 179 287 professus ea se dare *quae de rebus Britannicis et Hibernicis* Higdenus annotavit, exterarum vero gentium quas itidem Higdenus attigerit res gestas, et caetera post Annum 1065 sine fraude Lectoris omisisse. Auctoribus usus est Plinio, Solino, Eutropio, Isidoro, praecipue vero *Giraldo Cambrensi, Alfrido, Willhelmo* Malmesburiensi, de Pontificibus Britanniae, quem interdum corrigit, *Gaufrido, Mariano* Scoto, *Henrico* Huntingtonensi, ex quo versus etiam in Alfredi Regis laudem affert ad Annum 900 et in laudem Elfledae ad Annum 918 et in Regem Edgarum ad Annum 975. Litera *R.* sive *Ra. Ran. Rad.* quando occurrit, illa signat quae auctor ipse addidit, etiam versus quandoque ut pag. 487 seq. ne dicam de aliis versibus nescio cujus metricis pag. 193 200. De Codicibus in Gallia atque Anglia MStis consulendus Oudinus tom. 2, pag. 1027. De Anglica versione H. Warthonus ad Caveum Caetera Higdeni scripta sunt *Ars componendi Sermones* MS. in Bodlejana: *Speculum curatorum* MS. in Bibliotheca Collegii Baliolensis, Oxonii. His Baleus VI. 12. et Pitseus pag. 517. addunt: Expositionem super *Jobum*, *in Cantica Canticorum, Distinctiones Theologiae, Determinationes* sub

compendio: *Sermones* per annum, *Paedagogicon Grammatices* et librum *in litteram Calendarii*. Quod vero *ex Guilelmo Stephanide* scripsisse ab iisdem traditur, ad ea pertinet quae in Polychronico scripsit de Thoma Becketo, Archiepiscopo Cantuariensi, quem interfectum constat An. 1170.

HIGINUS, infra, HYGINUS.

Q. Julius HILARIANUS, Caesario et Attico COSS. hoc est A. C. 397 scripsit *de paschali circulo* sive *expositum de die Paschae et Mensis* non cum Judaeis, sed die Dominica primi ab aequinoctio mensis Lunaris, celebrando, quod ex Bibliotheca Regia Taurinensi Rev. D. Christophorus Matthaeus Pfaffius nunquam Praefectus Taurinensis Biblioth. ut ab Oudino tom. 1, pag. 891 tradi video, sed a multis jam annis Cancellarius celebratissimus Tubingensis edidit pag. 215. 246 ad calcem epitomes Institutionum Divinarum LACTANTII ad Pentadium fratrem. et ANONYMI *historiam brevem de haeresi Manichaeorum* pag. 184 244. Paris. 1712 8. Hic Hilarianus, sicut etiam in Codice Caesareo apud Lambecium tom. 2, pag. 853 appellatur, non diversus est a *Q. Iulio* HILARIONE, cuius *libellus Chronologicus de duratione Mundi* sive *de cursu temporum* a Petro Pithoeo servatus recensitusque est ex Codice Rudolphi Presbyteri scripto An. 1260 editus primum in appendice ad Bibliothecam Patrum Paris. An. 1579 unde Margarinus de la Bigne in subsecutis editionibus negat se eum, natum in hac Bibliotheca, idque Pithoei beneficio voluisse omittere, vel quod non levius, mille annis antiquiorem de ponte dejicere. Repetitus inde non modo in caeteris Parisiensibus Biblioth. Patrum editionibus, sed in Coloniensi quoque tom. V. et in Lugdunensi tom. VI. pag. 373. 376. inter Sulpicium Severum, Paulumque Orosium. Testatur Hilarion pag. 374 *de die sacratissimo Paschae* jam libellum se praemisisse, ac mox iterum *libellum* suum *Paschalem* allegat. Tempus autem quo scripsit pag. 376. similiter definit *Consulatum Caesarii et Attici* quos iam dixi Consulatum gessisse A. C. 379. Chiliasmo sub finem hujus scripti Hilarionem suffragari, jam a multis annotatum memini.

* Ad hunc Q. Julium Hilarianum scriptum credo Opusculum *de ratione Paschatis* auctore *Agriustia sive Municipii Timidensium Regiorum* in provincia proconsulari Africae. Lucubrationis huius et Authoris meminit vetustissimus quidem scriptor opusculi Paschalis adhuc inediti, quem mihi ex Bibliotheca canonicor. major. Eccl. Lucensis descripsi suo tempore evulgandum. Vide commentariolum meum de Cod. tempore Caroli M. scripto §. XV. in tom. XLV, Opusc. P. Calogerà.

HILARION Graecus Monachus Congregationis S. Justinae apud Veronenses circa Annum 1460. ac deinceps, praeter ea quae Graece composuit, de quibus Volum. X. Bibliothecae Graecae pag. 424. etiam Latine nonnulla scripsit, ut *paraphrasin Rhetoricae Hermogenis*, Venet. apud Aldi heredes 1523. et Friburgi Brisgoiae 1541. 8. Argentorat, 1568. 8. Rhetoricae Hermogenianae *compendium sive dispendium potius* vocat Vossius de Rhetorices natura cap. 3. Ejusdem est Latina *versio* sive *epitome Dialecticae Joannis Damasceni*, quae exstat in antiquioribus Joannis Damasceni editionibus. Nec non versio Latina διδασκαλικῶν sive Doctrinarum Dorothei Ascetae, quam Oliverio Caraffae civi et Archiepiscopo Neapolitano, Cardinali recenter (1464.) facto dedicavit. De editionibus dixi t. X. Biblioth. Graecae pag. 163. De appendice ad Jacobum de Voragine et aliis vitis Sanctorum S. Simeonis, S. Georgii etc. vide sis Vossium lib. 3. de Historicis Latinis pag. 814. ex quo Oudinus t. 3 pag. 2704.

* Hilariones duos in unum miscet, et confundit non Fabricius tantummodo, sed et Oudinus, Vossius, caeterique omnes qui de historia literaria scripserunt: egregie vero utrumque distinguit P. Armellini in sua Bibliotheca Benedictino-Cassinensi t. 223. Igitur Hilarium qui appendicem ad Jacobum de Voragine, tum et vitam S. Simeonis Monachi, translationem S Georgii Martyris scripsit, alius erat plane ab Hilarione a Verona, ex quo paraphrasis in Rethoricam

Hermogenis aliaeque e Greco translationes datae sunt. Prior ille e domo Lanteria Mediolani natus professus est ibidem in Coenobio Ord. S. Benedicti Monasterii SS. Petri et Pauli, et Abbatiam eiusdem obtinuit. Praeter illa quae superius indicavi, scripsit etiam *de translatione brachii S. Georgii martyris*, *de conceptione gloriosae virginis*, *de visitatione eiusdem*, *de solemnitate S. Mariae ad Nives*, *de corona aurea stellarum duodecim eidem virgini pangenda quotidie*, *de floribus excerptis ex opusculis S. Bernardi Abbatis*, *de laudibus B. M. V.* quae postrema quatuor simul juncta prodierunt Mediolani an. 1494. Denique typis Parmensibus an. 1504. in 4 prodiit eius *Paradisus deliciosus in apparitione Domini*, quem librum authorem hunc Hilarionem ferre ex adnotatione MS. Codici eidem adiecta testatur P. Armellini ibidem. obiit Mantuae an. 1521.

HILARION *Danichius*, junior quidem quam ut hoc loco referri a me debeat, fuit enim Vicarius Cartusiae Gemnicensis in Austria ab. Anno 1605. et ab 1609. Prior atque Visitator Provinciae Alemanniae, Lutheranis nostris parum aequus: Hujus *Saulem et Davidem*, seu tractatum *de bonis et malis Pastoribus* vulgavit Bernardus Pez tom. 1 Bibliothecae asceticae p. 207-344. illique subjunxit *Sermones capitulares* XXV. p. 347-525. et *Tirocinium spirituale* p. 526-527. Ratisbonae 1723. 8.

S. HILARIUS ex Asceta Lirlnensi Episcopus An. 429, *Arelatensis*, obiit An. 449. Cujus vita sive a ROVENNIO successore ut visum Petro Saxio a) sive ab HONORATO Masiliensi, sive ab alio b) synchrono scripta exstat apud Surium ad V. Maji et in Vincentii Barralis Chronologia Sanctorum Lirinensium, et cum Henschenii notis in Actis Sanctorum Maji tom. 2. pag. 25. seq. quibus jungendus Tillemontius t. XV. memoriar. et Paschasius Quesnellus ad Leonem Magnum, praecipue diss. V. in qua post Franciscum Bivarium notis ad Chronicon M Maximi ad Annum 449. pag. 169. sq. causam Hilarii strenue agit, atque illum Celidonii legitimum judicem, jure Metropolitani fuisse ostendit, *Vitam* vero *S. Romani* Abbatis in qua Vesontionis metropolis Patriarcha dicitur Celidonius, apud Joannem Jacobum Chifletium in Vesontione parte 2. pag. 99. interpolatam esse atque auctoritatis exiguae. Semipelagianismi quoque maculam ab Hilario abstergunt praeter Quesnellum pag. 540. sq. Tillemontius tom. 15. pag. 62. seq. et Bruno Neusserus in prodromo et in Actis Santorum t. II. Maji p. 34. seq.

Scripta ejus haec exstant:

De Vita S. Honorati praedecessoris in Episcopatu sui *Sermo* quem laudat Gennadius cap. 69. Isidorus cap. 16. Honorius Augustod. III. 18. Trithemius cap. 149. Edidit Gilbertus Genebrandus, Paris. 1578 8. Vincentius Barralis in Chronologia Sanctorum sacrae Insulae Lirinensis, Lugd. 1613 4. Surius 16 Januar. et Bollandus in Actis Sanctorum tom. 2. Januar. pag. 17. 24. Confer si placet quae de Honorato Tillemontius tom. 12 memoriar. pag. 364 seq.

De miraculo S. Genesii, Martyris Arelatensis, *narratio*, atque de eodem *sermo* ex iis qui sub Eusebii Emeseni Episcopi nomine lucem viderunt, exstant apud Surium ad Augusti XXV. quanquam Paschasius Quesnellus narrationem illam putabat abhorrere ab Hilarii facundia et potius redolere stylum Honorati Massiliensis, de quo Gennadius c. 99.

In Bibliothecis Patrum, ut Coloniensi tom. V. parte 2. et Lugdunensi tom. VII. pag. 1229 seq. sub titulo Opusculorum hujus Hilarii neutiquam quae exstant omnia, sed tantummodo haec tria exhibentur, in Hilarii Pictaviensis editionibus ab An. 1544 etiam obvia: 1 *Epistola ad Eucherium* quem Papam, hoc est Episcopum (Lugdunensem) appellat: et

2 Epistola ad Augustinum, quae potius est HILARII *Syracusani*, de quo infra.

3 Carmen heroicum *de Geneseos historia* usque ad Diluvium, ad Leonem I. Episcopum Rom. saepius editum et in poetis Christianis Georgii Fabricii, et inter Hilarii Pictaviensis opera, et separatim cum notis Joannis Weitzii. Francof, 1625 8.

a) pag. 57. seq. Pontifici Arelatens.
b) Vide Acta Sanctorum tom. 7 Maij p. 594. sq.

Non magis certum est, Hilarii hujus esse *carmen de providentia*, quod inter S. PROSPERI opera legitur, atque Hilario tribuitur ab eminentissimo Norisio: a) quam VICTORINI *Carmen de fratribus Maccabaeis*, quod ad Hilarium auctorem refert Barthius III. 23 Adversar. et Joannes a Sacro Bosco in Bibliotheca Floriacensi tom. 2, p. 198.

Homilias quasdam ex iis quae sub nomine EUSEBII Gallicani feruntur, Hilarium Arelatensem agnoscere autorem, jam notavi supra tom. 2, pag. 537 atque homilias paene infinitas illi tribuit Trithemius c. 149 et absque personarum acceptione omnibus castigatum opus praedicationis ingessisse scribit Honorius Augustod. II. 68 ex Gennadii cap. 69.

Doleo nondum ad nos allata esse Vincentii Lirinensis et Hilarii Arelatensis Opera ad Codices MStos, editionesque praestantiores recognita et notis atque observationibus illustrata a D. Joanne Salinas, Neapolitano. Rom. 1731 8.

De Hilarii Arelatensis eloquentia et scriptis hoc juvat apponere testimonium Honorati Massiliensis in eius vita c. 2. p. 29. *Temporalis vero ejus praedicatio; quantum flumen eloquentiae habuerit, quas sententiarum gemmas sculpserit, aurum supernorum sensuum repererit, argentum splendentis eloquii abundaverit, descriptionum varias picturas et rhetoricos colores expresserit, ferreum spiritalis gladii acumen in truncandis haereticorum venenatis erroribus exercuerit, non dicam disserere, sed ne cogitare me posse protestor. Sedilibus praeparatis in jejunio ab hora diei septima usque in eius decimam, epulis plebem spiritalibus saginabat, pascendo esurire cogebat, esurientes nequaquam pascere desistebat. Nescio utrum satietas plus famen fidelium provocaret, an edendo plebem magis coëgerit esurire, implens illud Sapientiae dictum* (Sirach. XXIV. 25.) qui edunt me, adhuc esurient, et qui biberint me, adhuc sitient. *Si peritorum turba defuisset, simplici sermone rusticorum corda nutriebat: at ubi instructos supervenisse vidisset sermoni, vultu pariter in quadam gratia insolita excitabatur, se ipso celsior apparebat, ut eiusdem praeclari auctores temporis, qui suis scriptis meriti summi claruere, SILVIUS, EUSEBIUS, DOMNULUS admiratione succensi in haec verba proruperint:* non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid supra homines consecutum. *Quid plura dicam? nisi dicendi pausa desuper eidem advenisset, sermonem finire non potuit, tanta gratia exundante, et miraculo et stupore crescente, ut peritissimis tunc auctoribus despectum seculi ejus inferret oratio, in tantum ut LIVIUS temporis illius Poëta et auctor insignis publice proclamaret*, si Augustinus post te, Hilari, fuisset, judicaretur inferior. *Et licet gratia ejus ex his operibus, quae eodem dicendi impetu concepit, genuit, ornavit, protulit, possit absque haesitatione dignosci, prae caeteris tamen eam commendant* Vita *sancti Antistitis* Honorati, Homiliae *in totius anni festivitatibus expeditae*, Symboli expositio a) *etiam ambienda*, Epistolarum *vero tantus numerus*, Versus *etiam*, *fontis ardentis*.

S. HILARIUS Pictaviensis in Aquitania Galliae Episcopus, jam ut videtur ante An. 355 ad 368 usque, quo diem obiit supremum. Adversarius strenuus Arianorum et constans, atque Hieronymo iudice *eloquentiae Latinae Rhodanus*. De eius vita et laudibus iuvabit consulere quae Petrus Coustant luculentae suae sancti huius Doctoris editioni praemisit, et quae Bollandus in Actis Sanctor. tom. 1. Januarii 13. pag. 782 seq. tum Tillemontius tomo memoriarum septimo, Oudinus tom. 1 pag. 426 seq. atque eruditi auctores Benedictini Historiae litterariae Galliarum, Gallica lingua nuper edi coeptae Parisiis tom. 1, pag. 139 seq. Ne plura addam facit quod et editiones S. Hilarii me memini in Bibliotheca Latina lib. IV. cap. 3. et scripta sancti Doctoris recensere eo ordine, quo in laudato Petri Coustant Hilario Paris. 1693 fol. exhibentur.

* Rebus S. Hilarii Pictaviensis addere juvat id quod nec in Fabricio, nec in alio quocumque qui opera S. huius Doctoris recensuerit, huc usque adnotatum legitur.

a) Vide Tillemontium tom. XV. memoriar. pag. 92.

a) Adde Tillemontium tom. XV. p. 91.

In Cod. 1025. Latino Bibliothecae Universitatis Taurinensis legitur historia de reb. gestis a S. Hilario hoc tit. *Prologus de rebus gestis S. Hilarii Pictaviensis.* Incipit *Beatissimi Hilarii confessoris vita* Tum sequitur rerum gestarum narratio incipiens: B. *Hilarius Pictavorum urbis Episcopus* etc.

Non est cur hic praeteream novam operum S. Hilarii editionem egregiam a cl. Scipione Maffejo adornatam excusamque Veronae An. 1730 duplici in fol. volumine, in qua tamen praeter novam recensionem operum S. Hilarii ad MS. Cod. Veronensem, quoad tractatum in Psalmos et de Trinitate exactam nulla plane nova et aliunde non edita reperies. Sunt tamen ibi tractatus in octo psalmos plus nimis multo ab editis discreti, nam et multo breviores sunt editis, et interdum ab illis discrepant.

Non ante multos annos P. D. Jo. Crysost. Trombellus Abb. S. Mariae de Reno Canonic. Regul. congregationis Rom. epistolam quamdam anonymam paraeneticam ex Cod. quodam MS. vulgavit, eamdemque, scripta longiuscula praefatione, S. Hilarii Pictaviensi vindicare conatus est, quod evincisse sibi censuit, tum quod scriptoris sit saeculi Arianaei; quod scripturae testimonia non quidem ex versione Hieronymi, sed ex Itala, ut ipse Trombellus sibi persuadet, repetat; quod denique Hilarii stylum Caeteramque scribendi rationem illi familiarem praeferat. Nihil modo occurrit quod oggeram viro cl. mihique veteri amicitia coniuncto; vellem tamen assignasse illum rationem, cur Scripturae versione utatur diversa ab ea, quam Hilarius in reliquis operibus adhibeat. Unum alterumve discriminis huius exemplum depromam. S. Hilarius in Psalm. 54 illud Matthaei VI. 33. ita profert: *Quaerite primum regnum Dei, et justitiam eius et omnia praestabuntur vobis.* Author vero epistolae §. 12 pag. 47 haec verba sic exhibet: *primum quaerite regnum Dei, et haec omnia apponentur vobis.* In fragmento apud S. Hilarium sic legitur illud 1. Cor. XIII. 13 *manet autem Fides, spes charitas*: in epist. §. 21 p. 51. *Manent autem tria haec fides, spes, dilectio.* De Trinitate libro X. *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati et de peccato condemnaret peccatum.* Auctor epistolae §. 22. *Misit unicum filium suum in similitudine carnis peccati, ut de peccato condemnaret peccatum.*

HILARIUS Petri *Abaelardi* discipulus cujus *elegia* inter illius Opera p. 243.

HILARIUS Archiepiscopus *Narbonensis* circa Annum CHristi 422 ad quem Epistola Zosimi Papae exstat et altera S. Bonifacii de privilegiis singularum provinciarum illi exposuit, laudata ab Hincmaro Rhemensi tom. 2. Opp. pag. 157 Vide Sammarthanos tom. 1. Galliae Christ. p. 365.

HILARIUS Gallus qui cum Prospero sensit et ad Augustinum, ejus addictissimus sententiae, scripsit laicus, quem et Prosperum Augustinus de praedestinat. Sanctorum et Celestinus Papa (non ante Annum 430) filios appellat, unde *Prosperianus* a viris doctis appellatur, et ab Arelatensi non minus quam Syracusano diversus creditur. Ejus Epistola ad Augustinum circa Annum 429 data post Prosperi Epistolam legitur inter Augustinianas CCXXVI in edit. Benedictinor. (in prioribus editionibus) ante librum de praedestinatione Sanctorum ad Prosperum et Hilarium,) atque in limine operum S. Prosperi edit. Benedictin. Paris. 1711 fol. pag. 14 etiam in Georgii Cassandri Operibus pag. 645.

HILARIUS *Sardus*, infra, HILARUS Papa.

HILARIUS Diaconus *Romanus* ex forti Arianorum adversario circa Annum 355 Luciferianus, Auctor habetur *commentariorum in S. Pauli Epistolas* qui inter S. Ambrosii opera toties viderunt lucem, et quorum auctor rectore domus DEI sive Ecclesiae Damasio, hoc est non ante Annum Christi 366 se scripsisse testatur in 1. Timoth. III. 15. Fundus huius sententiae S. Augustinus qui verba ex hisce Commentariis ad V ad Rom. laudans IV. 4 contra duas Epistolas Pelagianorum, *sanctum Hilarium* appellat auctorem. Incredibile aliis, sanctum appellatum ab Augustino, qui Hieronymo adversus Luciferianos Deucalion Orbis, et qui Pelagianarum et Semipelagianarum sententiarum arguitur a Cornelio Jansenio VII 4 de haeresi Pelagiana tom. 1. pag. 165.

166 ne dicam Commentarium in Epist ad Hebraeos ex Chrysostomo excerptum videri, ut Caveus annotavit. Similiter huic Hilario a Natali Alex. aliisque Viris doctis adscriptae sunt *Quaestiones Veteris et Novi Test.* quae ad calcem tomi tertii Opp. S. Augustini edit. Benedictin. in aliis tomo quarto leguntur. Vehementer contra hanc sententiam pugnat Oudinus, qui variorum scriptorum et longe recentioris aetatis nec ante Seculum septimum factas horum quaestionum sylloges disputat tom. 1, pag. 485 seq. cui si placet adde Tillemontium t. 7. memoriar pag. 768. seq. edit. Paris. De alio Hilario, Diacono Romano et An. 314. *Vesontionensi* Episcopo credet qui volet traditis a Joanne Jacobo Chifletio in Vesontionis parte 2, p. 34 seq.

HILARIUS *Syracusanus*, cuius Epistola ad Augustinum circa Annum 415 data praecedit Epistolam Augustini CLVII. (vet. edit. LXXXIX) qua eum dilectissimum filium appellat, et respondet ad varias quaestiones de Pelagianis, controversiis. Lectam hanc Epistolam ab S. Hieronymo 3. adversus Pelagianos, et Orosio in Apologetico, Benedictini tom. 2, pag. 411 edit. Amst. pulchre annotavere. Hunc Hilarium a Prosperiano distinguendum docet Norisius II. 2. hist. Pelag. Oudinus quem si placet vide tom. 1, pag. 1222 seq.

HILARIUS *Tolosanus* Episcopus et Confessor incertae aetatis de quo Acta Sanctorum T. V. Maii 21 p. 11.

HILARIUS Monachus *Veronensis*, supra, HILARION.

HILARIUS *Viennensis*, in Flacii Catalogo testium veritatis atque alibi, non diversus ab *Hilario Arelatensi*, de quo supra.

S. HILARUS Calaritanus ex Sardinia, post Leonem I. *Papa* Romanus ab A. 461 12 Novembr. ad Annum 467. Septemb. 10. M. de quo Tillemontius tom. 16. memoriar. pag. 35 seq. Tarraconensium Episcoporum ad Hilarum et Hilari Papae *ad Ascanium Tarraconensem Epistolae duae*, cum Actis Concilii Romani in Aguirrii Conciliis Hisp. tom. 2, pag. 225 et in Christiani Lupi Epistolis Patrum ad Concilium Ephesinum c. 227. pag. 471 seq. et in tomis Conciliorum tom. 2. Harduin. pag. 787 ubi etiam pag. 791 *tertia ad Leontium Arelatensem, Veranum et Victurum Episcopos* ex collectionibus Dionysii et Isidori. Leontii Epistolam ad Hilarum edidit Dacherius tom. V. spicilegii pag. 578 (editionis novae tom. 3. pag. 302.) Epistola *ad Pulcheriam Augustam* scripta ab Hilaro adhuc Diacono Romano exstat in Actis Synodi Chalcedonensis t. 2. Concil. Harduin. pag. 34. Graecam versionem veterem dedit Cotelerius tom. 1. monument. pag. 60. Epistola *ad Victorium Aquitanum*, quam Victorii Canoni Paschali Ægidius Bucherius praefixit, scripta est ab Hilaro urbis Romae Archidiacono. Caeterae *Epistolae octo* ab Episcopo scriptae leguntur in tomis Conciliorum Binii, Regia, Labbei, Coleti, etiam apud Baronium obviae, ab Harduino omissae sunt, sicut et *Decreta duo* ex Gratiano de consecr. dist. 2. *ubi pars est corporis* et ex Codice sexdecim librorum. Ludovicus Jacobus pag. 108. Biblioth. Pontificiae tradit Hilari huius acta et Epistolas aliquot prodiisse studio Gerardi Vossii. Sed inter ea haec referuntur a Valerio Andrea pag. 286 Biblioth. Belgicae, quae morte praeventus Vossius exsolvere non potuit.

HILASIUS Poeta Scholasticus, cuius versus et carmina varia leguntur, inter epigrammata et poematia vetera edita a Petro Pithoeo. Videas ibi passim eum in iisdem argumentis poetico ingenio ornandis certare cum versificatoribus non dissimilibus undecim, *Asclepiadio, Asmeno, Basilio, Euphorbo, Eusthenio, Juliano, Maximiano, Palladio, Pompeiano, Vitali, Vomanoque.* Si Maximianus iste fuerit idem, cuius Elegias sub Cornelii Galli nomine editas habemus, de aetate Hilasii constiterit utcunque.

HILDA *Horeswitha*, Edwini Regis Nordamhumbrorum neptis, Abbatissa in Herutheu sive Insula Cervi, quae in Monasterio quod deinde ordinavit in Streaneshalch coenobitas suos in sacrarum litterarum lectione et meditatione ita exerceri fecit, ut inde prodierint eruditi Sacerdotes multi, et teste Beda IV. 23 Hist. quinque; Episcopi singularis meriti ac sanctitatis. Diem obiit An. C. 680. Circa Paschae celebrationem

sensit cum Scotis Quartadecimanis, quum in Conventu Pharensi An. 664 in monasterio Streaneshalchensi de illa re disceptaretur: et capitum tonsuram ad religionis decus parum duxit esse necessariam. Vide Speelmanni Concilia Angliae tom. 1, pag. 146 ex Bedae III. 25. Baleum Centur. I. cap. 80 et Pitseum pag. 111 seq. qui ambo huic Hildae tribuunt *Meditationum piarum* librum, *Epistolas* ad viros eruditos, Christianam energiam redolentes, et scripta *pro veterum rituum observatione*, nescio an cuiusquam usurpata oculis.

HILDEBERTUS, Ivoni a) *Aldebertus*, aliis *Ildebertus*, *Dydalbertus*, *Gildebertus*, *Idebertus*, *Childebertus* de Lavardinensi vico, ex Monacho Cluniacensi Archidiaconus et post quinque annos Episcopus 1097 *Cenomanensis* atque inde An. 1125 b) *Turonensis* Archiepiscopus, defunctus A. 1139 Multa scripsit tam prosa quam versu, quorum editionem promiserat *Stephanus Baluzius* praefatione ad Lupum Ferrariensem, atque in Epistola An. 1680 data ad Fridericum Benedictum Carpzovium c) τον μακαρίτην testatus est se elegantis scriptoris opera contulisse cum multis antiquis exemplaribus et pleraque se habere tunc necdum edita, et notas in eum comparasse historicas. Interim *D. Antonius Beaugendre* Presbyter et Monachus Ord. Bened. e congregatione S. Mauri rem feliciter est executus atque Operum Hildeberti praeclaram editionem adornavit, in qua et *Jacobo Hommey* in supplemento Patrum publicata adhibuisse se, et a D. Baluzio concessa quaedam, et ex *D. Philippi Loyautè* schedis, qui et ipse Hildeberti Epistolas illustrandas in se susceperat, accepta nonnulla in usum vertisse se profitetur. Prodiit Beaugendri Hildebertus, cui et vita ejus et notae et MARBODEI Redonensis opuscola addita sunt, Paris. 1708. f. a) Quae singula in illis contineantur retuli in Bibliotheca Latina IV. 2. Separatim vel sparsim edita, a Caveo et diligentius ab Oudino recensentur, ubi etiam de pluribus codicibus MSS. tom. 2 pag. 996. seq. Laudes *Zosimae* Monachi et *Vitam S. Mariae Ægyptiacae* versibus scriptam Leoninis et laudatam Henrico Gandavensi cap. 8. offerunt Acta Sanctorum tom. 1 April. 2. pag. 83-90. *Vita S. Hugonis* Abbatis Cluniacensis, prosario sermone, in iisdem Actis tom. 3 April. 29. pag. 634-648. cum notis Henscheni, et sine illis in Andreae du Chesne Bibliotheca Cluniacensi pag. 413-438. Apud Albericum in Chronico ad Annum 1115. pag. 226. Hildebertus celebratur *Berengarii Turonensis discipulus, versificator et dictator egregius. ut apparet ex non paucis quae fecit.* Epitaphium b) *quoque ejusdem* Berengarii *scripsit magnifice in versibus quinquaginta duobus, sed in eis laudum modum excessit, qui etiam* Canonem c) *metrice exposuit. Deinde de urbe Roma distichon composuit:*

Urbs felix, si vel Dominis urbs illa careret,
Vel Dominis esset turpe carere fide.

Versus *de septem actibus animae* in editione Beaugendriana pag. 954. obvii, leguntur etiam apud Vincentium Bellovacensem XXIII. 56. speculi naturalis. *Epitaphium Guilelmi de Ros*, Fiscannensis Abbatis servavit Ordericus Vitalis prodiditque ad Annum 1107. libro XI. p. 832 *Sermones* quosdam Hildeberti exhibet Combefisius in Bibliotheca Concionatoria. Ex

a) Epist. 277. quanquam enim de alio Ivonem loqui putant Iuretus, Caveus, Oudinus, tamen verisimilior sententia Baronii, Sirmondi atque aliorum, qui non dubitant Hildebertum notari. confer Baelii Lexicon in *Hildebert*, et quae pro fide illius Epistolae labefactanda Antonius Beaugendre in Hildeberti Vita p. XIX. de scriptione varia nominis Hildeberti vide Joannem Picardum notis ad Anselmi Cantuariensis Epist. 55,

b) Sammarthani Galliae Christianae tom. 1. pag. 766. tom. 2. pag. 516.

c) In clariss. Schelhornii amoenitatibus literariis tom. VIII pag. 627.

a) Acta Erud. 1708. pag. 472 Oudinus t. 2. pag. 998. seq.

b) Occurit in editione Beaugendrii pag. 1323. ex Wilhelmi Malmesbur. libr. 3. hist. Angl. pag. 115. et apud Baronium ad Annum 1088. n. 16. aliosque.

c) Henr. Gandavensis cap. 8. *Exposuit etiam metrice totum Missae ordinem*, Hoc est carmen quod toties editium alias, (etiam a me sub falso quod MStus meus Codex mihi sppponebat *Mauricii* Senonensis nomine vulgatum) exhibet Beaugendre p. 1135.

Epistolis nonnullas Eduardus Brown in appendice ad Orthuini Gratii fasciculum rerum expetendarum fugiendarumque. Londini 1690. fol. *Martyrium S. Agnetis Virginis*, carmine elegiaco, Barthius a Rosweido acceptum edidit XXXI. 13. Adversar. Petrus Blaesensis Epist. 101. narrat se adolescentulum a Magistro suo jussum Hildeberti *Epistolas* plerasque ob styli elegantiam et suavem urbanitatem memoria firmasse et cordetenus reddidisse. *Tres* Hildeberti *chartas* antea ineditas produxit laudatus Baluzius in tomo septimo Miscellaneorum An. 1715. in lucem dato p. 202. 203. 209. Carmen elegiacum *de creatione Mundi et operibus sex dierum*, ex Codice Lipsiensi publicatum est a Polycarpo Leysero in historia poëtarum medii aevi pag. 391-398. atque aliud *de excidio Trojae* pag. 398-408. Prius illud ex editione Leyseriana occurrit etiam in Diario Theologico, Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologischen Sachen A. 1723. pag. 19-27. Varias Lectiones Codicis Lipsiensis in Carmine Hildeberti *de suo exilio*, sive *de instabilitate fortunae* offert idem Leyserus pag. 389. ubi et de aliis ejus carminibus plura, quae III. 15. Epist. Hildebertus *ingenioli sui filias* appellat. Desiderantur adhuc Hildeberti *Historia miraculorum Exoniensis Ecclesiae*, cujus ipse meminit lib. 3. Epist. 3. ad Clarembaldum, *Statuta Synodalia pro dioecesi Cenomanensi* de quibus vide Beaugendrii praef. p. XIV. Liber *de virginitate servanda* quem ante annos triginta composuisse se scribit II. 45. Epist. ad eumque respicit sermone 3. pag. 677. De *excerptionibus Decretorum* quas in unum Volumen ordinare se instituisse ait lib. 2. Epist. 27. pag. 124. vide infra, in IVONE Alienum non modo fuisse Hildebertum a Berengarii sententia, sed et primum *transsubstantiationis* sive *transsubstantiandi* usum fuisse vocabulo ante Petrum Blaesensem, Stephanum Augstodunensem aliosque notat Beaugendrius pag. 531. et 719. *Transsubstantialiter* illam fieri, quam Petrus de Riga in Aurora vocat *transsumtionem*, scripsit Hildegardis Epistola ad Moguntinos. *Transformationem* in antiquis Missalibus vocari notavit Joannes Mabillonius: quod Graecis μεταποίησις, μεταῤῥύθμησις, ἀλλοίωσις, συναλλοίησις, μεταβολή, μετασκευή, μεταστοιχείωσις, ac denique μετουσίωσις. Vide supra in HAIMONE. p. 170.

* In editione novissima P. Beaugendre desunt praeter caetera quaedam ex epistolis Hildeberti, quas ex Ambrosiano Cod. Muratorius vulgavit. Anecdot. III. 213. Quaedam aio; nam epistola 3. ex illis septem quas dedit Muratorius incipiens: *sicut dicit de carissimo patre filius* eadem est cum epistola XLVII libri 2. apud Beaugendre, quamquam melior ibi lectio est, nam deest in illa verbum *dicit*, quod abundat in Ambrosiano. Epistola altera ibidem data a Muratorio nomine Ivonis Carnotensis incipiens *suo benefactori*, legitur inter Hildebertinas editionis indicatae pag. 184 inscribiturque Anglorum Regi.

Epistola ad Honorium Pontificem, quae pariter ex Cod. Mediolanensi data est a Muratorio ipsa est epistola XL libri II. Beaugendriana. Est tamen cur admoneamus lectorem de varietate lectionis alicujus momenti, quae ex utriusque epistolae collectione deducitur: nam quo loco Muratorius legit: *Ad quem suos non poterat advocatos deducere et maxime W. de Javale fratrem suum cum comite Guerrino habere se ad causam non posse venire praetendit.* Beaugendre vero in suo Cod. melius, ut arbitror, legit: *Ad quem suos deducere non poterat advocatos, et maxime Widonem de Lavalle, fratrem suum cum comite guerram habente se non posse ad causam venire praetendit.* Luxationem Cod. Ambrosiani sic sanat Beaugendre ex suo Cod. *Et quem vel sic mitigandum speravimus, et in damnum Ecclesiae cessurum et in majorem adversus nos indignationem nemo est qui dubitet* cum in Muratorio ita haec exprimantur: *Quem vel sic instigandum Ecclesiae speravimus .... cessurum et in maiorem* etc.

Huius pariter Hildeberti libellum metricum *de officio seu mysterio missae* nactus sum in MS. Cod. membranaceo saec. XIII. Biblioth. Dom. Francisci Florentini celeb.

Francisci M. Florentini nepotis, multisque ab edito discrepantem offendi. Versus quin etiam integri in eo leguntur frustra in edito perquirendi *

HILDEBERTUS *Hildibertus*, *Hiltibertus*, *Hiltibraht*, quibusdam etiam teste Gaspare Bruschio *Hildebrandus*, Francus quidem sed neutiquam Ostro Francorum Dux, verum ex Abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus ab Anno Christi 927. ad 937. Vide Nicolaum Serarium lib 4. rerum Moguntinarum, et ad eum notas Georgii Christiani Johannis tom. 1. p. 424. seq. Praefuit Concilio Erfurtensi An. 932. atque *vitas aliquot Sanctorum* scripsisse a Vossio pag. 344. atque inde a Cangio traditur.

HILDEBRANDUS supra, pag. 89. GREGORIUS VII.

HILDEBRANDUS junior, scriptor Commentariorum in Matthaeum, supra, pag. 88. Ejusdem ut videtur Magistri Hildebrandi est *libellus de contemplatione*, quem ex MS. Codice Hiemerodensis Monasterii annorum fere quingentorum vulgavit Edmundus Martene tom. XI. monumentor. veterum p. 1237-1250. Incipit; *Ex lectione Evangelica Matthaei.*

HILDEFONSUS, *Eldefonsus*, *Ilefonsus*, *Ildefonsus*, *Alfonsus*, *Alonsus*, *Olfus*, *Alifonsus*, *Adifonsus*, ex Agaliensi Monacho et Abbate, Episcopus in Hispania Toletanus ab Anno CHristi 659. ad 669. de quo Baronius ad Martyrolog. 23. Jan. et Surius ex Juliani Toletani appendice, Bollandus in Actis Sanctorum tom. 2. Januar. pag. 535. seqq. ubi etiam Vita a CIXILA Episcopo ut ferunt ab Anno 752. Toletano (de quo supra tom. 1 pag. 354.) scripta, cum notis Thomae Tamajo de Vargas: atque ut Pseudo Luitprandum p. 334. 449. 479. et 480. et Petrum Salasarem de Mendoza in vita Ildefonsi, Hispanice 1618. 4 edita omittam, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Veteri Hispana lib. V. cap. 6. pag. 286. seq, ubi etiam de scriptis ejus fuse atque erudite, de quibus haec annotare juvat, magnam partem illi praeterita.

Libellus *de Viris illustribus* XIII. (vel XIV. si caput de *Gregorio I.* addatur, quod in quibusdam Codicibus deest ut apud Aguirrium) instar appendicis ad ISIDORI Hisp. librum de scriptoribus Ecclesiasticis, inter Isidori opera a Jacobo du Breul edita Colon. 1617. fol. pag. 518. et in Andreae Schotti Hispania illustrata A. 1603. inque Garsiae a Loisa Conciliis Hispaniae, Madrit. 1603. et in Aguirrii t. 3 pag. 77. et in Auberti Miraci Biblioth. Ecclesiastica Antw. 1639. atque Hamb. 1718. fol. una cum appendice JULIANI Toletani, quam habet etiam Agvirrius pag. 80. FELICIS Toletani, id. pag. 81. et ANONYMI vita Salvii Abbatis Alveldensis, id. 93. et appendice de XII. Ecclesiasticis scriptoribus, id. p. 84.

Libri quo adnotationum de cognitione Baptismi et de itinere deserti quo pergitur post baptismum in Baluzii tom. 6 Miscellaneor. pag. 5. et 104.

Epistolae duae ad *Quiricium* sive *Cyricium*. Episc. Barcilonensem, in Dacherii spicilegio t. 1 p. 310-312. (editionis novae tom. 3 pag. 315.) praemissa Epistola CYRICII qua ei gratias agit pro opere de Virginitate Mariae, *ex quo hebetescat Fovinianus, dissipetur Helvidius, simulque et incredulus ac mente perfidus decidat Judaeus.*

Liber *de illibata Virginitate B. Virginis contra infideles*, editus ab Mich. Alphonso Carranza, Valentiae 1556. 8. Basil. 1557. 8. Lovan. 1569, 8. per Hieronymum Welaeum nec non ex edition. Francisci Fevardentii Paris. 1576. 8. atque inde in Bibliothecis Patrum cum JULIANI Pomerii praefatione: et Duaci 1625. 4. Praefationem aliam GOMESANI presbyteri edidit Edmund. Martene tom. 1 anecdotor. pag. 78. ut dixi supra pag. 68. Libris tribus de Vrginiitate S. Virginis, Vitam Ildefonsi praemisit HERMANNUS Monachus, de quo supra, pag. 224.

In illa Fevardentii editione et in Bibliothecis Patrum, ut edit. Lugd tom. 12. sequuntur: *Liber* contra eos qui disputant de perpetua virginitate S. Mariae et de ejus parturitione pag. 565. *Sermones XII.* in praecipuis *feriis B. Mariae*, 1. de parturitione ac purificatione pag. 571. 588. Contra eos qui mendose affirmant Mariam Virginem contra Legem Domini peperisse pag. 574. In assumtione B. Virginis sermones septem pag. 575. 579. 581. 582. 583. 585.

587. et in ejus nativitate sermones duo pag. 586. 590. Non obscura juniorum scriptorum vestigia in his sermonibus observare sibi visi sunt Combefisius in Bibliotheca Concionatoria, Dacherius, Oudinus tom. 1. pag. 1663. Nicolaus Antonius pag. 295. seq. aliique.

De *Supplemento* sive *continuatione* historiae ISIDORI Hispalensis ita Rodericus Toletanus: *Cum B. Isidorus scripsisset Gothorum, Alanorum, Wandalorum et Svevorum originem usque ad annum quintum Regis Svinthilae* (An. C. 647.) *S. Ildefonsus scripsit Gothorum tempora a quinto anno Svinthilae usque ad octavum decimum Recceswinthi annum* (A. C. 667.) Haec continuatio vel intercidisse tota putanda est, vel quae apud LUCAM *Tudensem* ex Ildefonso leguntur, valde interpolata et recentioribus assumentis alterata sunt, ut docet Nicol. Anton. t. 1 Bibl. vet. Hisp. p. 294.

Scripta Ildefonsi deperdita, quae a Juliano Toletano memorantur, haec sunt: *liber prosopopoeiae imbecillitatis propriae.*

Opusculum *de proprietate personarum, Patris et Filii et Spiritus S. Adnotationes actionis diurnae.* a) *Adnotationes in Sacris* b).

Liber Epistolarum, in quo diversis scribens, aenigmaticis formulis egit, personasque interdum induxit, in quo etiam a quibusdam luculentia scriptorum responsa promeruit.

Missae, Hymni et *Sermones.* De Missis et de libris Ecclesiasticis Isidoriani ritus ab Ildefonso locupletatis videndus Nicolaus Antonius pag. 290 et 295.

Epitaphia atque Epigrammata. De suppositis Ildefonso ab Hieronymo Romano de Higuera, inde Nicolaus pag. 291 seq,

Omitto quod in Pseudo Luitprando pag. 479 legas *S. Ildefonsus SS. Cosmae et Damiani Abbas, post Praepositus Monasterii Agaliensis, Toletanus factus Episcopus scripsit* libros Synonymorum, Conciones contra Haereticos *quas Concilium Provinciale approbavit, sub quo nationale Concilium cogitur.*

a) Ita rectius, quam apud Henschenium, *actionis Divinae.*

b) Alius Codex; *in Sacramentis.* Trithemius autem cap. 55. tanquam duo diversa ponit *annotationum in sacris, et annotationum in Sacramentis.* Recte ut videtur: nam ita et Vincentius Bellov. speculi hist. VII. 120. et Codices Juliani quos inspexere Cajetanus et Mabillonius. Vide Nicolaum Antonium t. 1. Bibl. Hispan. Vet. p. 289.

HILDEFONSUS junior, Hispanus ut ajunt Episcopus circa Annum 845 scriptor *Revelationis* quae ipsi illo anno obtigit: in cujus enarratione exponit mystice quae sit *Hostiarum in S. Eucharistia* inscriptio, quantitas, numerus, pondus, rotunda figura, azymi qualitas et coctio intra ferrum. Editione dignum babuit nec citra rationem Joannes Mabillonius ad calcem diss. de azymo et fermentato, Paris. 1674 8 recusum sum ad calcem novae editionis veterum Analectorum, Paris. 1723. f. p. 549. 551.

S. HILDEGARDIS de Alemannia, ex nobili genere, Magistra Sororum sive Abbatissa Coenobii in Monte S. Roberti in Pingis a) sive prope Bingiam in dioecesi Moguntina, Ord. Benedict. diem obiit A. 1178 nata An. 1099 b). Vitam ejus scripsit THEODORICUS Abbas Benedictinus libris III qui editi Colon. 1566. 4 cum Hildegardis Epistolis, exstant etiam apud Surium XVII. Septembris Sed placet de Hildegardi audire Albericum ad Annum 1141. *Hoc anno sancta* Hildegardis *cum esset annorum quadraginta duorum et septem mensium, librum* Scivias c) *per Spiritum sanctum visitata incipit et per decem annos consummavit, in diebus Henrici Maguntini Archiepiscopi et Conradi Romanorum Regis. Quae fuit ista Hildegardis et quantae authoritatis, insinuant epistolae magnatum terrae ad eam transmissae, Apostolicorum Eugenii, Ana-*

a) Ita Conradus Imp. Ita etiam alii. in Epistolis ad eam datis: unde fallitur praestantissimus Vir qui Hildegardem quae Visiones scripsit, ab Hildegarde de Pingvia distinguit. De Binga illa sive Pingia oppido ad Rhenum, vide Acta Sanctorum tom. 5. Maji pag. 505. Oudinum tom. 2. p. 1573.

b) Vide Pagium ad illum Annum num. 8. et Nicolaum Serarium lib. 2. rerum Moguntinar. cap 37.

c) Videtur Visionibus suis Hildegardis inscripsisse titulum SCIVIAS, velut *sciens viae*, vel quod in illis quae SCIre se et VIdisse non dubitabat *asserat.* Nam ut ipsa in prologo, iussam illas profitetur scripsisse se *secundum voluntatem SCIentis, VIdentis et disponentis omnia.*

stasii et Adriani, a) *Imperatoris Conradi, et Frederici Patriarchae Hierosolymitani et Archiepiscoporum, Abbatum et Praepositorum et una specialis epistola Beati Bernardi Claraevallensis* b) *Venit hoc anno super eam magnae coruscationis igneum lumen aperto coelo*, c) *quod totum cerebrum ejus transfudit, et totum cor totumque pectus ejus velut flamma non tamen ardens sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit super quam radios suos ponit, et repente intellectum expositionis librorum, videlicet Psalterii, Evangeliorum, et aliorum Catholicorum, tam veteris quam novi testamenti voluminum sapiebat: non autem interpretationem syllabarnm*, d) *nec cognitionem casuum, aut temporum habebat; solum psalterium legere didicerat more nobilium puellarum a quadam inclusa in monte Dysibodi, quod est claustrum nigrorum Monachorum.* Versiones *autem quas vidit, non in somniis nec dormiens, nec in frenesi, nec corporeis oculis, nec auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepit, sed eas vigilians et circumspecta in pura mente, oculis et auribus interioris hominis, in apertis locis secundum voluntatem DEI accepit, quod quomodo factum sit, carnali homini perquirere nimis esset difficile.*

Eius *Scivias* sive *Visionum ac revelationum libri III.* viderunt lucem An. 1513 in libro trium spiritualium Virorum Hermae, Ugvetini et Fr. Liberti: et trium spiritualium Virginum, *Hildegardis*, Elisabethae et Mechtildis, editore Jacobo Fabro, Stapulensi, Volgatio Pratensi in Officina recognitore, Paris. in fol. apud H. Stephanum avum. Deinde separatim Haganoae 1529 cum praef. Hieronymi Gebwilleri: et cum revelationibus BIRGITTÆ et ELISABETHÆ, (de quibus dictum suo loco) Colon. Visionum Hildegardis edidit B. Martinus Chladenius, Witeberg. 1716 4.

Prophetia Hildegardis contra Monachos Mendicantes, quam ex Codice manipuli florum Thomae de Hibernia protulit Bzovius ad Annum 1415 n. 39 pag. 465 tanquam supposita rejicitur in Actis Sanctorum tom. 1. Martii pag. 667. *Fuimus nos*, A. 1660 *in Monasterio Bingensi, et sacras S. Hildegardis reliquias* (*et cor adhuc integrum* tom. 3. Maji pag. 504) *venerati et antiqua volumina ejus, quae etiamnum ibi exstant MSta in membrana, perscrutati nihil eiusmodi reperimus.* Sed Prophetiam illam ipsam repraesentare juvat:

Insurgent gentes quae comedent peccata populi, tenentes ordinem mendicum, ambulantes sine rubore, invenientes nova mala, ut a sapientibus et CHristi fidelibus ordo perversus maledicatur. Sed diabolus radicabit in eis quatuor vitia, scilicet Adulationem ut eis largius detur; Invidiam quando datur aliis et non sibi; Hypocrysim, ut placeant per simulationem et detractionem, ut se ipsos commendent, et alios vituperent, propter laudes hominum et seductiones simplicium, sine devotione, sine exemplo martyrii, praedicabunt incessanter principibus Ecclesiarum, abstrahentes sacramenta a veris pastoribus, rapientes Eleemosynas pauperum miserorum, et infirmorum, trahentes se in multitudinem populi, contrahentes familiaritatem mulierum, instruentes qualiter blande maritos et amicos decipiant, et res proprias eis furtive tribuant, tollent enim res iniustas, et male acquisitas, et dicent: Date nobis, et nos orabimus pro vobis, ut aliorum vitia cernantur, et suorum obliviscantur. Heu et res miseras a raptoribus, spoliatoribus, praedonibus, latronibus, usurariis, foeneratoribus, fornicatoribus, adulteris, haereticis, schismaticis, apostaticis, a militibus linguosis, et luxuriosis, a periuris mercatoribus, a filiis viduarum, a militibus tyrannis, a principibus contra legem viventibus, et a multis

a) Hac cum responsionibus Hildegardis exstant in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. XXIII. pag. 537. seq.

b) Ibid. pag. 552. et inter S. Bernardi Epistolas 386. (in Mabillonii edit. 266.)

c) Haec ex Hildegardis prologo Albericus.

d) Hildegardis: *non autem interpretationem verborum eorum, nec divisionem syllabarum.* Non diversum a Visionibus puto librum Hildegardis memoratum Sandero *tom.* 2. Biblioth. Belgicae MS. quem ait conscriptum sibi videri An. 1147. jussu *Philippi* secundi Abbatis Parcensis, quem Hildegardis Epistolis salutaverit.

perversis, *propter persuasionem diaboli, et dulcedinem peccati*, *vitam delicatam*, *brevem, et transitoriam facientia damnationem aeternam*, *omnia erunt eis apta. Populus vero de die in diem*, *durior erit et expertus erit seductiones eorum*, *et cessabunt dare*, *et cum cessaverint dare, ibunt circa domos famelici sicut canes rabidi, submissis oculis*, *contrahentes cervices*, *ut velut vultures pane satientur*, *quibus clamabit populus super eos*, *dicens. Vae vobis filii moeroris, vos mundus seduxit, diabolus infrenavit ora vestra*, *et corda vestra*, *sine sapore*, *mens vestra vaga fuit, oculi vestri delectabantur in vanitatibus, pedes vestri veloces ad currendum in malum*, *mementote quod eratis non boni aemulatores*, *pauperes divites, simplices potentes*, *devoti adulatores*, *sancti hypocritae*, *mendici superbi, petitores effrontes, doctores instabiles, humiles elati, pii duri, dulces calumniatores, pacifici persecutores, amatores mundi, desideratores honoris*, *venditores indulgentiarum, seminatores discordiarum, Martyres delicati, confessores lucri, ordinatores commodi, suspiratores crapularum, mercatores domorum*, *aedificatores in altum*, *et quod et altius ascendere non potestis, tunc cecidistis*, *sicut Simon Magus*, *cuius per Orationes Apostolorum*, *dominus ossa contrivit, et plaga crudeli percussit. Sic ordo vester contritus est, propter seductiones et iniquitates vestras. Ite Doctores perversitatis*, *scientiam viarum vestrarum scire nolumus.*

Vita S. Roberti sive *Ruperti* Confessoris Ducis Bingionum, qui seculo nono fuit, vulgata a Jo. Busaeo S. I. Moguntiae 1602 4. cum Hincmari et aliorum lucubrationibus et apud Surium 15 Maji, et cum notis Henschenii tom. 3. Act. Sanctor. Maji p. 504.

Vita S. Disibodi Episcopi et Confessoris An. 674 defuncti: scripta An. 1170 apud eundem Surium 8 Julii, et in Actis Sanctorum tom. 2. Jul. p. 588.

Expositio Regulae S. Benedicti ad Congregationem Hunniensis Coenobii, edita cum aliis Hildegardis scriptis a Justo Blanckwalt, Presbytero, Colon. 1566 4. etiam in auctario Biblioth. Patrum Colon. An. 1662 et t. XXIII Biblioth. Patrum Lugd. p. 590.

Epistolarum Liber ab Hildegardi et ad eam scriptarum.

XXXVIII. Quaestiones cum solutionibus, ad Wibertum Monachum Gemblacensem.

Explicatio Symboli Athanasiani, quae cum duobus superioribus scriptis et expositione Regulae S. Benedicti a Blanckwalto edita Colon. 1566 4 et in supplemento Bibliothecae Patrum Coloniensi An. 1622 et in Lugdunensi tom. XXIII. pag. 537. 583. 594. Nomina eorum quorum Epistolae inter Hildegardinas scriptae occurrunt, haec sunt:

Adami Abbatis de Ebra pag. 553.
Adriani IV. Papae pag. 540.
Alexandri III. Papae pag. 540.
Anastasii Papae pag. 53.
Abbatis S. Anastasii pag. 555.
Decani SS. Apostolorum et primi Magistri Scholarum Colon. pag. 577.
Arnoldi Coloniensis Archiep. p. 543 550.
Arnoldi Archiep. Mogunt. pag. 541.
Bernardi Claraevallensis pag. 552.
Abbatis Campidonensis pag. 558.
Christiani Archiep. Mogunt. pag. 542.
Conradi Imp. pag. 551.
Constantiensis Episcopi pag. 547.
Cunonis Abbatis S. Dysibodi pag. 557.
Abbatis de Eberbach pag. 554.
Eberhardi Bamberg. Episcopi pag. 545.
Elisabethae Magistrae in Schoenaugia pag. 561.
Abbatissae in Elostat. pag. 561.
Provisioris S. Emmeramni pag. 556.
Eugenii III. Papae pag. 537.
Praepositi in Franckenfort, pag. 563.
Frederici Imp. pag. 551.
Abbatissae S. Glodesindis pag. 560.
Ad Griscos Monachos (Cistercienses) p. 578. adde Albericum ad Annum 1153 pag. 323.
Fratrum in Hagenhe pag. 582.
Helengeri Abbatis S. Dysibodi pag. 558.
Henrici Archiep. Mogunt. pag. 541.
Henrici de Bevez, Episcopi pag. 549.
Hertwigi Bremensis Archiep. pag. 543.
Hierosolymitanorum Episcopi pag. 549.
Abbatis de Hirsaugia pag. 556.
Juvavensis Archiep. pag. 544.
Abbatis de Keisheim pag. 555.

Leodiensis Episcopi pag, 547.
Abbatis S. Mariae pag. 557.
Abbatis S. Martini pag. 559.
Meffridi Prioris in Eberbach. pag. 578.
Ad praelatos Moguntinenses, propter divina per illos interdicta pag. 563.
Abbatis Nuenburgensium, pag. 556.
Petri praepositi Trevirorum pag. 575.
Philippi Decani Coloniensis pag, 572.
Philippi, Comitis Flandriae pag. 552.
Pragensium Episcopi pag. 548.
Sacerdotis cujusdam pág. 561.
Spirensis Episcopi pag. 546.
Trajectensium Episcopi pag. 548.
Trevirorum Archiep. pag. 544. 550.
Virdunensis Episcopi pag. 547,
Werneri de Kircheim pag. 581.
Wormatiensis Episcopi pag. 547.

Liber *simplicis* et alius *compositae Medicinae* eidem Hildegardi a Trithemio tribuuntur: atque typis exscripti exstant sub ejus nomine *libri quatuor Physicae,* quorum *primus* medicamenta ex aquis, terris, salibus et metallis: *secundus* et *tertius* ex plantis, *quartus* ex animalibus persequitur. Prodiere Argentorati apud Joannem Schottum 1533 fol. et 1544 fol. cum Octavio Horatiano, Trotula, et cum THEDORI diaeta, aliisque quibusdam aliorum scriptorum.

Praeter illa S. Hildegardis scripta a Trithemio cap. 405 de scriptoribus et II. 119 illustr. Benedictin. memorantur ejus liber *Vitae meritorum,* cujus meminit etiam Matthaeus Westmonasteriensis ad Annum 1292 pag. 117. *Exhortatorium secularium. Expositio Divinorum operum* laudata praeter Matthaeum etiam Alberico ad Annum 1152 pag. 323 et ad Annum 1163 p. 340. neutiquam diversa ab Hildegardis libro tripertito, sive libris tribus Visionum. Hujus initium ponit Trithemius: *Et factum est in sexto anno*, (sicut grandis Voluminibus Scivias, *Et factum est in anno nono*, quod in editis aliud est.) Tum *Carmina diversa* et Liber *de Sacramento Altaris*, praeterea *Homiliae LVIII in Evangelia*; pro quibus apud Matthaeum Vestmonasteriensem, laudantur, *Homiliae ad ignotam linguam* cum suis litteris: *Caelestisque Harmonia* cum aliis scriptis non paucis, atque *liber simplicis Medicinae secundum Creationem*, octo libros continens: et *liber compositae Medicinae, de aegritudinum causis, signis atque curis.* Deinde ibi profertur locus prolixior ex *libro secundo Speculi temporum futurorum* sive *Pentachroni*, titulo *de novis religionibus* capite secundo.

Alia HILDEGARDIS Comitissa Pictavorum, quae causam suam diserte egit in Synodo Remensi An. 1119. Vide Ordericum Vitalem lib. XII. pag. 859.

De S. HILDEGARDI Regina, Caroli M. uxore, defuncta An. 783 adire licebit Acta Sanctor tom. 3. April. 30. pag. 788 seq.

* Liber *Scivias* et liber divinorum operum duo sunt plane distincta inter se volumina, quae ambo a S. hac Virgine scripta feruntur. Libri *Scivias* sat noti sunt, illos vero dedit anno aetatis suae XLIII. Libri divinorum operum est apud me codex insignis minio, et imaginibus auro splendentibus ornatus membranaceus in fol. quem hic aliquanto latius describendum utpote parum notum suscipio. In partes dispescitur tres. Prior absolvitur in quarta visione et capita centum continet. Pars secunda cum quinta visione exorditur, et ad sextam usque pertingit capita 49 enumerat. Visio sexta et pars tertia una incipiunt. In decima visione et Capita 38 absolvitur. Scribere opus istud aggressa est anno, ut ibi legitur *Aetatis sexagesimo quinto*, *et millesimo centesimo sexagesimo tertio dominicae incarnationis pressura Apostolicae sedis nondum sopita.* (cum Fridericus Romanum Pontificatum exagitaret.) *sub Friderico Romanae dignitatis imperatore.* Superiorum visionum suarum meminit: nec silet scriptiones suas praecedentes: *veluti in prioribus visionibus meis praefata sum* et inferius: *quoniam omnia quae a principio visionum mearum scripseram.* In principio secundae visionis sermonem quoque habet de ovo, quod per visum spectaverat juxta ac expresserat *in tertia visione* libri *Scivias.* Ante annos XXVIII. Totius operis titulus est: *Liber divinorum operum simplicis hominis.* Curiosa multa continet, ut de to-

tius mundi Systemate, de hominis exteriori et interiori physica constitutione de aeris vicissitudinibus, de morbis hominum et aliis huius saporis. Specimen dare juvat quoddam eruditis lectoribus:

→ Visio III. Vidi et ecce ventus orientalis ventusque australis cum collateralibus suis per status fortitudinis suae firmamentum moventes. Illud ab Oriente usque ad occidentem super terram circumvolvi faciebant, ibique ventus occidentalis, nec non et ventus septentrionalis, et collaterales ipsorum illud suscipientes spiraminibusque suis impellentes ab occidente usque ad Orientem sub terra rejiciebant. Vidi quoque quod a die quo dies prolongari incipiunt, praefatus Australis ventus cum collateralibus suis idem firmamentum in Australi plaga sursum versus septentrionem usque in diem quo ultra non prolongantur, quasi fulciendo paulatim attollebat, et quod ab eodem die, quo dies abbreviari incipiunt, septentrionalis ventus cum collateralibus suis ipsum firmamentum claritatem solis abhorrens a septentrione ad Austrum repellendo paulatim deprimebat, usque dum Auster illud iterum a longitudine dierum erigere incipiebat. Sed vidi, quod in superiori igne circulus apparebat qui totum firmamentum ab Oriente versus occidentem circumagebat, de quo ventus ab occidente progrediens septem planetas ab Occidente ad Orientem contra circumvolutionem firmamenti ire compellebat. Et iste sicut alii praefati venti in mundum flatus suos non emittebat, sed tantum cursum planetarum, ut praedictum est, temperabat. Deinde etiam vidi, quia per diversam qualitatem ventorum et aeris, cum sibi invicem concurrunt humores, qui sunt in homine, commoti et immutati, qualitatem illorum suscipiunt. unicuique enim superiorum elementorum aer qualitati illius conveniens per quem illud scilicet elementum vi ventorum ad circonvolutionem impelletur, inest; alioquin non moveretur, et de quolibet istorum cum ministerio Solis Lunae, ac Stellarum aer qui mundum temperat, expiratur. Cum autem aliquando aut per ardorem cursus Solis aut per judicium Dei quodcumque elementum versus quamlibet plagam mundi tangitur, illud ibi cum aere semovente commotum, ex eodem aere qui ventus dicitur in subteriorem praefatum aerem emittit, qui se mox illi intermiscet, quia etiam ex aliqua parte ex ipso est et aliquantum ei consimilis existit sicque hominem tangit, unde et humores, qui in ipso sunt secundum qualitatem ipsius venti et aeris cum eiusdem qualitatis sunt, seu ad debilitatem, seu ad fortitudinem saepius immutantur. Et iterum vidi cum quispiam Ventorum omnium praedictarum qualitatum in qualibet plaga mundi, aut diverso cursu solis, et lunae, aut judicio Dei, ut praedictum est excitatur, ista ut illic aere commoto, sibique contemperato flatum suum emittat, quod idem aer per mundum spirans, ut ea quae in mundo sunt temperando conservans, secundum eumdem flatum hominem in humoribus suis aliquantum mutabilem reddit, quoniam cum ille scilicet homo, cuius naturalis qualitas eidem flatui convenit, aerem hunc sic immutatum in se inducit, et emittit, eo quod anima illum suscipiens ad interiora corporis transmittat, humores qui in ipso sunt etiam immutantur eique aut infirmitatem, aut sanitatem ut supra demonstratum est, multoties inducunt. Humores enim sicut Leopardus in hominem ferociter interdum insurgunt; sed tamen deinde leniores fiunt, et ut cancer, nunc procedendo, nunc retrogradiendo mutationem saepius in se ostendunt, atque velut cervus saliendo, et pungendo diversitatem in se aliquando manifestant, et etiam quemadmodum in rapacitate lupi, et cum ipso velut in qualitate cervi, et cancri, ut praedictum est, hominem interdum invadunt. Interdum quoque ut leo fortitudinem suam in illo non cessando demonstrant, atque ut serpens nunc lenitatem, nunc acritatem in se proferunt, et quemadmodum agnus se mites aliquando simulant, sed etiam ut ursus interdum velut in ira submurmurant, interdum quoque cum illo qualitatem agni et serpentis, velut supra ostensum est ma-

nisfestant. Nam humores in homine hoc modo saepius immutantur. Quapropter et multoties ad jecur ipsius sic immutati transeunt, in quo scientia eius probatur, quae de cerebro per vires animae temperata procedit, et quod humiditas cerebri tangit, ita ut illud pingue et forte ac sanum sit. In dextra enim parte hominis jecur, et magnus calor corporis est, idcirco et dextra velox ad erigendum se et ad operandum est; in sinistra autem cor et pulmo sunt, quae illam ad onera confortant et calorem de jecore quemadmodum de fornace habent. Sed venae jecoris commotis humoribus istis tractae, venulas auditus hominis concutiunt, auditumque illius aliquando confundunt, quoniam per auditus hominis multoties seu sanitas, seu infirmitas infertur, scilicet cum de prosperis supra modum in gaudio concutitur, sive cum de adversis supra modum in tristitia contrahitur. Vidi quoque quod interdum humores isti ad umbilicum hominis tendunt, qui quasi caput viscerum extans illa leniter claudit ne dissipentur, et qui itinera caloremque eorum et venarum ad rectum temperamentum conservat, licet multoties suis impulsibus inquietus sit, homo vivere non pssset; sed et lumbos hominis aliquando petunt; qui in viribus suis velut ludendo deceptuosi, et periculosi sunt, et qui a nervis et a caeteris venis retinentur, in quibus etiam rationalitas floret, ita ut homo sciat quid faciat, vel quid devitet, unde et delectationem ad opera illa habet, et quae in dextra parte corporis de strata spiraminis hominis, et de jecore eius çalefiunt, et roborantur, unde et sic homo discretionem disciplinamque recipit; quo modo procellas aliorum humorum compescat, quatenus opera sua disciplinate perficiat. Iidem quoque humores venas renum, et iliorum interdum tangunt, quae ad venas splenis, pulmonis et cordis tendunt, et haec omnia cum visceribus in sinistra concutiuntur cum illa pulmo calefacit, dextram vero partem corporis jecur accendit. Et venae cerebri, cordis, pulmonis et jecoris caeteraeque renibus fortitudinem afferunt, et venae renum ad suras descendunt, easque confortant, et ita cum venis earumdem surarum sursum redeuntes, seque aut in virili fortitudine, seu in muliebri matrice ad invicem connectentes, quemadmodum stomachus cibos comprehendit locis illis vires ad gignendum prolem immittunt, velut per lapidem ferrum aucuitur. Lacerti enim, musculi brachiorum et surae, tumores quoque crurum sunt pleni venis, et humoribus, quoniam ut venter viscera et cibos in se retinet, sic lacerti brachiorum et surae crurum venas et humores in se conservant, et fortitudine sua hominem roborant et portant, qnemadmodum venter illum nutrit. Sed cum homo interdum festinanter currit, seu incedendo iter facit, nervi qui sub genibus existunt, et venulae, quae in genibus sunt supra modum distentae, venas in suris quae ut rete sibi connexae et plurimae sunt, tangunt et sic in fatigatione ad venas jecoris redeuntes, illas cerebri venas tangere faciunt, et hoc modo totum corpus in fatigatione mittunt. Venae autem renum suram sinistram illi subvenientes magis tangunt quam dextram, quia sura dextra a calore jecoris confortatur. Ad venas quoque renum atque iliorum venae surae dextrae ascendunt, illorumque venae jecoris venas tangunt, et jecur renes in pinguedine quae ex humoribus est, jacentes calefacit ita ut extendantur velociter delectationem inducentes, et educentes citoque cessantes, quia cum jecur homini calorem dat, ille joculatur et laetus est. Itaque humores, qui in homine sunt in juxto modo commoti cum venas jecoris illius aliquando tangunt ut supra dictum est, humiditas illius minuitur, humiditas quoque pectoris attenuatur, unde etiam hominem sic exiccatum in infirmitatem impellunt; flegma etiam in eodem homine aridum et venenosum fit, illudque ad cerebrum eius sic ascendit, caputque in dolorem ducit, oculos quoque dolere facit, medullaque in ossibus illius marcescit, ita ut interdum ille caducum morbum incurrat cum luna in defectu est. Humiditas etiam quae in um-

bilico illius est per eosdem humores fugata in siccitatem aliquando vertitur, et indurescit, unde et caro ipsius ulcerosa, et squamosa fit, velut leprosus sit cum lepram non habeat. Venae etiam lumborum ipsius per illos iniuste tactae caeteras eodem modo commovent, ita ut recta humiditas in ipso exsiccetur, sicque humore relicto impetigines in illo exurgunt. Venae quoque renum eiusdem hominis a praefatis humoribus iniuste commotis interdum tactae alias venas, quae ipsis in suris aut in reliquo corpore adhaerent, ut praedictum est concutientes medullas ossium et venas carnis illius in siccitate arefaciunt, et sic homo diu languet in languore isto vitam diu trahens. Sed aliquando praefati humores in pectorem hominis supra modum in humiditate inundant, illique jecur eius humiditate ista humectant, unde quamplurimae et variae cogitationes in eundem hominem insurgunt, ita ut se nunc nimis stultum esse putet; et deinde iidem humores ad cerebrum ascendentes illud inficiunt, atque ad stomachum descendunt, febresque in eo generant, sicque homo ille diu infirmatur. Venas quoque aurium cum superfluitate flegmatis interdum tangunt, illaeque venas pulmonis cum eodem flegmate ita inficiunt, ut homo tussiat et vix suspirare possit, et eadem superfluitas flegmatis de venis pulmonis ad venas cordis transiens, illud in dolorem ponat, dolorque iste ad latus eiusdem hominis vadens, pleurisin excitet eumque ita concutiat, quasi caducum morbum in defectu Lunae habeat. Superflua etiam inundatione viscera in umbilico hominis movent ac sic ad cerebrum illius ascendunt, eumque freneticum multoties faciunt, venasque in lumbis illius concutiunt. Melancholia quoque in ipso tangunt; ita ut ille hoc modo confortetur tristisque sine discretione efficiatur. Interdum quoque iidem humores in convenienti humectatione venas renum hominis tangunt, illaeque sic commotae venas surarum illius, et caeteras venas corporis ipsius superflua inundatione inficiunt, et si etiam idem homo superfluis cibis, et potibus tunc superabundaverit, pinguem lepram illi aliquando inferunt, quoniam carnes eius ingrossescunt. Quod si praefati humores nec supra modum sicci, nec supra modum humidi, sed aequali, et congruo modo temperati per membra hominis diffunduntur in corpore suo, ille sanus permanet et in scientia sive ad bonum sive ad malum urgens. ←*

Beatus HILDEGARDUS scriptor *vitae S. Roberti Confessoris* a Lotharingiae Principibus oriundi, et Bingiorum Ducis, editae Mogunt. 1612 4.

HILDEGARDUS ex Monaco S. Dionysii Paris. Ord. Benedictin. Episcopus ante Annum 853. Meldensis, superstes adhuc An. 873. scripsit *vitam S. Faronis* qui et ipse Episcopus Meldensis fuit circa Annum 650. Edidit Mabillonius Sec. 2. Benedictin pag. 606. De Farone et Hildegario adeundi Sammarthani t. 3. Galliae Christianae p. 695. 696.

HILDEGASTUS Philosophus et vates Francorum, si credimus Simlero, doctissimus circa Annum 240. carmine heroico *Sunonis Regis vitam* scripsit. Commentitius hic recte videtur Vossio p. 829. Sane *Sunnonem* ducem Francorum constat circa Annum 388. demum irruptionem in Germaniam cum Genobaldo fecisse, de qua Gregorius Turonensis lib. 2. hist. c. 9.

HILDEBOLDUS Episcopus Svessionensis, morti vicinus A. 875. Breviculum Confessionis suae misit ad HINCMARUM Remensem, et ab eo singulari Epistola est absolutus, quae exstat tom. 2 Opp. Hincmari p. 686-688.

HILDEMARUS Monachus ex Franciae partibus in Italiam cum LEUTGARIO vocatus Mediolanum a) saeculo fere medio nono, scripsit *expositionem in Regulam S. Benedicti*, quam *Paulo Diacono* praeter rem tribuerunt Leo Marsicanus et Petrus Diaconus: *Basilio Abbati*, nescio cui, Codex Monasterii Augiensis quem

a) Rampertus Brixiensis Episcopus, apud Mabillonium tom. 2. Analect. p. 84. (editionis novae pag. 418.)

Mabillonius b) inspexit. Sed in Codice Monasterii S. Benigni Divionensis, qui hodie exstat in Bibliotheca S. Germani Paris. num. 667. c) hoc titulo legitur: *Incipit tradititio super Regulam S. Benedicti quam* Magister HILDEMARUS Monachus *tradidit, et docuit Discipulis suis. Quo circa obsecro*, cum aliquid incompositum sive inhonestum ibi inventum fuerit, non Magistro sed discipulis imputetur. Haec expositio Hildemari allegatur a GUIDONE in disciplina Monastica Farvensi quae nuper prodiit in sylloge scriptorum de veteri disciplina Monastica Paris. 1726. 4. p. 18. ad quem locum annotat eruditus editor d) p. 48. se illam Hildemari expositionem vulgaturum in *Catena Commentariorum in Regulam S. Benedicti.* Etiam Mabillonius hunc commentarium cum aliis luci daturum se receperat t. 2 Analect. pag. 86. (editionis novae pag. 418) ubi notat in capite illius XIV. exstare Hildemari *Epistolam ad Ursum*, Beneventanum Episcopum.

* Commentariorum Hildemari Monachi in capita 38 Regulae S. Benedicti opus in MS. Cod. Biblioth. Mellicensis extare lego in catalogo eiusdem Bibliothecae non ante multos annos Viennae edito. Extat ibi pariter sine authoris nomine Epistola ad Ursum praedestinatum atque electum episcopum Beneventanum de ratione legendi, quae epistola non quidem intra commentarium inserta est, sed praefixa legitur tractatui *de ratione legendi et pronunciandi* voces collectas tam ex tradictione modernorum magistrorum, quam ex authoritate B. Augustini et caeterorum Doctorum, inter quos laudatur tractatus Hildemari in Lucam. Si epistola haec postrema authorem habet Hildemarum, ut ex codice apud Mabillonium colligi non immerito posset, certo assequimur, quonam anno Hildemarus scribebat; nam Ursum circa an.833. assumpsisse clavum Beneventanae Ecclesiae Ughellus notat. *

HILDERICUS Abbas An. 834. per paucos dies Casinensis, scripsit versus de Praeceptoris sui *Pauli Diaconi* origine, vita, institutione, doctrina, religione et habitu, quos lucidissimos vocat Petrus Diaconus de illustribus Casinensibus c. IX. Edidit illos Joannes Baptista Marus in notis ad Petri cap. VIII. Non sunt versus plures quam XLI.

* Vix dubito Hildericum hunc alium ab eo esse, cuius epistolam metro alligatam recitat Anonymus Salernitanus in altera parte chronici sui vulgata a Muratorio Rer. Ital. II. 265. Dirigitur ad Ludovicum II Imp. cui fausta cuncta apprecatur. Incipit:

Hic opifex mundi verbo qui cuncta creavit
Ex nihilo finxit omnia nempe simul.

Forte tamen Hilderici epistolae huius scriptoris aetas paulo recentior est, quam ut componi possit cum Hilderico Cassinensi; Ille enim epistolam hanc dedit circa annum 876. Casinensis vero Abbatem illius Coenobii egit an. 834. Verum Anonymi Salernitani fides in re Chronologica per annos illos nequaquam est indubitata. *

De HILDESHEIMENSIUM rebus praeclara monumenta debemus illustri Leibnitio, obvia in tribus ejus Voluminibus scriptorum Brunsvicensium. *Tomo primo* quidem *Annales Hildesheimenses* ab An. CHristi 714. ad 1137. pag. 711-741. Hos jam ediderat Andreas du Chesne t. 3 p. 504. sq.

Chronicon Episcoporum a Gunthalio quem An. C. 822. constituit Ludovicus Pius, usque ad Gherardum Episcopum XXXVII. p. 742-762.

Excerpta ex *Necrologio Hildesheimensis Ecclesiae*, p. 763-767.

Indiculi Ecclesiarum *fratres se et sorores in CHristo* cum Hildesheimensibus professarum, et orationes mutuas in quotidianis sacrificiis invicem exspectantium p. 767. et *Episcoporum* p. 768.

Excerpta *de donationibus* p. 770 et *reliquiis* quibusdam p. 771.

Catalogus Episcoporum ex Chronicis

b) Id. tom. 4. Analect. p. 658. (editionis novae pag. 20.)

c) Oudinus tom. 2. p. 47

d) In Catalogo Bibliothecae illustris D. Zachariae Conradi ab Uffenbach. An. 1735. parte 2. p. 250. num. 59. editor praeclarae hujus sylloges appellatur *Marquard Herrgott.*

EGGEHARDI Uragiensis Abbatis p. 772-774.

Vita *S. Bernwardi* ab An. 993 ad 1023. Episcopi p. 441. narratio de ejus canonisatione pag. 469. et Compendium Vitae p. 481. 482. Vide infra, TANGMARUS.

Vita *S. Godehardi* ab Anno 1021. ad 1037. Episcopi: et Historia Canonisationis ejus et translationis p. 505-517. Vide ARNOLDUS Altahensis, et infra WOLFHERRUS.

Tomo II. excerpta ex necrologio monasterii S. Michaelis p. 103-110.

Catalogus Episcoporum p. 153. 154.

Chronicon Coenobii S. Michaëlis in Hildesheim ab Anno 1001. ad 1706. pag. 399-403.

Chronicon S. Godehardi in Hildesheim usque ad Abbatem XXIII. Bertramum p. 404-427. Vide infra, *Joan.* LEGATIUS.

Chronicon Monasterii Marienrode Ord. Cisterc. prope Hildesheim pag. 432.-469. Vide infra, HENRICUS de Berndten.

Chronica Episcoporum Hildeshemensium et Abbatum Monasterii S. Michaelis, usque ad Annum 1573 pag. 784 806.

Tom. III. Fragmentum Chronici, vernaculo sermone Saxonico ab A. 1428 ad 1609 pag. 261 262.

HILDUINUS *Abbas* a) *S. Dionysii Parisiensis, scripsit ad Ludovicum* (Pium) *Imperatorem* (circa Annum 835. b) *utroque stylo, id est prosaico et metrico, vitam ipsius Dionysii.* Haec de eo Sigebertus cap. 82 de S. E. quae repetit Thithemius cap. 263. et de illustribus Benedictinis lib. 2. cap. 34. addens eum Ordinis Benedicti Monachum et sacris Palatii archicapellanum c) fuisse, cui *Rabanus Maurus* commentarios in quatuor libros Regum dedicavit. *Epistolam Ludovici Pii ad Hilduinum* de conscribenda vita Dionysii Episcopi Paris. exhibet Sirmondus tom. 2. Conciliorum Galliae p. 629. Eadem praemittitur Hilduini *Areopagiticis,* quae primum vulgavit Matthaeus Galenus Westcapellius, praemissa praefatione prolixa apologetica, Colon. 1563 8 et post Galenum Surius IX. Octobr. In his Areopagiticis post Epistolam Imperatoris succedunt duae Hilduini *ad Ludovicum Pium Epistolae*, quibus exponit quos in vita Dionysii Parisiensis secutus fuerit auctores, quem cum Areopagita eundem esse adeo non dubitat, ut eos qui cum Gregorio Turonensi ea de re dubitant, *exitiabilis, et profanae nimis contentionis* reos agat. Laudat itaque *Aristarchi* Graecorum Chronographi Epistolam ad Onesiphorum primicerium de situ Athenae Civitatis, et gestis ibidem Apostolorum temporibus: *Dialogum Basilii et Johannis*: Scripta ipsius Dionysii, Areopagitae Graece missa in Galliam a Michaële Imp. CPolitano: Libellum antiquissimum passionis Dionysii et conscriptionem nescio cujus *Visbii*: et Missales libros, Hymnum *S. Eugenii* Toletani de B. Dionysio: Graecae auctoritatis *martyrologion* Constantino M. jubente a Caesareensi compositum Eusebio, et de tomo ex chartiscriniis CPolitanis transmissum. *Fortunati* hymnum rhythmicae compositionis de Dionysio. Deinde *narratio* ipsa et *Passio S. Dionysii* sequitur, quem *Jonicum* a patria, et Christiano agnonime *Macarium*, ait appellatum. Post prolixam narrationem, succedit *Stephano II.* Papae facta revelatio atque relatio de condito ab eo Romae monasterio S. Dionysii. *Hincmari* item Remensis Epistola ad Carolum Calvum de passione S. Dionysii, Graece scripta a *Methodio* et versa Latine ab *Anastasio* Bibliothecario. Denique ejusdem Anastasii Epistola ad Carolum, quam versioni ejusdem passionis praemiserat. Versio ipsa Anastasii quod sciam necdum prodiit: sed Methodii sive Metrodori narratio de martyrio Dionysii, Graece cum versione Petri Lansselii S. I. exstat in tomo secundo editionis Operum S. Dionysii splendidae Corderianae pag. 242. Hilduini fidem, et confusionem Dionysii Parisiensis cum Areopagita, tot argumentis suspectam reddiderunt,

a) Ita vocatur in diplomate Ludovici Pii apud Sirmondum t. 2. Concil. Galliae p. 556.

b) Vide Cointium ad Annum 835. tom. 8. annal. Francor. p. 593i seq. et. 475.

c) Sacris negotiis a DEO praelatus dicitur in Ecclesiae Senonensis Epistola ad Hilduinum, in Sirmondi Conciliis Galliae t. 2. p. 650

d) Vide librum de luce Evangelii per totum Orbem propagata p. 587.

viri doctissimi a) Nicolaus Faber, Jac. Sirmondus, Joan. Morinus, Joannes Launojus, Gerardus du Bois, Tillemontius, aliique, ut necesse non sit verbum addere. *Vita S. Dionysii* carmine *quatuor libris* scripta ab Hilduino et teste Miraeo MS. in Coenobio Gemblacensi, necdum lucem vidit.

HILDUINUS Theologus et Cancellarius Academiae Paris. post Petrum Comestorem ab Anno 1178 ad 1186 vel 1190 cujus *Sermones* in Bibliothecis Galliae atque Angliae MSti. Vide Oudinum t. 2, p. 1562.

HILDUINUS sive *Hildewinus* sacrae Theologiae Doctor Anglus, cujus itidem *Sermonum* librum memorat Pitseus, p. 864. ponitque initium: *Coeli enarrant gloriam DEI.*

HILDUINUS sive *Hildovinus* Tassanius, Flander, Abbas Lobiensis in Hannonia atque ex Leodiensi Veronensis An. 928. Episcopus, denique Archiepiscopus An. 930. Mediolanensis, defunctus An. 937. Vide Ughellum tom. IV. editionis novae pag. 92. Scripsit teste Trithemio, cap. 296. Abbas adhuc, *Gesta Abbatum Lobiensium*, et *sermones ad Fratres.*

HILWARDUS *Hillibardus*, *Hildewardus* Episcopus Halberstadensis ab An. 974. ad 996 scripsit ad Episcopum Metensem, Adalberonem secundum, *Epistolam* quam publicavit Labbeus tom. 1. Bibliothecae novae MStorum pag. 682 seq. In hac memoratur *doctrinae et veritatis Rationale*, qui locus addendus allatis ab eruditissimo Cangio in glossar. voce *Rationale.*

HILLINUS Monachus Corbejensis in Gallia, Congregationis Floriacensis: prosa et versibus scripsit Martyrium B. Foliani Episcopi, cujus memoria colitur 31. Octobr. Vide Vossium pag. 818. Wionum tom. 1. ligni Vitae pag. 426.

Levinus aliis *Ferius* HILPERICUS sive *Helpericus.* Vide supra in CAROLO Magno tom. 1 pag. 320.

Joannes HILTEN Ord. Minor. cum apud Livonios b) et Erfordiae praedicasset, denique A. 1496 apud Isenacenses a Monachis datus carceri, atque fame An. 1502 peremtus, quod crassiores quosdam abusus notasset, et sacram Coenam recusaret sub una specie admittere. Ex scriptis ejus Melchior Adamus a) memorat Commentarios *in Apocalypsin* et *in Danielem* quatenus cum illa convenit vel eam supplet. De eo quod inter D. Lutheri doctores praeter rem ab Andrea Angelo refertur, et de praedictionibus ejus, quibus tum alia, tum Reformationem Ecclesiae futuram tanquam vates visus est praenunciasse, dictum est in Centifolio Lutherano.

Gualterus HILTONUS. Dictis supra pag. 335 adde quod plerosque Codices manu exaratos Bibliothecar. Angliae quibus varia hujus Hiltoni scripta continentur, recenset Oudinus tom. 3. pag. 2395 seq.

Joannes HILTON sive HYLTON Anglus Ord. Minorum, Vicarius S. Magdalenae Oxoniensis, defunctus circa Annum 1376 de quo Baleus VI. 55 et Pitseus pag. 515 Scripta ejus memorantur: De paupertate Fratrum. De statu Minorum. Quaestiones ordinariae. Hisce Sermones Dominicales MStos Oxoniae in Bibliotheca Collegii Novi addit laudatus Oudinus t. 3, p. 1894.

HIMBERTUS, infra, HUMBERTUS.

HINCMARUS ab Anno 858. *Laudunensis* in Gallia Episcopus, superstite adhuc avunculo HINCMARO Remensi, cum quo graves illi lites intercessere, adeoque ante Annum 882 defunctus. Lites illas qui compendio descriptas nosse voluerit, Caveum consulet. Praeter sex *Epistolas* Hincmari Laudunensis ad Remensem cum Hincmari Remensis responsionibus inter ejus scripta editas pag. 335. 340. 341. 351. 608. 744. et *collectiones* duas ex Epistolis Romanorum Pontificum pro appellatione a Rege et Metropolitano suo ad Pontificem pag. 347. et 355. plura ad hanc causam cognoscendam idonea exstant in Actis *Concilii Duziacensis* An. 871 contra Hincmarum Laudunensem habiti, editis in

a) Fridr. Myconius litteris ad B. Lutherum datis An. 1529.

b) In Vitis Theologor. sub init. adde B. C. Georg. Henr. Goetzii Observationes historico Theologicas de Hiltenio, Lubec. 1706. 4.

a) Apologia pro Canonibus Apostolicis p. 25. 64. 65. 90. 104. 141. 284. etc.

Sirmondi Conciliis Galliae tom. 3, p. 397 seq. et apud Binium atque in Regia t. 23 sed longe plenioribus a *Ludovico Cellotio* Paris. 1658 4. ubi etiam schedula de appellatione, et ad Regem missa satisfactio: unde repetita in tomis Conciliorum Labbei VIII. Harduini V. et Coleti X. Sed singulare *Philippi Labbei* meritum, a quo praeterea etiam ex Codice Palatino qui in Vaticanam Bibliothecam transiit, publicatae sunt HINCMARI Remensis *Epistolae octo* satis prolixae, scriptae in eadem causa, 1 4. *ad Clerum Laudunensem* 2 3 5 6 7 et 8. *ad Hincmarum Laudunensem*. Hae Epistolae ex Labbei editione recusae in Conciliis Harduini et Coleti: eaedem sunt quas tanquam primum editas offert doctissimus Eccardus in corpore scriptorum medii aevi t. 2, p. 375 seq.

HINCMARUS, *Higmarus, Ingumarus*, Turriano a) *Igmarus* natus A. 801 et sub Hilduino Canonicus in Abbatia S. Dionysi Paris. inde Archiepiscopus ab Anno 844 in Gallia Remensis usque ad Annum quo decessit An. 882 23. Decembr. Inunxit sive coronavit Reges Carolum Calvum b) in Regem Austrasiae An. 869. Metis, post Lotharium defunctum: Hermintrudem Reginam, Caroli uxorem c) Ludovicum II. Balbum d) in Regem Francorum An. 877. in Compendio palatio: ut Judith, Caroli Calvi filiam e) cum Regi Anglorum Eddulfo desponsata esset. Pluribus interfuit Synodis, et magnas res gessit, ut ex Flodoardo et aliis temporum illorum scriptoribus, et ex ipsius quoque lucubrationibus cognoscitur: vehementior etiam adversarius GOTHESCHALCI et *Praedestinatianorum*. Scripta ejus collegit atque accurato ut solet studio edidit Jacobus Sirmondus Paris. 1645 fol. duobus Voluminibus, praemissa utili synopsi chronica ad ordinem rerum melius intelligendum. Recensere scripta illa esset pretium operae, nisi factum illud jam forte a Labbeo tom. 1. de S. E. pag. 461 seq. et a Caveo ad Annum 845 nec sine acri censura etiam in libro edito Germanice *Summarische Nachrichten von Buchern in der Thomasischen* Bibliothec, Halae 1715 8 t. 1 pag. 675 seq. 867 seq. 1051 seq. et tom. 2. pag. 107 seq. Nonnulla repetita ex Capitularibus Caroli Calvi ut tom. 2, pag. 126 vel ex Flodoardo ut tom. 2, pag. 244 597 644 823 840 842 843 844. et tom. 1. praefat. et ex appendice ad Flodoardum pag. 832. Alia jam vulgaverat Sirmondus tomo tertio Conciliorum Galliae ex Codice Laudunensi, ut quae tom. 2. Hincmari repetuntur pag. 265 269 275 279 647. et tom. 1, pag. 710 741. Ante Sirmondum *Joannes Busaeus* S. I. Moguntiae 1602. 4 octo Epistolas ediderat, eo ordine quo apud Sirmondum exstant tom. 2, pag. 179 185 201 216 157 719 783 801. Nona Epistola apud eundem Busaeum pag. 164. est CAROLI nomine scripta ad Joannem VIII. Papam, apud Sirmondum pag. 768. Epistola *de potestate Regia et Pontificia* quam exhibet *Goldastus* in Monarchia Imperii t. 1, p. 3. atq; inscribitur *ad Carolomanum* Regem, Ludovici Balbi Imp. filium, *et Episcopos Franciae*: perperam data perhibetur An. 884 cum jam An. 882. Hincmarus obierit: et Epistolae illius apud Busaeum pag. 42. titulus est *ad Episcopos Franciae*, atque apud Sirmondum tom. 2, pag. 216 *ad Episcopos regni*. Idem Busaeus a) in paralipomenis opusculorum Petri Blaesensis et aliorum, Mogunt. 1605 4 duas Hincmari in lucem dedit Epistolas repetitas a Sirmondo tom. 2, pag. 225 et 768. Quae vero Hincmari opuscula publicata sunt a Viro praeclaro, *Joanne Cordesio* Parisiis 1613 4 repetita cum Busaeanis etiam in supplemento Bibliothecae Patrum Paris. 1639 tom. 2, pag. 380 seq. et in Coloniensi, tom. IX. illa ad MStos Codices recensita habet etiam Sirmondus tom. 2, pag. 188 312 377 689 701 et 716. Epistola ad Egilonem quam offert Gilbertus Mauguinus tom. 1. aucto-

a) Apologia pro Canonibus Apostolicis p. 25. 64. 65. 90. 104. 141. 283. etc.
b) tom. 1. Opp. Hincmari p. 741.
c) Id. pag. 752.
d) id. pag. 747.
e) Id. pag. 750.

a) Alia quae cum Hincmarianis in utroque illo volumine vulgavit Busaeus, vide in B. Thomae Ittigii libro de Bibliothecis Patrum pag. 670. 672.

rum Sec. IX. de Praedestinatione et Gratia, parte 2. Paris. 1650 4 eadem exstat apud Sirmondum t. 2, p. 290.

Ad editionem Sirmondianam postea magna inprimis accessio facta est scriptorum ad causam HINCMARI *Laudunensis* pertinentium a *Ludovico Cellotio* et *Philippo Labbeo*, ut jam supra in Hincmaro Laudunensi exposui.

Quae praeterea in Sirmondi Hincmaro desiderantur, haec sunt:

Vita S. Remigii, Remensis Archiepiscopi, obvia apud Surium 13. Januar. et *Encomium* ejusdem, Calendis Octobris.

Epistola ad Ludovicum III. Regem Francorum de electione Episcopi *Beluacensis* apud Baluzium tom. 7. Miscell. p. 47.

Epistola ad Carolum Calvum de auctoritate Vitae S. *Dionysii* ab *Anastasio* Bibliothecario translatae. tom. 1. Analect. Mabillon. p. 59. (editionis novae p. 212.)

Epistola ad eundem, quae incipit: *Ecce Domine sicut hic dilectus frater* apud Dacherium tom. 2. spicileg. pag. 822. (edit. novae p. 337.)

At Carmen *de fonte Vitae*, quod sub Hincmari nomine Oudinus edidit, non illius est sed AUDRADI, de quo t. 1. p 137.

Joannes HILTONUS Sophista Anglus, cujus nihil nisi fallaciarum formulas memorat Pitseus p. 85.

HIPPOLYTUS *Florentinus* Monachus ord. Minori circa An. 1249 scripsit *Miracula S. Æmilianae* seu *Humilianae de Cerchis* sive *de Circulis*, viduae tertii ordinis S. Francisci, quae exstant in Actis Sanctorum tom. IV. Maji 19 pag 403 407 subjuncta scriptori synchrono vitae ejusdem Æmilianae VITO *Cortonensi*, Ord. Minor. p. 386 seq. Italice utrumque scriptorum prodiit Francisco Cionaccio interprete, Florent. 1682 4.

* HIPPOLYTUS *de Marsiliis* Bononiensis scripsit singularia seu notabilia ex utroque jure edita Bononiae per Benedictum Hectoris an. 1501 in fol.

S. HIPPOLYTUS Episcopus Portuensis discipulus S. Irenaei, atque Doctor Ecclesiae inclytus, tertii scriptor seculi, cujus opera junctim edenda curavi Hamb. 1718 fol. duobus Voluminibus, Graece scripsit non Latine, sed inter Latinos scriptores memoratur a Cangio propter Canonem ejus Paschalem laudatum a Victorio Aquitano, et Latine expositum ab Ægidio Bucherio in Commentario de doctrina temporum Antw. 1634 fol. pag. 291 seq.

Canonici Sancti HIPPOLYTI in Austria, historia inventionis reliquiarum duorum Sanctorum Seculo XII. in Actis Sanctorum tom. 3. Junii 19. pag. 850. et in Hieronymi Pez. t. 2. scriptor. Austriae. p. 744.

HIRNANDUS. sive *Firnandus* (Ferdinandus) Canonicus et Archidiaconus Leodiensis circa Annum 1220. scripsit *tres libros*, quorum *duobus primis* exposuit Vitam *S. Odiliae* Leodiensis, et filii ejus *Joannis Abbatuli*, eorumque occasione plerasque res insignes quae illo tempore in dioecesi Leodiensi acciderunt. *Tertio* descriptionem triumphi S. Lamberti Martyris in Steppes An. 1213. obtento contra Henricum I. Comitem Lovaniensem. Solum tertium librum et sine nomine auctoris edidit Leodii 1613. 4. Joannes Chapeavillus tom. 2 de gestis Pontificum Leodiensium p. 604-640. testatus duos priores MStos exstare Lovanii in Bibliotheca S. Martini. Auctoris nomen ex Alberici Chronico ad Annum 1213. observavit in Bibliotheca Belgica pag. 390. Valerius Andreas.

Joannes de HISDINIO sive *Hesdinio*, *Isdinio*, Artesius, Ordinis fratrum Hospitalium S. Joannis Hierosolymitani, Theologus Parisiensis ab Anno 1360. ac deinceps. Scripsit Sixto Senensi notante, scholastica phrasi *in Jobum*, incip. *Usque in tempus sustinebit.* Hic commentarius dicatus Guidoni de Bononia, Cardinali et Episcopo Portuensi, MS. in Bibliotheca Collegii Navarrei Paris. teste Oudino t. 3 p. 1223. Ejusd. *in Marcum*; incip. *Similis factus est Leoni* MS. Oxonii in Biblioth. Collegii Balliolensis.

In omnes S. Pauli Epistolas ad Philippum ab Alensonio, Archiepiscopum Rothomagensem. MS. in eadem Bibliotheca. fuit etiam in Bibliotheca Escurial. ac speciatim Lectura *in Epist. ad Titum*, Lips. in Biblioth. Paulina, vide Felleri Catal. p. 188.

Commentarium *in Apocalypsin*, quem

editum inter Nicolai GORRAMI Opera dixi supra pag. 71. Joannis hujus esse Oudinus suspicatur, verumque Gorrami in Apocalypsin commentarium exstare MS. in Bibliotheca Regia Paris. Codice 3843. hoc initio: *Confiteor Tibi Domine Pater Coeli et terrae.*

Sermones de tempore ac Sanctis dicati Philippo Archiep. Rothomagensi, cujus se humilem Capellanum et devotum Oratorem appellat. MSS. in Bibliotheca Fusniacensi Ord. Cisterc. in dioecesi Laudunensi.

Commentarium *in Evangelium Johannis* et Tractatum *de annunciatione Dominica* addit Trithemius cap. 678.

Joannes HOCSEMIUS, Canonicus S. Lamberti Leodiensis, anni 1278 medium Februarii quo in lucem est editus, his signavit versibus p. 309.

Mille ducenteno bis quarto septuageno
Anno sum mundo natus sub mense secundo.

Scripsit libris duobus *gesta Pontificum Leodiensium* per annos centum et duos ab Henrico Guelvensi in quo ÆGIDIUS Aurea desinit, usque ad Adulphum a Marcka sive ab Anno Christi 1246. ad 1348. Edidit notisque illustravit Joannes Chapeavillus Leodii 1613. tom. 2 sylloges scriptorum de Episcopis Leodiensibus p. 273-514.

HOELUS sive *Howelus Dha* sive *Bonus*, Rex totius Cambriae sive Walliae ab An. CHristi 940. ad 948. cujus *Leges Ecclesiasticae*, Capitula XL. exstant apud H. Speelmannum t. 1 Concilior. Angliae p. 408. atque inde in Conciliorum tomis, Regia tom. 25 Labbei t. 9. Harduini tom. 6 et Veneta Coleti tom. XI.

Henricus de HOITA, sive *Oyta* supra pag. 210.

Robertus HOLKOT sive *Holcoth*, Lelando cap. 411. *Haldecotus* (diversus utique a *Roberto Couton* sive *Cothono*, a) Anglus Northamptonius sive Avoniae Borealis alumnus, Ord. Praed. Theologus Oxoniensis, Commentario in Ecclesiasticum immortuus An. 1349. Ejus scripta.

De studio S. Scripturae, Reutling 1489. fol. Venet. 1483. 1500. 1515. 1586, Vide Jacobi Longi Bibliothecam Biblicam exegeticam p. 781.

In Proverbia Salomonis. Paris. 1510. 1515. 4. Lavingiae 1519. 8. Vide infra THOMAS *Vallensis.*

In Ecclesiasten MS. in Biblioth. Paulina Lipsiensi.

In Cantica Canticorum, et in septem priora capita Ecclesiastici Lectiones LXXXVIII. vetus editio sine anno et loco et Venet. 1509. fol.

In librum Sapientiae praelectiones CCXIII. sine loco 1481. 4. Venet. 1483. 1500. 1509. 1515. 1586. fol. Spirae 1483 1486. fol. Paris. 1486. 1511. 1514. 1518. 4. Basil. 1488. 1506. 1586. Reutling. 1489. fol. Haganoae 1494. fol. Vide Jac. Quetif. de scriptoribus Dominicanis t. 1 p. 629. seq. ubi refellit eos qui hasce praelectiones referre voluerunt ad REGINALDUM *de Alna*, monachum Cisterciensem. Recentissima praelectionum harum editio Coloniensis lucem vidit. 1689. fol. De Codice MS. Bibl. in templo S. Petri hujus Urbis Hamburgensis vide B. Staphorstii tom. 3 hist. Eccles. Hamb. pag. 265.

In XII. Prophetas Minores MS. Oxon. Bibliotheca Collegii Balliolensis.

In IV. Evangelia et rursus *in Matthaeum* memorant Baleus V. 84. aliique.

Moralitates S. Scripturae pro evangelizantibus Verbum DEI. Incip. *Quoniam misericordia et veritas.* Pitseo pag. 463. *morales expositiones* et pag. 464. *Allegoriae utriusque Testamenti.* et *Exempla Scripturae.*

Super IV libros Sententiarum Lectura.

Quaestiones in IV. libros Sententiarum Lugd. 1497. fol. 1510. 1518. 4.

Conferentiae super articulis sex impugnatis. ibid.

De imputabilitate peccati et determinationes quarundam aliarum Quaestionum. ibid.

De Praedicatoris officio. Incip. *A sacro Canone tanquam a fonte.*

a) Cum hoc eundem facit D. Nicolaus Hieronymus Gundlingius in historia postuma eruditionis tom. 2. pag. 1892. De Coutono illo Ord. Minor. monaco ejusdem aetatis dixi supra tom. 1. pag. 399.

De immortalitate animae.

De origine, definitione et remedio peccatorum. Paris. 1517. 8.

Concordantiae Anglicanae MStae memorantur a Sandero in Bibliotheca Belgica parte 2. pag. 50. hoc initio: *Primus liber agit de his.*

Moralisationes historiarum quarum hoc initium apponit Trithemius cap. 632. *Theodosius de vita:* apud Baleum et Pitseum *Theodosius de vita Alexandri.* Prodiit cum tabula aurea Thomae Aquinatis super Evangelia et Epistolas anniversarias Venet. 1505. Paris. 1510. 8.

De *Philobiblio* quod a Roberto nostro scribi curavit *Richardus* BURY Episcopus Dunelmensis, dictum supra t. 1 p. 284.

His postremo apud Baleum aliosque et Jacobum Quetif adduntur: *Sermones* de temporibus per annum, festivales, de Sanctis, et Quadragesimales.

Exempla Scripturae.

Lecturae Scholasticae. Quodlibeta. Quaestiones Sententiarum et Determinationes Quaestionum.

Dictionarium sive *Distinctionum opus*, alphabetice quod incipit: *Adulatio est nutrix Diaboli.*

De Praescientia et Praedestinatione. De Praedicatoris officio. De amore. De septem peccatis mortalibus.

De libertate credendi. De fautoribus haereticorum. De impunitate peccati. De Serpente.

De motibus naturalibus. De umbra, naturalibus motibus et effectibus stellarum. Universalia quinque. Breviloquium.

Diaetam Salutis memoravi jam inter scripta BONAVENTURÆ, et GUILELMI *de Lancea.* Et de *reductorio Morali* erit dicendi locus in PETRO *Bercharii*: sicut de tractatu *de ludo Scaccorum* in JACOBO *de Cessolis.*

HOLTNICKERI nescio cujus *Sermones de Sanctis* MSti in Bibliotheca Templi Petrini hujus Urbis Hamburgensis, quorum gustum ex Sermone de Andrea Apostolo dedit B. Staphorstus noster tom. 3 Hist. Eccles. Hamb. p. 402.

HOMOBONUS Episcopus Cremonensis ab Anno 1216. ad 1249. a) cujus *inquisitio* Cremonae An. 1223. facta *de vita et moribus B. Joannis Cazenfronte*, Abbatis S. Laurenti de Cremona, postea An. 1179. Episcopi Vincentini b) exstat. in Actis Sanctorum t. 2 Martii in addendis ad diem XV. p. 753. sq.

S. HONORATI Episcopi *Arelatensis Vitam* scripsit HILARIUS qui ei A C. 429. in Episcopatu successit, ut dixi supra p. 235.

HONORATUS Episcopus *Constantiensis* sive *Cirtensis* Episcopus. De eo supra *Honoratus* ANTONINUS, tom. 1 p. 112.

Omitto dicere de HONORATO *Iserniensi* utpoe juniore, qui An. 1502. natus et Poetices laude florens, ex Monacho Casinensi Episcopus A. 1551. in Calabria, abdicato An. 1562. Episcopatu diem obiit An. 1564 De eo Joannes Baptista Marus ad Placidi Diaconi supplementum de Viris illustribus Casinensibus c. 9.

De HONORATO Massiliensi, Hilarii Arelatensis discipulo, ita legitur in quibusdam editionibus Gennadii et in veteri Codice Corbejensi, quod caput apud Honorium et in Chifletiano, Gothanis atque Veronensi Codice desideratur, atque a Gennadii stylo alienum videtur viris doctis: *Honoratus Massiliensis Ecclesiae Episcopus vir eloquens, et absque ullo linguae impedimento ex tempore in Ecclesia declamator. Et quia a pueritia in timore* DEI *crescens, etiam in negotiis Ecclesiasticis exercitatus est, os suum quasi armarium aperit, et* in Homeliarum *modum ad utilitatem legentium multa componit.* c) *Maximeque ad colendam* d) *fidei rationem et revincendam haereticorum* e) *perversitatem. In cujus libera praedicanda constantia, non solum vicinarum civitatum sacerdotes populi delectantur, sed et longe positi, cum ad eos necessario pergit, summam ei docendi in suis Ecclesiis rogantes iniungut*: *S. quoque Papa* Gelasius f) *Romanae urbis Pontifex, scriptu-*

a) Vide Ughellum tom IV. pag. 606. seq.

b) Id. t. V. p. 1044. seq.

c) MS. Corbei. *Composuit.*

d) Id *inculcandam*

e) *haeresium.*

f) Gelasius Papa fuit ab. Anno Christi 492. ad 496. Hennadius librum sum scripsit ante annum 495.

ram agnoscens ejus fidei integritatem, rescripto suo probatam judicavit: Sanctorum Patrum vitas *ad aedificationem posterorum coaptat ipse legendas: Praecipue meritoris sui Hilarii Arelatensis Episcopi.* Letanias *ad supplicandum* c) *Dei clementiam cum plebe sibi credita pro viribus agit.*

Baronius ad Martyrolog. Rom. 5. Maji notat *vitam S. Hilarii* ab Honorato scriptam excidisse: nimirum apud Surium V. Maji. in veteri editione frustra quaeritur. Prodiit tamen in Vincentii Barralis Chronologia Sanctorum Lerinensium p. 103. atque inde recentiori operis Suriani editioni An. 1618. inserta: et cum Godfredi Henschenii in Actis eruditor. tom. 2. Maji pag. 26-34. Vide et supra pag. 235. et de Honorato hoc Bollandum t. 2. Januarii 16 pag. 15. seq. Tillemontium tom. XV. A Semipelagianismi suspicione, in quam venit Honoratus apud Norisium aliosque, defenditur ab eruditis editoribus Operum eminentissimi Norisii tom. IV. pag. 926. Editio nova operum S. Prosperi Aquitani et Honorati Massiliensis, quam notis et observationibus illustratam *D. Joannes Salinas*, Neapolitanus, Canonicus Regularis fecit publici juris Romae, 1732. 8. nondum ad nos allata est.

De S. HONORATO *Mediolanensi* Episcopo circa Annum CHristi 570. quem etiam ajunt nescio quae scripsisse, vide Acta Sanctorum tom. 2. Februar. 8. p. 164. sqq.

HONORIUS I. Campanus, Episcopus Romanus sive Papa ab. Anno CHristi 626. 28. Septembr. ad. Annum 638. Septembr. 13. Ejus vitam opuscula et vindicias cum Concilio Romano An. 649. Martini I. Papae publicare voluit Josephus Maria Svaresius, teste Allatio pag. 168. apum Urbanarum, quod factum ab eo non comperi. Vindicias ejus ob Epistolas ad Sergium CPol. aliaque non obscura documenta inter *Monotheletas* damnati An. 687. a *sexta Synodo*, a) multi scripserunt, post Bellarminum, Gretserum, Baronium, aliosque alibi a me nominatos b) *Bernardus Desirant* Theologus Lovaniensis in Honorio vindicato, Aquisgrani 1611. 4. et *Franciscus Marchesius* in clypeo fortium, Rom. 1680. 4. sed Actorum Synodi fides satis firmo stare talo videbitut illis qui notata a Combefisio in historia Monotheletarum et in libro quinto instructionum Joannis Forbesii, expendere non gravabitur. In tomis Conciliorum Graece et Latine exstat Honorii *Epistola ad Sergium CPol. et* alterius fragmentum cum Sergii ad Honorium litteris, in Actis Synodi sestae, actione 12. et. 13. Deinde Latine in iisdem Conciliorum tomis, Epistola 1. *ad Isaacium Ravennatem exarcham* 2. *ad Episcopos Venetiae et Istriae*, 3. *ad Edmundum* Regem Nordanhumbrensium in Anglia 4. *ad HONORIUM* Dorovernensem sive Cantuariensem Episcopum, quas duas postremas epistolas ex Bedae II. 17. et 18. Hist. Anglorum etiam repetit Speelmaanus t. 1. Concilior. Angliae p. 138. sq. addito etiam p. 140. loco ex Epistola *ad Scotorum gentem* pro observatione Paschae et Pelagianae haereseos exstirpatione ex eodem Beda II. 19. Apud Labbeum et Coletum etiam sequuntur: 5. Epistola ad *Joannem, Andream Stephanum et Donatum* Episcopos per Epirum constitutos et 6. *ad Sergium Subdiaconum.* Epigramma ejus *in Apostolos adscensione CHristi obstupescentes* versibus elegis XXIV. in Georgii Fabricii notis ad Poetas Christianos p. 10. et in Bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi et Lvgd. tom. XII. pag. 214. *Epitaphium* decessoris ipsius *Bonifacii V.* versibus elegis XVII. servavit Gruterus in Corpore antiquarum Inscriptionum p. MCLXV. 10. unde habent Baronius ad Annum 625. num. 16. Paulus Aringhus in Roma subterranea tom. 1. pag. 164. et Papebrochius in conatu ad Catalogum Pontificum, sive propylaeo ad Acta Sanctorum Maji pag. 96. Integrius etiam Gvilelmus Fleetwood pag. 370. sylloges Veterum Inscriptionum. Denique Honorii ipsius Epitaphium. quale exstat Romae, versibus et ipsum elegis

c) MS Corbej. *inclinandam.*

a) Vide Sirmondi Opera t. 4. p. 680. sq. et quae notavi in Bibl. Graeca t. X. p. 102. et 204.

b) Ibid p. 205. sq.

XXIV. exhibet Ludovicus Jacobus Biblioth. Pontificiae pag. 110. post Gruterum. Baronium, Aringhum.

HONORIUS II. antea *Lambertus* de Fagnak, Bononiensis, ex Episcopo Ostiensi, Papa ab Anno 1124 Decembr. 16 ad Annum 1130 14. Febr. *plenus litteris a capite usque ad pedes*, ut legas in Chronico Casinensi lib. IV. cap. 83. In tomis Conciliorum Labbei, Harduini, Coleti, XII. exstant *Epistolae 1. ad Petrum Cluniacensem*, 2. *ad Tyrios* de pallio quo *Guilelmum* eorum Archiepiscopum donaverit: 3. *ad Guaremundum* Hierosol. Archiepiscopum. 4. *ad Regem Daniae*, Nicolaum ad quem mittit legatum Gregorium de Crescentio. 5. *ad Ludovicum VI. Francorum Regem.* 6. *ad Canonicos Turonenses.* 7. *ad Petrum Cluniacensem.* 8. *ad Joannem Presbyterum Cardinalem* legatum in Angliam 9. *ad Episcopos Angliae.* 10. *ad Regem Scotiae.* 11. *ad Episcopos Provinciae Turanensis* quam Ludovicus Jacobus vocat *Rescriptum pro Concilio Nannetensi.* 12 *ad Sugerium* Abbatem S. Dionysii. De gestis Honorii adversus *Rogerium* Siciliae Comitem, eiusque iterata in Concilio Troiano excommunicatione videndus Pagius ad Annum 1127. Ludovicus Jacobus autem *Leges* etiam *Ecclesiasticas* in illo Concilio publicatas ab Honorio memorat pag. 111 et *de Pace ad Romanos Epistolas duas.* Vide et Anecdota Edmundi Martene tom. 1. pag. 361 363.

HONORIUS III. antea *Centius Sabellus*, Romanus, post Innocentium III. Papa ab anno 1216 18. Jul. ad 1227. Martii 18. De eius scriptis referre placet, quae notavit Ludovicus Jacobus a S. Carolo pag. 112. additis meis observationibus.

Scripsit, inquit, I. *Sermones aliquot*, *S. Dominico Guzmanno*, *Ordinis Praedicatorum Patriarchae*, *dicatos. Alios legi MStos in Bibliotheca Cisterciensi*, *ad Clerum et Populum Romanorum*, *Conventui et Abbati Cistercii dicatos. Exstant una cum S. Richardi Cisterciensis Vita.*

II. *Vitam Caelestini III.* sub quo Camerarium Romanae Ecclesiae gesserat Diaconus Cardinalis S. Luciae in Orpheo.

III. *Censuum Romanae Ecclesiae praegrande Volumen, asservatur MS. in Biblioth. Vaticana.* In hoc, ut testatus est Onufrius, omnes reditus, vectigalia et census summa diligentia cum singulorum publicis instrumentis in unum redegit ac simul addidit librum vetustissimum ritualem, sive Cerimonialem in re Divina celebranda. Hunc librum Cerimonialem, sive Romanum Ordinem de consuetudinibus et observantiis presbyterio vel scholari et aliis Ecclesiae Romanae in praecipuis solemnitatibus inter alios Ordines Romanos quatuordecim vulgavit Johannes Mabillonius tom. 2. Musei Italici. Parisiis 1689 4. pag. 167 220. Acta Pontificalia de Gregorio VII. ex eodem libro Consuali vulgavit Papebrochius in Actis Sanctorum tom. 6 Maii 25 pag. 148 154.

IV. *Pro defensione libri Abbatis* Joachim *adversus Petrum Lombardum Epistolam ad Episcopum Lucaniae*, *cujus fragmentum* (imo Epistola integra) *reperitur in Apparatu sacro Possevini*, *v. Joachim.*

V. *Epistolas Decretales in Juris Canonici libros*, *quarum Registrum quinque Voluminibus compactum in Vaticano MSto asservatur.* Haec est quinta post GRATIANUM collectio Decretalium, quae Honorii III. habet constitutiones, a TANCREDO a) Bononionensi Archidiacono, collectas circa annum 1227 et sub Honorii publicatas nomine. Ejus interpres fuit JACOBUS *Albanus* Faventinus Episcopus, Henrici Ostiensis Praeceptor. Hanc quintam collectionem, quam Antonius Augustinus negat se potuisse reperire, luci dedit *Innocentius Cironius*, Cancellarius Tolosanae Academiae, Tolosae 1645 fol. idem cuius libros V. observationum Juris Canonici nuper recudi fecit Vir praeclarus Joannes Samuel Brunquell. Lipsiae 1726 4.

VI. *Quaedam* Epistolae *leguntur inter*

a) Priores quatuor ab Antonio Augustino Ilerdae 1576. et a Carolo Labbeo Parisiis 1610. fol. editae sunt: 1. *Bernardi Circa*, 2. *Johannis Vallensis*, 3. *Bernardi Compostellani*, ex Registris Innocentii III. et quarta constans ex Concilii Lateranensis An. 1215. capitibus et recentioribus Innocentii III. decretis. Vide Bibliothecam Graecam tomo. XI. 20. sq.

a) Confer Pagium Ad A. 1185. n. 2.

Epistolas Petri Blaesensis, et aliae apud diversos. Ex Registro Honorii plures Epistolae referuntur ab Odorico Raynaldo in Annalibus, et a Luca Waddingo in Annalibus Ordinis Minorum. Paucae etiam apud Mattheum Paris et in tomis Conciliorum, et apud Baronium, plurium quoque apud Bzovium argumenta: Epistolae V. ad Hispanos apud Aguirrium tom. 3. Concil. Hispan. pag. 488. Alia de Comitatu Flandriae apud Baluzium tom. 7. Miscell. pag. 254. et aliae tres tom. 2. ad Raymundum Rogerium, Comitem Fuxensem, pag. 252 ad Amalricum, Comitem Tolosanum, p. 254. et ad Ludovicum VIII. Francorum Regem, p. 255. Epistolae XIX. ad Reges Philippum et Ludovicum, in Andreae du Chesne script. rerum Francorum t. V. p. 851 861.

VII. *Decreta et Bullae apud Collectores.* ut apud Cherubinum tom. I. Bullarii pag. 90 seq. ubi Constitutiones VIII. atque inter alias Diploma Canonisationis *Laurentii* Dublinensis pag. 96 quod exstat etiam apud Bzovium ad annum 1226. *Guilelmi*, Bituricensis Archiepiscopi, apud Labbeum t. 2. Bibliothecae novae MSS. pag. 391 et *Roberti*, Abbatis Molismensis id. tom. 1 pag. 647. Bulla de instituendis Monachis Cisterciensibus in Monasterio Lavacensi, in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1405.

VIII. *Caeremoniale Cencii de Savellis alias Camerarii, exstat MS. Romae in Bibliotheca Barberina.* Hoc illud ipsum est, quod libro Censuum additum fuisse a Cencio, et a Mabillonio editum jam supra. 339. dixi.

IX. *Sub ejus nomine reperitur Index Romanorum Pontificum in Vaticano, teste eruditissimo Binio.*

HONORIUS IV. antea *Jacobus Sabellus*, Romanus, Papa ab anno 1285. April. 2 ad 1287. April. 3 Ex ejus *Epistolarum* Volumine, quod in Vaticana asservari notavit Lodovicus Jacobus pag. 113. paucae quaedam vulgatae in Bzovii, plures Raynaldi et Waddingi Annalibus. Ad Decretum *adversus Pseud-Apostolicos*, memoratum Raynaldo ad Annum 1286. num 36. respicit Nicolaus IV. in Epistola, quam idem offert Raynaldus ad annum 1290. num. 51.

HONORIUS Gallus, *Augustodunensis,* in Burgundia Presbyter et Scholasticus, circa annum 1300. *Solitarii* etiam nomine venit in veteri Codice Gemmae animae Ambrosiano, quem inspexit Mabillonius pag. 14. Itineris Italici, et in Gothano commentariorum in Cantica, de quo D. Salomon Ernestus Cyprianus in Catalogo MStorum Gothanorum pag. 101. nec non, teste Bernhardo Pezio, in codice Zwetlensi Clavis Physicae de naturis rerum, et alio Mellicensi utroque 500. annorum libri, cui titulum, *inevitabile*, Honorius imposuit. Quid quod *inclusi* venit nomine in editione Norimbergensi Imaginis Mundi An. 1491. Effigies ejus ex Veteri Codice librorum IV. de Philosophia Mundi, praemissa Diario Theologico Germanico *Unschuldige Nachrichten von Alten und Neuen Theologischen Sachen*, An. 1718. Catalogum scriptorum suorum sive ipse texuit, sive quod magis credo, amicus ejus subjecit libro quarto de luminaribus Ecclesiae capite ultimo, quem cum observationibus meis subjiciam, collatis etiam iis quae laudatus Pezius in dissertatione isagogica ad tomum secundum anecdotorum erudite observavit.

1. *Elucidarium* in tribus libellis, Primum *de CHristo*, secundum *de Ecclesia*, tertium *de futura vita* distinxit. Prodiit Promtuarium hoc sive Elucidarium sub Anselmi nomine Parisiis 1560. 8. atqe inter ANSELMI Cantuariensis opera, ut dixi supra tom 1. pag. 107. Alii GVIBERTUM a) Novigentinum, alii GUILELMUM Conventriensem Carmelitam, alî AUGUSTINUM ipsum voluere auctorem. Huic Elucidario An. 1393 *Elucidarium Elucidarii* opposuit Nicolaus EYMERICUS. Vide Jacobum Qvetif tom. 1 pag. 711. seq. Versionem Germanicam Elucidarii An. 1414. scriptam vidit Pezius in Bibliotheca Mellicensi.

2. Libellus *de Sancta Maria*, qui *Sigillum S. Mariae* intitulatur, expositio allegorica in Cantica Canticorum, in Bibliothecis Patrum Colon. tom. XII et Lugd. tom. XX pag. 1217. ex editione Colon. 1540. 8.

3. *De Praedestinatione et libero arbitrio*,

a) Diarium Eruditorum Italiae tomo XX. pag. 59.

qui *inevitabile* dicitur. Dialogum hunc edidit Georgius Cassander, Colon. 1552. 8. unde recusus in Cassandri operibus p. 623-639. atque inde ex Joannis Conen, in Cassandri manes injurii editione Antwerp. 1620. 1624. 8. in Bibliothecis Patrum. Paris. tom. IV Coloniensi tom. XII et in supplemento An. 1622. et Lugdunensi tom. XX pag. 1128.

4. Libellus *Sermonum* qui *Speculum Ecclesiae* nuncupatur. Prodiit edente Joanne Dietenbergio Coloniae 1531. 8. cum FELICIARII (ita vitiose expressum pro CAESARII) Sermonibus.

5. *De incontinentia Sacerdotum*, qui *Offendiculum* appellatur. Non exstat.

6. *Summa totius, de omnimoda historia.* Videri possit diversum ab hoc esse, pro eodem habitum a Possevino breve *de aetatibus Mundi Chronicon*, ab Orbe condito ad auctoris tempora, quod libri quinti locum occupat inter septem Honorii libros, editos Basileae 1544. 8. et cum Libro de temporibus (infra num. XII.) tertius liber est in imagine Mundi; edita Spirae 1583. 8. Iidem videntur quos in Bibliotheca Caesarea exstare testatur Lambecius II. pag. 3. et 70. Honorii *de mundo et temporum et rerum ad Conradum III.* sive Annum CHristi 1137. *successione libri III.* Certe nondum hactenus in lucem prolata est, quae ab Arnoldo Wion tom. 1 Ligni Vitae pag. 426. inter Honorii scripta memoratur *Summa Historiarum, sive Chronicorum, magnum opus, erat olim apud Lazium, sed nunc est in Bibliotheca Imperatoris, Viennae MS.* Haec est Chronica solennis laudata Theodorico Engelhusio, desinens in Lucio III. sive in A. 1181.

7. *Gemma animae. de Divinis Officiis*, de officio Missae, de ministris Ecclesiae, de horis Canonicis et totius anni solennitatibus et cerimoniis. Lips. 1514. 4. recusum in Speculo antiquae devotionis, Colon. 1549. fol. vulgato per Joannem Cochleum cum Amalario, Walafrido Strabone, Liturgia Basilii ex veteri versione, Expositione Missae, et scriptore vitae S. Bonifacii Martyris et Catalogo Episcoporum atque Archiepiscoporum Sedis Moguntinae. Deinde inter ejusdem argumenti scriptores Colon. 1568. Rom. 1590. Paris. 1610. fol. et in speculo Missae Venet. atque in Bibliothecis Patrum Colon. tom. XII. Lugd. tom. XX Citatur a Theodorico Engelhusio.

* Libellus *de Gemma animae* inscriptus extat apud me in MS. Codice veteri membranaceo, multisque variantibus lectionibus ab editis discrepat, quare non inanem operam daturum credo illum qui ad veteres MSS. Codices recensitum opusculum istud recuderet. Atque in primis animadvertisse iuvat in codice illo MS. inscribi opusculum illud non quidem ut in editis *Gemma animae* sed *Gemma Ecclesiae*. Tum in ipso priori operis capite additamenta quaedam occurrunt non spernenda, etenim post illud verbum *prodesse* additur in nostro. *Quatenus memoriam tui omnium orationibus jugiter liceat interesse* etc.

8. *Sacramentarium*, *de Sacramentis*; sive de causis et significatu Mystico rituum Divini in Ecclesia Officii, quod Honorius profitetur *se collegisse ex Sanctorum scriptis, ut quibus deest librorum copia, per hoc compendium illorum sublevetur inopia.* Primus edidit Vir celeber. Pez tom. 2 anecdotor. p. 249-345.

9. *Neocosmus de primis sex diebus.* Hoc est *Hexameron* quod ab eodem Pezio vulgatum habemus tom. 2. anecd. p. 71. 88.

10. *Eucharisticon de corpore et sanguine Domini*, sive *Eucharistion*, quod interpretatur *bona Gratia*: idem laudatus Pezius edidit tom. 2. anecdotor. pag. 349 362.

11. *Cognitio vitae de DEO* et *aeterna Vita*, Exstat in appendice Operum S. AUGUSTINI edit. Benedictin. tom. VI edit. Amst. pag. 649. Sub Augustini nomine de S. Trinitate ex libr περὶ τῆς γνώσεως ἀληθοῦς ζωῆς occurrit ex hoc libro fragmentum Graece cum Latina versione editum Basil. 1578 8 a Joanne Leunclavio post Legationem Manuelis Comneni ad Armenios p. 584 599.

12. *Imago Mundi de dispositione Orbis.* Prodiit in duos divisa libros 1 de globo totius Mundi, et 2. de temporibus, mathesis sive institutio primus inter libros septem Basil. 1544. 8 sed jam ante cum libro se-

cundo de temporum differentia et tertio de rerum successione usque ad Annum CHristi 1137 prodiit sub nascentis typographiae initia sine loco et anno a) in fol. et Norimb. 1491 fol. Basil. 1497 4. et Spirae 1583 8. et sub ANSELMI nomine Basil. 1497 4. et in Bibliothecis Patrum Colon. tom. XII et Lugd. tom. XX. pag. 964.

13. *Summa gloria de Apostolico et Augusto*, sive de praecellentia Sacerdotii prae Regno, in Bernhardi Pezii tom. 2 anecdotor. pag. 179 198.

14. *Scala Coeli de gradibus visionum.* Scala maior, Dialogus de ordine cognoscendi DEum in Creaturis per gradum triplicem, corporalem, spiritualem et intellectualem. In Bernh. Pezii anecdotis tom. 2. pag. 157 170 et Scala minor de gradibus sive virtutibus Charitatis. id. p. 173 176.

15. *De anima et de DEO quaedam de Augustino excerpta, sub dialogo exarata.* Hoc in Codice Mellicensi serius repertum, deinceps publicaturum se laudatus Pezius recepit, qui notat ex uno hocce scripto duo fecisse Trithemium cap. 357 unum *de anima*, et alterum, *dialogum ex opusculis Augustini.*

16. *Expositio totius Psalterii cum Canticis, miro modo*: b) ad Cunonem Abbatem Ex hac Praefationem cum expositione Psalmi X. L. LI. C. CI. CL. edidit Pezius tom. 2. anecdotor. pag. 97. 154 ubi notat Honorium finito Psalterio exposuisse etiam quae *in laudibus* quotidie dicuntur, uti et Cantica: *Benedictus, Magnificat. Nunc dimittis, Orationem Dominicam* et *Symbolum Apostolorum.* In praefatione Honorius ait *Psalterinm se Gallicum, non Romanum* explanaturum: *quia in nostris Ecclesiis psallimus. Est autem Gallicum Psalterium, quod a LXX. Interpretibus* c) *est translatum: Romanum autem quod a Symmacho vel nescio a quo alio est interpretatum.*

a) Vide Indicem librorum Seculo XV. impressorum quos possidet V.C. Christianus Gottlieb. Schwartzius Norimb. 1727. 8. p. 68. seq.

b) Haec non videtur ipse de se Honorius, sed alius quidam scripsisse ex ejus amicis.

c) *A LXX. interpretibus* Intellige ac si esset *ex LXX. Interpretibus* Sic mox *a Symmaco*, pro *ex Symmacho* versum Latine.

17. *Cantica Canticorum exposuit ita ut prius exposita non videantur.* Commentarium hunc primus edidit Andreas Schottus in Bibliotheca Patrum, Colon. 1618. recusum in aliis editionibus ut Lugd. t. XX. pag. 1153. 1217. Prologus brevis vulgatus ab Edmundo Martene t. 1 anecd. p. 363. seq.

18. *Evangelia quae B. Gregorius non exposuit.* Nusquam exstat.

19. *Clavis Physicae de naturis rerum*, excerptus de quinque libris cujusdam Chrysostomi. Incipit: *Cum multos mente intuear.* Opus hoc diversum a quatuor libris de Mundi Philosophia, editurum se pollicitus est clarissimus Pezius.

20. *Refectio mentium* a) *de festis Domini et Sanctorum.* Non exstat.

21. *Pabulum Vitae, de praecipuis festis.* Non exstat.

22. *Liber de luminaribus Ecclesiae*, in quatuor libellos distributus, quorum *primum* ex Hieronymo, ex Gennadio *secundum, tertium* ex Isidoro contraxit Honorius, *quartum* vel ipse addidit vel ex Beda aliisque collegit. Hic sextus est inter libros septem, editos Basil. 1544 8. Deinde cum Hieronymo, Gennadio, Isidoro, Sigeberto et Henrico Gandavensi, curante Suffrido Petri Colon. 1580. 8. et in Auberti Miraei Bibliotheca Ecclesiastica Antw. 1639 quam cum auctario recudendam dedi Hamb. 1718. fol. Denique in Bibliothecis Patrum.

Praeter haec Honorio ipsi, vel ejus amico memorata, referre deinceps juvat et haec edita quidem.

De Philosophia Mundi libros IV. qui locum tertii occupant in septem libris Honorii editis Basil. 1544 8. recusi etiam in Bibliothecis Patrum.

De Solis affectibus, inter eosdem septem liber quartus pag. 277. Basil. 1544 8. et in Patrum Bibliothecis.

De Haeresibus librum in eadem Basileensi sylloge septimus, et in Bibliothecis Patrum, et Helmstadii 1611 4. cum Harmenopuli, Graeci scriptoris Catalogo haeresium et Fidei professione, Latine,

De decem plagis Ægypti, spiritualiter.

d) Vitiose *mensium* excusum apud Trithemium cap. 357.

Edidit Bernardus Pez tom. 2. Anecdotorum pag. 91 94.

Librum XII. Quaestionum ad Thomam. ibid. pag. 201 212 ubi inter alia capite VI. pag. 208 legas haec verba : *Quantum Ordo Seraphim praecellit dignitate Ordinem Archangelorum*, *tantum praecellit Petrus*, *Princeps Apostolorum, unum de Ordine Archangelorum.*

Librum VIII. Quaestionum de Angelo et Homine. ibid. pag. 215-224.

Libellum de animae exilio et patria, alio titulo *de artibus*, quas sub decem Civitatum describit imagine, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia, Physica, Mechanica, Oeconomica. ibid. pag. 227. 234.

Libellum de libero arbitrio, ad Gotschalcum (longe diversum ab altero ejusdem argumenti de quo supra num. 3.) ibid. p. 237-246. Afferuntur loca ex Ambrosio, Anselmo, Augustino, Fulgentio, Gregorio Magno, Joanne Chrysostomo, Isidoro et Petro (Damiani).

Quaestiones et ad easdem Responsiones in duos Salomonis libros, *Proverbia et Ecclesiasten* Colon. 1540. 8. atque in Patrum Bibliothecis.

Seriem Romanorum Pontificum, quorum amplius XXX. Martyrio sunt coronati. Occurrit in iisdem Bibliothecis Patrum, ut tom. XX. Lugd. pag. 1026. 1027.

Nusquam exstant *liber Epistolarum ad diversos* cujus meminit Trithemius: neque *suum quid virtutis*, *de virtutibus et vitiis*, quod apud Pezium nominatur inter libros Honorii quos frater Henricus olim Gotwicensi contulit Ecclesiae, sed temporum injuriae abstulerunt.

Videtur nescio quod opus quoddam suum notare Honorius ante prologum in Gemmam Animae ita scribens (t. 20. Bibliothecae Patrum Lugd. pag. 1046.) *Postquam CHristo favente, pelagus Scripturae prospero cursu in summa totius transcurri, atque naufragosam cymbam per syrtes et piratas multo sudore evectam vix ad optatum littus appuli, rursus habitatores Sion me in fluctus cogitationum intruditis* etc.

Ad *Glossulas* suas *super Platonem* remittit lectorem lib. 1. de Philosophia Mundi cap. 15 id. pag. 999.

HONORIUS Anglus, Monachus Ordinis Benedictini circa Annum 1090 de quo Trithemius II. 108. illustr. Benedict. et Arnoldus Wion Ligni Vitae pag. 426 qui illi tribuunt librum Questionum et Responsionum diversarum et Epistolas multas ad compunctionem utiles. Pro amore CHristi *inclusum* appellant, qua nuncupatione etiam Honorium Augustodunensem venisse supra p. 258. notare me memini. Alius Honorius Camber circa Annum 560 de quo Baleus X. 6. et Pitseus pag. 864.

Venantius HONORIUS *Clementius Fortunatus.* Supra, FORTUNATUS t. 2, p. 585.

HONORIUS *Scholasticus* et *Solitarius*, idem cum Augustodunensi, de quo supra. Sed fuit quoque alius HONORIUS *Scholasticus* antiquior, cujus carmen elegiacum versibus XXVIII. ad Jordanem Ravennensem, seculo medio sexto Episcopum, edidit Mabillonius tom. 1. analect. pag. 364. (editionis novae pag. 387.) Jordanes ille ad Honorium velut Lucilium scripserat Senecae nomine hortatorias litteras, quibus ei auctor fuerat saeculum relinquere, et monasticam vitam amplecti.

HORATIUS *Romanus*, Poeta, Nicolao V. circa Annum 1450. *Homerum* heroico carmine Latinum fieri cupienti, *multis morem ei genere conatis unus satisfecit*, et teste Æenea Sylvio a) *scribatum Apostolicum ea de re consecutus, magnisque pollicitationibus illectus Iliadem aggressus nonnullos ex ea libros Latinos fecit*, *dignos quos nostra miraretur*, *prisca non improbasset aetas.* De altero ejus poemate, quod libris duobus condidit, inscripsitque *Porcariam* de conspiratione Stephani Porcii, adeundus Vossius pag. 584 illique addendum Diarium Eruditorum Italiae tom. XII. pag. 352. et tom. XIII. pag. 405 seq.

S. HORMISDA Frusinas ex Campania, Episcopus Romanus post Symmachum ab anno 514. Julii 20 ad 523. Memoria ejus recolitur 6 Augusti. *Epistolarum* Volumen MS. in Vaticana, teste Ludovico Jacobo,

a) Hist. de Europa pag. 459. operum.

asservatur. Ex his *Epistolae LXXX.* exstant in Conciliorum tomis, quas recensui t. XI. Bibliothecae Graecae pag. 422. Epistolas quinque ad Hispanos cum notis exhibet Aguirrius tom. 2. Concil. Hispan. pag. 246 sicut ternas ad Gallos Sirmondus tom. 1. Concil. Galliae pag. 188 190 191. Epistola ad Clericos secundae Syriae, Trithemio memorata legitur cum Graeca versione in Actis Concilii Constantinopolitani sub Mena An. 536 habiti, actione quinta: ubi etiam Epistola ad Epiphanium CPol. De ejus gestis in Concilio Romano consulendus Baronius ad annum 518 et 519. *Decretum de libris Apocryphis* conceptum primum a Damaso, deinde a Gelasio atque ab Hormisda quoque confirmatum, auctumque est unde Hormisdae etiam in quibusdam Codicibus tribuitur, de quo dixi supra pag. 28. Alia ejus decreta apud Ivonem, Burchardum, Isidorum, et ex quibus relata etiam sunt in Conciliorum tomos, Gratianum.

HOSTILIUS ex cujus primo Annalium Priscianus Grammaticus libro VI. p. 719. affert hunc versum:

Saepe greges pecuum ex hibernis pastubu pu'si.

Antiquior est, ut videtur, quam ut a me referri inter hos scriptores debeat, perinde ut HOSTILIUS Philosophus, quem in Insulam relegavit Titus Imperator, teste Xiphilino pag. 751. aut HOSTILIUS, sub cuius nomine Epistola ad Q. Curtium legitur II. 17. inter Epistolas commentitias Curtii, vel HOSTILIUS Comicus aut mimorum scriptor, cuius meminit Tertullianus in Apologetico cap. 15. Videndum tamen sitne cum Hostilio, qui apud Priscianum laudatur, idem HOSTIUS, ex cuius libro secundo belli Histrici Macrobius VI. 3 affert versus:

. . . . non si mihi linguae
Centum atque ora sient totidem, vocesque liquatae.

ubi eum antiquiorem docet esse Virgilio, Virgiliumque ait eius imitatione dixisse:

Non mihi si linguae centum sint, oraque centum.

Ex eodem libro secundo Hostii idem Macrobius VI. 5.

Dia Minerva simul cunctis invictus Apollo
Arquitenens Latonius.

Idem Hostii opus laudatur a Festo in *scaevam* et in *tesca*, et a Servio in Æneid. XII 121. ut Vossio iam notatum, qui Hostium illum patrem facit Cyntiae, hoc est, ut ex apologia Apuleii constat *Hostiae*, sive uti Codices quidam legunt *Hostiliae*, quam Propertius Poeta amavit. Sed si idem fuit Hostius avum vocat Propertius in duobus locis, lib. 2. X. 10. et lib. 3. XVIII. 8. *Splendidaque a docto fama refulget avo.*

Rogerius de HOVEDEN, oppido in provincia Eboracensi, Anglus, inter domesticos Henrici II. Anglorum Regis: post ipsum An. 1189 extinctum omne studium ad scribendam Historiam contulit, scripsitque, Simeonis Dunelmensis a) exemplo, *Annales rerum Anglicarum* inde ubi desinit Beda, h. e. ab Anno CHristi 731 usque ad 1204. sive annum quintum Regis Johannis, *libris duobus*. Prodierunt inter scriptores, Henrico Savilio curante, editos Londini 1596. et Francofurti Wechelianis typis, 1601 fol. Excerpta quaedam ex his Annalibus apud Leibnitium tom. 1. scriptorum Brunsvicensium pag. 876. 880. cum notis. Lelando cap. 203 judice si fidei, quae prima pars historiae est, plusculum elegantiae Romanae adjunxisset, facile palmarium obtinuisset. A diligentia commendant, praeter eundem Lelandum et Seldenum, Polydorus Virgilius apud Bzovium ad Annum 1198. num. 31. et Savilius, cui Henricus Huntingtoniensis et Hovedenus sunt *auctores cumprimis boni et diligentes verissimique superiorum temporum indices*, et Guil. Nicolsonus in Bibliotheca historicorum Angliae pag. 60. Quae autem praeterea memorant Baleus III. 55 et Pitseus pag. 272. *Historiam Regum Northumbriae* et *Commentarios Juris, Nugarumque juvenilium et poëmatum*, nemo hactenus in lucem protulit. Per *Vitam Thomae Becketi*, Archiepiscopi Cantuariensis, quam ab eo scriptam Vossius pag. 450 annotat, fortasse signantur ea, quae in Annalibus de hoc Thoma Hovedenus prodidit. In Catalogo MSS. Bibliothecae Cottoniopae p. 75. *Epitome Historiae Rogeri Hoveduni ita inscribitur: Proprie est compendium histo-*

a) Plagii tamen notam, qua Hovedenum adspersit Lelandus, ab eo removet Seldenus in limine praef. ad X. scriptores, Lond. 1652. fol.

riae Regum Scotiae a Rege Ewain, qui obiit A.721. Hic passim vitae et gesta illorum continentur in epigrammatibus, versus finem interspersis rebus Anglicanis ad An. 1270.

Johannis HOVEDENI rhythmicum carmen, cui titulus *Philomela*, laudat Lelandus cap. 203.

HRODPERTUS, infra, RUPERTUS.

HROSWITHA a) sive *Hruodswid*, *Roswida*, *Roswitis* illustris virgo sanctimonialis b) ex gente Saxonica, in Coenobio Gandersheimensi Ord. Bened. c) non confundenda cum Hilda *Roreswitha* d) sive *Haresvida* Angla, ejusve sorore de qua Beda III. 33. neque cum *Hroswitha*, quarta Abbatissa Gandersheimensi de qua Henricus Bodo apud Meibomium tom. 2, p. 391 quibus utrisque Junior, jussu Otthonis secundi Imp. qui ab Anno 974 ad 884 imperitavit, panegyrin Ottonum profitetur se scripsisse, quam Canonissa ipsa dedicavit Gerbergae sive Garburgi Abbatissae septimae Gandersheimensi, Ottonis I. nepti, cui etiam nuncupavit Carmen de historia intemeratae Dei genitricis Scripsit carmine hexametro leonino *de primordiis et fundatoribus Coenobii Gandersheimensis*, quod post Leibnitzium, Leuckfeldumque emendatius superiore anno vulgavit V. C. Joannes Christophorus Harembergius ut dixi supra pag. 49. Caeterae ejus lucubrationes junctim editae a Conrado Celtet e) Norimb. 1501. 4. atque ex recensione Henrici Leonhardi Schurzfleischii a) Witebergae 1707 4. hoc ordine:

Comoediae sex, in aemulationem Terentii at soluto sermone scriptae, *I. Gallicanus*, de conversione Gallicani Principis et sub Juliano exulis ac martyris. *II. Dulcitius*, de passione Agapes Chioniae et Irenae, SS. Virginum sub Diocletiano. *III. Callimachius* de resuscitatione Callimachi et Drusianae per S. Johannem: *IV. Abraham* de lapsu et conversione Mariae, neptis Abrahae eremitae. *V. Paphnutius* de conversione Thaidae meretricis. et VI. de passione sanctarum Virginum, *Fidei, Spei et Charitatis.*

Historia Nativitatis laudabilisque conversationis intactae Dei Genitricis, quam ait scriptam se reperiisse *sub nomine S. JACOBI Fratris Domini*, illud nempe scriptum innuens, quod in Codice Apocrypho Novi Testamenti a me exhibetur *S. Jacobi Protevangelium.* Hanc historiam carmine scriptam hexametro Rhoswita Gerbergae Abbatissae dedicavit praemissis elegis, quorum initium: *Salve Regalis proles clarissima stirpis Gerbirg.*

Historia adscensionis Domini, itidem Carmine hexametro. *Hanc*, inquit, *narrationem JOHANNES Episcopus e Graeco in Latinum transtulit.* Historiam Resurrectionis Dominicae vocat Henricus Bodo apud Meibomius tom. 1, pag. 494. minus recte.

Passio S. Gangolfi, Martyris, elegis versibus.

De hoc Gangolfo Martyre Varennis in Burgundia circa Annum 760 consulenda Acta Sanctorum t. 2. Maji XI. p. 642 seq.

Historia et Passio S. Pelagii, Martyris a Mauris interfecti Cordubae An. 925. Haec carmine descripta hexametro emendatior legitur t. V Act. Sanctorum Junii 26. p. 209.

Lapsus et Conversio Theophili Vicedomini, leonino carmine hexametro. Hic Archidiaconus sive Oeconomus Ecclesiae Adanae non in Sicilia sed in Cilicia circa Annum 538. De hoc Theophilo poenitente vide Acta Sanctorum tom. 1. Februar. 4. pag. 480 seq.

a) Litteram sive aspirationem H non modo ante R. sed etiam ante alias literas poni illa aetate pervulgatum. Ita non modo *Hruadunus*, *Hrannungeromarca* apud Meibomium tom. 3. pag. 104. *Hroadolfus* pro *Rudulfo*, *et Hranfrid*, *Hrotold*, *Hruoadbert*, *Hruoadgaer*, *Hruadigart* et similia, quae ex Goldasti Alemannicis notavit Joannes Michael Heineccius in syntagmate de sigilliis pag. 85. sed etiam *HCarolus*, *HCarolomannus* et multa talia apud Leonem Ostiensem Chronici Casinensis lib. 1. c. 7. 12. 15. etc. Sic. *Hlotharius*, *Hludovicus* etc.

b) Henricus Bodo apud Meibomium tom. 2. pag. 493. Trithem. de S. E. cap. 391. et de illustr. German. c. 27.

c) Trithemius Annal. Hirshaug. pag. 36.

d) H. Leonard. Schurzfleisch. praef. ad Roswitham. D. Joannes Fabricius, Helmst. tom. 3. Bibl. suae. p. 19.

e) Nic. Hieron. Gundling. Observat select. t. 1. p. 15.

f) Nova litt. Hamb. An. 1707 p. 577.

Historia de conversione desperati adolescentis servi Proterii, *per S. Basilium* ad Gerbergam Abbatissam suam. Carmine leonino hexametro: et carmine simili *de passione S. Dionysii Martyris*, nec non *Historia passionis S. Agnetis* Virginis et Martyris, de qua Acta Sanctorum tom. 2. Januar. p. 350. seq. sicut de S. Dionysio Surius IX. Octobr.

Panegyris Ottonum ad Gerbergam Abbatissam de gestis Othonis I. usque ad Annum 967 itidem carmine hexametro leonino, quod et Justus Reuberus cum triplici Roswithae praefatione scriptoribus rerum Germanicarum p.161 inseruit: hinc cum Wittechindi Annalibus edidit etiam Henricus Meibomius Francof. 1621. 4. et notis illustravit, cum quibus legitur quoque tomo primo scriptorum Henrici Meibomii nepotis pag. 709 atque in scriptorum Roswithae editione Schurzfleischiana. Ambo effigiem Roswithae praemiserunt, quae descripta aere occurrit etiam in Diario Theologico a) An. 1732 post pag. 678. Fallitur Morlierius scriptor Gallus libri, Essais de litterature tom. 1, pag. 58. qui Roswidae, tres libros de rebus gestis Othonum adscribit, commentariis Meibomii illustratos.

Praeter haec a Celte et Schurzfleischio edita Roswithae tribuntur ab Oudino, sed quae antiquiorem Sanctimonialem Gandersheimensem et Willibaldo ac Wunibaldo supparem, a sorore tamen eorum WALBURGI diversam auctorem habent, soluto scriptae sermone: *Vita* sive *hodoeporicon Willibaldi* ab Anno 740 Aichstadiensis Episcopi: et *Vita* fratris ejus *Wunibaldi* Abbatis et Confessoris, quae edita est in Canisii antiquis Lectionibus tom. IV parte 2. pag. 481. et 516. (editionis novae Basnagianae tom. 2 pag. 105. et 125.) et apud Surium 7. Jul. et 10. Decembr. edit. Anni 1618. Hodoeporicon illud etiam cum notis Joannis Baptistae Sollerii in Actis Sanctorum tom. 2 Julii VII. p. 500. Utraque cum notis Mabillonii in ejus Actis Sanctorum Ord. Benedictini Sec. III. parte 2. pag. 176. et 395.

a) Fortgesetzte Sammlung von Alten und Neuen Theologischen sachen.

Non exstant quae Roswitae a Trithemio tribuuntur *liber epigrammatum et Epistolae* si alias intellexit ab iis quae scriptis ejus editis praefixae leguntur. Neque lucem viderunt *vitae Pontificum Anastasii I. et Innocentii I.* quas eodem genere metrorum poëmati suo de fundatione Coenobii Gandersheimensis Roswitham praemisisse scribit Henricus Bodo apud Meibomium tom. 1 pag. 494. qui etiam memorat ejus *Adhortationem ad Virgines sacras*, Latino sermone, de castitate colenda atque continentia.

HUBALDUS, infra, HUCBALDUS.

HUBERTINUS sive HUBERTUS *de Casali.* Vide supra, CASALI tom. 1 p. 327.

HUBERTINUS de Albizzis, Jacobo Quetif tom 1 pag. 738. *Humbertus de Albitiis Florentinus* Ord. Praed. Episcopus ab Anno 1426. ad 1434. Pistoriensis cujus *super Metaphysicam* Commentarios laudat Antoninus Florentinus summae historicae tit. 23. cap. XI. § 2. tom. 3 p. 981. Praeterea ejus *librum contra Schisma* ante electionem Martini V. factam An. 1417. in Concilio Constantiensi, et *Quaestiones Theologicas* memorat Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum p. 518.

HUBERTUS sive *Huvetbertus* Abbas Anglus, cujus Epistolam ad Gregorium II. qua Ceolfridum ei commendavit, memorat Beda. Vide Lelandum c. 83.

HUBERTUS *de Bobio* sive *de Bovio* qui Parmae in Patria et deinde Vercellis docuit, JCtus celebris Seculo XII. cujus *Quaestiones* ac *Determinationes* laudat Trithemius cap. 437. nec non librum *de ordine Judiciorum*, sive de summariis judiciis: eundem nempe qui *Patria potestas* inscribitur, ut docet Guidus Pancirollus II. 30. de interpretibus Juris, ubi ejusdem *positiones* An. 1227. scriptas memorat, notatque Hubertum hunc tantae auctoritatis fuisse, ut de Regis Gallorum tutela consultus, eam Blancae Ludovici IX. Matri integram servaverit.

* De scriptore hoc juvat ea huc transferre, quae annotavit Jo. Andreas Baldi ad proemium speculatoris. Ita vero ille: *Ubertus de Bobio*, *cuius opus incipit*: *quia pietas paterni nominis etc. et inchoat ab ad-*

vocatis; fecit opus ita confusum, quod particulariter difficiliter allegatur. . . . Jo. de Deo reformare volens libellum Uberti de Bobio confusum, ut dixi, illum ampliavit ordinavit et in septem libros divisit, et illi nomen cavillationem imposuit, et incipit honore summae Trinitatis. Inchoat autem, sicut Ubertus ab Advocatis, de quibus est totus primus liber etc.

HUBERTUS *de Bonacurso* sive Bonacursius de Urbe, Romanus JCtus sub Seculi duodecimi exitum et initia decimi tertii, sive ipse scripsit, sive a BAGAROTTO compositum a) in manus hominum dedit librum *de praeludiis causarum* qui incipit: *Cum de mandato Imperiali.* Praeterea *de judiciis* quaedam scripsisse notat Trithemius cap. 440.

HUBERTUS Cardinalis, infra HUMBERTUS.

HUBERTUS sive *Hubertinus de Casali*, supra CASALI. tom. 1. pag. 327.

HUBERTUS *Gualterus*, supra GUALTERUS pag. 109.

HUBERTUS post An. 1047. scriptor *Vitae S. Gudilae* Virginis Bruxellis in Brabantia circa A. 712. clarae. Exstat in Actis Sanctorum 8. Januar. tom. 1. pag. 514-523. Dicavit eam Alberto incertum an Abbati Gemblacensi de quo dicere me memini tom. 1 pag. 41.

HUBERTUS *Leonhardus*, aliis teste Alegrio b) *Bernardus*, Belga, Ord. Carmelitici Scholae Theologicae apud Parisienses c) Moderator, deinde Episcopus Dariensis, Suffraganeus Leodiensis d) et haereticae pravitatis apud Leodiensis Inquisitor, circa Annum 1490. e) Scripsit *in Evangelium Lucae. De regimine Principum. De immunitate Ecclesiastica.* Opus propositionum XXVII. *contra haereticos Nivellenses* (ita dictos ab opido Belgii Nivigella sive Nivaii:) *De genealogia nobilium Francorum et gestis eorum* ad Ludovicum Episcopum Leodiensem, praeterea *Sermones*, *Quadragesimale.* Etiam *in IV. libros Sententiarum* scripsisse addit Possevinus.

a) Vide Pancirollum II. 24. de Legum interpretibus.

b) Alegre p. 368. paradis. Carmelitici decoris.

c) Sixtus Senens. lib. IV. Bibl. S. p. 311.

d) Jacobus le Long. p. 826. Biblioth. Biblicae exegeticae.

e) Trithemius c. 902. Possevinus, Valerius Andreas. Sweertius etc.

Magister HUBERTUS. sive *Humbertus de Romanis, Umbertus, Imbertus* Ord. Praed. Magister, defunctus An. 1277. De eo haec Antoninus Florentinus summae hist. tit. 23. cap. 12. t. 3. pag. 684. *Quintus* Magister *fuit frater Hubertus, dioecesis Viennensis prope Valentiam Hic cum Parisiis studeret, Magister effectus est in Artibus. Et jus postea Canonicum audiens Ordinem intravit, et magistrum suum, Magistrum HUGONEM, qui postea fuit Cardinalis, ad Ordinem traxit. Hic in Ordine fuit Lector Lugdunensis, et Prior: deinde Provincialis Tusciae, et postea Franciae, Religionis fuit speculum, vir discretus cautus et litteratus, qui compilavit* officium Ecclesiasticum a) *quo ordo utitur, et plures edidit.* Id. p. 682. *Plures libros scripsit circa vitam religiosam valde utiles. Et primo exposuit de verbo ad verbum* Regulam B. Augustini b) *in magno Volumine, Librum quoque* de Officiis Ordinis Praedicatorum: *Librum etiam ad faciendum* Collationes breves ad omnes status, *et omnem paene actum solennem: et librum* de Vita fratrum. His ex Jacobo Quetif t. 1 pag. 145. seq. adde *expositionem super Constitutiones Ordinis Praed.* Librum *de instructione officialium Ord. Praed. De eruditione Praedicatorum Crucis contra Saracenos. Vitam S. Dominici. Epistolas encyclicas ad universum Ordinem. De his quae tractanda in Concilio Lugd. A. 1274. Chronicon Ordinis ab Anno 1203. ad 1254.* Epistola *de tribus votis. De septem gradibus contemplationis. De abundantia exemplorum* ex *STEPHANI de Borbone* magno libro de septem donis Spiritus S. *De ve-*

a) Libris quatuordecim: 1) Ordinario, 2) Martyrologio, 3) Collectario, 4) Processionario, 5) Psalterio, 6) Breviario, 7) Lectionario, 8) Antiphonario, 9) Graduali, 10) Pulpitario, 11) Missali Conventuali, 12. Epistolario, 13) Evangelistario et. 14) Missali minorum Altarium, Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 143. sq.

b) Duplicem, alteram pro viris, pro mulieribus alteram.

ris falsisque virtutibus. In Bibl. Patrum Lugd. t. XXV. p. 421. legitur Humberti de Romanis vita scripta a *Francisco Diago* Ord. Praed. et deinde p. 424. sequuntur Humberti *libri duo de eruditione Praedicatorum ac de modo procudendi sermonem* a) *Epositio Regulae S. Augustini* partes X. pag. 567. *Epistola de tribus votis substantialibus Religionis* pag. 653. *Speculum Religiosorum* seu *Institutionum vitae spiritualis libri sex* pag. 665-753. sed quos GVILELMUM *Peraltum* potius (de quo supra p. 151) habere auctorem notavit Jacobus Quetif. t. 1 p. 134. et t. 2 p. 273.

Humberti jussu a *Gerardo de* FRACHETO scriptas esse constat *Vitas Fratrum Ord. Praed.* De eo supra tom. 2. p. 588.

Liber Sermonum de fraternitate Rosarii B. Virginis praeter rem Humberto ab Altamura, Coppensteinii fide tribuitur, cum nulla fuerit ejusmodi fraternitas ante ALANUM *de Rupe*, de quo tom. 1. p. 36.

* Ad hunc ipsum Humbertum pertinere credo librum *De septemplici timore*, quem laudat discipulus seu Joannes Herlot serm. 134 his verbis. *Narrat Magister* Humbertus in tract. de septemplici timore etc. Ex libello Humberti *de iis quae tractanda erant in Concilio Lugdunensi* excerpta quaedam edidit P. Martene Vet. Mon. t. VII. ex quo ego in supplem. Concilior. ad Lugdunense II Concilium generale. t. III pag. 3.

HUCARIUS Cornubiensis Anglus, Levita sive Diaconus in Cornugallia circa Annum 1040. Laudatur a Lelando cap. 131. Baleo II. 47. et Pitseo pag. 184. qui praeter *homilias centum et decem* ajunt eum *Excerptiones* b) quasdam tanquam flores carpsisse ex ECBERTI *Ecclesiasticis Constitutionibus*, de quibus dictum supra tom. 2. pag. 489.

a) Hoc est opus quod sine nomine auctoris Boniae in Bibliotheca Salvatoris evolvit Mabillonius pag. 197. itineris Italici, ut notatum Vignolio Marvillio tom. 1. miscellan. Histor. pag. 216. Neque ab eo, distincti *Sermones ducenti pro omni materia*, quos memorat Caveus ad Annum 1254.

b) Ita legendum apud Baeleum, non *exceptiones*.

HUCBALDUS, *Hugbaldus*, *Hubaldus*, *Huabaldus* Monachus S. Amandi Elnonensis in Hannonia ad fluvium Elnonem in dioecesi Tornacensi Ord. Bened. a) *vir disciplinis sophicis nobiliter eruditus* quem Fulco Archiepiscopus Remensis Remos accersivit, Ecclesiamque Remensem per eum praeclaris illustravit doctrinis, ut testatur Flodoardus IV. 9. hist Ecclesiae Rem. Scripsit teste Sigeberto c. 107. *Vitas multorum Sanctorum*, quod etiam confirmatur hoc ejus epitaphio quod defuncto An. 930. (non 937. ut Bulaeus, Cangius et Leyserus) ei in Coenobio S. Amandi positum b) ita se habet.

Dormit in hac tumba simplex sine felle columba,
Doctor, flos, et honos tam Cleri, quam Monachorum,
Hucbaldus, famam cujus per climata Mundi
Edita Sanctorum modulamina, gestaque clamant.
Hic *Cirici* c) membra pretiosa reperta Nivernis,
Nostris invexit oris, scripsitque triumphum.

Vitam S. Aldegundis Virginis Abbatissae et fundatricis Malbodiensis in Hannonia post Surium 30. Januar. exhibent emendatiorem Mabillonius Sec. II. Benedictin. pag. 710 et Acta Sanctorum tom. 2. Januar p. 1040 1047. *Vitam S. Lebuini*, Patroni Daventriae, ad Albricum sive Baldricum Episcopum Ultrajectensem, idem Surius 12. Novembr. et *Vitam S. Rictrudis* Abbatissae Marchianensis in Gallo Flandria, ad Stephanum Episcopum Cameracensem (non Eboracensem ut Voss. pag. 324.) Surius ad 12. Maji, et Acta Sanctorum tom. 2. Maji pag. 81 89 et Mabillonius Sec. II. Benedictin. pag. 937. Scripsit idem *vitam S. Madelbertae* Abbatissae Malbodiensis, quae MSta legitur in Coenobio S. Gisleni in Hannonia, teste Valerio Andrea pag. 395. et Aub. Miraeo in notis ad Sigebertum: et *Historiam S. Ciliniae*, matris B. Remigii, Francorum Apostoli, *nec non Officium* atque *cantum* de eadem. *Vitam* quoque *S. Brigi-*

a) Trithemius cap. 284. de S. et illustr. Bened. II. 49.

b) Valerius Andreas pag. 305. Franc. Swertius pag. 351. Athen. Belgic. Bulaeus tom. 1. hist Academ. Paris. p. 607. Vossius pag. 325.

c) *S. Quirici*, confer Acta Sanctorum tom. 3. Junii 16. ubi de Hucbaldo p. 36.

dae, MS. in Monasterio Elnonensi ad S. Amandum, teste eodem Valerio et Sandero in Bibliotheca MStorum Belgii p. 55. Ejus versus, quibus Patrui ac Magistri sui MILONIS carmina de laude parcitatis mittit ad Carolum Calvum Imp. editi ab Edmundo Martene tom. 1. anecdotor. pag. 45. seq. Scripsit etiam teste Sigeberto, ad eundem Imperatorem *librum trecentorum versuum* non (*carminum* ut calami errore Caveus ad Annum 916.) *in laudem Calvorum*, cujus omnia verba incipiunt a littera C. hoc initio: *Carmina clarisonae calvis cantate Camoenae.* in editionibus Basileensibus 1516 et 1546 et Lovaniensi 1561 non sunt plures versus quam CXXXVI, sicut nec in Casparis Dornavii Amphitheatro Sapientiae Socraticae, in quo idem carmen tom. 1. p. 290 seq. legitur: Sed Caspar Barthius qui illud lib. XLVI. Adversariorum cap. 22. exhibet, ex charta nescio qua addidit alios versus XV. Simili studio recentior quidam scriptor *Christiani Pierii* nomine poëma in CHristum crucifixum edidit Francofurti 1576. 8 in quo vocabulorum singulorum prima C. est littera. Addit Sigebertus: *et quia in arte Musica praepollebat*, cantus *multorum Sanctorum dulci et regulari melodia* b) *composuit. Scripsit* librum de arte Musica, *sic contemperans chordas monochordi*, *litteris alphabeti*, *ut possit quis per eas sine magisterio alterius discere ignotum sibi cantum.* Denique *Epistola* Hugbaldi ad diversos, Trithemius commemorat.

* Commemoranda etiam sunt scriptoris huius acta martyrii SS. Cyriaci et Julitae matris eius, quae apud Mombricium leguntur; sicut etiam ecclesiasticum officium S. Theodorici pro Monasterio Remensi, ex quo opere epistolam ab Hucbaldo praemissam et Hymnos duos Mabillonius in Annalibus t. III pag. 641 in Append. edit. Lucens. vulgavit. Denique in MSS. Codicibus superesse scriptoris huius commentarium in regulas S. Benedicti affirmat Martene, et ex eo tradunt auctores historiae litterariae Gallicanae t. VI p. 220.

a) *Dulci et regulari modulatione.* Idem Sigebertus in Chron. ad Annum 879.

Liber ita inscribitur: *Liber ex dictis SS. Patrum defloratus super regulam S. Benedicti.*

HUENRICUS, supra, HENRICUS.

HUGO, sive *Ugo*, *Albus* sive *Candidus*, Anglice *Vithe*, de Petriburgo, sive Petroburgensis, Anglus, Monachus Ordinis Benedictini circa Annum 1246. Scripsit *Historiam Petroburgensem.* Vide Lelandum cap. 265 Baleum III. 70. Pitseum pag. 288. Exstat MS. in Cottoniana pag. 69 sine nomine auctoris. De continuatore ejus Historiae vide infra *Rob.* SWAPHAM, et Simonem Gunton ac Simonem Patricium in historia Ecclesiae Petroburgensis, edita Anglice, Lond. 1686 fol. Acta Eruditorum tom. I. supplementi p. 290.

* HUGO *Candidus*, alius ab hoc Benedictino ex Monacho Cisterciensis Cardinalis in vivis agebat adhuc an. 1256. quo scripsit Carmen elegiacum de miseria suorum temporum, quod carmen e MS. Ugolini Emporiensis vulgavit Lamius in Delic. Erudit in notis ad Chron. Roman. Pontif. Leonis Urbevetani ad vitam Urbani IV. Notas meas ad hoc ipsum Carmen ego adieci in Annotationibus meis ad Annales Ecclesiasticos Raynaldi ad an. 1256. Incipit:

Nulla fides nec Amicus erit nec pignus amoris
Inter terrigenas, nec pietatis opus,

HUGO, Ordinis Praedicatorum, *Apocrisiarius* Gergorii IX. qui cum Petro Dominicano et Franciscanis Aymone et Radulpho An. 1234. missus ad Joannem Vatacium, Imperat. et ad Germanum Patriarcham CPol. de unienda et concilianda utraque Ecclesia. Acta apud Nicaeam primum, deinde Nymphaeae in Bithynia: edidit, sed interpolata ac recisa Waddingus in Annalibus ad Annum 1234 atque inde Conciliorum editores Labbeus tom. XI. Harduinus tom. VII. Coletus tom. XIII. Integriora Jacobus Quetif ad calcem tomi primi operis eximii de scriptoribus Ordinis Praedicatorum pag. 911. 927. Vide et quae de hoc Hugone supra p. 34.

HUGO *Argentoratensis*, Ordinis Praedicatorum, clarus circa Annum 1270. 1280. 1290. genuinus auctor praeclari *Compendii*

Theologicae Veritatis, a) in septem divisi libros, quod ALBERTO Magno alii, vel BONAVENTURÆ, alii Thomae DORNIBERG, vel JOANNI *Rigaldi*, vel ÆGIDIO de Columna, aut THOMÆ Aqninati praeter rem tribuerunt, ut notavi supra tom. 1, pag. 44 236 et tom. 2, pag. 476. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 470 seq. a quo praeterea memorantur hujus Hugonis *Commentarius in IV. libros Sententiarum, Sermones Quodlibeta, Quaestiones, Disputationes* et *variae in Divinos libros explanationes.*

HUGO *Atratus* Wigorniensis, Anglus, Baleo IV. 50. *Hugo de Evesham*, et XIII. 86. propter Artis Medicae peritiam A. 1281. Romam vocatus a Martino IV. cum ad studia Theologica totum se accinxisset, factus inde Cardinalis, extinctus peste est Romae An. 1287. Scripsit *de genealogia CHristi humana. Distinctiones praedicabiles. Problemata varia Postillas super Biblia*, tum *Canones Medicinales*, atque *in Isaaci*, Arabis Medici, *librum de febribus. Tractatum de peste.* Vide Pitseum pag. 371, et G. Josephi Eggs purpuram doctam t. 1. p. 234.

HUGO Matisconensis, ex Abbate Pontiniacensi Ordinis Cistercensis, Episcopus ab Anno 1136. ad 1151. *Autissiodorensis*, de quo Sammarthani tom. 2 Galliae Christianae pag. 273. et Carolus de Visch pag. 163. Bibliothecae Cistercensis, qui Opusculum ejus *de conservandis Ecclesiae privilegiis* commemorat. Interfuit Concilio Remensi A. 1248. contra Gviletmum Porretanum. Exstat Hugonis hujus *Epistola ad Sugerium*, et Eugenii. III. et Innocenti IV. ad Hugonem: S Bernhardi quoque, ad Abbatem quidem Epistola 33. et cum Episcopo compositio et Wilhelmo, Comite Nivernensi, Epist. 429. edit. Mabillon. Chartam hujus Hugonis de bonis, quae possidebat Hugo de Tilio edidit Edmundus Martene t. 1 anecdotorum p. 402 qui etiam de Concilio illo Remensi videndus t. 4. p. 141.

HUGO *Baldochus*, Anglus, Ordinis Minorum, seculo XIII. laudatur a Lelando cap. 334. quod inter primos sui Ordinis Evangelium CHristi Optimi Maximi Anglis insolito ardore praedicavit.

HUGO *Bambergensis* tempore Rudolphi Habspurgici, scripsit *Historiam Poëtarum* quae citatur a Theodorico Engelhusio.

HUGO *Bernardi*, infra, *Hugo de Hibernia.*

HUGO Segvinus *de Bilhonio*, sive *Billonio* (Bilon in Aruernia) Posseviuo *Biliomensis*, Gallus, Ordinis Praedicatorum, Magister in Theologia, docuit Parisiis circa Annum 1281. S. Sabinae Cardinalis Presbyter An. 1288. a) atque inde An. 1249. Episcopus Ostiensis et Veletrensis, obiit An. 1298. Scripsit Commentaria *in Threnos Jeremiae.* Et fortasse *commentarium in Lucam*, qui Magistro Hugoni in MS. Codice Jacobitarum Parisiensium tribuitur atque incipit: *Lucas tractaturus de nativitate praecursoris Domini.* Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 442. ubi etiam de duplici ejus *testamento* bona Hugonis citra montes et ultra montes heredibus suis assignante. Caetera illius scripta sunt: Commentarius *in IV. libros Sententiarum.* Tractatus *contra correptorem S. THOMÆ*, GVILELMUM Lomarensem, de quo supra pag. 141. *De unitate formarum. De immediata visione Divinae Essentiae. Sermones* e quibus duo speciatim, quos An. 1281. Parisiis habuit memorantur a laudato Quetifo p. 385.

HUGO *Blancus* sive *Candidus* Tridentinus, Cardinalis creatus a Leone IX. et Episcopus Praenestinus a Clemente III. antipapâ An. 1080. De eo Baronius tomo XI. Annalium, Ughellus tom. 1 pag. 195. quibus propter schisma, quod secutus est, *re et gestis nigerrimus* appellatur. Obiit An. 1103. Non confundendus cum HUGONE qui ex Diensi Episcopo Archiepiscopus *Lugdunensis* An. 1092. quod factum tum ab aliis tum a G. Josepho Eggs. qui tom. 1. purpurae doctae ei tribuit *apologiam pro Gregorio VII.* adversus Gilbertum Papam, *Sermones* aliquot in variis Concilis habitos et *Epistolas* plures ad diversos. Hugo candidus Papae Alexandri II. Lega-

a) Diversa ab hoc Compendia Theologicae veritatis, de quo supra in GVILELMO *Edone*, pag. 137. et de quibus t. 2. 476.

a) Baluzius tomo 1. Paparum Avenionensium pag. 596. Eggs purpura docta tomo 1. pag. 246. Frizonius Galliae purpuratae p. 1328.

tus in Hispanias An. 1068. *Concilium Barcinone* celebravit, in quo Gothicam precandi rationem, et ceremonias, quibus Catalani utebantur, fecit abrogari. Vide Aguirri Concilia Hispan. tom. 3 p. 232, et Pagium ad Annum 1064. n. VI. seq.

HUGO. *de Boncompagnio.* Supra p. 279. GREGORIUS XIII.

HUGO *de Britolio*, infra, *Hugo Ligonensis.*

HUGO *Cameracensis*, infra, *Hugo Praemonstratensis.*

HUGO *Candidus*, supra, *Hugo Albus et Hugo Blancus.*

HUGO *Cardinalis* vide *Atratus, de Bilhonio, Blancus, de S. Caro, de Folieto, Ostiensis, de S. Victore.*

HUGO *Carnotensis* scripsit notante Cangio et Possevino Epistolam ad *Adelmannum* sive *Alemannum*, Brixiensem ab Anno 1048 ad 1061. Episcopum, de quo supra tom. 1 pag. 32. Vide *Hugo Lingonensis.* Possevinus ait editam esse Lovanii a Petro Phalesio cum libellis ejusdem argumenti An. 1551.

HUGO de S. CARO sive *de S. Theoderio* suburbio Viennae Allobrogum, Gallus Theologus Parisiensis Ord. Praed. Provincialis et ab Anno 1245. Cardinalis Presbyter titulo Sabinae usque ad Annum 1260 a) quo Lugduni diem obiit supremum. De eo Jacobus Quetif. tom. 1, pag. 194 seq. Theophilus Raynaudus in mantissa ad indiculum Sanctorum Lugdunensium tom. VIII. Opp. p. 96 seq. Bulaeus tom. 3. Academiae Paris. pag. 196. Labbeus, Caveus etc. Ex Epitaphiis quae apud Bulaeum tom. 3, p. 364 seq. aliosque obvia sunt, unum hoc apponere placet:

> Ecclipsin patitur sapientia, Sol sepelitur,
> Felici fine, sanctae quoque Cardo Sabinae.
> Iste fuit per quem patuit doctrina Sophiae,
> Praeco DEI, Doctor Fidei, citharista Mariae,
> Hugo sibi nomen et Cardo Presbyter omen.
> Patria natalis Burgundia, Roma localis
> Solvitur in cineres Hugo, cui si foret heres
> In terris vivus, minus esset flebile funus.

Monimenta ejus ingenii et industriae haec sunt:

a) An. 1261. alii, alii 1263. contra epitaphii fidem et contra testimonium Theodorici Vallis Coloris, Hugoni aequalis.

Sacra Biblia recognita et emendata jussu JORDANI Magistri Ordinis et hujus Hugonis, Ordinis Provincialis in Francia, ad Codices Hebraeos, Graecos et Latinos veteres Caroli M. aetate scriptos MS. Paris. apud Dominicanos et in Belgio. Vide Rich. Simonis novas Observationes ad hist. Criticam textus et versionum Novi Test. II. 1. p. 128 seq. et Jacobum Quetif t. 1 p. 197.

Concordantiae majores Bibliorum, per alios deinde additis etiam particulis et vocibus indeclinabilibus locupletatae, de quibus dixi supra in CONRADO Halberstadensi tom. 1, pag. 381 Joannes Mariana lib. XIII rer. Hispanicar. cap. 2. Hugonem Concordantiarum opus Herculea audacia primum excogitasse et *quingentorum Monachorum ope* adjutum perfecisse celebrat. Idem tradunt Possevinus, et alii.

Postillae sive *breves commentarii in universa Biblia* iuxta quaduplicem sensum, litteralem, allegoricum, moralem, anagogicum VI. Volum. in fol. Venetiis et Basil. 1487 Basil. 1489 1504 Paris. 1508. 1538. 1548 et Venet. 1600 quinque Volum. et Colon. 1621. Lugd. 1645 1669 voluminibus octo, cum vita auctoris et locupletibus indicibus. Vide Jac. Longi Bibliothecam Biblicam exegeticam pag. 785 et Jac. Quetif tom. 1. 198 201 qui pag. 199 etiam docet *Commentarium in Psalmos* praeter rem ALEXANDRO *Halensi* a nonnullis tribui: quanquam opus universum Commentariorum in Biblia a multis conflatum non dubitabat Erasmus ad Actor. XXVIII. 11. Diffusius scripsisse Hugonem *in Psalmos*, *Danielem et Lucam* testis Henricus Gandavensis cap. 40.

Postilla super Epistolas et Evangelia de tempore et de' Sanctis, ex superioribus excerpta commentariis. Paris. 1506 4.

Sermones Dominicales super Epistolas et Evangelia de tempore. Argentor. 1476. et *Sermones* de tempore et Sanctis. Swollis 1479 4.

Commentarius *in IV. libros Sententiarum*, compositus cum Theologiam Hugo doceret Parisiis. MS. Cantabrigiae in Collegio corporis CHristi, et Lipsiae in Paulina, atque alibi.

Speculum Sacerdotum et Ecclesiae, de Symbolo et Officio Missae. Lugd. 1554.

Hisce apud Quetifum tom. 1. p. 202. seq. adduntur, *Regula Carmelitarum recognita*, quam Innocentius IV. deinde confirmavit. *Processus in librum Evangelii aeterni. Diplomata de festo Corporis CHristi et de solemnitate B. Dominici celebrandis. Summa de Casibus. Seminarium praedicationis. De pugna Virtutum et vitiorum.*

HUGO *de Castro Novo* in Anglia, Dunelmensis dioecesis, Minorita inter defensores Doctoris subtilis sive Joannis Scoti An. 1310 1322 ad quos annos videndus Waddingus tom. 3. Annal. Scripsit teste Baleo IV. 68 *de victoria CHristi contra Antichristum.* Huic Pitseus pag. 365 addit commentarium et Reportata *in IV. libros Sententiarun* et tractatum *de finali Judicio.* Nec plura Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minor. p. 179 nec Possevinus.

* In Bibliotheca Benedictinor. Coenobii S. M. Scotorum Viennae offendi librum istum *de Victoria Chisti contra Antichritum* excusum an. 1471. absque loco impressionis. Author praefertur *Magister Hugo de novo Castro Parisiensis*, non ergo Anglus.

HUGO *de Cleeriis* Miles Andegavensis, Fulconis V. Comitis ad Ludovicum Regem Legatus post Annum 1120 scripsit *Commentarium de Majoratu et Seneschalha Franciae, Andegavorum olim Comitibus hereditaria.* Edidit Sirmondus ac calcem notarum in librum quintum Epistolarum Godifridi Vindociensis Paris. 1610. 8. et tom. 3. Opp. Sirmondi pag. 875. 878 inde Andreas du Chesne tom. 4. scriptor de rebus Francor. pag. 328 et Baluzius tom. 4. Miscell. pag. 479.

HUGO Dalmatii, Abbas *Cluniacensis* ab Anno 1048 ad 1109 de quo Papebrochius tom. 3. Act. Sanctorum Aprilis 29 p. 628. ubi vita scripta ab HILDEBERTO Cenomanensi pag. 634 et a RAYNALDO Abbate Vezeliacensi, deinde Archiep. Lugd. p. 648 et Synopsis ejusdem, versibus elegis pag. 654 et epitome vitae ab EZELONE et GILONE Monachis Cluniacensibus, proxime ab obitu Sancti scripta et per Anonymum excerpta pag. 655 et ex epistola HUGONIS Monachi Cluniacensis, ad Pontium Abbatem successorem Hugonis Abbatis p. 658. et vita ab eodem Monacho scripta p. 659. seq. Praefationem GILONIS Tusculanensis Episcopi ad eundem Pontium edidit Edmundus Martene tom. 1. anecdotorum pag. 321. Vide etiam Sirmondum ad Godfridi Vindocinensis IV. 1. Epist. tom. 3. Opp. pag. 781. In Andreae du Chesne Bibliotheca Cluniacensi post Vitam Hugonis pag. 431 scriptam ab *Hildeberto* et alteram a Monacho *Hugone* pag. 438 (quae exstat etiam apud Surium 29 April.) et Anonymi relationem de ejus miraculis pag. 447. et *Hugonis* Monachi Epistola ad Pontium pag. 462. et PETRI Venerabilis rhythmum pag. 465 et Variorum de Hugone Abbate testimonia p. 467. sequuntur pag. 475. Gregorii VII. Petri Damiani et Godfridi Vindocinensis ad Hugonem Epistolae: inde Hugonis ipsius *Epistolae* et *opuscula sex* et *Vita B. Morandi* discipuli sui pag. 502 et privilegia, Hugonis tempore Cluniacensibus concessa pag. 507 seq. Epistolam ad *Philippum I. Francorum Regem* vulgavit Dacherius tom. 2. spicileg. pag. 401 (editionis novae tom. 3. pag. 543.) et *Statuta* in gratiam *Alfonsi* Hispaniarum Regis, et in gratiam *Lamberti* Abbatis S. Bertini, tom. 6, pag. 445 (editionis novae tom. 3, pag. 408.) Epistolas quatuor ad Hugonem scriptas exhibet laudatus Martene tom. 1. anecdotorum pag. 309 313. *Acta Concordiae* in Concilio Claromontano An. 1096. initae cum Pontio Abbate Casae Dei, apud Baluzium tom. VI. Miscell. pag. 424. Donatio Hugoni Cluniacensi facta ab Hugone Lugdunensi id. p. 485.

* De epistolis et opusculis scriptoris huius diligentissime pro suo more agit Historia Litteraria Galliae t. IX 465. 487. Ea occasione ibi pariter corrigitur erratum Fabricii: qui in hac ipsa Bibliotheca lib. VI. 444. edit Hamburg. libellum *de miraculis* B. M. Virg. *Suessionensis* Hugoni huic Cluniacensi tribuerit cum reipsa sit Hugonis Farsiti, de quo forte ibi Fabricius agit. An reipsa haec ibi Fabricio exciderint, cum volumen illud Venetias jam trasmiserim excudendum deprehen-

dere nequaquam potui. Illud tamen constat Fabricium ipsum inferius V. Ugo Farsitus auctori illi suo libellum hunc restituere. (143 Confundit reipsa Fabricius Farsitum cum Cluniacensi vide t. II 553.)

De HUGONE II. *Cluniacensi* Ordericus Vitalis ad Annum 1120 pag. 871 Bibl. Cluniacensis pag. 583 1623.

HUGO III. Abbas *Cluniacensis* ab Anno 1157 ad 1163 ad quem Petri Cellensis Epistolae IV. in laudata Biblioth. Cluniacensi pag. 1421. Huic *vitam Hugonis*, quam Hugonis Monachi Cluniac. nomine editam dixi, tribuit Oudinus tom. 2. pag. 1484. Epistola ad *Fridericum I. Imp.* in Dacherii spicileg. tom. 2. pag. 400 (editionis novae tom. 3. pag. 526.)

HUGO IV. Abbas *Cluniac.* ab An. 1176. ad 1199. Vide Bibliothecam Cluniacens. pag. 1624.

HUGO V. Abbas Cluniacensis ab Anno 1199 ad 1236. Ejus *statuta* in Bibliotheca Cluniacensi pag. 1457 seq.

HUGO *Monachus Cluniacensis* qui *vitam Hugonis primi*, Abbatis Cluniacensis Anno 1109 defuncti et *Odilonis* decessoris ejus scripsit : de quo primo supra.

HUGO Archidiaconus *Compostellanus*, cujus narratio *de translatione reliquiarum S. Fructuosi*, Archiepiscopi Bracarensis, et aliorum Compostellam post annum 1102. exstat in Actis Sanctorum tom. 2. April. XVI. pag. 436 seq. cum notis Henschenii, in quibus pag. 437 vitiose excusum anno 1120 pro 1102.

HUGO *Constantiensis* Episcopus ab An. 1496 ad 1529. Scripsit Quaestiones duas de imaginibus retinendis et de sacrificio Missae, quas Germanice etiam vertit edidítque Georgius Theander, Ingolstad. 1546 4.

HUGO *Corbeensis*, vide, *Hugo de Folieto*.

HUGO glossator primus *Decretorum*. Infra, HUGUITIO.

HUGO *Diensis*, sive *Divionensis* A. 1073 in Gallia Episcopus, postea ab An. 1080 Archiepiscopus Lugdunensis, defunctus A. 1106 de quo Sammarthani tom. 1. Galliae Christianae pag. 309 seq. ubi et ejus Epitaphium, atque Urbani II. ad eum Epistolae. *Epistolae* etiam duae Hugonis, diversae ab iis, quae in tomis Conciliorum, et in Chronico Virdunensi Hugonis Flaviacensis, apud Labbeum tom. 1. Bibliothecae novae MSS. et illis, quae apud Baluzium t. 6. Misc. pag. 422 423 426 429 485. Legatus Papae in Concilio Lugdunensi An. 1080 egit da causa MENASSIS, Remorum Archiepiscopi, cujus Apologia in Mabillonii Museo Italico parte 2. p. 119.

* Praeter omnes hasce epistolas antistitis huius alias pariter indicant scriptores Historiae litterariae Gallicae huc illuc collectas ut ex Martene Collect vet. monum. t. IV. 998. 999 ex Biblioth. Patrum t. XXI. pag. 2. ex Duchesne Historia Cardinalium Gallicanorum t. II p. 42.

HUGO *de Dina*, Gallus, Ordinis Minorum, vixit Massiliae circa Annum 1280 cujus scripta : Expositio *in Regulam S. Francisci. Liber de triplici via. De paupertate*, inter zelatorem paupertatis et inimicum domesticum. *Constitutiones pro fratribus tertii Ordinis S. Francisci.* Vide Waddingum pag. 178 Bibliothecae Franciscanorum, et tomo Annalium tertio.

HUGO *de Dittona, Ductona, Dyttona,* Lelando cap. 322. *Duttodunus*, Anglus, Theologiae Doctor, et ab Anno 1339. Vicarius Ordinis Praedicatorum provinciae Angl. scripsit, Baleo IV. 54 teste, *Scholastica certamina, Lecturas Theologiae, Conciones Capitulares*, sive in Capitulo habitas. His Pitseus pag. 446 addit *Sermones de Sanctis.* Nec plura Jacobus Quetif tom. 1, pag. 595 seq. *Sermones de festis Deiparae* tribuit Altamura pag. 116 et eundem facit cum *Hugone de Vitonio*, de quo infra.

HUGO *Engolismensis,* Archidiaconus Cantuariensis, cui Historiam suam dedicavit NICOLAUS *Trivetus.*

HUGO *Eterianus*, *Etherianus*, *Aetherianus*, *Heterianus*, vitiose *Eretrianus*, Tuscus, a) An. 1177 ad *Alexandrum* III. Papam, et ad *Leonem* Tuscum. fratrem suum et ad *Caciaredam* b) ex Constantinopoli,

a) De illis videndus continuator Chronici Sigeberti Robertus de Monte ad A. 1128.

b) Vide Oudinum tomo 2. p. 886

ubi in aula Manuelis Comneni versabatur, amisit *libros III* de haeresibus, quas *Graeci* in Latinos devolvunt, sive *de processione Spiritus Sancti ex Patre et Filio*, adversus errores Graecorum. Inter ALEXANDRI III. Epistolas undequinquagesima est, qua Hugoni agit gratias. Libri tres illi Latine scripti viderunt lucem Basileae 1543. atque inde in Bibliotheca Patrum Bigneana An. 1589 eamque secutis Parisiensibus, Coloniensi et Lugdunensi tom. XXII pag. 1198 subjecti libro ejusdem Hugonis *de anima corpore jam exuta*, sive *de animarum immortalitate*, et *regressu earum ab inferis*: ad Clerum Pisanum: qui lucem primum viderat Coloniae 1540 8. repetitus deinde etiam in Orthodoxographis, Basileae 1569 fol. atque separatim quoque excusus Germanice, Hamburgi 1597. 4. *Epistola* hujus Hugonis *ad Aimericum* Antiochenum Patriarcham, qua illi librum de processione Spiritus Sancti mittit, exstat in Edmundi Martene tom. 1. anecdotorum pag. 479 cum Epistola AIMERICI p. 480. qua gratias agit Hugoni, et utraque ad se librum celebrat. Caeterum Hugonis librum a Graecis in Graecam linguam nec ineleganter translatum notat Allatius de consensu utriusque Ecclesiae pag. 654. Alia ejus leguntur in ANONYMI tractatus Graecos, quem Latine edidit Stevartius, et qui ex plurium scriptis videtur concinnatus esse: recusus deinde in nova editione Canisii Basnagiana tom. 4, pag. 29 seq. et in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. 27 pag. 590. Vide, si placet, Bibliothecam Graecam tom. X. pag. 443 et 423. Praeter haec Trithemius c. 398. testatur ab Hugone hoc scriptum esse *librum de immortali Deo*.

HUGO *de Evesham*, supra, *Hugo Atratus*.

HUGO *Falcandus*, supra tom. 2. p. 434. seq. Suorum temporum Tacitus, judice Barthio, notis ad Statium tom. 3, p. 417.

HUGO Abbas *Farsitus* Benedictinus Gallus circa Annum 1132 cujus narrationem *de miraculis S. Mariae Svessionensis* a) edidit Michaël Germanus in historia Abbatiae Regalis S. Mariae Svessionensis, vulgata Gallice Paris 1675 4. Laudat Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 36.

HUGO, ex Monacho Virdunensi S. Vitoni b) Abbas in Burgundia ab An. 1097 *Flaviniacensis*, scripsit *Chronicon Virdunense* a nato CHristo usque ad Annum 1102. Edidit ex autographo auctoris Labbeus tom. 1. Bibliothecae novae MStorum, pag. 75 269 rerum praesertim Seculi XI. insignem thesaurum. De se ipso plura narrat auctor pag. 247 seq.

HUGO *Floreffiensis*, Canonicus Praemonstratensis in dioecesi Namurcensi circa Annum 1230 scripsit *Vitam Juttae* sive *Jvettae* inclusae, Huyi in territorio Leodicensi. Exstat in Actis Sanctorum t. 1. Januar. 13. pag. 863 887. *Vita Idae*, de Lovanio, Ord. Cisterc. in Rameia cujus memoria XI. Decembris recolitur. Exstat MS. in Villariensi apud Gallo Brabantos, Cisterciensium Coenobio, ut Valerius Andreas, Miraeus aliique annotavere.

HUGO de Florentia, sive *Florentinus*, cuius commentarium in Æneidem MS. in Bibl. Regia Parisiensi memorat Labbeus pag. 311. Bibl. MSS.

HUGO Monachus *Floriacensis* Ord. Bened. super Ligerim in dioecesi Aurelianensi circa Annum 1120 cuius *Commentarium in Psalmos* MStum in Angliae Bibliothecis, laudat Jac. Longus in Bibl. Biblia exegetica p. 785 Idem HUGO *de S. Maria*, cuius *Historiae Ecclesiasticae* libri IV. dicati Ivoni Carnotensi ab Orbe condito usque ad A. C. 1034 exstant MSti in variis Bibliothecis, Regia Paris. et S. Victoris. Fragmentum de situ et Provinciis Galliae ex libro tertio affert Andreas du Chesne tom. 1. rer. Francor pag. 16. Vide laudati Longi Bibliothecam historicorum Galliae num. 1518. et Caveum ad Annum 1120. Oudinum tom 2. p. 1077. seq. Incertum aliud ne opus, an prioris pars sit eidem dicatum Ivoni *Chronicon* a Nino Assyriorum rege, usque ad extrema Lu-

a) Inter Scriptores Florentinos celebratur a Julio Nigro p. 522.

a) Apud Trithemium cap. 398. de S. E. *ad Ardoinum Cardinalem*.

dovici Pii An. 840. ut in Codice Caesareo et Lambethanis duobus: vel in obitu Lothari A. 855. ut in MS. Bibl. S. Victoris Paris. Partem a Nino usque ad Constantinum M. publicavit sub *Ivonis* nomine Marquardus Freherus in Corpore historiae Francicae, Hanov. 1611. at Hugoni restitutam Bernardus Rottendorfius, Monasterii 1637. 4. cum notis. Partem de Ludovico Pio Lambecius tom. 2. pag. 857-858. ex Codice Caesareo qui similiter Chronicon hocce ad Ivonem refert auctorem. Partem ab Anno 923. ad 987. et alteram ab Anno 987. ad 1034. Andreae du Chesne debemus t. 3. scriptor. de rebus Francor. pag. 347-349. et tom. 4. pag. 142-143. *Epistolam* Hugonis qua *Mathildi* Imperatrici nuncupat alium librum suum *de gestis modernorum Regum Franciae*, qui a Carolo Calvo sumit initium, una cum principio libri vulgavit Edmundus Martene tom. 1. anecdo. p. 327-329. Sed et tertium Hugonis opus Historicum Andreas du Chesne tom. 3. pag. 347. ad *Adelaidem* Carnotensem Comitissam, ab exordio Mundi usque ad Ludovicum Pium, quod cum uno ex jam memoratis unum idemque esse videtur. *Chronicon breve de rebus Francorum* a Pharamundo ad Philippum Henrici F. exstat p. 305-307. ad calcem Opp. Ivonis. *Libros duos de Regia potestate et Sacerdotali dignitate* ad Henricum Anglorum Regem, publicavit Baluzius tom. 4. Miscellan. pag. 9. 46-68. *Vitam S. Sacerdotis*, Episcopi circa Annum 530. Lemovicensis Henschenius in Actis Sanctorum tom 2. Maji V. p. 14-22.

HUGO *de Folieto*, Canonicus Regularis S. Petri Corbeensis in Picardia, et Prior S. Laurentii in agro Ambianensi, ac denique circa annum 1140. Cardinalis *Singularis vitae et nobilitate scientiae et eloquentiae* laude commendatur a S. Antonino in limine tituli XVIII. summae Historialis. Scripsit librum quadruplicem *de duodecim Claustri abusibus*, a) et *de claustro materiali, de claustro spirituali, de claustro animae*, et *de claustro Paradisi*. Vide Trithemium de S. E. cap. 374. et illustr. Benedictin. II. 115. et qui excerpta ex hoc Hugonis libro offerunt Vincentium Bellov. speculi Historialis lib. XXVII. cap. 18. seq. et Antoninum tit. XVIII. summae Hist. c. 2. Liber ipse editus inter HUGONIS *de S. Victore* opera, cui praeter rem tributum notarunt Labbeus tomo 1. de S. E. pag. 482. G. Colvenerius ad Johannis Nideri formicarium pag. 47. seq. aliique. Praeter hunc librum de Claustro animae pag. 134. a Sandero in Catalogo MStorum Belgii memorantur pag 224. tractatus *de tribus columbis*, qui pag. 93. libellus ad fratrem Raincrum, cui titulus: *columba deargentata*, et pag. 131. *de turture et passere*. Non diversi hi sunt a libro *de avibus* ad Raynerium, qui cum picturis avium in Codicibus MStis occurrit, atque Petri Damiani opusculo 52. multa debet: editus autem est inter HUGONIS *a S. Victore* opera cum libris tribus *de proprietate ferarum et animalium*, quorum primus ALANO Insulensi, tertius et quartus GVILELMO Peralto a Viris doctis adscribitur. Vide Oudinum tomo 2. pag. 1107. seq. qui Hugoni de Folieto etiam vindicat libros duos *de Nuptiis carnalibus et spiritualibus*, sive de Nuptiis fugiendis, ad socium volentem nubere: nec non libellus IV. *de vanitate Mundi*, et libros V. *de arca, mystice et moraliter*, qui inter opera Hugonis Victorini leguntur, et *Speculum peccatorum*, quod exstat in appendice ad tomum VI. Augustini pag. 635. editionis Amstelod. Si Albericum p. 264. Chronici ad A. 1130. audimus, HUGO de Ordine Praemonstratensi fuit, qui scripsit *de avium natura*, moraliter et allegorice, et *de claustro animae*, et *de Medicina animae*. Omitto quod a G. Josepho Eggs in purpura docta tomo. 1. pag. 75. Hugoni de Folieto tribuuntur *libellus de Patriarchis* et *de disciplina, ad Religiosos*, rectius fortasse ad Hugonem alium auctorem referendi.

a) Duodecim illi abusus sunt: *Praelatus negligens, Discipulus inobediens, Juvenis otiosus, Senex obstinatus, Monachus Curialis, Religiosus Causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in Claustro, lis in Capitulo, dissolutio in Choro, irreverentia in Altari.*

HUGO *Francigena*, infra *Hugo Salvaniensis.*

HUGO Rex *Francorum* ab Anno 1017. ad 1026. cujus Epistolae quae ad Joannem XX. Papam exstant in Andreae du Chesne tom. IV. pag. 107. et 113.

HUGO ex Canonico Valentino, Hugonis Diensis, Legati Apostolici suffragio An. 1080. *Gratianopolitanus* Episcopus, habitum Carthusiani Ordinis An. 1084, a S. Brunone sumsit, diemque obiit An. 1132. ut ad utrumque annum Sigebertus et continuator ejus Robertus de Monte testantur. Ejus vitam scripsit GVIGO, de quo supra pag. 127. Ex eo S. Antoninus tit. XV. summae Histor. c. 22. *Epistolam* Hugonis hujus Gvigonisque pro ulciscenda Thomae S. Victoris nece edidit Edmundus Martene tom. 1. anecdotorum p. 381. In vita ejus cap. 3. sect. 14. p. 40. inter alia refertur *habuisse lectorem a quo sanctos Codices, quorum non paucos scribi fecerat, et alibi et praecipue sibi ad mensam legi faciebat, ut duplicatis deliciis sese suosque saginaret. Cumque lectori de Divinis vel severitatibus vel miserationibus aliquid occurrisset insigne, ipsum bis aut ter dicere compellebat.* Cap. 5. sect. 22. pag. 43. *Fuit etiam praedicator egregius et litteras suas ipse dictabat, eas praesertim quarum ei cura propensior erat. Ideo autem praedicans facilius suadebat, quia quod verbis dicebat, operibus ostendebat.*

HUGO *Abbas Hadrianopolitanus* circa Annum CHristi 1170 cujus Epistolae ad Alexandrum III. et Ludovicum juniorem Regem Francorum exstant in Bongarsianis gestis DEI per Francos pag. 1173 1181.

HUGO *de Hibernia*, de quo haec Jacobus Waraeus de scriptoribus Hiberniae lib. 1, pag. 72. *Hugo Hibernicus, Ordinis Minorum, postquam multas peragrasset regiones, scripsit Itinerarium* (ita et Baleus XIV. 9. sed Waddingus pag. 178. Bibliothecae Franciscanorum. vocat *Itinerarium terrae sanctae*) *Vixit circa Annum Domini* 1360. *Hunc Waddingus Annal. Ord. Minor. tom. IV. ad Annum* 1359 *num.* 10. *eundem esse putat cum* Henrico Bernardo, *tunc Provinciali Minoritarum Hiberniae.*

HUGO *Hubertinus.* supra, *Hubertinus de Casali.*

HUGO *de S. Jacobo*, supra *Hugo de Caro* Vide tom. 1. hujus Bibl. pag. 382.

Joannes, HUGO Sletstadiensis JCtus medio saec. XV. scripsit *quadrivium de officiis quatuor Praelatorum, quibus omnis anima subjicitur*, summi Pontificis, Episcoporum, Curatorum et de Majestate Imperatoris. Exstat in tractatu tractatuum Juris, tom. XIII. parte 2. pag 289. Aliud ejus *Quadrivium Ecclesiae* Possevinus pag. 902 commemorat. Ejusdem *de potestate Papae* prodiit Argentor. 1504 oppositum Antonio de Rosellis de quo supra tom. 1. p. 123.

HUGO *Kerkestedes* sive *Kirkostallensis* atque inde *Fontanensis* Monachus in Anglia Ord. Cisterc. scripsit circa Annum 1220. THURSTINI Archiepiscopi Eboracensis exemplum secutus, et SERLONE, Monacho prope centenario suppeditante, *de origine Fontani Monasterii* et *historiam rerum a Bernardinis* sive Cisterciensibus *in Angliam gestarum* ad Joannem Abbatem Fontanum. Vide Lelandum cap. 222 Baleum III. 81 et Pitseum p. 297. De MSS. Codicibus in Anglia obviis adde Oudinum t. 3. p. 52.

HUGO *Legatus* ad S. Albanum Monachus Ord. Benedictini in Anglia, qui circa Annum 1400. *Boethii* libros Consolationis Philosophiae, et *Joannis Hanvillensis* Architrenii libros IX. commentariis illustravit. Vide Baleum VII. 19 et Pitseum pag. 569 qui ejus Epistolas quoque commemorant.

HUGO ex Monacho Carthus. *Lincoliensis* Episcopus, cujus vitae historia apud Bzovium ad Annum 1200 qui XV. Cal. Dec. ei emortualis fuit, num. XX.

HUGO de Britolio, Belluacensis Gallus, ex Monacho Cluniacensi et Clerico Carnotensi Episcopus An. 1030. *Lingonensis.* Hic primus contra Berengarium An. 1047. vel 1048 scripsit *libellum* sive *Epistolam* de *corpore et sanguine DOMINI*, MS. in Cod. Reg. Paris. 1831 et Sangermanensi 588. Cangio.

HUGO *Lugdunensis* Archiep. supra, HUGO *Diensis.* Falluntur enim qui Hugonem Seguinum etiam Archiepiscopis Lugdunensibus adscribunt.

HUGO *Manchestrensis*, sive *de Mancestria* Anglus Ord. Praed. Provincialis, et Eduardi I, Angliae Regis ad Regem Philippum An. 1294 una cum Guilelmo Geynesburgo, Franciscano legatus, unde ipse Minoritis a Possevino praeter rem adscribitur. Vide Baleum. IV. 62 et Pitseum pag. 382. Waddingum pag. 178 qui scripta ejus memorant *Compendium Theologiae*, et librum *de fanaticorum deliriis* contra impostorem qui Magicis praestigiis Eleonoram Eduardi I. matrem agressus fuerat.

HUGO *a S. Maria*, supra, *Hugo Floriacensis*.

HUGO *Matisconus* Anglus poëta circa Annum 1490 scripsit libros VIII. Carmine *de clarorum militum gestis memorabilibus* qui cum commentariis MSti in Monasterio Dunensi in Flandria Ord. Cisterc. teste Sandero pag. 185. Itaque initium apud Baleum XI. 60 et Pitseum pag. 865. *Solis spirat ordo menti concorditer*. Videtur non operis esse sed Commentarii, vel praefationis soluto sermone exaratae.

HUGO *Matisconensis* Gallus de quo supra in Hugone Autissiodorensi.

HUGO *Metellus* Tulli Leucorum natus discipulus Ticelini et Anselmi Laudunensis, quo An. 1117 extincto, ignem Verbi DEI ait in terra defecisse. Canonicus ipse Regularis, cujus *Epistolas* quinque supra quinquaginta MStas legit Mabillonius, ex quibus de scriptore et rebus illius aetatis jucunda quaedam lectu annotat: unicam autem tom. 3. Analect. pag 463. (editionis novae pag. 475) vulgavit *Epistolam ad Gerlandum* de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, contra nonnullas Berengarianismi reliquias. *Gerlando scientia trivii quadriviique onerato et honorato, Hugo Metellus verba sacrae Scripturae triturare, et diligenter cribrare.*

HUGO *de Miro Mari*, sive *de Miramors* Magister in Jure Canonico et Archidiaconus in Gallia Magalonensis sive Montis pessulanus, inde Montis Rivi Monachus Carthusianus circa Annum 1220. de quo Oudinus tom. 3. pag. 50 seq. Praecipuum ejus Opus *Speculum spirituale* dicatum Guilelmo Montis Rivi Eremitae, et tributum in libros novem. 1. *de miseria hominis*, 2. *de fragilitate humana*, 3. *de statu Ecclesiae*, 4. *de statu Mundi*. 5. *de virtutibus*, 6. *de vitiis*. 7. *de Diabolo et poenis Inferni*. 8. *de statu Civium supernorum* et 9: *de praerogativa Ordinis Carthusiae*. Hoc opus MS. evolvit Cangius in Codice Thuano 73 Oudinus in Regio Paris. 4252 qui etiam memorat in eadem Regia Bibl. MS. tractatum huius Hugonis *de antonomasia et mysterio numeri quaternarii*: et *Flores nota dignos Juris Canonici*.

HUGO *Mitisconensis* vitiose pro Matisconensi apud Sanderum.

HUGO *Narbonensis* Ord. Minor. cuius Commentaria in secundum sententiarum teste Possevino et Waddingo fuere apud Dominicum Cardinalem Grimanum.

HUGO de fano *S: Neoti*, Anglus, Carmelita quem Lelandus cap. 387 ait obiisse Hichiae An. 1341. Scripsit *Commentarios in Lucam*, quorum meminere Baleus V. 28 et Pitseus pag. 439. Et de *conceptione B. Mariae* nec non *Quaestiones disputatas. Sermones.*

HUGO *de Nigella*, Abbas de Ursicampo et postmodum de Ripatorio Ord. Cisterc. ex cujus scripto nescio quo affert nonnulla Albericus Abbas trium fontium in Chronico ad An. 1199 pag. 416.

HUGO *Novantus*, Normannus, Episcopus in Anglia Coventriensis Cestriensis et Lichefeldensis, diem obiit An. 1198. (non 1098 ut apud Cangium.) Scripsit *historiam mirabilem* de ejectione Guilelmi Longshampii Episcopi Eliensis et Regii cancellarii sub Rege Richardo. Praeterea Baleus XIII. 31 memorat ejus Epistolam ad Richardum Londinensem, quae incip. *Noverit tua discretio quod venerat.*

HUGO *de Novo castro* Anglus, supra, *Hugo de Castro Novo*.

Alius HUGO Novi castri Dominus in Gallia, cujus charta apud Dacherium tom IV. spicileg. p. 261. (edit. novae t. 3 p. 488.)

HUGO *Cardinalis* Episcopus *Ostiensis* An. 1288 vide supra HUGO *de Bilhonio*.

HUGO ex Abbate trium Fontium Ord. Cisterc. Cardinalis Episcopus *Ostiensis et Veliternensis* An. 1150 ab Eugenio III. crea-

tus, scripsit de obitu eiusdem Eugenii An. 1153 extincti ad Gossvinum Cisterciensem et Bernardum Claraevallensem Abbates, Epistolam quam praeter alios habet etiam Ughellus tom. 1. Italiae sacrae pag. 65. Ad hunc multae S. Bernardi Epistolae. Vide Vischium pag. 151 seq. Bibl. Cisterciens.

HUGO *de Paganis* cum Godfrido de S. Almaro auctor fuit Au. 1117 condendi in Palaestina Ordinis *Templariorum*, sive *militiae Templi*, quorum prima professio fuit ut viverent caste et pie more Canonicorum, et pro consequenda remissione peccatorum itinera tutarentur a latronibus in securitatem peregrinantium. De illo Ordine An. 1311 suppresso consulendi scriptores laudati tom. XI. Bibl. Graecae pag. 650.

HUGO *a Palma* Carthusianus scripsit librum *de triplici Via*, purgativa, illuminativa, unitiva. Incip. *Viae Sion lugent.* Ejusdem argumenti supra, HUGO *de Dina.*

HUGO *Pancera*, Ord. Minor. circa Annum 1312. cujus librum *de contemtu Mundi* Cangius e Possevino memorat. Vide infra, *Hugo Pratensis.*

HUGO *Parisiensis*, infra, *Hugo de S. Victore.*

HUGO Comes *S. Pauli*, cujus Epistolam ad Henricum Ducem Brabantiae *de CPolitanae Urbis expugnatione* An. 1202 *a Latinis facta* edidit Andreas du Chesne t. V. scriptor. rerum Francor. pag. 272 275 ubi quae in titulo Epistola altera ejusdem Hugonis inscribitur, non Hugonis est sed Balduini Imperatoris.

HUGO *de Petriburgo*, supra *Hugo Albus.*

HUGO *Pictavinus*, sive *Pictaviensis*, cujus commentarius *in threnos Jeremiae* MS. in Codice Regio Paris. 3762 videndum idemne quem dixi tribui Hugoni de Bilhonio.

HUGO *Pictavinus* Monachus et notarius Guilelmi Abbatis Vezelicensis, in pago Avalensi in regno Burgundiae: jussu Pontii Abbatis An. 1156 scribere aggressus est *Historiam Vezeliacensis* a) *Coenobii* ab Anno 846. ad 1147 praefixa brevi Comitum Nivernensium historia eamque libris IV. absolvit An. 1167. Primus edidit Dacherius tom. 3. spicilegii pag. 446 (editionis novae tom. 2, pag. 498 560.) Liber primus totus abundat Epistolis et privilegiis Pontificum, Nicolai I. Joannis VIII. insecutorumque usque ad Adrianum quartum.

HUGO, *Portugallensis* Episcopus, cujus commentitia *Epistola ad Mauritium* Archiepiscopum Bracarensem edita a Francisco Bivario ad pseudo Dextri Chronicon pag. 9. et ab Nicolao Antonio tom. 1. Biblioth. vet. Hispanae cap. 21 atque explosa pag. 99 et tom. 2, pag. 13. ubi de ejusdem *historia Compostellana* quam circa Annum 1140 scripsit cum MUNIONE sive MARTINO Mindoniensi in Gallaecia Episcopo et GERARDO Presbytero.

HUGO *Praemonstratensis*: supra *Hugo de Folieto.*

HUGO S. Norberti discipulus, Abbas *Praemonstratensis* a) primus Canonicorum regularium in Gallia per annos XXXV. excitatis plusquam centum Monasteriis, et recusato Episcopatu diem obiit An. 1164 10. Febr. Ejus vita in Bibl. Praemonstratensi Joannis Pagii sive le Paige, Paris. 1633. fol. libro 2. pag. 416. 435. Vide et Acta Sanctorum tom. 2. Febr. pag. 384. Scripsit vel scribi curavit *vitam S. Norberti* Magistri sui, quam edidit sed minus sinceram Surius VI. Jun. integriorem Joannes Chrysostomus van der Sterre, Abbas Ecclesiae S. Michaelis Antwerpiensis A. 1656. unde repetita in Actis Sanctorum tom. 1. Junii VI. pag. 819. Praeterea *Constitutiones* pro regendo Praemonstratensi Ordine quarum approbationem consecutus est ab Innocentio II. Caelestino II. et Eugenio III. Data ab his privilegia exstant in laudata Pagii Bibliotheca pag. 419. seq. 622. seq. Constitutiones vero pag. 784. Denique *Ordinarium Praemonstratensis Ecclesiae* sive librum Signorum seu Cerimoniarum Ordi-

a) Ord. Bened. usque ad Annum 1537, quo Monachi obtentis a Paulo III. litteris bullatis cucullum abdicavere et secularium Canonicorum mores et vestes induerunt, ut notat Dacherius ad Gvil. de Novigento p. 658.

a) Ordo fundatus A. 1120.

nis, quem insignem atque utilissimum Pagius pag. 304 vocat, temporum deinde successu, ut fit, decretis Capitularium generalium Ordinis locupletatum. Exhibetur illud p. 892 seq.

HUGO *de Prato* non procul Florentia, sive *Pratensis* Ord. Praed. defunctus An. 1322. cujus *sermones Dominicales* super Evangelia et Epistolas per totum Annum, editi 1484 fol. sine loci nota, et cum *Sermonibus de Sanctis*, (qui separatim Heidelb. 1485 fol. lucem viderant) Lugd. 1511 4 et 1528. 8. Paris. 1542. 8 et Antwerp. 1617. 8. *Sermones Quadragesimales*, Venet. 1578 1584 8. Vide Jac. Quetif t. 1 p. 551.

Alius, de quo Waddingus pag. 179. Bibl. Ordinis Minor. *HUGO de PRATO*, *Etruscus, sacrae Theologiae Doctor in saeculo, factus Minorita delegit vivere sub humili statu Laicorum seu conversorum. A longa, et severa poenitentia, quadraginta annis ferens thoracem ferreum super nudam carnem, dictus est Hugo* de Pantiera. a) *Missus cum quibusdam probis, et doctis Fratribus ad procurandam Tartarorum salutem, illinc anno 1312 scripsit.*

Longam epistolam ad suos olim confratres Societatis Cippi, sitae in monasterio Minorum loci nativi Pratensis.

Tractatum edidit de vita contemplativa, *duodecim capitibus distinctum opusculum utilissimum, et doctissimum lingua Etrusca.*

De perfectione statuum. *Utrumque hunc tractatum habeo MS.*

(143. Haec opera eleganter an. 1312. Italice exarata (Due singulari tractati) cusaque primum *in Firenze per Miscomini* 1491 dein Ibid. *per Morgiani* 1491. inde *in Venetia per Niccolò Brenta* S. a. 4. titulo *Della Vita Attiva e Contemplativa*, denuo vero *in Genova per Ant. Bellone* 1535. 8. idem sint seu versio istius *De contemptu Mundi* a Fabricio post Cangium memorati, nemo adhuc patefecit. Vide supra HUGO *Pancera*.

Epistolas quam plures pias, et doctas. *Obiisse creditur in Tartaria.*

* Ejus tractatus, et *expositio orationis Dominicae* habetur in MS. Cod. 1108 Taurinensi. Monent autem eruditissimi eorum Codicum descriptores extare in Biblioth. S. Germani de Pratis persimile opus Serloni Abbati Ord. Cisterciensis adscriptum quem titulum fictum censuit Oudinus t. III. pag. 736. Contendens hoc reipsa deberi Hugoni de Prato, cui in aliis etiam Bibliothecis opusculum istud adscribitur. sed facta collatione inter Sermones Serloni tributos et Taurinenses hosce plane diversos esse constitit, ex quo non inani coniectura judicaretur uterque scriptor suum dedisse opus in orationem Dominicam. Vide ibid. t. II. pag. 370.

a) *Panciera sive Panziera.* (Cangio *Pancera.*)

HUGO *Readingensis* sive *Rheadingenensis* Abbas, laudatus Petro Blaesensi et Lelando cap. 245. Possevino *Roidingae* in Anglia, ubi *Quaestiones* ejus *Theologicas* MStas commemorat, quarum praeter Lelandum meminere etiam Baleus III. 20 et Pitseus pag 247 ad Annum 1181. Videndum idem ne sit cum Hugone *Fratrum Radingensium Abbate,* cujus *Epistola* pugnans sacramenta Presbyterorum excommunicatorum et depositorum nulla esse, legitur in GERHOI An. 1169 defuncti libro contra duos haereses, tom. 1. anecdotorum V. C. Bernardi Pezii parte 2. p. 297 300, Epistolas ad Petrum Blaesensem Baleus, Pitseus etiam ad Coelestinum II. commemorat, qui Papa fuit An. 1143 seq. Non diversus hic Radingensis Abbas ab *Hugone Rothomagensi* Archiepiscopo, de quo infra.

HUGO *Ribodimontis* sive *Ribodimontensis*, cujus Epistolam ad G. Andegevensem *de anima* data homini, num de nihilo facta sit, an de praejacenti materia corporea vel incorporea, primus edidit Edmundus Martene tom. 1. anecdotor. pag. 481. Ad hunc vel ad alium Hugonem Epistola anonymi *de modo et ordine legendi sacram Scripturam* ibid. p. 486.

HUGO ex Abbate Radingensi Archiepiscopus *Rotomagensis*, tertius huius nominis ab A. 1130 ad 1164 de quo Oudinus tom. 2. p. 1170 seq. ubi *Epistolam* eius brevem *ad Comitem Tolosanum* refert ex Sammarthanorum Gallia Christiana tom. 1 pag. 579. Epistola *ad Albericum* Hostiensem

Episcopum Sedis Apostolicae Legatum qua illi libros suos tres *super haeresibus in Aremorico* insurgentibus dedicavit, legitur in And. du Chesne notis ad Bibliothecam Cluniacensem pag. 107. Utramque earum inter varia veterum de hoc Hugone testimonia et ad eum Epistolas Dacherius libris illis tribus *dogmatum Christianae Fidei contra haereticos sui temporis* praemisit, quos primus edidit ad calcem Guilelmi de Novigento p. 691-714. Paris. 1651. fol. Memoria fefellit Oudinum qui Hugonis tres libellos de officiis et ministris Ecclesiae publicatos a Dacherio scribit tom. 2 pag. 1473. quo titulo scriptum ab Hugone opus non reperio. Librum *de diversis quaestionibus ad Matthaeum Albanensem* Episcopum, quem elegantem Sammarthani appellant, sive *septem libros Dialogorum seu Quaestionum Theologicarum* cum praemissa *ad Matthaeum Albanensem Epistola* vulgavit Edmundus Martene tom. V anecdotorum pag. 895-1000. Iisdem subjunxit fragmentum tractatus *in Hexameron* pag. 1001. ubi legendum: *Eo certe Spiritu quo scripta sunt, et reserari quaerunt*, non *reservari*, ut typorum vitio legitur. *Tres* ejus *libros in Genesin* vidisse se in Bibliotheca Claraevallensi testatur idem Martenius tom. IX veterum monumentorum, pag. 1185. ubi publicatos ab eo habemus *tres libros in laudem memoriae et de memoria Divinorum dogmatum*, ad Philippum nescio quem p. 1187-1212. et libellum *super Fide Catholica, et Dominica Oratione* ad Ægidium Archidiaconum pag. 1212-1236. subjuncta *Epistola ad Innocentium II. de obitu Stephani Regis Anglorum* An. 1154. Utinam, inquit laudatus Martenius, aliam ejus *Epistolam ad Theodoricum*, Episcopum Ambianensem haberemus de constructione Ecclesiae B. Martini Carnotensis, cujus meminit Robertus de Monte ad Annum 1144. Aliae duae *Epistolae ad Romanenses et Sugerium Abbatem* tom. 1 anecdotor. pag. 380. et 418. Denique Martenio debemus *Vitam S. Adjutoris*, Monachi Tironensis in Pertico, t. V anecdotorum p. 1011-1118.

HUGO Prior S. Martini *Sagiensis*: ad quem plures GALFREDI Canonici (de quo supra pag. 8.) et subprioris S. Barbarae in Neustria, Epistolae quibus eum hortatur ut *vitam Gvalteri de Mauritania* de quo supra pag. 110.) scribendam in se suscipiat, in tom. 1. anecdotorum Edmundi Martene pag. 541. 543. 547. 550. et Hugonis responsio p. 542.

HUGO Francigena, Monachus *Salvaniensis* circa Annum 1174. in dioecesi Lodavensi, cujus *Narratio de conversione Pontii de Larazio, et de exordio Monasterii Salvaniensis* edita a Baluzio tom. 3. Miscell. pag. 205-226. *Epistolae quae*. ad GAUCELMUM de variis quaestionibus, in laudati Martenii anecdotis tom. 1. p. 466. 471.

HUGO. *Seguinus*, supra, *Hugo de Bilbonio*.

HUGO. Bentius *Senensis*, Philosophus et Medicus insignis, qui docuit Ferrariae ubi in Concilio An. 1438. invitatos ad Coenam a) Graecos et Latinos Philosophos, Theologosque rogavit ut proponerent quicquid vellent, eorum se doctrinis responsurum ac partes sive Platonis sive Aristotelis defensurum. Docuit deinde Parmae, atque diem Romae obiit An. 1448. Exstant ejus opera junctim edita Venet. 1518. fol. 2. Vol. in quibus Consilia Medica et Commentarii in Hipocratis aphorismos, artem Galeni, atque Avicennam. Vide Bibliothecarum Medicarum scriptores Lindenium, Merklinum, Mangetum

HUGO *de Sletstad* sive *Selenstadiensis*, *Sletstadinus*, Germanus Ordinis Minorum, *S. Bonaventurae* in *determinationibus* suis sectator et interpres, ut notavit Trithemius cap. 702. et de scriptoribus German. cap. 175. ubi ejus *commentarium in IV. libros sententiarum*, *Sermones* et varias in Divinis Scripturis *quaestiones* commemorat. Fallitur Clariss. Oudinus qui tom. 3 pag. 2585. Hugonem qui in IV. libros Sententiarum scripsit, confundit cum *Joanne Hugone* JCto, de quo supra, eumque praeter rem adscribit Ordini Praedicatorum.

HUGO *Sotovagina* Anglus, praecentor et

a) Æneas Sylvius in descriptione Europae cap. 52. pag. 52. Opp. et Andreas Tiraquellus lib. de Nobilitate.

Archidiaconus medio Seculo XV. scripsit *carmina* complura, etiam *distinctiones metrorum* carmine, quod incipit: *Surge piger, quare dormis mortis.* Vide Baleum XII. 79. et Pitseum p. 865. seq.

HUGO *Svethus* sive *Svextus* Anglus Ord. Praed. Seculo XV. cujus librum *de arte praedicandi et Sermones* memorant Baleus X. 39. et Pitseus pag. 866.

HUGO Prior de Monte *Thabor* circa Annum 1170. cujus Epistola ad Ludovicum juniorem, Regem Francorum, in Gestis Dei per Francos, p. 1180.

HUGO *de S. Theoderio*, supra, *Hugo de S. Caro.*

HUGO Archidiaconus *Turonensis* circa Annum 1020. cujus *Dialogus* ad Fulbertum Episcopum Carnotensem, amicum suum ex dilectis singulariter dilectum, de miraculo quod contigit in translatione Martini, et dedicatione Monasterii ab Hervaeo Thesaurario fundati, editus est a Mabillonio tom. 2 Analect. pag. 349. (editionis novae pag. 213-217.) Eundem MStum memorat Labbeus in Bibliotheca MSS. p. 200.

HUGO *de Vercellis*, infra, HUGUTIO.

HUGO *Verolegus* sive *Virley*, Anglus, Carmelita Nordovicensis circa An. 1344. scripsit teste cap. 361. Lelando commentarios, et Collationes sive Homilias VIII. *in Matthaeum, Determinationes, Quaestiones*, et librum *de figuris historiarum* Sacrae Scripturae, in quo litteralem sensum primarium esse, in ipso statim limine confitetur. His Baleus V. 52. et Pitseus pag. 450. addunt *Praelectiones in Paulum, Lectiones Scripturarum, Placita Theologica, Quaestiones Ordinarias, Determinationes XCVI.* et *sermones per annum.*

HUGO *de S. Victore*, illustri apud Saxones gente ortus, ut contra virorum doctorum sententiam, qui *Lothariensem* a) vel *Iprensem* Flandrum faciunt, non inficiandis testimoniis demonstrarunt Henricus Meibomius in dissertatione de Hugonis Victorini patria tom. 3 scriptorum rer. Germanic. p. 429. sq. et G. G. Leibnitius praefatione ad tomum secundum accessionum Historicarum, et in nota inserta Actis Eruditorum An. 1698. pag. 354. nec non Polycarpus Leyserus in diss. de tribus primis S. Theologiae Doctoribus ex gente Saxonum, Helmst. 1720 4. *Parisiensem* autem vel *Gallum* Hugonem vocant alii, quoniam Canonicus Regularis Augustinianus fuit in Coenobio S. Victoris ad muros Parisienses: idem propter doctrinae fidem atque ubertatem et didascalici libros editos dictus *Didascalus* a) ab aliis etiam *lingua Augustini* vel *alter Augustinus.* Diem obiit An. 1140 vel 1142 b) annos vix natus quatuor et quadraginta. Scripta eius post separatas quasdam singulorum editiones, recensitas a Gesnero in Bibliotheca, iunctim prodiere Paris. 1526 et curante Thoma Garzonio de Bagnacaballo, Canonico Regulari Lateranensi, Venet. 1588 tum Moguntiae et Colon. 1617 ac denique ex recensione Canonicorum Regularium S. Victoris Parisiensis, servato priorum editionum ordine, Rotomagi 1648 fol. tribus Voluminibus.

Primi tomi haec sunt:

De scripturis, et scriptoribus sacris, praenotationes, p. 1.

Annotationes elucidatoriae in prologum Hieronymi pag. 10: et in Pentateuchum pag. 12. Judices pag. 17 libros Regum p. 42 et in Psalmos, sive in plura Psalmorum loca pag. 50,

In Ecclesiastem homiliae XIX. p 75.

Annotationes elucidatoriae in Threnos, secundum multiplicem sensum, pag. 146. in Joëlem, pag. 179 et in Abdiam moralis expositio pag. 204 in qua pag. 248 seq. etiam *de quinque septenis in S. Scriptura*: septem vitiis, septem petitionibus orationis Dominicae, septem Donis Spiritus S. septem Virtutibus et septem Beatitudinibus.

Posteriorum excerptionum libri, sive Annotationes elucidatoriae allegoriarum in to-

a) Quid si Lothariensis dictus fuerit a Regia Lutera in ditione Brunsvicensi?

a) Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 480.

b) Pagi ad An. 1140. num. IX. Mabillon. t. 1. Analect. p. 263.

tum Testamentum vetus, exceptis Prophetis, et libris sapientialibus, p. 221.

Annotationes elucidatoriae allegoriarum in quatuor Evangelia, p. 283.

Annotationes litterales in Evangelium Johannis, pag. 336 et quaestiones in Epistolas S. Pauli, pag. 361.

Annotationes elucidatoriae in Dionysium Areopagitam, de coelesti Hierarchia, a JOANNE *Scoto* Latine versum, pag. 473. 587 ex edit. An. 1502.

Secundi Tomi haec sunt:

Institutiones in Decalogum, pag. 1. De capite quarto vide Oudinum t. 2 p. 1155.

Expositio in Regulam S. Augustini, p. 5. Prodiit Venet. 1561 4. Comi 1605 8. Rom. 1625 etc.

De Institutione novitiorum, pag. 26.

De claustro animae libri IV. pag. 42. Vide supra in HUGONE *de Folieto*.

De anima, ejus affectionibus, interiore domo et erectione ad DEUM libri quatuor, pag. 132. De his vide si placet Oudinum tom. 2. pag. 1155.

De medicina animae, pag. 122.

Soliloquium de arrha animae, pag. 223 ad fratres suos in Hamersleve. vide Oudinum tom. 2. pag. 1143.

De laude charitatis, pag. 233.

De modo orandi pag. 238.

De fructu carnis, et spiritus pag. 248. cum arbore virtutum et vitiorum, p. 254.

De nuptiis carnalibus et spiritualibus libri duo, 256.

De vanitate mundi et rerum transeuntium usu, libri quatuor, pag. 265.

De Meditatione libellus, pag. 284 Huic jungendus libellus *de modo dicendi et meditandi* quem edidit Edmundus Martene tom. V. anecdotor. pag. 887 890. Praemissa OTBERTI Epistola de Hugonis Victorini obitu p. 883.

Arcae Noae mystica descriptio pag. 286, De Arca Noae libri quatuor, sensum moralem investigantes p. 298.

Excerptionum priorum libri X. de origine et discretione artium pag. 333 situ terrarum pag. 345 summa Historiarum ab Adamo usque ad sua tempora pag. 391.

De tribus columbis, ad Rainerum: et de aliis avibus, pag. 394. Vide supra in HUGONE *de Folieto*.

De bestiis, pag. 418 de arboribus. pag. 450 et aliis rebus, pag. 452 de hominis partibus pag. 455 et aetatibus pag. 460.

De proprietatibus et epithetis rerum, ordine alphabetico, p. 461.

Sermones centum de variis argumentis pag. 478.

Sermo de Assumptione B. Mariae, ad Canticor. IV. 7 p. 632.

Tertii Tomi haec sunt:

Didascalicon libri septem, p. 1. quorum ultimus pag. 41 est de tribus invisibilibus DEI, ex edit. Paris. 1506 4. sive quomodo ex visibilium cognitione ad ejus Potentiam, Sapientiam et Benignitatem agnoscendam pervenire liceat. Ex hujus libri capite 26 pag. 53 petita sunt quae ex Hugonis libri *de tribus diaetis* citantur in vita Lidwinae tom. 2. Act. Sanctor. April. 14 pag. 282 b. reliqui vero sex libri cum vocabulario Wenceslai Brack An. 1483 pridem editi, ad artes liberales pertinent. Libri primi quod est *de studio legendi*, caput ultimum de varietatibus ingeniorum, primus edidit Mabillonius t. 1. Analect. p. 324 (editionis novae p. 132.)

Libellus de potestate et voluntate DEI, utra major sit, p. 55.

De quadruplici voluntate in CHristo, p. 56.

De sapientia animae CHristi, pag. 59. Prologum quo hic liber Magistro GUALTERO de Mauritania ab Hugone dicatur, edidit Oudinus tom. 2, p. 1145.

De unione corporis et spiritus, ex *primo Miscellaneorum Hugonis*, pag. 63.

De verbi DEI efficacia, p. 65.

Apologia de Verbo Incarnato, contra eos qui dicunt CHristum non esse aliquid secundum quod est homo, p. 68.

De Verbo Incarnato disputationes sive collationes tres, p. 78.

De perpetua Virginitate B. Mariae, pag. 81. Henricus Gandavensis, cap. 25. de S. E. *Respondit cuidam, B. Virgini Mariae cum derogatione obloquenti, et calumnianti quod* Virgo Virginum *diceretur*.

Miscellaneorum a) *secundi codicis*, libri

a) Miscellaneorum et Excerptionum libros Ou-

quinque, pag. 91. Epistolam ad *Joannem Hispalensem*, quae lib. 1. cap. 80. pag. 119. legitur, ex MS. edita a Baronio ad Annum 1136. n. XVI.

De filia Jephte tractatus, pag. 329.

Speculum de mysteriis Ecclesiae, pag. 335. longe junioris Scriptoris judice Oudino, quem vide tom. 2. p. 1157. seq.

De cerimoniis, Sacramentis et officiis Ecclesiasticis, libri 3. p. 356. *Roberto* PAULULO tribuuntur in Codice MS. Sangermanensi.

De canone mystici libaminis, libellus, pag. 399. Vide infra, JOHANNES *Cornubiensis*. Tria hactenus recensita scripta exstant etiam inter scriptores de Ecclesiae Catholicae Divinis Officiis, Rom. 1591. fol. et in Biblioth. Patrum tomo X Paris.

Dialogus de Sacramentis legis naturalis et scriptae, pag. 406.

Summa sententiarum sive *Eruditionis Theologicae*, septem tractatibus comprehensa, quorum est.

Primus de Fide, Spe, et Charitate, Trinitate, et Incarnatione, pag. 417.

Secundus de creatione et statu angelicae naturae, pag. 436.

Tertius de creatione et statu humanae naturae, p. 450.

Quartus de Sacramentis in genere, et praeceptis Divinis, pag. 453.

Quintus de Sacramento Baptismi, p. 458.

Sextus de Sacramento Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae, et Extremae Unctionis, p. 464.

Septimus de Sacramento conjugii, p 472.

De Sacramentis Christianae fidei, libri duo, ex edit. Argent. 1465. fol. p. 487-712.

De *Chronico* quod nondum lucem vidit, ita Albericus ad Annum 1130. *Huc usque Magister Hugo de sancto Victore* Chronicam *suam* de Romanis Pontificibus et Imperatoribus *digessit. Unde manifestum est illum hoc tempore floruisse. Hic multa scripsit laude digna, quae in armariis habentur, in quibus haec sunt*: *Hugo* de Sacramentis. *Hugo* super Hierarchiam Dionysii. Didascalicon *Hugonis. Hugo* de tribus virtutibus, Fide, Spe et Charitate. *Exponit etiam luculento sermone* Regulam *B. Patris nostri* Augustini: *et multa alia scripsisse dicitur. Sed et quandam* Epistolam *prolixam scribit* ad B. Bernardum. *Dicunt eum natum fuisse de Saxonia.* HUGO *vero qui scripsit* de avium natura *moraliter et allegorice*, *et* de claustro animae, et de medicina animae, *fuit de Ordine* Praemonstratensi, *ut dicitur Canonicus. Tertius* HUGO *qui scripsit* minorem Ecclesiasticam Historiam, *ad Comitissam Campaniae* Adelam, *matrem Comitis Theobaldi, fuit Niger Monachus* Floriacensis, *id est de S. Benedicto super Ligerim, in dioecesi Aurelianensi* Ex hoc Alberici loco patet falli Oudinum, qui tom. 2 pag. 159. esse Chronici auctorem negat Hugonem Victorinum, illudque Floriacensi adscribendum esse contendit.

Oudinus tom. 2. pag. 1146 seq. Hugonis Victorini esse negat et Richardo Victorino maximam partem mallt tribuere.

HUGO *de Vienna*, supra, *Hugo de S. Caro*. Vide Jacobum Quetif t. 1. p. 198. 199.

HUGO. *Virdunensis*, supra, *Hugo Flaviniacensis*, et *Hugo Lingonensis*, nam et is Episcopato destitutus ad Virdunenses Monachos se contulisse dicitur.

HUGO *Virleyus*, supra, *Hugo Verolegus*.

HUGO sive *Udo de Vitonio*, qui scripsit in Psalmum, *Miserere mei DEUS*, a Jacobo Longo pag. 785. Bibliothecae Biblicae exegeticae habetur Anglus, Dominicanus, Theologiae Doctor Oxoniensis atque Cardinalis. At fortasse idem cum Hugone Flaviniacensi de quo supra: quanquam Altamura p. 116. eundem cum. *Hugone de Dittona* esse suspicator, Jacobus vero Quetifus tom. 1. pag. 667. non diversum ab YVONE sive EVENO *de Begaigno*, sive *de Viconia* Poenitentiario Papae et Episcopo Trevorensi in Britannia minore, defun- An. 1371. cujus statuta Synodalia An. 1365. promulgata vulgavit Edmundus Martene tom. 4. anecdotor. pag. 1118-1121. Denique huic Hugoni laudatus Longus tribuit Commentarium in *Ecclesiastem*, ex testimonio Ambrosii Gozei Ragusini in Catalogo Virorum ex familia Praedicatorum, litteris insignium. Venet 1605. 8.

HUGOLINUS. *Cardinalis* ac. deinde Papa GREGORIUS IX. supra. p. 91.

HUGOLINUS sive *Ugolinus*, Malabranchius, Augustinianus, Theologus Paris. inde Legatus Nicolai tertii, Graecos An. 1278. a) cum Ecclesia Romana unire gestientis, ad Michaelem Palaeologum Imp. *Cardinalis* et Patriarchae CPolitani titulis auctus diem obiit A. 1281. b) Scripsisse traditur *in IV libros Sententiarum. Quodlibeta. De differentia idiomatum. Sermones* de tempore et de Sanctis. Haec Trithemius cap. 498 cui ab Elssio in Encomiastico Augustiniano pag. 300. 301. adduntur: *De principiis Ordinis. De Sacris disciplinis. De DEO uno et Trino. Quaestiones in VIII. libros Physicorum*, et Commentarius *in Boethium de Consolatione Philosophiae.*

HUGOLINUS de monte *Catino*, Physicus: junior fortasse quam ut a me referri hoc loco debeat, cujus liber de balneorum Italiae proprietatibus viribusque exstat in opere Veneto Th. Juntae de balneis, 1553 fol. (145 Natus an. 1348 obiit a. 1425 juxta Ang. M. Bandini in *Ragionamento sopra Ugolino* ec. Venezia Coleti 1789. 4.)

HUGOLINUS *Comoediarum* scriptor de quo Gesnerus, Simlerus et alii. Infra *Hugolinus Parmensis*.

HUGOLINUS *Fontana*, Parmensis JCtus Seculo XIII. quem nonnulli confundunt cum HUGOLINO sive Hugone a Porta Ravennate, qui docuit in Patria sua Bononiae, et decimam Collationem *de Feudis*, probante Friderico I. Imp. adjunxit ad calcem Authenticarum. Defuncto A. 1168. positum epitaphium.

Urbis honor, Mundi speculum jacet hic Ugolinus;

Vide Guidonem Pancirollum II. 17. et 50. de claris Juris interpretibus. Hugolinum JCtum qui circa Annum 1190. vixit, *Fontanam* a Cangio notari puto, sed cujus nulla scripta video vel ferri vel memorari.

HUGOLINUS *de S. Maria in Monte*, Picenus, Ord. Minor. et S. Francisco ipsi suppar, scripsit *Floretum* sive Historiam, in qua narravit vitam et gesta S. Francisci ac Sociorum ejus usque ad Pontificatum Alexandri IV. hoc est usque ad Annum CHristi 1254. MStam se habere illam historiam testatus est Waddingus in Bibliotheca Ordinis Minor. pag. 179.

HUGOLINUS *Ostiensis et Velitrensis* Episcopus, cujus Mandata Velletrensibus, Coranis et Sarminitanis data pro conservanda pace cum Nymphanis et Sitinis, vulgavit Baluzius tom. 2 Miscell. p. 248-250. non alius ab eo qui deinde Papa GREGORIUS IX. de quo supra pag. 275.

HUGOLINUS *Parmensis*, insignis sua aetate JCtus, cui a Doctore Italo A. 1437. dicatum cum inter Doctores JCtos jam recipiendus esset elogium publicavit Joannes Petrus de Ludewig, tom. V reliquiar. MSS. pag. 274-290. in quo inter alia pag. 1277. laudatur quod *cum prima litterarum monimenta gustasset, Divino poëtarum pellectus spiritu, maxima vi dicendi, liberalibus studiis, clarissimis historiarum exemplis ad Poëtas, Rhetores, Philosophos, Historicos quasi divertit.* Ex ejus Comoedia *Philogenia*, integrum caput excerptis implevit Albertus de Eyb in Margarita poëtica parte 2. tractatu I. c. 17.

HUGOLINUS *Verinus*, Florentinus Michaelis Verini, distichorum nobilium scriptoris anno aetatis XVII. extincti pater, superstes filio, et discipulo Petro Crinito qui libros de honesta disciplina An. 1504. in lucem edidit. Vide Vossium de Hist. Lat. p. 626. Michaelem Pocciantum et Julium Nigrum in historia scriptorum Florentinorum, pag. 520. seq. Journal dés Savans 1682. pag. 310. Plurima, nec infeliciter, panxit carmine, ex quibus edita reperio libros III. *de illustratione Florentiae*, a) hoc est de illius Urbis laudibus, viris claris et familiis illustribus. Paris. 1583. ap. R. Stephanum et Florent. 1636. 4. *Triumphum* et Vitam Matthiae Pannoniae Regis

a) Rynaldi et Et Bzovii Annales ad illum Annum.

b) Non 1291. ut Cangius Elssium secutus. Nam Petrum Hugolini in titulo Patriarchae successorem confirmavit Hugonis IV. An. 1285. ut ipse fatetur Cangius in historia CPolitana sub Francis Imperatoribus pag. 244. Fallitur idem Elssius duos comminiscens Hugolinos Malabrancas, Patriarchas CPolitanos. Vide Latinorum Patriarcharum CPol. seriem tom. VI. Bibl. Graecae pag. 759. seq.

a) Julius Niger testatur MStos versibus Hetruscis redditos exstare a Baldello. (146 a Franc. M. Soldini Carmelit. Italico Carmine versum prodiit Lat. Ital. In Parigi (Siena) 1790 in 4.)

cum aliis quibusdam, ex Bibl. celeb. Magliabechii, edente Nic. Bartholino Bargensi Lugd. 1679. 12. Sylvam *de laudibus S. Johannis Gvalberti*, Ordinis Vallumbrosani fundatoris. Paris 1507. Aliam *in laudem S. Philippi Benitii*, Florentini, Ordinis Servorum B, Mariae instauratoris, Florent. 1618. in prima parte Annalium illius Ordinis edita *ab* Archangelo Jano, Florentino. Inedita sunt: *de expugnatione Granatae* ad Ferdinandum Regem Hispaniarum. *Carliados* de rebus gestis Caroli Magni, libri XV. *Gratulatio de incoluminate Fernandi Regis* ab insulto fanatici parricidae. *Paradisus* ad Laurentium Medicem. Hymnorum Sapphicorum *in laudem Christi*, *Virginis Mariae et Sanctorum* libri V. *Vita S. Antonini*, Praesulis Florentini *De morte S. Thomae Straderis*, Ord. praed. *De Christianae Religionis ac Vitae Monasticae felicitate. De rebus Divinis. Testamentum Vetus et Novum carmine expositum*, speciatim Ezechiel, Epistolae Pauli et Apocalypsis. Epigrammatum Horatianorum Volumen ad Beatricem Hungariae Reginam, Regis Ferdinandi filiam. Commentaria in Horatium.

HUGVELINI Apparatum ad Decreta laudat. Joannes Gerson in Compendio Theol. de Sacramentis t. 1. Opp. p. 272.

HUGVITIO, *Hugutio* sive HUGO, *Ugo* de Vercellis, primus Glossator Decretorum, idem Episcopus Ferrariensis* defunctus An. 1212. Vide Ughellum t. 2. p. 540. et Pancirollum III. 3. de claris J. interpretibus.

* Ille qui scripsit in Decretum, quique sub Innocentio III. vixit, non Vercellensis quidem sed Pisanus vel fuit vel dictus est; Pisanum enim appellat Ptolomaeus Lucensis Hist. Eccles. Lib. XXI. c. 18. ibidemque ait scripsisse illum *apparatum super Decretum*, *et in Grammatica regulas derivationum*. In Codice quodam MS. 207. Biblioth. Felini extat Opusculum quoddam juris Canonici in cuius fine haec legi: *Commentarii in IV* (sic) *causa Decretorum, in quibus Ugutio Ferrariensis Episcopus defecit etc. Su... hoc opusculum composui A. D. 1243. Ind. I. V. Kal. Septemb. Ego Magister Jo. Vesam.* Titulus operis ita se habet *Gregorii IX De dispensationibus*.

HUGUTIO de animalibus, laudatus Augustino Steuco in XI. Levitici non alius est quam *Hugo de Folieto*, de quo supra pag. 273. Neque alius apud Simlerum *Hugonis Saxonis* liber de natura animalium, Physiologus dictus, quem inter Hugonis de S. Victoris opera editum dixi supra, p. 885.

Chronicon Monasterii HUISBURGENSIS, in dioecesi Halberstadiensi, ab Anno 1080. ad 1590. in Meibomii scriptoribus rerum Germanicar. tom. 2. p. 533.

HULDERICUS, *Udalricus*, *Ulricus*, *Vodelricus*, *Uldaricus*, *Oldaricus*, *Vodalricus*, *Othalricus*, *Odalricus*, *Odelricus*, *Walricus*, aliis *Udalgerus*, *Adelgerus*, *Olgerus*, a) *Olkerus*, Augustanus ab Anno 848. Episcopus, a juniore Huldrico Comite de Kyburg et Dillingen Augustano ab Anno 923. ad 973 Episcopo diversus. b) Prioris Hulderici est notissima illa ad Nicolaum I. (ab Anno 858. ad 867) Papam *Epistola de continentia Clericorum*, de qua Bertoldus Constantiensis, qui circa Annum 1100. scripsit, in appendice ad Hermannum Contractum, ad Annum 1079. apud Urstisium tom. 1. pag. 349. *In Synodo Romae mense Februario Gregorius VII. Presbyteros deinceps in fornicationem lapsos, absque spe temperationis deposuit, et scriptum quod dicitur* sancti Udalrici ad Papam Nicolaum de nuptiis Presbyterorum *et capitulum Paphnuti de eadem re, imo omnia sacris Canonibus adversa damnavit.* Eam Epistolam primus in lucem protraxit Matthias Flacius, Magdeb. typis Michaelis

a) Vide W. E. Tenzelii dialogos vernaculos (Monatliche Unteredungen) An. 1694. pag. 520. seq. et Diarium Theolog. Unschuldige Nachrichten An. 1710 pag. 140.

b) Auctor compilationis Chronologicae ad Annum 973. apud Pistorium tomo uno pag. 732. *Sanctus Udalricus Augustae Episcopus* (hujus unius meminit Martyrologium a Beckio editum IV. non. Jul. et hujus vita apud Velserum pag. 515. Opp. Surium in edit An. 1618. IV. Julii, Mabillonium Sec. V. Benedictin. et Joannem Pinium in Actis Sanctorum Junii tom. 2. pag. 97.) *migravit ad Christum. Et iste fuit secundus ejus nominis, et ambo sunt sancti, et eorum solennitas in Suevia sancte celebratur.*

Lotther A, 1550. 8. recudique deinde fecit in suo Catalogo testium Veritatis, post editonem primam Anni 1556. toties iterum in lucem dato. Exstat etiam in Joannis Foxi Actis et Monumentis Ecclesiae t. 2. pag. 456. In Joannis Wolfii Lectionibus memorabilibus ton. 1. pag. 241. In Appendice Chronici abbatis Urspergensis pag. 436. Seq. et in Orthodoxographis utrisque An. 1555. et 1569. In Georgii Calixti appendice ad librum de conjugio Clericorum pag. 625. in M. Zuerii Boxhornii historia universali ad Annum 874. et in Eduardi Brown appendice ad fasciculum rerum expetendarum et fugiendarum Lond. 1690. fol et magnam partem apud Gvilelmum Mornaeum lib 2. de S. Eucharistia, capite undecimo. Separatim etiam edidere B. D. Joannes Fridericus Mayerus Gryphiswald. An. 1703. et Sam. Schelwigius Gedani An. 1706. cum notis in 4. Vide infra, VOLUSIANUS.

HULDRICUS *Mutius*, infra, MUTIUS.

HUMBERTINUS, supra, HUBERTINUS, pag. 264.

HUMBERTUS Burgundus, Viennensis, Magister Ord. Praed. Generalis, supra HUBERTUS, p. 265.

HUMBERTUS *Cardinalis*, infra, *Humbertus Mediolanensis*, et *Humbertus Silvae Candidae*.

HUMBERTUS, sive *Hunebertus Deirus*, aliis et rectius Pitseo pag. 125. judice *Wibertus* sive *Wierbertus Deirus*, Othbolono in vita S. Bonifacii *Wimbertus*, ubi ait eum Magistrum fuisse S. Willibrordi. Sed et Bonifacius ipse Magistrum eum vocat in Epistola ad Danielem Episcopum Wintoniensem, qua petit mitti sibi librum quem moriens ille reliquit, ubi sex Prophetae in uno corpore claris et absolutis litteris scripti reperiebantur. Hic Deirus ad Gregorium II. Papam scripsit *vitam Ceolfridi* de quo supra t. 1. pag. 340. cui A. C. 710. in Abbatia Wirmuthensi et Girwicensi Ord. Bened. in Anglia successit, ac deinde Martyrium subiit in Fostlandia circa Annum 730. Ejus praeterea *Epistolas* memorat Baleus Centur. 1. cap. 95.

HUMBERTUS *Delphinus* Viennensis et relicto An. 1349. Delphinatu frater Ord. Praed. atque Anno 1351. Patriarcha Alexandrinus, et Remensis Archiepiscopus, defunctus A. 1355. De eo Andreas du Chesne in historia Delphinorum Viennensium, Sammarthani in Gallia Christiana tom. 1. pag. 530. seq. et Iacobus Quetif de scriptoribus Dominicanis t. 1. 641. a quo plures ejus chartae pag. 643. commemorantur.

HUMBERTUS, *Hubertus*, *Obertus*, Archiepiscopus *Mediolanensis* de quo Albericus ad Annum 1200. pag. 410. *Apud Mediolanum Humbertus Theologus et Cardinalis, fuit Archiepiscopus* (ab Anno 1196.) *per annos septem*, *qui rexit Parisiis decem annis*, *et scripsit librum* de Concordia Veteris et Novi Testamenti.

HUMBERTUS sive *Hymbertus* Abbas *de Prulliaco* Ord. Cisterc. in dioecesi Senonensi ab Anno 1296. ad 1298. Ejus Commentarium *iu IV. libros Sententiarum* MS. memorat Sanderus I. pag. 168. et II. pag. 217. Biblioth. Belgic. Commentaria *in Aristotelis Metaphysicam* et *libros de anima*, Vischius pag. 163. Biblioth. Cisterc. atque Oudinus quem vide tom 3 pag. 633.

HUMBERTUS *de Romanis*. Supra HUBERTUS, p. 837.

HUMBERTUS ex Monacho Ord. Bened. in Mediano S. Mansueti coenobio Tullensis dioecesis, factus Cardinalis ab Anno 1049. et Episcopus *Sylvae Candidae*, An. 1051. Leonis IX. ad Imperatorem CPol. Constantinum Monomachum Legatus: Deinde a Victore II. An. 1057. missus ad componendas lites in Monasterio Casinensi, de quo Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Casinensis. c. 88. Praeter ejus scripta non ineruditа *adversus Graecos Mich. Cerularium, Leonem Achridenum et Nicetam Pectoratum*, vulgata a Baronio ad Annum 1054. et in appendice ad Tomum XI. Annalium, et a Canisio tom. VI lectionum antiquar. (tom. 3 editionis novae Basnagianae pag. 277.) et in Bibliothecis Patrum tom. XI. Colon. et tom. XVIII. Lugd. p. 389. 405. 415. Novissime ejus *libros tres adversus Simoniacos* ex Bibliotheca Laurentiana publici juris fecit Edmundus Martene tom. V Anecdotorum pag. 633-844. In libro tertio, octo

capitula postrema desiderantur. *Spinosulus* quem pag. 647. perstringit, non videtur esse nomen hominis proprium, sed positum convicii loco in spinosiora adversarii acumina. Idem Humbertus praescripsisse traditur BERENGARIO ejurationem in Concilio Rom. An. 1059. quae incipit *Ego Berengarius*, atque etiam inserta est Decreto Gratiani dist, 2. de consecratione c. 42.

HUMBERTUS *Viennensis*, supra, HUBERTUS pag. 265 et *Humbertus Delphinus*.

Robertus HUMBLETONUS Theologus Oxoniensis Ord. Praed. circa Annum 1390 cujus librum *contra Wiclefitas* laudat Bzovius ad Anuum 1415 num. LVIII. p. 489. Praeterea ejus *Summam totius Theologiae* et *Lectiones Scholasticas* Pitseus pag. 556. Nec plura Jacobus Quetif tom. 1, p. 699.

HUMELINÆ Vita et Visiones memorantur ad Annum 1202 pag. 430.

HUMFREDUS seu *Humfridus* cognomento *Bonus*, Claudianus sive Glocestriae Dux, et Pembrochiae Comes, conditor Bibliothecae Oxoniensis et literatorum Patronus cui Petrus Candidus Decemb. Platonis Politiam Latine a se versam dedicavit. De eo Lelandus cap. 534 ubi ait dignas ejus laudes se complexum in Commentariis cygneam Cantionem illustratibus. Diem obiit An. 1447. Scripsit *tabulas directionum Planetarum*: quibus Baleus VIII. 2. et Pitseus pag. 638 addunt *Librum ad Abbatem S. Albani*, qui incipit: *Meditantibus nuper quam fugax* atque *Epistolas* et in his unam *de sua donatione*, cujus initium: *Cum Dominus Rex per litteras suas*.

HUMFREDUS *Gilbertus*, Anglus Equestris Ord. vir Mathematicarum scientiarum peritus, Henrici VII. Regis Angliae jussu et expensis (qui ab Anno. 1485. ad 1509. praefuit) varias navigationes ad investigandas terra novas suscepit, cujus Chartam totius Mundi et alias particularium regionum, Londini in domo Regia Alba Aula (White Hall) servatas, itinerariaque multa et librum de navigatione ad terram Catajam celebrat Pitseus pag. 866.

HUMFREDUS *Nekon* sive *Nechodunus* Anglus Nordovicensis primus ex Carmelitis Doctor in Academia Cantabrigiensi, sive Grantae Girviorum ut vocat Lelandus cap. 308. Diem obiit An. 1303. Scripsit, teste eodem Lelando Quaestiones et sacras Conciones: quibus Baleus IV. 24 et Pitseus pag. 388. Lecturas Scholasticas adjungunt. Duos ex hoc uno Humfredos Nektonum et Nekionum ab Alegrio in paradiso Carmelitici decoris pag. 277 et 305 procudi non dubito.

S. HUMILITAS Abbatissa Ordinis Vallumbrosani Florentiae circa Annum 1310. Cujus vitam scriptore Anonymo synchrono dedit Papebrochius tom. V. Maji 22. p. 205. Scripsit tractatum *de Curia Paradisi*, vide p. 213 *et laudes B. Mariae* id. p. 215. Ex ejusdem sermonibus ad Monachos Vallumbrosanos fragmenta t. VII. Maji p. 830 840.

HUNIBALDUS Francus, qui sub Justino Juniore, libros XVIII. Historiarum a bello Trojano usque ad Clodovei tempora traditur scripsisse: Auctor nullius fidei de quo vide si placet Vossium II. 22. Hist. Latin. pag. 255. seq. cui *nec tressis scriptor* et *ferrei oris, plumbei cordis Hunibaldus* audit. *Trithemius* splendido deceptus titulo, et *solidum Francorum Historiographum* tractare se non dubitans, epitomen duodecim posteriorum librorum composuit, atque inscripsit *Compendium de Origine Francorum*. Exstat in Simonis Schardii tom. 1. scriptorum rerum Germanicarum. Basil. 1574 fol. pag. 301. Confer Burchardum Gotholf Struvium in diss. de doctis impostoribus.

Gregorius HUNTINGTONUS, supra, p. 95.

Joannes HUSS, *de Husynez* sive *de Hussenytz* Bohemus, celeberrimus Confessor CHristi. Hic Baccalaureus in artibus Pragae An. 1393. Magister artium An. 1396. Sacerdos et Praedicator in Bethlehemo Pragensi An. 1400. Decanus An. 1401 et Rector Universitatis An. 1409 quo Anno Alemanni ob trium suffragiorum jura Bohemis a Rege Wenceslao An. 1408 permissa e Pragensi schola egressi sunt, et Lipsiensi Academiae condendae occasionem Friderico III. bellicoso Electori Saxoniae praebuere. Quae cum Husso ob dogmata et liberas acresque censuras inviso acta sunt in Concilio Constantiensi, ab amicis et inimicis

copiose ac diverse tradita, et variis exposita scriptis sunt, quorum partem magnam in Centifolio Lutherano signare me memini pag. 341 387 778 803 nec deesse etiam amplius mihi spicilegium video, sed sola hoc loco scripta Hussi referre cupientem nihil aliud addere juvat, quam quod anno aetatis suae XLII. cum Anno 1415 8. Jul. in Concilio Constantiensi contra fidem datam jam comburendus esset, identidem ingeminavit has preces: *JEsu CHriste, Fili DEI Vivi, qui passus es pro nobis, miserere mei.* Opera Joa. Hussi et Hieronymi Pragensis excusa junctim Norimb. 1558. fol. duobus Volum. recusa a) ibid. 1715. fol. praemissa praefatione D. Martini Lutheri quam ille Epistolis Hussi A. 1537 editis praefixerat.

Tomo primo continentur:

1. Historia de actis et martyrio Joannis Hussi. 2. Explicatio Symboli, pag. 29 b. Decalogi, pag. 30. Orationis Dominicae, pag. 31 cum aliis scriptis, de peccato mortali pag. 32 de matrimonio pag. 33 de cognitione et dilectione Dei pag. 35 de tribus hostibus hominis et septem peccatis mortalibus pag. 36 et de poenitentia pag. 37 quae in carcere in gratiam custodum composuit. 3. De Sacramento Corporis et Sanguinis Domini pag. 38 b. et de sanguine CHristi sub specie vini a Laicis sumendo pag. 42. 4. De sufficientia legis Christi ad regendam suam Ecclesiam pag. 44 b. 5. Sermo de fidei suae elucidatione pag. 48 b. 6. Alius de pace pag. 52. 7. Hussi et aliorum ad eum vel pro ejus causa epistolae LXIIX. pag. 57 ex editione Witteb. 1537 8. 8. De initiis et progressu certaminum Hussi cum factione Pontificia pag. 86. 9. Appellatio ab Archiepiscopo Pragensi ad Papam, contra combustionem librorum Joannis Wiclefi pag. 89. 10. Epistolae XV. scriptae, dum erat excommunicatus pag. 93. 11. De libris haereticorum legendis pag. 102. 12. Actus An. 1410 pro defensione libri Wiclefi de SS. Trinitate pag. 105. 13. Replica contra *Joannem Stokes*, Wiclefi calumniatorem An. 1411 pag. 108. 14. Defensio quorundam articulorum Johannis Wiclefi p. 111. 15. De ablatione bonorum temporalium a Clericis pag. 117. b. 16. De decimis p. 125. b. 17. Contra occultum adversarium pag. 135. 18. Contra praedicatorem Plznensem pag. 144 in quo scripto pag. 147 librum *de vetula* laudat tanquam *Ovidii* genuinum opus. 19. De arguendo clero pro concione pag. 149. 20. De quinque officiis sacerdotis pag. 154. 21. De omni sanguine CHristi hora resurrectionis glorificato pag. 154. b. 22. De corpore CHristi pag. 163. 23. De tribus dubiis factis in Holomutz pag. 167 b. 24. De credere pag. 169 b. 25. Bulla indulgentiarum Papae JOANNIS XXIII. pro subsidio contra LADISLAUM, Regem Apuliae An. 1412. Pragam allata. pag. 171. 26. Bulla de erectione Crucis contra LADISLAUM pag. 172 b. 27. De indulgentiis, seu de Cruciata JOANNIS XXIII. Papae pag. 174. 28 Contra Bullam a) JOHANNIS XXIII. p. 189 b. 29. Opusculum de VI. erroribus compilatum, et parietibus Bethlemiticis inscriptum pag. 191. b. 30. Tractatus de Ecclesia pag. 196 b. 31. Responsio ad scripta M. *Stephani Paletz* pag. 255 b. 32. Responsio ad scripta *Stanislai de Znoyma* p. 265. 33. Refutatio scripti IIX. Doctorum Theolog. pag. 292 b. 34. Repetitio *Joannis Jessinetz*, Juris Canonici Doctoris, An. 1412 scripta pro defensione causae Joannis Hus p. 334 b. 35. Liber de Antichristo et membrorum ejus anatomia pag. 336 b. editus ab Othone Brunsfeldio, Basileae 1524 8. et dedicatus D. Martino Luthero, ad quem Epistola Brunsfeldii pag. 333 b. cum D. Lutheri responsione pag. 336. praemittitur. 36. De regno, populo, vita, et moribus Antichristi pag. 368 b. ex ejusdem Brunsfeldii editione.

a) Sine auctario, licet ejus spes. facta. Vide Diarium Theologicum, Unschuldige Nachrichten An. 1715. pag. 740. Memorias litterarias Trevoltinas An. 1716. p. 214.

a) Huic Hussi scripto Mauritius de Praga opposuit opusculum *contra impedientes Wenceslaum Tiem quoad predicationem Cruciatae Joannis XXIII.* Non diffitetur autem Petrus de Alliaco Joannem XXIII. suis Simoniacis artibus ansam dedisse Husso ad oppugnandam sedem Romanam. Vide Joannis Gersonis Opera tom. 2. edit. novae p. 901.

37. De sacerdotum et monachorum abhorrenda abominatione desolationis in Ecclesia CHristi pag. 376. Etiam hujus libri capita priora XLV. Brunsfeldius ediderat: Caetera a 46 ad 87 in Operum Hussi editionibus accessere. Quae deinceps in primo tomo sequuntur, eadem omnia vulgata a Brunsfeldio: **38.** De abolendis sectis et traditionibus hominum pag. **442.** 39. De pernicie traditionum humanarum pag. 443. 40. De unitate Ecclesiae et schismate. p. 445. b. 41. De Evangelica perfectione pag. 449. 42 De mysterio iniquitatis Antichristi, fragmentum pag. 451 b. 43. De revelatione CHristi et Antichristi, fragmentum p, 461 b. 44. Alia quaedam fragmenta: 1) Contentionem in disputatione vitandam esse. 2) Apostolos manibus victum quaesivisse, non mendicasse. 3) de fide formata. 4) explanatio loci Genes. XLIX. 17. *Fiat Dan coluber*. 5) Quando fuerit ablatum juge sacrificium, et inceperit abominatio desolationis. 6) de mysterio Josephi et Pharaonis.

Tomo posteriore:

1. Historia gestorum Christi secundum tres annos praedicationis Eius digesta p. 1. 2. Historia passionis CHristi pag. 7. 3. Conciones IX. Synodicae pag. 25. 4. Sermones XXVIII. pag. 54. 5. Paraphrasis et Explicatio insignis in VII. priora capita 1. ad Corinth. pag. 83 et 6) in Epistolas Apostolorum Canonicas VII. pag. 105. 7. Enarratio Psalmi 109. a) et seq. usque ad integrum 118. Psalmum pag. 229. 8. De corpore CHristi in Sacra Coena, quod non creetur, neque incipiat esse pag. 310. 9. De adoratione et contra imaginum adorationem pag. 311. 10. Narratio historica Bohemi in Concilio praesentis de condemnatione et supplicio Johannis Hussi, in Synodo Constantiensi pag. 344. 11. Hussi carmen rhythmicum de coena Domini pag. 348. 12. Narratio de M. Hieronymo Pragensi, pro CHristi nomine Constantiae exusto pag. 349. 13. Alia de eodem narratio pag. 354 b. 14. *Poggii* Florentini scriptum ad Leon. Aretinum de Hieronymo Pragensi pag. 358. 15. Sermo habitus in Bethlehem Pragensi, in memoriam novorum martyrum pag. 360. 16. Universitatis Pragensis assertio communionis sub utraque specie pag. 364. 17. Revocatio cuiusdam Monachi Pragensis, PETRI, An. 1417 qui prius docuit Sacramentum sumendum sub una specie pag. 365. 18. Testimonium Universitatis Oxoniensis de doctrina et vita Joh. Wiclephi p. 366. b.

a) Secundum Hebr. ab. 110. ad 119.

Vir Clariss. Herm. ab Hardt. cui Acta et Historiam Concilii Constantiensis felici atque accurato studio illustratam debemus, testatus est a) ad manus sibi esse hostium atque adversariorum Hussi scripta, *Stephani de Palez* anti Hussum, scriptaque alia, tum lucubrationes *Mauritii de Praga*, Theologi Pragensis, *Joannis Hosmanni*, Theologi Lipsiensis, *Oswaldi Rheinlein*, Theologi Viennensis aliorumque: Sed nec illas nec ex Hussi scriptis aliqua in Actis illis voluit comparere, sed tantum in limine tomi tertii publicavit *Jacobi Laudunensis* Episcopi orationem ante supplicium Hussi, coram Imp. Sigismundo et toto Concilio dictam 6. Jul. An. 1415 similemque ejusdem p. 54 An. 1416 30 Maji, in supplicium sumendum de Hieronymo Pragensi. Acta ipsa autem cum Husso diligenter perspicue ac fideliter traduntur in tomo quarto, qui doctissimo Hardtio imprimis magno studio et labore constitit, in quo gesta Concilii non annorum solum, mensiumque sed et dierum ordine accurate persequitur.

HUVETBERTUS, supra, HUBERTUS, pag. 265.

HUXARIENSE Chronicon a Petro *Visselbeccio*, Huxariensi Ord. Bened. coeptum et a GREGORIO *Wittehenne*, Canonico Huxariensi usque ad Annum CHristi 1498 continuatum, cum additionibus M. Nicolai Erbenii, exstat notis illustratum a Christiano Francisco Paulini b) in ejus rerum et antiquitatum Germanicarum Syntagmate, Francof. 1698 in 4.

HYGDENUS, supra HIGDENUS.

HYGINUS *agrimensor*, non diu post Tra-

a) Prolegom. ad tomum tertium pag. 9.
b) Acta Erud. 1699. p. 185. Monatliche Unterrebungen. An. 1698. p. 420.

iani tempora scripsit, de cujus lucubrationibus dixi in Bibliotheca Latina IV. 11 speciatim de ejus *Gromatico* sive libro de castris metandis, quem cum Vegetio edidit Scriverius, atque inter scriptores finium regundorum sive rei agrimensoriae Turnebus, Rigaltius, Goesius: et quem Hermannus Rhabodus Schelius eruditis commentariis illustravit.

HYGINUS Episcopus Romanus ab An. C. 139 ad 142. 10. Januar. cujus tempore haeretici Valentinus et Cerdo Romam venerunt testibus SS. Irenaeo III. 4 et Cypriano Epist. 74. Vide Petrum Constant in Epistolis Pontificium pag. 62 et Acta Sanctorum tom. 1. Januar. XI. p. 665. seq. Sub ejus nomine *duae* feruntur *Epistolae*, una ad cunctos in Apostolica fide et doctrina degentes: et altera ad Athenienses. Utramque praeter alios Ludovico Jacobo pag. 114. Bibliothecae Pontificiae memoratos exhibet et commentitias esse docet Blondellus in pseudo Isidoro pag. 189 192. Similiter *sex* apud Gratianum *decreta* Hygino eiusque aetati parum convenire ostendit censura laudati Constantis p. 63 seq.

HYGINUS laudatur inter eos ex quibus auctor PRÆDESTINATI a Sirmondo primum An. 1643. editus librum I. Categogoricum sive ecdicum et accusatorem haereticorum, Catholicorum defensorem haereses XC. breviter persequentem contraxisse profitetur. *Epitome ecdicesios* Hygini *contra haeresiarchas*, *et categoriarum Epiphanii contra sectas*, *et expositionum Philastrii*, *qui hos transferens in latinum de Graeco*, *cum Ariani damnarentur*, *edidit*, *Prior* Hyginus, *post hunc Polycrates*, *Africanus*, *Hesiodus* a) *Epiphanius*, *Philaster*, *hi diversis temporibus diversas haereses pertexuerunt.* Nusquam alibi liber iste ab auctore Praedestinati citatur. Hincmarus autem Remensis in diss. adversus Gotschalcum, t. 1. Opp. p. 6. Hyginum ipsum pro auctore Praedestinati venditavit: *Sed et Hyginus*, *Catalogum describens haereseon*, *octogesimam et nonam haeresim Nestorianam ponit etc.* quo nomine merito reprehendiditur a B. D. Ittigio in praef ad. diss. de haeresiarchis Apostolicae aetatis.

HYGINUS cum Sergio et Theophilo scriptor *vitae S. Macarii Romani*, de quo Palladius cap. 36 extremo, et Graeci in Menologio 23. Octobr. Vita illa inter vitas Patrum saepius edita, exiguam fidem mereri visa est Baronio, cui Vossius p. 725. aliique jure suffragantur. Sed. in quibusdam editionibus antiquis pro Hygino *Thimi* sive Timothei nomen invenio: *Igitur nos praetitulati fratres Theophilus, Sergius et Thimus.*

a) Idem Hesiodus citatur cap. 85. cum Polycrate, Africano, Eusebio et Epiphanio et c. 49. Hesiodus episcopus Corinthiorum, qui primus Arianorum adversarius fuisse perhibetur.

RHYTHMI VETERES

DE

VITA MONASTICA

Si vis esse coenobita,
Hujus vitae vitam vita,
Ut sis re pro nomine.
Tuae mentis sordes munda,
Ut sit DEUS laus jucunda
In utroque homine.
Solus DEUS diligatur,
Cui soli relinquatur,
Omnis laus et gloria.
Honor, virtus et potestas
Ipsi sit, cujus majestas
Replet, regit omnia.
Non est tuum honorari
Velle homo, vel laudari,
Cum sis vitae miserae.
Quicquid hic honoris captas,
Nisi totum Domino aptas,
Perdis tuum vivere.
Non tam facile honores,
Si sentirent et labores,
Affectarent clerici.
Volens praeesse, non prodesse
Perdit ipse suum esse,
Poena dignus duplici.
Ad honores sunt parati,
Ad labores sunt ingrati
Jam juvenes cum senibus.
Totum datur dignitati,
Parum aut nil sanctitati,
His nostris temporibus.
Sic et vita Laicorum
Parum differt a porcorum
Consuetudinibus.
Supra modum epulantur:
Intus, foris excoecantur,
Pleni malis moribus.
De salute animarum
Rarus sermo, sed terrarum
Amplitudo quaeritur.
Qui vero plus potest ditari,
Vel in altum sublimari,
Hic beatus dicitur.
Mundus finem jam minatur,
Qui tot malis inquinatur,
Quod praedixit Veritas.
Charitas jam refrigescit,
Omnis sanctus obmutescit,
Abundat impietas,
Potens ridet impotentem,
Sic astutus innocentem,
Adolescens veterem.
Vir a pari supplantatur,
Patri puer adversatur,
Dives spernit pauperem.
Sanctus is hodie putatur,
Qui nunc minus inquinatur
Malis et criminibus.
Formam vitae si requiris,
Non hanc quaeras jam in viris,
Sed in voluminibus.
Periit lex a sacerdote,
Pereunt virtutes totae,
A sene consilium.
Multos habemus doctores,
Paucissimos factores,
In vita mortalium.
Hanc vitae captivitatem,
Si manentem civitatem
Hic haberem, plangerem.
Haec est plane civitas,
In qua nesciretur veritas,
Hic si semper viverem.
Heu heu homo cur creatur?
Cum tot malis inquinatur,
Velit, nolit, moritur.
Quod est bonum, hoc vitare,
Vel quod malum, hoc amare
Vir infelix cogitur.
Hinc nemo jam mirari
Debet, si hic consolari
Omnis justus renuit.
Imo satis est dolendus,
Et a DEO respuendus,
Qui non mundum respuit,
In hoc tantum consolatur
Vere sanctus, et beatus,
Quia mundus transiet.
Deque peccatis o immundi
De hoc casu flete mundi,
Quorum dolor veniet.
Ad te ergo revertere,
Homo a te desciscens misere,
Cur sis factus, considera.
DEUS sibi te similem
Fecit, sed tu dissimilem
Te facis, augens scelera.
Consors quondam angelorum,
Legem tenens jumentorum,

Ipsis factus similis.
Esca ventri, venter escis,
Has et hunc frenare nescis,
Propter quod es fragilis
Surge miser, qui dormitas,
Imitare coenobitas
Antiquorum temporum:
Qui tenentes viam vitae,
Contempserunt non invite
Opes, vires corporum.
Erant mundo crucifixi
Cum vitiis, et transfixi
Charitatis gladio.
Vitam hanc parvipendebant,
Nam coelesti adhaerebant,
Magno desiderio.
Corpus satis castigabant,
Lectionibus vacabant,
Et orabant jugiter:
Numquam erant ociosi,
Omnibus affectuosi.
Vade, fac similiter.
Et conserva te devotum,
Quicquid vides fuge totum,
Paupertatem elige.
Non te locus vilitatis
Angat, vel extremitatis,
Sed nesciri dilige.
Te praelato subjugabis:
Quicquid jubet, observabis,
Et hoc voluntarie.
Praelatorum noli judicare
Facta, sed vitare
Debes fel invidiae.
Temetipsum reprehende,
Diligenter et attende
Ne quenquam unquam judices;
Pro te reddens rationem,
Antequam proferas sermonem,
Ut teipsum vindices.
Erit tibi salutare,
Si amari, et amare
Omnem hominem studeas.
Quicquid facis, reprobatur
Apud DEUM, nec laudatur,
Nisi pacem teneas.
Diligantur juvenes,
Venerentur seniores,
Esto charus omnibus.
Non accipias personam,
Sed amabis vitam bonam
In cunctis hominibus.
Et gaudere cum gaudente,
Bonum est, Paulo dicente,
Et flere cum flentibus.
Ordinatus ordinatis,
Patiens inordinatis
Eris tuis fratribus.
Corporum infirmitates,
Sic et morum paupertates,
Patienter tolera.
Neque velis apparere
Magnus, neque laudem habere,
In hac vita misera.
Cave ne sis singularis,
Sed quaecunque operaris,
In commune facias.
Canta, psalle, lege, ora,
Sicut omnes, et labora,
Vive, et non alias.
Primus eris ad laborem,
Tardus autem ad furorem,
Et ad iram ultimus.
Omnibus subjiciaris,
Numquam aliud loquaris,
Quam quod habet animus.
Omnem horam occupabis
Hymnis, psalmis, et amabis
Tenere silentium,
Super hoc orationem
Diliges, et lectionem,
Nutricem claustralium.
Habens vestitum et victum,
Ut fert Apostoli dictum,
Nihil quaeras amplius,
De colore ne causeris,
Si sit vilis, tunc laeteris,
Et sic eris sobrius.
Cave ne sis curiosus
In vestitu, nec gulosus
In diversis epulis,
Sic non eris somnolentus,
Nec in potu vinolentus,
Nec vacabis fabulis.
Nimis est periculosum,
Esse claustralem verbosum,
Cum silere debeat.
Joci quidem sunt ferendi,
Numquam tamen referendi,
Quos proferre pudeat.
Omne fugias peccatum,
Si videre vis pacatum
Salvatorem omnium.
Ipsum corde, ore ora:
Ut in die et mortis hora;
Tibi sit auxilium.
Amen.

FINIS LIBRI VIII.

JO. ALBERTI FABRICII

LIPSIENSIS

S. THEOLOGIAE INTER SUOS D. ET PROF. PUBL.

BIBLIOTHECA LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ AETATIS

CUM SUPPLEMENTO

CHRISTIANI SCHOETTGENII

JAM A P. JOANNE DOMINICO MANSI

CLERICO REG. CONG. LUCENSIS MATRIS DEI

IN PATRIA DEMUM ARCHIEPISCOPO

E MSS. editisque Codicibus correcta, illustrata, aucta

POST EDITIONEM PATAVINAM AN. 1754.

NUNC DENUO EMENDATA ET AUCTA, INDICIBUS LOCUPLETATA

Accedunt in fine vetera plura monumenta

TUM A FABRICIO OLIM TRADITA, CUM A CL. MANSIO PRIMO ADIECTA

TOMUS IV.

cui accedunt supplementum somnii moralis Pharaonis

et

Joannis Sarisberiensis carmen de membris conspirantibus

FLORENTIAE

EX TYP. THOMAE BARACCHI ET F.

MDCCCLVIII

Apud J. Molini

REVERENDISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

ERICO BENZELIO

B. Erici, Archiepiscopi Upsal. F. Gothoburgensi nuper,

nunc

LINCOPENSI EPISCOPO

dignissimo.

S. D.

JO. ALBERTUS FABRICIUS

Non tantum mihi arrogo, VIR REVERENDISSIME, ut gravioribus Te curis vacantem, Sacrisque et Divinis tam felici connubio jungentem elegantias ac cultum meliorum temporum, avocare instituam eorum Scriptorum interpellatione, quorum plerosque aetatis suae, qua vixerunt vitio, rerum rudior intelligentia et sermonis domestica quaedam barbaries infuscavit. Sed jampridem exstare volui monumentum aliquod publicum meae in Te observantiae, animique a multis jam annis Tibi deditissimi, et incensi amore Virtutis atque eruditionis Tuae.

Enimvero medii etiam et infimi aevi auctores universos sano doctoque judicio Tuo neutiquam adspernandos videri, satis superque demonstrasti praeclaris ad Joannis Vastovii, Gothi, Vitem aquiloniam notis, et magis etiam in tomo Scriptorum Septentrionalium, quem a Te jussi sumus exspectare, es demonstraturus.

Est praeterea ratio propria ac peculiaris, quae praesens suasit Volumen peramato ac Venerando Nomini Tuo a me consecrari. Nam cum necdum tulerit occasio offerre Tibi, quod pridem gestiebam facere, Aratorem Poetam, quem collatum cum insigni Codice MS. in acceptis a Te computo: saltim huncce Tomum necessario ad Te ablegandum duxi, in quo typis exscriptum Tibi rependo supplementum moralis somnii Pharaonis, quod ex Codice descriptum Upsaliensi benigne mecum communicare ante plures annos dignatus es cum Biblioth. illius opulentissimae curam gereres, magna cum laude, studioque incredibili rem litterariam augendi et ornandi.

Rogo igitur vehementer, ut quem grata mente jam Tibi offero librum hunc, accipias a me pignus mutuum amoris et observantiae in Te meae: meque qui amplecti Te ac venerari non desinam, porro habeas amori Tuo commendatum.

DEUS ac Servator Summusque Episcopus animarum nostrarum, Praesulem Te per multos insecuturos annos publico Ecclesiae et Sveciae Tuae bono praesse feliciter, atque integra valetudine, rebusque prosperis ac pollentibus longam aetatem rei litterariae decori esse jubeat, ut et Philonem studio illustratum Tuo, et Scriptorum syllogen Septentrionalium, atque alia divitis solidaeque doctrinae Tuae monumenta evolvere nobis concedatur. Vale VIR REVERENDISSIME.

Scripsi Hamburgi X. Cal. Octobr. A. C. cIↄIↄccxxxv.

BIBLIOTHECA

MEDIÆ ET INFIMÆ

LATINITATIS

Dominicus JACOBATIUS, de quo supra tom. 2, pag. 468.

JACOBELLUS, infra, *Jacobus de Misa.*

JACOBINUS à *S. Georgio*, circa A. 1480. Taurinensis, Jasonis discipulus, JCtus de cujus commentariis in Digesta et Codicem Lugd. 1524. editis, deque aliis scriptis vide Simlerum.

JACOBUS *Acconensis*, sive *Achonensis*, infra, *Jacobus de Vitriaco.*

JACOBUS *Andrensis* in regno Neapolitano, cui hoc Epitaphium A. 1400. positum à Jo. Benedicto de Sanctis, refert Nicolaus Toppi in Bibl. Neapolitana p. 1087.

Physicus hic magna qui summe polluit arte.
Descripsit medicinae libros, causasque Naturae.
Cecinis et flores naturalis philosophiae,
Inde hominum mores scripsit, moralia dicta.
Et gemino libro Mundi sententias omnes.
Jacobus hic tandem Doctor labore prolixo
Fessus urna jacet, quem plorat Adria civem.

JACOBUS *Ægidius* sive *Gil*, ex Xativa Aragoniae, Ord. Praed. et Lector Theologiae Ecclesiae Cathedralis Derthusensis ab. A. 1436. Scripsit Magister sacri Palatii, librum *de Conceptione B. Virginis*, et *Officium transfigurationis D. N. JEsu CHristi*, jusso Calixti III. qui hocce festum instituit ob insignem de Turcis A. 1456. VI. August. reportatam victoriam. Vide Jacobum Qvetif tom. 1. pag. 831.

* Jacobus Aegidius JCtus ignotae mihi aetatis dedit tractum de reprobatione testium editum vetustis Typis sine loco et tempore in fol.

JACOBUS. *de Albis*, infra *Jacobus Alexandrinus* et *Jacobus Henricus de Alba.*

JACOBUS *Alexandrinus* Ord. Minor. cujus Postillam Quadragesimalem et super Evangelia, nec non Commentarios in Physica Aristotelis memorat Waddingus pag. 180. non diversus, ut videtur à *Jacobo de Blanchis*, sive *de Albis* de Alexandria Statiellorum, in Liguria, cui Jacobus Longus in Bibl. exegetica pag. 790. etiam *Postillas super Evangelium Joannis*, et *in Epistolam ad Romanos*, tribuit, quemque Waddingus p. 181. ait floruisse familiarem Roberto Siciliae Regi qui A. 1343. diem obiit, et scripsisse Postillas super Evangelium et Comentarios in Aristotelem de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione, et Librum per conclusiones in omnia scripta illius Philosophi.

* Vel idem cum Jacobo isto, vel alter ab hoc fuit F. Jacobus de Alexandria, cuius extat *oratio habita in funere Fantini Valaresi Archiepiscopi Cretensis.* Cum vero Cretensis iste ut ex oratione discimus an. 1443 die 18 Maii obierit, vel geminos FF. Jacobos, de Alexandria, distinguamus oportet, vel reformanda est chronologia hic a Fabricio statuta, et F. Jacobus de Alexandria scriptor saeculi XV. non vero XIV. habendus est.

JACOBUS *Almainus*, Senonensis, Doctor Philosophus et Theologus in Collegio Navarreo Paris. sub. Seculi XVI. primordia, dogmatibus Joannis Scoti, Guilelmi Occam et Gabrielis Biel addictissimus, defunctus A. 1515. Vide Labbeum de S. E. pag. 468. et Launojum in historia Regii Gymnasii Navarrei p. 611. seq. Ejus scri-

pta potiora, post obitum junctim edita Paris. 1516. fol. cum Epistola Oliverii Lugdunei. Eorum elenchum ex Launojo adjungere, additis quibusdam observationibus placet:

Tractatus quinque consequentiarum, denuo excusi Parisiis anno MDVIII. apud Dionysium Roccum.

In tractatu primo agitur de definitione et divisione.

In tractatu secundo ponuntur quaedam regulae generales pro omnibus consequentiis servientes

In tractatu tertio ponuntur regulae pro argumentationibus enthymematicis.

In tractatu quarto agitur de syllogismo.

In tractatu quinto et ultimo agitur de exponibilibus.

Embammata physicalia seu embammata totius Philosophiae, naturalis, ex ingenti apophthegmatum physicalium acervo ad 1 2 et 3. librum Physicorum Aristotelis. Parisiis anno MDV. apud eundem Roccum.

Moralia in quatuor divisa tractatus, quorum aliqui seorsim plures editi sunt, sed simul editi Parisiis anno MDX. et MDXXVI. apud Henricum Stephanum emendata à *Jo. Majore* Theologiae Professore. Accessere etiam additiones *M. Davidis Crauston*, Scoti, Doctoris Theologi.

In tractatu primo agitur de actuum et habituum essentia, et eorum impedimentis.

In tractatu secundo agitur de tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe et Charitate.

In tractatu tertio agitur de hominis virtutibus.

In tractatu quarto agitur de earundem virtutum oppositis.

His adiicitur *quaestio Vesperiarum*, sive agitata in Vesperiis Magistri Ludovici Ber, An. 1512. in qua *de dominio naturali, civili et Ecclesiastico* disputatur. Haec exstat et inter Jo. Gersonis Opera tom. 2. edit. novae pag. 962.

Commentarii in tertium librum Sententiarum, ubi Almainus *Gabrielis Biel* doctrinam profitetur. Separatim Lugd. 1527. 8. Paris. 1516. 4.

Quaestiones sive *Commentarii de Poenitentia et Matrimonio*, a decimaquarta dist. libri IV. Sententiarum, ad trigesimam septimam: ubi Almainus ad mentem *Joannis Scoti* disserit. Paris. 1526 8.

Expositio circa decisiones quaestionum Magistri *Guillelmi Occam* de Potestate summi Pontificis, liberque inscribitur de suprema Potestate Ecclesiastica et laica, ubi certa quaedam est propositio, quae tunc, ut apparuit, tolerabatur, sed nunc tolerari desiit. Exstat et inter Opera Jo. Gersonis tom. 2, edit. novae pag. 1013 et in Goldasti Monarchia Imperii tom. 1. pag. 588. Prodiit et separatim Colon. 1414. et Paris. in 4. et 1526 8. Vide Dupinii tom. XIV. Bibl. Eccles. p. 5. seq.

Liber *de auctoritate Ecclesiae et Conciliorum* adversus Thomam Caietanum, ad Tristandum de Salazar, Archiep. Senonensem, cum Caietani libro pro auctoritate Papae, Colon. 1514 *4*. Exstat et inter Jo. Gersonis Opera tom. 2. edit. novae p. 976 adde Dupinii tom. 14. Bibl. Eccles. pag. 14. seq.

Dictata super Sententias Magistri Roberti Holcot de actibus fidei et intellectus: de actibus fidei, et de libertate voluntatis. Paris. 1512. et 1526. 8.

JACOBUS *de Altavilla* natione Teutonicus, patria Rinaugiensis. sive Rinckaugiensis, dioecesis Mogunt. Abbas monasterii Eberbacensis Ord. Cisterc. de quo Bergomensis ad A. 1355 et Trithemius c. 641 de S. E. et de script. German. c. 119. Scripsit cum doceret Parisiis *Quaestiones disputatas*, et *in quatuor libros Sententiarum* commentarios, *Sermones*, *Epistolas*. Diem obiisse An. 1393. notavit Carolus Visch Bibl. Cisterc. pag. 164.

Dialogum JACOBI *de Altovitis* et JOANNIS de Siglero *de sedando schismate* Petri de Luna (sive Benedicti XIII. ab An. 1404) memorat MStum Labbeus Bibl. MSS. pag. 18. De hoc Jacobo Florentino, Ord. Praed. Episcopo ab An. 1392 ad 1409. Faesulano adeundus Ughellus tom. 3 pag. 255 seq. et Julius Niger in hist. scriptorum Florentin. p. 320.

JACOBUS *Ammannatus*: infra, *Jacobus Piccolomineus*.

JACOBUS *de Ancharano* Archidiaconus et Canonicus Adversanus (prope Neapolin) et Canonicus Aprutinus, *in Jure Canonico Paduae discipulorum ultimus*, idem qui Trithemio c. 682 aliisque *Jacobus de Theramo* appellatur. Eius *tractatus Monarchialis* de Monarchia Papae qui incipit: *Reddite quae sunt Caesaris*, MStus memoratur à Sandero parte 2. Bibl. Belgic. pag. 39. Blasphemum librum dixit Carolus Molinaeus. a) *In Clementinas* etiam scripsisse Trithemius notavit. Eodem auctore sub tempora nascentis typographiae lucem vidit *Consolatio Peccatorum*, sive liber Belial *Processus Luciferi contra JEsum, judice Salomone* An. 1482. in fol. et in 4. b) Idem saepius deinde, quanquam librorum prohibitorum adscriptus Indici, prodiit cum *Jacobi Ayreri* additionibus; et una cum *Bartoli de Saxoferrato* processu Satanae contra B. Virginem coram judice JEsu. Hanov. 1611. 8. Gallice vertit Petrus Fergetus, Doctor Sorbonicus Lugd. 1485 4. Germanice cum iconibus a Joanne Baemler additis, *das Buch* Belial *genennet*. Aug. Vind. A. 1493 f.

JACOBUS Cina *de S. Andrea*, Senensis, Ord. Praed. Episcopus An. 1379. Tremulanus à Cangio Lusitanum secuto praeter rem refertur ad An. 1262. Diem supremum obiit An. 1380 cuius scripta *Alphabetum etymologiarum* ex Isidoro Hisp. ad Gregorium XI. *Commentarius in IV. libros sententiarum*, praeterea *Conciones Dominicales*, *Quadragesimales*, *Funebres* et *ad Clerum*. Vide Jacobum Quetif t. 1, p. 681 sq.

JACOBUS *Angelus*, Florentinus *Claudii Ptolemaei* Cosmographiam Latine vertit, dicavitque Alexandro V. An. 1410. Vertit et eiusdem Ptolemaei Quadripartitum et centum fructus: Deinde vitam *M. Bruti* et *Ciceronis*, scriptam à *Plutarcho*. c) Vide Pocciantum in Julii Nigri historiam scriptorum Florentinorum p. 320. *Vita Pompeji* eodem interprete MS. Patavii teste Tomasino pag. 7. *Epistolas ad Emanuelem Chrysoloram* CPoli scriptas servavit illustris Magliabechius.

* Jacobus Angelus a Scarparia Vallis Mugellanae oppido, cuius vitam dedit cl. Laurentius Mehus in Sylloge epistolarum Leon. Dati Florentiae cusa an. 1743. in 8. In ea vero admonet nullo argumento constare *Quadripartitum Ptolomaei* eumdem interpretem tulisse; admonet etiam versionem vitae C. Marii ex Plutarcho nonnisi ambigua fide in Codd. Ambrosianis eidem tribui. Demum *Epistola Jacobi Angeli ad Chrysoloram* in qua de obitu Innocentii VII. et Gregorii XII. assumptione agitur, ibidem lucem aspexit.

JACOBUS *de Angia* (Engien) prope Bruxellas (non *de Anglia* ut apud Possevin.) Ord. Praed. annotationes marginales scripsit in Thomae Aquinatis secundam secundae, singulari studio recensitam et duplici illustratam indice, Paris, 1515 4. Vide Jacobum Echardum Bibl. Dominican. tom. 2. pag. 151.

JACOBUS *Anglicus*, Ord. Cisterc. Doctor Parisiensis circa An. 1270 defendit sententiam Thomae Aquinatis de conceptione B. Virginis in peccato originali, scripsitque *in Cantica Canticorum, Conciones in Evangelia*, et *lecturas scholasticas*. Vide Baleum IV. 36. Pitseum pag. 353. Possevinum etc.

JACOBUS *Antiquarius*, vergente saeculo XV. Mediolani versatus apud Franciscum Sfortiam cum dignitate, charus Laurentio Medici, Pico Mirandulano et viris caeteris illa aetate illustribus, doctus ipse et eloquens et mira aequitate, ut Epistolae eius ad Politianum datae Anno 1489 1491 seq. atque inter Politianeas libro III VI IX. et XI. cum Politiani ad eas responsoriis editae testantur.

* Geminae hujus Jacobi Perusini litterae ad Jo. Ant. Flaminium extant in collectione epistolar. eiusd. Flaminii lib. III. ep. V. cui totidem litteris ibidem legendis Flamminius respondet. Spectat hoc commercium litterarium ad A. 1495. In MS. etiam Cod. Felini extant geminae litterae hujus Jacobi ad Mich. Fernum datae An. 1498.

a) Leonardus Nicodemi addit. ad Nic. Toppium pag. 85.

b) Hamb. Beriche von gelehrten Sachen A. 1734. p. 573.

c) Jacobus Angelus Rinuccinus (praeter rem) inter interpretes Vitarum Plutarchi laudatur a Labbeo p. 317. Bibl. MSS.

in commendationem Pomponii Laeti contra obtrectatores nominis illius.

(145. Memorie di Jacopo Antiquari con un appendice di (LXV.) Monumenti) raccolte da G. B. Vermiglioli Perugia 1818. in 8. pag. 448.)

JACOBUS *Aquinas* sive *de Aquino*, Ord. Praed. quem adversus Guilelmum de S. Amore circa An. 1270 pro defensione regularium mendicantium aiunt scripsisse, Sigeberto Gemblacensi et nescio quo Gennadio laudatis auctoribus, cum nec Gennadius nec Sigebertus eius usquam meminerit, vel propter aetatem potuerint meminisse. Itaque merito suspectus est Jacobus hic Jacobo Quetif tom. I. scriptor. Dominicanor. pag. 384. Apud Nic. Toppium pag. 106. Bibl. Neapolitanae alius etiam error calami aberratione irrepsit, legas ibi enim Jacobum hunc scripsisse contra Magistrum Guilelmum de S. Victore.

* Non asserens sed coniectans censeo fabulosum hunc Jacobum Aquinatem Ord. Praed. expressum esse ex F. Jacobo de Aquis Ord. FF. Praed. cujus extat in Cod. Taurinensi Saec. XIV. Latino 569. ut ex edito catalogo discimus scriptum huius tituli: *Secunda pars Chronicae libri imaginis Mundi compilavit F. Jacobus de Aquis Ord. FF. Praed. ad honorem Jesu Christi Filii Dei Omnipotentis et Ord. sui et nobilis civitatis Aquis Lombardiae unde ortus fuit.* Haec si admiserimus huic Jacobi scripto addendum erit et alterum pro defensione regularium mendicantium de quo hic Fabricius.

Ex hoc Jacobi Aquensis Chronico p. 2. accepti sunt versus nonnulli in laudem Papiae editi in Sanctuario Papiensi Jacobi Gualae JCti lib. VI. c. 2. qui carminum illorum authorem ita designat. *F. Jacobus Aquensis Praedicatorum Ord. eiusd. urbis magnam antiquitatem, inclytamque dignitatem cum subsequenti prosa his meminit versibus.*

Sceptra tenet primi regni Picus qui avis olim etc. Reliqua ibidem legas.

JACOBUS I. Rex *Aragoniae* post annorum LXIII. felix imperium defunctus An. 1276. Huius *Constitutiones* pacis et treguae An. 1214 promulgatae, exstant in Baluzii appendice ad Petri de Marca marcam Hispanicam p. 1402 seq. 1406 seq. atque aliae An. 1228 pag. 1412 1415 et Anno 1233 de rebus sacris et non sacris, p. 1425 seq. Pacis et treguae An. 1234 pag. 1482 seq. Aliae adversus avaritiam Judaeorum et crudelitatem foenoris An. 1240 p. 1433 seq. 1436. Edictum contra usuras inter Christianos An. 1442 pag. 1437. Aliae constitutiones An. 1251 pag. 1438. Confirmatio privilegiorum Ecclesiasticorum A. 1257 pag. 1441. Jacobi huius et Ludovici IX. Francorum Regis An. 1258 p. 1440 1444. Responsa ad Vicarii Ruscinonensis quaestiones An. 1266 pag. 1447. His addendi qui cum foris a) regni Aragonum A. 1624 iunctim editis exhibentur fori regni Aragonum in Urbe Oscae celebrati Anno 1247. Omitto Commentarios huius Regis, quibus rerum suo tempore gestarum historiam complexus est, vulgatos Valentiae 1557 fol. non enim Latina sed Hispanica provinciali lingua vernacula illos composuit, quanquam non minorem iisdem quam Caesaris commentariis fidem a rerum Aragonensium scriptoribus haberi monuit Nicolaus Antonius tom. 2. Bibl. veteris Hispanae p. 49.

JACOBUS *de Arena* sive *de Harena*, Parmensis JCtus, docuit Patavii circa A. 1300 Praeceptor Richardi Malumbrae, Oldradi aliorumque. Scripsit *in Digesta* et *Codicem*, Disputationesque varias *de Commissariis* sive ultimarum executoribus voluntatum: *de positionibus* b) sive interrogatoriis: *de expensis quae in iudiciis fiunt*, *de sequestrationibus et sequestris, de excussione bonorum, de exulibus quos bannitos vocant, de quaestionibus, de cessione Actionis* et librum *de excusationibus* ac dilationibus et *compendium Feudorum.* Vide Trithemium c. 521. Guid. Panciroilum II. 50 et Nic. Comnenum in historia Gymnasii Patavini tom. I, pag. 193. Editiones plerorumque tractatuum eius in Oceano Juris atque

a) De hisce foris sive legibus ac Judiciis Aragonum vide D. Gerardi Ernesti de Franckenau sacra Themidis Hispanae arcana retecta, sect. 6. 7. 8.

b) Male apud Marcum Mantuam p. 478. excusum *de commissar depositionibus.*

alibi recusorum notavit Hendreichius in pandectis Brandenburg. p. 257.

* In codice MS. Felini extat *tractatus de excussionibus compositus per D. de Arena de Parma*; tum et alius *de natura expensarum quae fiunt in judiciis* ejusd. auctoris. ex tomo VI.

JACOBUS *Arigonius*, infra *Jacobus Laudensis.*

JACOBUS *Armannius*, Eugubinus Ord. Praed. circa An. 1312 scripsit librum *de nobilitate hominis* MS. in Bibl. Ducis Urbini. Vide L. Jacobilli Bibl. Umbriae, sub init.

JACOBUS *Asculanus* ex Monte Brandone Ord. Minor. circa An. 1464. *Summam Pisanellam* recensuit, Doctrinam *Scoti* redegit in tabulas, scripsitque Commentarium *in IV. libros sententiarum*, et Quodlibeta. Vide Possevinum.

JACOBUS *Astensis* Prior S. Benedicti de Mantua circa An. 1520 cuius librum ineditum auctoritatum SS. Patrum memorat Arnoldus Wion tom. 1. ligni Vitae p. 428.

* Typographicum mendum quod irrepsit in volumen editum Arnoldi de Wion tom. 1. scriptorem hunc integro saeculo juniorem fecit; haec enim leguntur in fronte codicis* MS. libri de auctoritate Patrum, qui hodie pariter servatur in Bibliotheca Monasterii de Padoliron prope Mantuam, ubi Jacobus vitam egit monasticam. *Notandum quod hunc librum scripsit ac lectitando per diversas auctoritates Sanctorum composuit Ven. P. D. Jacobus de Asti, prior claustralis huius monasterii S. Benedicti de Padoliron, qui per quadraginta annos in Spirituali Militia J. C. militavit, deinde confectus senio et plenus bonis operibus migravit ad Dominum an. 1460.* Vide Armellinum Biblioth. Bened. Cassinensis P. 2. 1. non ergo an. 1529 floruit qui jam an. 1460. obierat.

JACOBUS *Atrebas*, Doctor Paris. atque Abbas Montis S. Martini Ord. Praemonstratens. Cameracensis dioecesis circa A. 1220. Scripsit *de laudibus B. Mariae Virginis* libros VIII. *De Conceptione* eiusdem *B. Mariae Virginis*, Epistolam ad Praepositum, Decanum et Capitulum B. Mariae Atrebatensis. *Responsionum* ad Quaestiones sibi propositas librum I. *In ultimam visionem Ezechielis. De triplici fructu Evangelico* ad Eustachium Leusium, Viconiensem Canonicum. *Sermones* ad populum. Vide Joannis le Paige Bibliothecam Praemonstratensem pag. 306. Valerium Andream p. 400. Franc. Sweertium p. 354 seq.

JACOBUS *Aurelianensis* JCtus Seculo XV. cuius commentaria in libros feudorum laudantur à Jacobo Alvaroto, Patavino.

JACOBUS *Balduini* sive *Baldewini*, Bononiensis, JCtus, et Praetor Genuae per biennium: a) ob severitatem vero exauctoratus, etiam aliis post se Legum Doctoribus aditum ad Praeturam occlusit. ODOFREDI Beneventani discipulus, b) discipulus etiam Azonis, c) successor Accursii. d) Laudantur ejus *glossae* in Codicem atque in Digesta.

JACOBUS *de Belvisio* sive *de Belloviso* Aquensis, JCtus circa An. 1270 Bononiensis, de quo Trithemius c. 483 aliique laudati Hendreichio pag. 498 pandect. Brandeburg. ubi de ejus commentariis in Autenticas, in Feudorum libros, Practica Iuris Civilis et criminalis, tractatu de excommunicatione, aliisque scriptis, scriptorumque editionibus.

JACOBUS sive *Jacoponus*, vide *de Be-Benedictis*, supra tom. 1. pag. 191.

JACOBUS *de Benevento* Ord. Praed. circa A. 1360. traditur scripsisse commenta *in Lucam* et *Joannem*, ac praetera tractatus *de articulis fidei*, *de virtutibus*, *de donis*, *de octo beatitudinibus*, *de fructibus*, *de oratione Dominica*, *de decem praeceptis*, *de Sacramentis*, *de dotibus*: praeterea copiosissimos *Sermones* de tempore et Sanctis. Vide Jacobum Qvetif. tom. 1. pag. 648.

JACOBUS *Bergomensis*. Infra *Jacobus Philippus*.

JACOBUS *Bertaldus*: supra, BERTALDUS tom. 1. pag. 221.

a) Gvido Pancirollus II. 27. de Legum interpretibus.

b) Ita duobus locis Trithemius c. 444. et 454. quem Pancirollus, Hendreichius aliique recte sequuntur. Nam apud Jo Baptistam de Gazalupis pag. 503. per calami vitium praeceptor Odofredi Balduinus appellatur. Mox tamen ipse ait Odofredum A. 1260. claruisse, Balduinum A. 1370.

c) Panciroll. l. c.

d) Marcus Mantua pag. 474.

JACOBUS *de Blanconibus* de Mevania Umber, Ord. Praed. obiit A. 1301. scripsit *speculum humanitatis CHristi*, capitibus XXV. et *speculum peccatorum et de ultimo judicio*, capitibus XXIII. MSta memorat Jacobus Quetif tom. I. pag. 492.

JACOBUS *de Blanchis*, supra *Jacobus Alexandrinus.*

JACOBUS *Bononiensis* circa An. 1530. cujus castigationes paucae quadeam non contemnendae *in Sallustium* exstant in variis hujus scriptoris editionibus, ut notare me memini in Bibl. Latina lib 1. c. 9.

* JACOBUS Alter Bononiensis non omittendus fuerat quippe qui glossas dedit in jus civile, appellaturque antiquus glossator ut distinguatur ab altero Jacobo Bandini aetatis recentioris JCto. Hunc Jacobum Bononiensem appellat Ptolomaeus Lucensis Hist. Eccles. 21. c. 18. ac leges interpretatum eo tempore dicit, quo Gratianus Decretum suum compilavit.

* JACOBUS *Bonus* Epidaurius Dalmata dedit poema epicum libris tribus comprehensum quo singulos singularum musarum nomine inscripsit Herodoti more. Excusum est absque designatione loci et temporis.

JACOBUS *de Bozato*: infra *de Susato.*

JACOBUS *Bracciolinus* supra BRACCIOLINUS.

JACOBUS *Bracellius*: supra BRACELLUS tom. 1, pag. 247.

JACOBUS Manlius a) *Brigantius* Doctor, scripsit Vitas Imperatorum et Pontificum, de quibus Simlerus. Eiusdem *Chronicon Episcopatus Constantiensis* absolutum Brigantiae in Svevia An. 1519 17. Aug. editum est a Pistorio cum magno Chronico Belgico tom. 2. scriptor. rerum Germanicarum pag. 615 722 adiectis ab alio nescio quo, auctarii vice, familiis Episcoporum et continuatione usque ad An. 1607.

JACOBUS *de Brizia*, infra *Jacobus Petri.*

JACOBUS *de Brugis* Flander, Carmelita, Parisiis audivit Godfridum Cornubiensem, ipse etiam, Alegrio si fides, Doctor Parisiensis circa An. 1310. Scripsit *de impassibilitate animae* et *de motu intellectus* quas duas illius lucubrationes praeter Alegrium pag. 280 paradisi Carmelitici decoris, memorant Valerius Andreas pag. 404 et Swertius pag. 358.

a) Apud Vossium pag. 651. et Miraeum vitiose *Manlius.*

JACOBUS *Brutus*, Novocomensis, Lector Religiosorum Fratrum Ord. S. Salvatoris, edidit Opus *de immortalitate animae*, quod inscripsit *Auream coronam pretiosissimis confertam lapillis.* Venet. 1496. Vide Possevinum.

* Jacobi huius Bruti patria sic expromitur in tit. edit. Venetae A. 1496. in *Jacobi Bruti Cheritensis a Castello de Aqua vallis Stellinae Corona aurea* etc. Hoc vero in opere non de una animi immortalitate agitur, sed et de eius dotibus, facultatibus, et spiritali natura.

JACOBUS *de Butrigariis*, Bononiensis, JCtus circa An. 1330. Bononiae, ubi inter auditores suos habuit Baldum, Bartolumque; docuit ea fama ac laude, ut *Juris lumen* nuncuparetur. Scripsit lecturam duplicem, veterem et novam *in Digestum vetus*: similiter *in Codicem* bis scripsit, nec non Commentarios *de actionibus*, *de dotibus*, *de oppositione compromissi*, *de testibus* et *de renunciationibus Juris Civilis.* Vide Guidum Pancirollum II. 56 de interpretibus Juris, atque Hendreichium p. 811 seq. pandect. Brandenburg. qui editorum tradit notitiam, atque meminit etiam de aliis Butrigariis, Antonio et Bartholomaeo JCtis, et junioribus longe, Francisco JCto, et Hercule Musico. * Consilia quaedam servat MS. Cod. 372. Biblioth. Felini.

JACOBUS *Cajetanus* sive Gaytanus de Stephanescis, Anagninus S. Georgii ad Velum aureum Diaconus *Cardinalis* ab An. 1296 ad 1343 scriptor libri *de anno centesimo* sive *Jubilaeo*, qui adjunctis notis Julii Rosci prodiit separatim: inde in Bibliotheca Patrum Coloniensi tom. XIII et in Lugdunensi tom. XXV. pag. 936. Ejusdem Jacobi *carmina duo* in Jubilaeum pag. 942 et Bonifacii VIII. privilegia tria super Indulgentiis Jubilaei. pag. 943 seq. Condidit etiam libris III. metro heroico *vitam* Petri Moroni sive *Coelestini V.* qui Papatu se An. 1294 sponte abdicans, locum aperuit Benedicto Cajetano, Jacobi propinquo, inter Papas

Bonifacio VIII. Prodiere vulgati a Papebrochio in Actis Sanctor tom. IV. Maji 19 p. 437 461 una cum libris III. *de Canonizatione Coelestini V.* pag. 473 482 additis etiam notis. Ejusdem libri II. *de coronatione Bonifacii VIII.* itidem versibus scripti Heroicis exstant ibid. pag. 461. 471. adde Polycarpi Leyseri historiam poëseos medii aevi pag. 2037 seq. Praetereo alia Jacobi scripta, *carmina*, *sermones*, *Epistolas*, de quibus G. Josephus Eggs in purpura docta tom. 1, pag. 257 seq. *Ordinarium Romanae Ecclesiae* quod tom. 2. Musei pag. 243 443 vulgavit Mabillonius, huic Cajetano tribuit, verisimili conjectura ductus.

* Et mihi pariter ea sedet opinio quae olim Mabillonio *de ordinario Romanae Ecclesiae* Cardinali huic tribuendo iisdem persuaso rationibus, quae olim Mabillonio persuaserunt. Quod tamen ordinarium primus Mabillonius produxit interpolatum esse nemo prudens negaverit, cum multa contineat exempla a posterioribus Pontificibus quin et ab ipso Urbano VI. authore hoc multo recentiore petita. Est mihi MS. Cod. Chartaceus, qui olim pertinebat ad Petrum Ferricium Cardinalem Tirasonensem, cuius insignibus gentilitiis ornatur, Continetque Caeremoniale S. R. Ecclesiae idem prorsus cum hoc ipso Mabillonii, nisi quod multa hinc inde in eo desunt quae in Mabilloniano leguntur, et praesertim nulla ibi legas petita ex Pontificibus post Benedictum XI. Quae ex Pontificali Petri Amelii in istud translata indicavit Mabillonius, haec omnia a meo absunt. Post caput de eretione novorum Cardinalium et de forma providendi Cardinalem de titulo Episcopali, in quibus uterque Codex nonnullis exceptis consentit, reliqua in meo discrepant, ut in toto capite de caeremoniis novorum Cardinalium succedit caput aliud de iis quae praestanda sunt a *Diacono Cardinali in Missis Festivis Papalibus;* quod non lego in Mabillonio; sicut nec alterum proxime in meo sequens *de vesperis quas per se Papa celebrat.* Nec denique aliud de caeremoniis *quando Papa equitat.* Secundum haec succedit in eodem MS. Codice scriptum aliud, quod a Caeremoniale diversum videtur sub hoc titulo: *In nom. Domini, Amen. In domo unius Reverendissimor. Cardinalium sunt infrascripta officia principaliora.* An hoc pariter opusculum tribuendum sit Caietano, ignoro. Porro etiam caeremoniale hoc meum ab omnis interpolationis suspicione haud penitus vacare ultro agnosco. Quamquam enim omnes illae coniecturae, quae Mabillonium induxerunt, ut ritualem hunc librum Caietano tribueret, et in meo pariter recurrunt; suspicionem tamen excitat id quod legitur in cap. 84. Caeremonialis Mabilloniani ubi de mandato a Pontifice habendo. *Unus diaconus qui ei servit secundum Dominum Jacobum Caietanum ipsum Papam praecingit.* Verba haec desunt in meo, sed nec quidquam ibi occurrit de cingendo linteo Pontifice per Diaconum. Quare sive in meo hoc rituali haec refecta sunt, sive alium a Cajetano authorem habet; Utcumque sit emendat noster Cod. MS. multa quae in Mabilloniano lectionem depravatam ferunt et lacunas implet. cap. XX. Mabillon. *Cum duobus Cherubin in cameri in lanceas.* Lege ex nostro in *cacumine lancearum.* Mabillon pag. 275 *ad Palatium Cinteae.* MS. ad Palatium Cinthii; Mabil. pag. 279. *De Monte Cryptae Ferratae;* MS. *De Monasterio* etc. Mabill. pag. 413. *Quondam Episcopum* MS. *Quondam Episcopum N.* Idem Mabill. *videlicet . . . festum.* In MS. nulla apparet lacuna. Mabill. p. 360. *Cottas cum . . . sine camisus*; MS. *Cottas cum suctis sive camisiis albis.* Mabill. p. 361. *Parati cum mitris . . . eques sicut.* MS. *eques sicut in comestione steterunt.* Mabill. pag. 364. *processus in vero ad modum quo leguntur lectiones.* MS. *processus in nota ad modum quo leguntur lectiones.* Mabill. *super eam Stolam sex manus et brachia;* MS. *Stolam super manus et brachia.*

JACOBUS *Cardinalis*: praeter *Cajetanum Jacobus Fornerii, Jacobus de Clusa* et *Papiensis Piccolomineus* et *de Vitriaco.*

JACOBUS *Carthusiensis*, infra *Jacobus de Clusa* et *Gruytrodius.*

JACOBUS Iunterbuck de Polonia, ex Monacho vel Abbate Cisterciensi in Coeno-

bio Paradisiensi sive de Paradiso, dioecesis Posnaniensis in Polonia, a) Monachus in Monasterio S. Salvatoris, *Carthusianus*, et S. Scripturae Professor in Studio Erfordiensi. b) Ejus *Sermones* notabiles et formales de tempore et de Sanctis, Pontifici Calixto III. An. 1455 probati viderunt lucem, et ex veteri editione sunt Altdorfii apud V. C. Christ. Gottlieb Schwartzium. c) Tractatus *de erroribus et moribus Christianorum*, et alius eodem anno *de potestate daemonum, arte magica, superstitionibus et illustribus eorundem*, MS. in Bibl. Quedlimburgensi, d) in qua etiam servatur illius *de abusionibus Clericorum*, sive *de statu et officio Ecclesiasticarum personarum et de Canonico ingressu ad hujusmodi*; *Quodlibetum statuum humanorum*, ut de Papa et ejus curia, de statu Secularium, Regum ac Nobilium, Judicum, Divitum, Mercatorum etc. MS. etiam in Bibl. Augustana teste B. Antonio Reisero pag. 102. *De veritate dicenda et tacenda*, *De dignitate Pastorum et de cura Pastorali. De cogitationibus et earum qualitate. Sermones Dominicales.* His addi possunt quae in Paulina Lipsiensi e) servantur MSS. *Dialogus Religiosorum. Quaestiones diversae circa Monasticam disciplinam. Compendium de tribus substantialibus Religiosorum. Collatio de charitate fratrum et eorum disciplinari vita. Sermones festivales XI. Tractatus de septem peccatis mentalibus et mortalibus actualibus. De arte bene vivendi* sive *curandi vitia* et *de arte bene moriendi. De receptione et proventibus monialium et aliorum Religiosorum. De varietate modorum vivendi*, *et statuum humanorum diversitate. De celebratione festivitatum. De sanctificatione Sabbati. De causis deviationis Religiosorum et qualitate suscipiendorum ad Religionem. Monita salutaria*, *ad* Simonem *nepotem. De spirituum apparitionibus. De malo hujus seculi et de rectificatione status Ecclesiasticorum.* Longe plura hujus scriptoris servat V. C. Bernardus Pez, quae editurum etiam se recepit una cum singulari dissertatione de vita et scriptis Jacobi huius prope innumeris, ex quo quatuor vel quinque Jacobos confixere alii, *Jacobum Junterbock, Jacobum de Polonia, Jac. de Paradiso, Jacobum Cisterciensem, Jacobum Carthusianum.* Solum tractatum *de causis multarum passionum*, *praecipue iracundiae et remediis earundem* vulgavit laudatus Pezius tom. VII Bibl. Asceticae pag. 391. 444. Trithemius c. 814 de scriptoribus Ecclesiasticis et lib. de scriptoribus Germ. c. 192 magnis laudibus mactat hunc Jacobum, et Canonici Juris interpretem praecipuum usque adeo ait Doctoris nomen obtinuisse, ut verba eius scriptaque quasi pro Apollinis oraculo haberentur. Scriptis illius à me iam commemoratis ex eodem adiungi possunt haec: *De anno Jubilaei. Consolatio malorum hujus Seculi. De modo servandi interdictum. Apologeticus Religiosorum. De cautelis diversorum statuum. De cognitione secretorum eventuum. De contractibus. De malis hujus seculi. De obedientia Monachorum. De eorum stabilitate. De refrenatione cogitationum. Soliloquium hominis ad animam suam. De dignitate Praelatorum. De dignitate Sacerdotii. De observantia mandatorum. De statu securioris vitae. De intentionis directione. De profectu vitae spiritalis. De indulgentiis. De bono morali et remedio contra tentationes. De duobus Civitatibus, Hierusalem et Babylone. Directorium Ordinis Carthus.* et *de confirmatione statutorum ejusdem. De his qui frequenter vel tarde celebrant. De modo resistendi tentationibus.* Diem obiit An. 1466. itaque quod in MStis Quedlinburgensibus quaedam huius Jacobi notantur scripta An. 1472, de librario non de auctore accipiendum. Video etiam cum hoc nostro confundi alterum *Jacobum* Carthusianum, GRUYTRODIUM. De hoc enim disserens Robertus Gerius in appendice ad Caveum ad An. 1469 notat ejus non-

a) Simon Starovolsc. in Centuria scriptorum Polon. p. 68. et Caroli Vischii Bibl. Cisterc. p. 165.

b) Bernardus Pez praef. ad. tomum septimum Bibliothecae Asceticae.

c) Vide eius indicem librorum sub incunab. typograph. excusorum p. 81.

d) Tobias Eckard in notitia MSS. Quedlinburg. p. 50. 51. 53.

e) Joach. Felleri Catalogus p. 192. 193. 194.

nulla typis exscripta esse sub Artis typographicae primordia, *Quodlibetum statuum humanorum, de arte curandi vitia, de erroribus modernorum Christianorum, de abusionibus Clericorum*, quae omnia inter Gruytrodii scripta recte a Trithemio praetereuntur, et Jacobo Paradisiensi vindicanda sunt. Rectius ad Gruytrodium a Gerio referuntur *pharetra Divini amoris, Jesu Christi ad animum fidelem alloquia: Jesu CHristi et peccatoris colloquium,* edita Colon. 1577 12. Vicissim ad priorem puto referri oportere *disputationem pro utraque parte Concilii Basileensis*, quam Gruytrodio tribuendam supicatus est Simlerus. Nec non *Oculum considerationis Religiosorum*, et *De malis hujus seculi,* quae sub Jacobi Carthusiensis nomine memorat Sanderus parte 2. Bibl. Belg. MSS. p. 81.

* Viri huius Sermones Dominicales vidi ego Viennae in Bibliotheca monasterii S. Mariae Scotorum Ord. S. Benedicti antiquissima editione excusos in 4. absque adscriptione loci, et temporis titulum ferebant: *sermones dominicales per eximium S. Theologiae Professorem D. Jacobum domus Charthusiensis extra muros Erfordienses vicarium authorizati de* Dom. Nicolao Papa V.

JACOBUS *de Cessulis* sive Cesolis, Cassalis, Casulis (*von Dutten*) Ord. Praed. Gallus è Tirascia, de conventu Remensi, circa An. 1290. Trithemio c. 704 et Jo. Jacobo Frisio vitiose *Jacobus de Thessalonica,* scripsit librum in quatuor distributum partes *de moribus hominum et de officiis nobilium super ludo latrunculorum* sive *scaccorum.* Mediolan. 1479 fol. Exstat in variis Bibliothecis non Latine solum sed etiam Italice, (148 cusus in *Firenze* 1493 in 4. et *in Milano* 1829. 8. fig.) et Joanne Ferrono interprete atque Joanne Duvignay Gallice, nec non Germanice tum soluto sermone, tum paraphrasi rhythmica per Conradum von Amenhusen. Vide Jacobum Quetif. tom. 1. p. 471 et tom. 2. pag. 818. seq. Lambecium t. 2. Bibl. Vindob. p. 848.

JACOBUS *Cina*, supra *Jacobus de S. Andrea.*

JACOBUS *Cisterciensis*, supra *Jacobus Anglicus* et *Jacobus Carthusianus.*

JACOBUS *de Clavaro* sive *Claverio* Ligur, Ord. Praed. et Theologus in Academ. Austriaca Viennensi circa An. 1423. quo tempore cum Petro Pullia et Bartholomaeo de Ebraco scripsit tractatum *contra articulos principales Hussitarum.* Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 773 seq.

JACOBUS *Clericus*, Dominus de Beauvoir, Joannis Clerici Abbatis Vedastini frater Artesiensis, vixit in aula Philippi Boni Burgundiae Ducis, circa An. 1446. scripsitque commentaria sive Diarium eorum quae apud Atrebates et locis finitimis sua aetate contigere. Vide Valerium Andream pag. 406. Sweertium pag. 350. Vossium pag. 563.

JACOBUS *de Clusa*, Carthusianus cuius tractatum *de apparitionibus animarum post exitum a corporibus et de earundem receptaculis* editum Burgdorfii in Helvetia 1475. fol. memorat Simlerus.

JACOBUS *de Columna* apud Cangium multosque alios vitiose pro JOANNE *de Columna* de quo supra tom. 1, pag. 373. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 419.

JACOBUS *Congeshovius* sive *Kongelshovius*: infra *Jacobus de Konigshofen.*

JACOBUS *Crassus* sive *Grassus* Ord. Praed. cujus *Collectanea de laudibus Panormi* MSS. Francisco Baronio et aliis laudata memorat Antonius Mongitor tom. 1. Bibl. Siculae pag. 299.

JACOBUS *Cremonensis* circa An. 1450 in gratiam Nicolai V. Pontificis Latine vertit ex Graeco scripta *Archimedis*: diu post Jacobi obitum edita Basil. 1544. f. Vide Francisci Arisii Cremonam litteratam t. 2. p. 185 et Diarium eruditorum Italiae t. 13 p. 214.

* JACOBUS *a Cruce Bononiensis* dedit etiam Annotationes in Ovidium, in Virgilium, in Persium, Lucanum, Statii Sylvas aliosque authores veteres; quod eius opusculum exstat in collectione adnotationum doctorum virorum a Badio Ascensio excusa an. 1511. Ibi pariter extant praelectiones ejus in Livium, Boetii librum de consolatione, et Iuvenalem. Libellum vero hunc centum et sexaginta animadversiones continere indicat versiculus iste in fine opusculi legendus:

Haec centum sexaginta et centum observata Jacobi A cruce lector habes perlege si incipies.

JACOBUS *de Deleyto*, supra t. 2. p. 437.

JACOBUS *Diesthus*, rectius *Drieschus* circa Anno 1500. scripsit *Chronicon Flandriae*, ex quo nonnulla ad An. 1438. refert Jacobus Meyerus qui et ipse Chronicon Flandriae edidit A. 1530. 4. auctius deinde vulgatum a fratris filio Antonio Meyero A. 1561. et 1580. fol. In hoc Meyerus ad An. 888. Drieschii etiam mentionem facit his verbis: *Vitam Remberti una cum vita divi Ansgarii, Hamburgi conscriptam datamque ab Alberto Crantz* Jacobo Driescho, *antistiti Guilelmitarum Brugensium*, *in aliis lucubratiunculis nostris edidimus, lyricisque eum versibus celebravimus.* Ad haec verba intelligenda conferes Molleri τȢ μακαρίτȢ isagogen in hist. Chersonesi Cimbricae tom. 2. pag. 61.

JACOBUS *Doccomensis*, junior quam ut referri a me debeat, et nomen confictum sub quo latet Michaël de Isselt Amesfortius, auctor Mercurii Gallobelgici ab Anno 1566. ad 1594.

JACOBUS *Dominici*, Conquiliberitanus, in Provincia Galliae Ord. Praed. Provincialis ab A. 1357. ad 1367. scripsit *de privilegiis Ordini a summis Pontificibus concessis: De modo celebrandi electiones et capitula*, *ac recipiendi Magistri Ordinis ac Provincialis. De judiciorum ordine, et modo servando cum fratribus Ordinis. Chronica Capitulorum Ordinis generalium. Chronica Capitulorum provincialium Provinciae et Aragoniae. Catalogum omnium Ordinis provinciarum et domorum, tam fratrum quam sororum juxta suum antiquitatis ordinem.* Vide Jacobum Quetif. tom. 1. p. 662.

JACOBUS *de Dondis*, supra t. 2. p. 474.

JACOBUS *de Ferraria* Ord. Praed. Inquisitor haereticae pravitatis circa A. 1470. scripsit *Summam contra haereses. Tractatum de scientia DEI atque praescientia, de voluntate, de praedestinatione atque reprobatione, de Gratia, de vitiis et virtutibus, de Romani Pontificis potestate.* Commentaria in *Aristotelis* libros de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione, de parvis naturalibus et de anima. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 844. atque, *Jacobus Paduanus.*

JACOBUS *Ferrer* Aragonus Saetabitanus Ord. Praed. circa A. 1460. cujus solos *sermones de Sanctis* memorat idem Quetifus tom. 1. pag. 821.

JACOBUS *Folquerius* supra t. 2. p. 528.

JACOBUS *Foroliviensis* Medicus et Philosophus celebris circa A. 1430. Vide Trithemium cap. 772. Ejus commentarii in aphorismos *Hippocratis*, in artem parvam *Galeni*, et in Canonem primum *Avicennae* una cum Quaestionibus in Medicina, saepius viderunt lucem, ut notatum in Bibliothecis Medicis Lindenii, Merklini, Mangeti. Etiam expositio in *Avicennae capitulum de generatione embrii ac de extensione graduum formationis foetus in utero* prodiit Papiae 1479. fol. per Antonium de Carcano, et deinde plus simplici vice Venetiis, una cum quaestionibus super eodem argumento.

JACOBUS *Fornerii* sive *de Furno*, supra BENEDICTUS XII. Papa.

JACOBUS *Genuensis*, infra *Jacobus de Viragine.*

JACOBUS *Gruitroedius* Prior Monasterii SS. Apostolorum Leodicensis, Ord. Carthus. obiit A. 1472. ut duobus locis testatur Trithemius de S. E. c. 824. et de Germanicis scriptoribus c. 199. adde Valerium Andream pag. 410. et Sweertium pag. 364. Theodorum Petrejum in Bibl. Carthus. Arnoldum Bostium c. 30. Scripsit *Speculum* quintuplex, *Praelatorum, Subditorum, Sacerdotum, Secularium hominum et Senectutis,* quod DIONYSIO *Rickel* Carthusiano praeter rem adscriptum et sub ejus nomine saepius editum Paulus Langius in Chronico Citizensi pag. 867. ad Trithemii testimonium provocans, et post eum alii notarunt. Caetera ejus sunt: *De vita Domini JEsu, Meditationem Passionis Domini. Lavacrum Conscientiae*, Colon. 1501. 4. *Colloquia quinque, JEsu et Monachi, et Praelati*, *et Senis*, *et Eremitae et Discipuli. Dialogus Crucifixi et peccatoris. Mariae et peccatoris Dialogi duo. De nomine JEsu et Mariae. Contemplatio S. Mariae. Coronula S. Mariae. De veris virtutibus. De septem*

peccatis mortalibus. De quatuor novissimis De praeparatione ante Missam. De definitione nominis Monachi. Lectionarius Mensae. Sermones de tempore et de Sanctis. Epistolae. Hisce commemoratis a Trithemio, Valerius Andreas et Sweertius ex Bibl. Tigurina addunt: *De septem statibus Ecclesiae in Apocalypsi descriptis. De auctoritate Ecclesiae, ejusque reformatione. De abusibus Clericorum. De erroribus modernorum. De causis et remediis passionum animi: Quod Praelati vitia curare debeant.* Non confundendus hic Gruitroedius cum Jacobo de Paradiso, vide supra, *Jacobus Carthusianus.*

JACOBUS *Guisius*, supra t. 3. p. 161.

JACOBUS *Henricus de Alba* Ord. Minor. Provinciae Genuensis, et custodiae Astensis circa A. 1340. Per quaestiones et conclusiones libros omnes Philosophiae Aristotelis explicavit, dicavitque Roberto Siciliae et Neapolis Regeo. Vide Waddingum p. 182.

Joannes JACOBUS, Feltrensis, infra *Jacobus Zenus.*

JACOBUS *Junterbuk*, supra *Jacobus Carthus.*

JACOBUS *JCtus* Constantinopoli tempore Justiniani, qui cum Triboniano et aliis, Jus Civile Romanum, jussu et auspiciis Imperatoris, in Corpus, quo etiamnum utimur, digessit.

JACOBUS *Izelgrinus* Lector Fratrum Minorum Parisiis, cujus Rhetorica nova et brevis, et tractatus de coloribus Rhetoricis memoratur a Sandero. pag. 204. Bibl. MSS. Belgic.

JACOBUS Twingerus *de Konigshofen*, Urstisio Vossioque *Congelshovius* vel *Kongelshovius*, Hallevordio *Küningshoven*, Praebendarius Ecclesiae Argentinensis, scripsit Germanice Chronicon de rebus ab orbe condito gestis, praecipue Alsaticis atque Argentoratensibus usque ad A. 1386. Hoc primus cum eruditis observationibus vulgavit celeberrimus Joannes Schilterus, a) Argentorati 1698. 4. testatus Latinum quoque Chronicon a Koenigshofenio compositum, sed imperfectum atque ejusmodi, ut majoris operis apparatum qualemcumque referre videatur. Cum vero Germanicum in A. 1386. desinat, necesse est in Urstisii Codice longius processisse, vel continuatum ab alio scriptore, siquidem sententiam qua An. 1400. exauctoratus fuit Wenceslaus Imp. ex Chronico Kongelshovii Latine translatam exhibere se Urstisius profitetur tomo secundo scriptorum rer. German. extremo.

a) Acta Erud. 1698. pag. 562.

JACOBUS *Laudensis* Ord. Minor. provinciae Mediolanensis circa An. 1350. scripsit *Summam Casuum Conscientiae.* Vide Waddingum pag. 183. Citatur hic Jacobus a Galvaneo Flamma et in Summa Angeli de Clavasio.

JACOBUS Arigonius, de Balardis. Ord. Praed. Sacri Palatii apud Bonifacium IX. Magister et ab A. 1407. Episcopus *Laudensis* (Laudae Pompejae in Insubribus, *Lodi*) interfuit Concilio Constantiensi damnationique Joannis Hussi, Hieronymi Pragensis, et novem propositionum Joannis Parvi. *Orationes* ejus in illo Concilio habitas publicavit V. C. Hermannus ab Hardt in actis illius Concilii tom. 1. parte 20. et tom. 3. parte 1. et pag. 55. tom. V. p. 115. Hisce aliam ante ingressum electorum in Conclave An. 1417. 8. Nov. habitam adjunxit Jacobus Quetif tom. 1. pag. 785. 786. qui etiam de hoc Jacobo videndus pag. 757. et 793. seq. Ughellus tom. IV. Italiae sacrae p. 680. seq. Oratio adversus Hieronymum Pragensem exstat etiam apud Bzovium ad A. 1415. num. 49.

* In Codice Bibl. Riccardianae praeter orationes habitas in Concilio Constantiensi extat etiam ejus *oratio* in exequiis Ferdinandi Aragonum Regis et sermo in festo S. Thomae Archiepiscopi Cartuariensis habitus in Concilio Constantiensi an. 1415. Vid. Catalogum eiusd. Bibl. pag. 239. in quo etiam additur tertia non edita ab Hardtio. *Oratio ad Ambasciatores regis Castellae venientes in Concilium Constantiense.*

JACOBUS *de Lausanna*, Helvetius Ord. Praed. Franciae provincialis An. 1318. de quo Trithemius c. 659. et Jacobus Quetif tom. 1. pag. 547. seq. Hic praeter *Sermones* de tempore et de Sanctis, editos Paris.

1530. 8. et lecturam *super Sententias* Thomasinam, scripsit *Moralitates super libros sacrae Scripturae* in Pentateuchum, in Job, in Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Ecclesiasticum et Esaiam. Lecturas in Matthaeum, Lucam, Joannem, Epistolas Canonicas, Apocalypsin, Psalmos et Prophetas minores. His a Quetifo memoratis addere ex Jacobo Longo licet *Postillam in Danielem,* MS. in Bibl. Augustinianorum Parisiis ad Pontem novum. Quod vero Lemovicis 1528. 8. prodiit *opus moralitatum* super Pentateuchum, librorum Job, quinque libros Sapientiales, et Esaiam atque Apocalypsin, tantum excerptas ex ejus commentariis et in usum concionatorum ab alio digestas complectitur.

JACOBUS *a Leocato* sive *Leocata*, Antonino Mongitori in Bibliotheca Sicula tom. 1. pag. 299. *Jacobus a Lomia* Alicatensis, Ordinis S. Mariae de monte Carmelo Theologiam docuit in Lyceo Patavino, Senensi et Florentino circa A. 1490. Scripsit *in quatuor libros sententiarum, in Metaphysicam Aristotelis* et *Logicam. Conciones Quadragesimales.* Vide Alegrii paradisium Carmeliticis decoris pag. 373.

JACOBUS *Magni* Tolosanus a) Ord. eremitarum S. Augustini, Doctor Parisiensis et Caroli VII. Regis Gallorum qui A. 1422. regnare coepit, a sacris Confessionibus scripsit *Sophologium, inducens animum legentis ad amorem Sapientiae.* Paris. 1507. 4. *Librum bonorum morum* in quo de remedio contra septem peccata mortalia, de statu Ecclesiae, de statu Principum, de morte et die judicii. ibid. in fol. *Annotationes in libros sacros universos. Compendium utriusque Philosophiae. Quaestiones in libros Aristotelis de anima.* Vide Trithemium c. 964. Elsii encomiasticon Augustinianum pag. 312.

* Quamquam munus audiendi sacras confessiones egit apud Carolum VII. Francorum Regem qui regnare coepit an. 1422. adhuc tamen vita facile cessit quinquennio, vel septennio antequam ille regnavit; quare vivo adhuc patre munus illud penes istum regium principem egit. Scripsit *Sophologium* quod primo vulgatum est Parisiis an. 1477. dein Lugduni 1495. ac tandem Parisiis 1506. non vero 1507. ut hic Fabricius. Praeter Commentarios in utrumque testamentum superest etiam eius *expositio literalis et mystica in Genesim* nondum excusa. Superest quoque in quatuor lib. Sententiarum commentatio cum aliis pluribus moralibus. Vide Gandolfo in Dissert. Hist. de CC. Augustinianis.

JACOBUS II. *Majoricarum* insularum Rex An. 1337. publicavit *Leges Palatinas* de officiis Magistrorum hospitii sive Majorum domus, Camerlingorum, Cancellarii, Magistri rationalis, et quicumque his subjecti sive submissi inserviunt, Consiliariorum itidem, et de modo scribendi diversis personis secundum gradum cujuslibet p. LXIV. seq. et de aliis solennibus. Prodierunt cum iconibus aere descriptis ex figuris codicis MS. personam cujusque et habitum officiumque exprimentibus, ante tomum tertium a) Act. Sanctor. Junii An. 1701. praemisso indice capitum Ordinationum Aragonicarum Petri III. Aragoniae Regis A. 1544. *Dotatio Ecclesiae Collegialis de Regali in Urbe Perpinianensi,* facta An. 1340. a Jacobo Rege Majoricarum vulgata a Baluzio appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1480. seq.

JACOBUS *Malvetius* Brixiensis claruit circa A. 1432. *vir Medica arte pollens atque idem in Historia diligens, sed in quo illud merito culpetur, quod patriae dignitati adeo superstitiose faverit, ut in facinoribus ejus enarrandis atque extollendis plane excesserit modum: cujus rei auctor mihi V. Cl Octavius Rubeus J. C.* Haec de eo Vossius pag. 803. seq.

* Fugerat me indicare chronicon J. Malvecii prodiisse in Muratorio Rer. Ital. t. XIV. Perducitur illud usque ad annum 1332.

JACOBUS *Manlius* supra, *Jacobus Brigantinus.*

JACOBUS *de Marchepallu* Ord. Minor.

a) Non Toletanus. Vide Nic. Antonium Bibl. vet. Hispan. X. 2. tom. 2. pag. 454. seq.

a) Confer. Acta Erud. A. 1702. pag. 321. Oudinum tom. 3. pag. 890.

Genevae An. 1490 scripsit de colentibus Purgatorium, animas quas expiat ignis summum Pontificem solvere posse docens. Ex illo excerpta quaedam offert V. C. Jo. Jacobus Hottingerus in hist. Eccles. Helveticar. edita Germanice tom. IV. in appendice p. 116 seq. Eius operis etiam meminit Nevizonus in Sylva nupt. lib. 3. p. 214.

JACOBUS *de Mevania*, supra *Jacobus de Blanconibus*.

JACOBUS *Middelburgensis*, Juris Pontificii Professor, cujusque liber *de praecellentia potestatis Imperatoriae* contra cujusdam Aretini et aliorum calumnias, prodiit Antwerp. 1502 4.

JBCOBUS de Strziebro ex oppido Bohemiae ad Misam fluvium, dictus *Jacobus de Misa*, vel etiam *Jacobellus*, Theologus Pragensis, Ecclesiae S. Michaelis Pastor, (a quo *Jacobitae*) Communionem sub una perinde ut Joannes Hussus strenue impugnavit, Jo. Wiclefi scripta in Bohemicam transtulit linguam, et Latine varia scripsit clarus tempore Concilii Constantiensis, et defunctus An. 1429. De eo V. C. Hermannus ab Hardt in prolegomenis ad tomum tertium historiae illius Concilii pag. 17 seq. et tom. 3. pag. 335 tom. 4. pag. 187. D. Jo. Fabricius, Helmst. tom. 2. Bibl. pag. 354. Jo. Georgius Schelhorn tom. IX. amoenitatt. litterar. p. 669 seq. *Primum universalis consuetudinis Ecclesiae effractorem, et primum hujus novitatis in regno Bohemiae inventorem* vocat Joannes de Ragusio, in Oratione de Communione sub una, apud Canisium tom. 4. edit. novae pag. 502 ita frons de rebus perierat, et caeteros homines pro fungis habet Ragusinus, ut novitas ab eo appelletur res ab Apostolicis usque temporibus per omnem Christianum Orbem ad Concilium usque Constantiense testatissima. *Quamquam in communione sub utraque specie praedicanda alia fuit Jacobelli, alia primitivae Ecclesiae sententia.* Jacobelli *Vindicias pro Communione sub utraque* adversus *Andream Brodam* An. 1415 scriptas edidit laudatus Hardtius tom. 3, pag. 416. 585. a quo etiam publicata *Anonymi* Epistola ad Jacobellum pag. 339 392 et *Andreae Brodae* Theologi Pragensis contra Jacobellum pag. 392 415. Constantiensis Concilii contra Jacobellum conclusiones pag. 586 591. Jacobelli *Apologia pro Communione plebis sub utraque specie contra Conclusiones Doctorum in Concilio Constantiensi editas* pag. 592 657. *Anonymi* contra Jacobellum pag. 658 762. *Joannis Gersonis* Consilium de causa Jacobelli ulterius discutienda. pag. 766 779. *Mauritii de Praga* tractatus duo contra Jacobum de Misa pag. 779 et 805 883 in quo Jacobelli *demonstratio sententiae suae per testimonia Scripturae, Patrum atque Doctorum*, pag. 805 826 praeterea Hardtius pag. 884 932 ex Codice Bibl. Caesareae vulgavit ejusdem Jacobelli tractatum *de vera existentia Corporis et Sanguinis CHristi in sacra Coena.*

JACOBUS *de Moguntia* de suis temporibus citatur a Bzovio ad An. 1307 n. 4.

JACOBUS *Motzius* Theologus Sacerdos, Friderici III. legatus, cujus *Oratio ad Alphonsum V.* Lusitaniae Regem pro Eleonora Eduardi Regis filia, Alphonsi sorore Friderico III. desponsanda, exstat in Freheri t. 2. scriptor. Germ. edit. novae p. 31 confer de eodem observata Cl. Struvii p. 24 et 53.

JACOBUS *Odo*, sive *de Oddis*, Perusinus Ord. Minor. Provincialis, a Cangio inter hos scriptores refertur, licet nihil Latine apud Wadding. pag. 184. traditur scripsisse, sed tantum rudi satis lingua Italica *Speculum Ordinis Minorum*, quod vulgariter vocant *Francischinam*, in quo per duodecim capita per varios titulos virtutum recensuit viros sanctos et illustres, qui illo in Ordine floruerunt. Augustinus Oldoinus in Athenaeo Augusto, quod est de doctis Perusinis, pag. 158 lucubrationes etiam alias circa Philosophiam et Theologiam ait exarasse, Latine vero an Italice non addit, et nullum nominat.

JACOBUS *de Osana*, supra, Jacobus *de Lausana.*

JACOBI *Paduani*, Doctoris de Gonterio, dicti de Ferraria, totius ornati sermonis methodus MS. Venetiis in Bibl. SS. Joannis et Pauli, teste Tomasino pag. 28.

JACOBUS *Papiensis* Cardinalis, infra *Jacobus Piccolomineus.*

JACOBUS *de Paradiso*, supra, *Jacobus Carthusiensis.*

JACOBUS *Parmensis*, supra, *Jacobus de Arena.*

JACOBUS *de Partibus* Tornacensis, Archiater Caroli VII. Gallorum Regis et postea Canonicus Tornacensis, defunctus A. 1465 cum cujus explanatione prodiit Latine *Avicenna*, Lugd. 1498 fol. tribus Volum. Glossa interlinearis in practicam *Alexandri* Tralliani. Lugd. 1504 4. Tabula sive summula Alphabetica morborum ac remediorum ex libris *Joannis Mesue* excerpta etc. De his aliisque vide sis Bibliothecam Medicam Lindenii, Merklini, Mangeti.

JACOBUS *Passavantius* Florentinus ord. Praed. defunctus An. 1357 Ejus additiones ad Commentaria F. Thomae de Wallois in libros S. Augustini de Civitate DEI, prodiere Lond. 1520 fol. Omitto quod Italice scripsit Speculum verae poenitentiae, saepius editum, (148 primum Florentiae An. 1495. inde ibid. 1579. 1681. 1725. 1825. 1853. ut editiones quae Venetiis Neapoli Mediolani Veronae et alibi prodierunt praeteream.) de quo Jacobus Quetif tom. 1, pag. 645. tom. 2. pag. 821 et Julius Niger in historia scriptorum Florentinorum p. 331.

JACOBUS *Perez*, infra *Jacobus de Valentia.*

JACOBUS *de Perusio* Umber, Ord. Praed. qui et Jacobus Castelbonus, Jacobus de Alexiis et Raynutii appellatur, circa An. 1286. Episcopus Florentinus cujus non nisi *Sermones* memorantur apud Jac. Qetif tom. 1, pag. 403 750 et tom. 2, p. 818.

JACOBUS *Perusinus* Ord. Praed. ab An. 1407 Episcopus Narniensis in Umbria, anno post 1408 defunctus. Scripsit *Chronicon Ecclesiae Narniensis.* Vide Augustinum Oldoinum in Athenaeo Augusto. p. 458 seq.

JACOBUS *Perusinus* Ord. Minor. supra *Jacobus Odo.*

JACOBUS *de Petris*, Brixiensis Ord. Praed. circa An. 1470 scripsit adversus haereses sui temporis, Librum de praecipuis Catholicis veritatibus, et Sermones de tempore ac de Sanctis par annum. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 822 et 844.

JACOBUS *Philippus Forestus*, Bergomensis sive de Pergamo, Augustinianus, obiit Pergami An. 1518. aetatis 85. Hujus exstat opus historicum non contemnendum, quod *supplementum Chronicorum* inscripsit. Primae editiones Venetae 1483 1490 1492 et Brixiensis An. 1485 fol. Ex his eam inspexisse se innuit Trithemius c. 899 quae absolvitur libris XV. atque ab Orbe condito progreditur usque ad An. 1480. Sed. praestat editio Veneta, ab auctore An. 1503. (aetatis 69) recognita, quae librum XVI. habet adjunctum, atque in An. 1502 desinit. Titulus est: *Novissimae historiarum omnium repercussiones*, *quae supplementum supplementi Chronicarum nuncupantur.* Opus dedicatum Antonioto S. Praxedis Presbytero Cardinali, editumque Venet. 1503 fol. per Albertinum de Lissona, Vercellensem. Postea in editione Parisiensi 1535 et Venet. 1547 fol. additum a Bernardo Bindono supplementum novum usque ad An. 1535. Sub finem singulorum librorum, atque in mediis etiam libris subinde, Virorum doctrina et ingenio excellentium, notitia traditur, qua non dubito usum etiam Trithemium in Catalogo suo adornando. Exstat et Italica Chronici hujus versio, Francisco Sansovino interprete, qui novo illud supplemento auxit. Venet. 1581. 4. Ejusdem Jacobi *de claris electisque mulieribus Christianis* ad Beatricem Aragoniam, Hunnorum et Bohemorum Reginam. Ferrariae 1497 fol. et (149 titulo: De memorabilibus et cl. mulier. aliquot diversorum scriptorum opera) Paris. 1521. fol. Denique *Confessionale* ejus memorat Philippus Elssius in encomiastico Augustiniano p. 515. hoc est quod post edit. 1506 1508 8. Antwerpiae lucem vidit 1513 8. *Herithoma* (vitiose pro ἐπερώτημα) sive *Interrogatorium* Omitto *Commentarios in Lucam,* quoniam nemini inspectos arbitror.

* Ex editione Veneta *supplementi Chronicorum* quae tertia est an. 1490 nonnulla disco quae hic praetermissa sunt a Fabricio. Exacta est illa ad tertiam recensionem ab authore factam an. 1486. Bergomi; est autem recensio haec tertia ut ille ibidem in fine operis significat. Ad singulas autem editiones aliqua author adiecit, ut ibidem ait. Cum vero recensionem hanc tertiam

absolverit anno 1486 et in hac editione additamenta quaedam legantur usque ad an. 1490. haec profecto ab aliquo scriptore, qui alius sit a nostro processisse existimanda sunt. Dirigitur liber ad Magistratum Bergomensem, ex cuius praefatione disco ab authore distinctum fuisse opus in libros XIV. dein vero ad XV. in posterioribus editionibus crevit eiusdem auctoris opera, quem pariter et procedentibus editionibus adiunxisse librum XVI. ex Fabricio hic discimus. Editio an. 1490. qua utor in libro XV. sistit. (150 Extat et versio Italica Francisci C. (Cei ?) Florentini cum additionibus cosa in Venetia, Rusconi 1508. in f. chartis 12. et 350.

JACOBUS *Philippus,* Faventinus è Servis B. Mariae, de quo Bzovius ad A. 1483 n. 23 et An. 1489 n. 11.

JACOBUS *Philippi,* Friburgensis et Basileensis Theologus, circa An. 1495 cujus memoratur a Gesnero et aliis, *Praecordiale Sacerdotum*, et liber *de Sacerdotum reformatione, ac Sermones.*

JACOBUS Ammannatus, per adoptionem *Piccolomineus*, Lucensis ex Caroli et Leonardi Aretinorum disciplina, Pio II. charus, cujus Commentarios etiam non absolutos teste Ughello a) absolvit : Cardinalis, et Papiensis Episcopus, defunctus A. 1479 Scripsit *commentarios rerum sui temporis* usque ad An. 1469 per quinquennium gestarum *libros VII.* qui cum ejus *Epistolis* 782 ab An. 1462 ad 1489 et Vita a Jacobo Volaterrano scripta prodiere Mediolani 1506 fol. Ex illis commentariis petiit Freherus narrationem *de Leodii excidio* An. 1468. tom. 2. scriptorum de rebus Germanicis p. 271 edit. novae Struvianae: nec non alterum *de Friderici III. profectione votiva in Italiam* An. 1469 pag. 284 301. *Testamentum* ejus affert Bzovius ad An. 1479 n. 33 apud quem etiam plures huius Jacobi leguntur Epistolae, sicut apud Freherum quoque pag. 292 seq. Ex eorundem commentariorum libro sexto petita *narratio historica de Hussitis, et de Georgio Pogiebrachio Bohemorum Rege* quam exhibet Freherus in scriptoribus rerum Bohemicarum pag. 206 221. Caetera ejus, inedita pleraque: *Vitae Pontificum. Narratio de legatione Capranicae Cardinalis Formani ad Genuenses : Commentarius de officio summi Pontificis et Cardinalium* scriptus An. 1468. *Homilia de conversione ad Dominum*, et altera *de assumtione B. Matris* et *Carmina* judice Jacobo Volaterrano *magis arguta quam suavia.* Ut vero Jacobus Piccolomineus Commentarios historicos Pii II. continuavit ab An. 1464 ad 1469 : ita Jacobus Volaterranus similem laborem ab An. 1479 quo Piccolomineus extinctus est, produxit usque ad An. 1484. Vide infra, *Jacobus Volaterranus.*

* Nemo hucusque quantum scio prodidit viri huius docti utilem et diligentem operam in emendandis epistolis Ciceronis ad Atticum; eandemqne pariter spartam adornasse Joannem Andream Aleriensem Episcopum, *per quos ferre acceptum decet quidquid lucis in his epistolis datur cernere;* verba sunt epistolae a Barthol. Saliceto Bononiensi et Ludovico Regio Corneliensi praefixae editioni earumdem Rom. a. 1490. f.

a) Ughelius tom. I. Italiae sacrae, pag. 1103. ubi non *Jacobus Piccolomineus*, ut apud Freherum Vossiumqve, sed *Jacobus Ammanuatus* dicitur, recte. Vide Diarium eruditor. Italiae tom. 17. pag. 355.

JACOBUS *Picininus,* Nicolai F. Dux Venetus, cujus nomine exstant *Commentarii* sive *Diarium rerum ab ipso gestarum* An. 1452 fervente bello inter Venetos et Franciscum Sfortiam, Mediolanensium Ducem, auctore PORCELLIO, Poeta et Scriba Alphonsi primi, utriusque Siciliae Regis. Edidit laudatissimus Muratorius a) tomo vigesimo thesauri scriptorum Italiae, Mediolan. 1731 f.

JACOBUS *Poggius*, infra, POGGIUS.

JACOBUS *de Polonia,* v. *Jacobus Carthus.*

JACOBUS *Polonus*, Ord. Cisterc. idem.

JACOBUS *Ponzonus* qui *de memoria locali* scripsit atque Anno nonagesimo aetatis decessit Mantuae An. 1542. Vide Arisii Cremonam literatam tom. 1. p. 351.

JACOBUS *Presbyter* post seculum X. scriptor *miraculorum S. Zenonis* Episcopi Veronensis, carmine hexametro, cujus initium :

a) Acta Erud. 1733. pag. 392.

Admiranda nimis miracula visere Sancti
Haec placeat, Verona, tui Zenonis amore.

Edidit Henschenius in Actis Sanctorum tom. 2. April. 12 p. 76 78.

JACOBUS *Publicius* Florentinus, de quo Gesnerus in appendice ad suam Bibl. et ex eo Simlerus, Poccianțus et pag. 332. Julius Niger. Scripsit Panegyricum Tarentini Ducis Hispaniae. Artem Epistolandi, ad eundem Principem. Epitomen Artis Rhetoricae et Artem memorativam, impressam Parisii a Jacobo Alexandro.

(151 *Epitomata Artis oratoriae. Ars Tulliano more epistolandi. Panagericum. Ars memoriae.* in 4. fig. A–E. a-d Venetiis ap. Radolt. 1482. primum prodiit, deinde ibid. 1485. quae sunt mihi binae editiones. Aliae an. 1490. 1498. et Coloniae S. A. memorantur a Panzer. Per Mittarellum. (Catal. Bibl. S. Mich. prope Murianum Ven. 1779. f. 392. append. Cod. MS. Epistolarum auctoris huius innotuit. Ex eo temporibus Innocentii VIII. Alex. de Nevo et Marii Philelfi floruisse hauritur. Publicium et Cyrillum Caesarem cui l. op. dicatur, nomina academiae Fossius in suo Catal. Codd. Sec. XV. B. 420. suspicatur.

JACOBUS Comes *Purliliarum*, scripsit non ineleganti sermone libellum *de generosa liberorum educatione* ad conregulos suos, quem habeo excusum Tarvisii 1492 4. prodiit inde Basileae 1541 8. ubi etiam An. 1537 8. lucem viderunt ejus *de re militari* libri duo, de quibus videndus Gesnerus pag. 361. Bibl. Hunc Jacobum Franciscus Niger Venetus, Doctor Patavinus in Epistola ad eum data, quae libello de educatione subiicitur, inter alia vocat *utriusque humanitatis parentem.*

JACOBUS *a Ravanis* sive *de Ravenna* (Revigniaco) provinciae Lotharingae (Revigni), JCtus, Tolosae docuit circa A. 1250 a) inde Auditor Rotae Romanae, et Episcopus ab An. 1292. Virdunensis, b) decessit, Romam tendens in itinere Florentiae A. 1296 Scripsit *in Digesta* et *Codicem, disputationesque* varias, c) et *Compendium feudorum*, et *Dictionarium* quod ambitiosa inscriptione *Lumen ad revelationem Gentium* appellavit. d) Eo etiam nomine notabilis, quod primus quae a majoribus in foro simpliciter tradita fuerant, ad dialecticum arguendi modum deduxit, e) et incassum resistente Rizardo Malumbra, amplam fenestram ad sophisticas litigationes, et dubitationum incerta aperuit, effecitque ut ipsa juris dicendi ratio f) a veteri consuetudine deflecteret.

JACOBUS *de Rebiria*, Secretarius Regius ex quo locum de Waldensibus producit Jo. Henr. Hottingerus tom. 3. hist. Eccles. Novi Test. p. 289.

JACOBUS *Regius*. cujus cordata Epistola ad Maximilianum I. de reformatione Ecclesiae, edita in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum et fugiendarum pag. 169. b. *Serenissimo Ro. Caesari Augusto Maximiliano Ja. Regius familiaris.* Fasciculus ille post edit. Colon. 1535. recusus est curante Eduardo Brown, Lond. 1690 fol.

JACOBUS *Reimolanus* sive *Raymolanus* Carmelita Gandensis, sive Gandavensis, Mathematicus, Rhetor et Poëta, diem obiit Romae A. 1508 scripsit Vitam S. Joachimi, et de eo Odas. Idyllion de bono conjugali. De puritate B. Mariae Virginis. Exhortationes Christianorum. Epistolas carmine, aliaque poëmata. Vide Simlerum et Valerium Andream p. 427. ex quo Sweertius pag. 372. Alegrius pag. 383.

JACOBUS *de Rhegio* Italus, Carmelita circa A. 1460. ex Trithemii encomiastico Carmelita. viris Graecae linguae, Hebraicae et Latinae peritis a Colomesio adscribitur p. 6. Italiae Orientalis. Orationes quoque et Epistolas, et multa etiam *carmine* scripsisse cum idem Trithemius ex fama acceptum notasset, ex lucubrationibus ejus tamen nihil laudat de nomine, quam *Sermones* notabiles per Quadragesimam. Nec plura

a) Gvido Pancirollus II. 34. de interpretibus Juris.

b) Sammarthani tom. 3. Galliae Christ. p. 1169.

c) Trithem. c. 526.

d) Panciroll. l. c.

e) Cinus apud Trithem. Gazalupus, Cotta, Pancirollus, Valentinus Forsterus III. 22.

f) Conringius de scriptoribus Sec. XIV. c. 3. Nic. Hieron. Gundling. hist. eruditionis, edita Germanice tom. 2. pag. 1828.

Alegrius pag. 350. Paradisi Carmelitis decoris.

JACOBUS *Romanus* Ord. Praed. circa A. 1400. Scripsit *de victoriis*, *de persecutionibus*, *de virtutibus et vitiis Regum Romanorum:* et *Sermones* de tempore et de Sanctis. Vide Leandrum Albertum libro IV de viris illustribus Ord. Dominicani p. 149. ex quo Vossius, Altamura et Jacobus Quetif tom. 1. pag. 749.

JACOBUS *Salodorensis,* scriptor Carminum circa A. 1480.

JACOBUS *Scalza* Urbevetanus Etruscus, Ord. Praed. Episcopus Sulmonensis et Valvensis in Aprutio citeriori ab. A. 1263. ad 1278. Hujus ex scriptis nullum nisi *Sermonum volumen* memorari video apud Antonium Senensem, Possevinum aliosque.

JACOBUS *Schonheintz* mathematicus et physicus Herbipoli in Germania scripsit *Apologiam Astrologiae* contra Joannem Picum, satis elegante stylo Liber impressus Norimbergae in 4. A. 1502. chartis sex, ut Gesnero jam notatum.

JACOBUS *de Senis* cognomento *de Tundo*, Ord. Minor. circa A. 1330. cujus *brevia Chronica* illius Ordinis laudat Waddingus pag. 186.

JACOBUS *Senensis,* Ord. Praed. supra, *Jacobus de S. Andrea.*

JACOBUS *Soldius,* Florentinus, Ord. Servorum Mariae, Medicus et Philosophus diem obiit A. 1440. Scripta ejus: *antidotarium pro tempore Pestis* Florentiae A. 1421. grassantis, editum Bonon. (1478. et) 1533. et versum etiam Italice a Dionysio Bussotto, Florent. 1631. *Liber de sanitate tuenda. Canones Medicinae. De signis prognosticis. Commentaria in Danielem Prophetam. Postillae in Evangelia Dominicalia. Sermones in laudem B. Virginis et Sanctorum. Vita B. Elisabethae Piccinardiae Mantuanae.* Vide Possevinum, Pocciantum, et Julii Nigri historiam scriptorum Florentinorum p. 335.

JACOBUS *Sprenger,* scriptor mallei maleficarum, de cujus editionibus supra in HENRICO *Institoris,* tom. 3. pag. 207. Jacobus hic Ord. Praed. et Provincialis Coloniensis et Inquisitor haereticae pravitatis superstes adhuc A. 1494. *Paradoxa Joannis de Wesalia* a) Moguntiae A. 1479. damnavit parastata *Gerardo Elten* de Colonia: Prodiere iterum in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum. Colon. 1535. et Lond. 1690. fol. Denique scripsit *de institutione et approbatione Confraternitatis S Rosarii,* erectae Coloniae A. 1475. Septembr. 8.

JACOBUS *de Stralen,* Theologus Coloniensis, superstes adhuc octogenario major A. 1496. Scripsit *in Apocalypsin Johannis.* Vide Trithemium cap. 885. de S. E. et de scriptoribus Germ. c. 240.

JACOBUS *de Strziebro,* Bohemus, supra *Jacobus de Misa.*

JACOBUS *Svedoricus* Ord. Minor. Custos Misnensis circa A. 1439. teste Waddingo pag. 186. secuto Simlerum et Possevinum. Sed junior fuerit, si, ut Vossio vir doctus affirmavit, librum *de origine Religionum* sive *Religiosorum* ipse typis exscribendum dederit A. 1525.

JACOBUS *de Susato, Suzato,* sive *Sosato,* (Zoet) Westphalus Ord. Praed. Theologiae Professor Coloniensi atque inquisitor haereticae pravitatis, defunctus circa An. 1423. Scripsit Lecturam sive Commentarios uberes *in Matthaeum,* et *in Epistolam ad Titum.* Deinde Commentarios *in librum Sapientiae, et in Epistolam ad Hebraeos.* Praeterea *super Missam* et *in IV. libros Sententiarum. De veritate Conceptionis B. Mariae Virginis,* quem tractatum sub nomine *Jacobi de Bozato* refert Tomasinus in notitia MStorum Venetorum pag. 26. Tractatus *de hora mortis CHristi. De auctoritate et origine Ecclesiae. Chronica* et *Mappam Mundi. Chronica brevia rerum gestarum Ordinis Dominicani ab initio ad annum* 1415. ubi de Viris illustribus Ord. Praedicatorum. *Privilegia Ordinis* ac *Defensio. Collationes breves sive Sermones. Distinctiones breviores et longiores, pro arte colligendi* sive praedicandi. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 774. seq.

JACOBUS *de Theramo* sive *Tranensis,* scriptor Consolationis peccatorum sive Dialogi et disputationis Ecclesiae CHristi et

a) Trithem, de S. E. c. 957. et de scriptoribus Germ. c. 272. Jacob. Qvetif. tom 1, pag. 850. et 880.

Synagogae Satanae, atque actionis causidicae inter DEUM et Diabolum. Vide supra, *Jacobus de Ancharano*, Ejus Commentarium in quatuor libros Sententiarum, Augustae Vindel. 1472. editum notavit Caveus: et *Prophetiam* de qua in Actis Concilii Constantiensis sess. XV. tom. XII. Labbei pag. 133. (Harduin. tom. VIII. pag. 414.) *Joannes Hus dixit in vulgari ad populum, quod Anno Domini 1409. surget unus, qui Evangelium, Epistolas, et Fidem CHristi persequetur, per haec denotando Dominum Alexandrum* (V. Papam) *qui in suis bullis mandavit libros Wiclef cremari.*

JACOBUS *de Thermis*, Abbas Caroli Loci, Ord. Cisterc. Sylvanectensis dioecesis atque inde Abbas Pontigniacensis: interfuit Concilio Viennensi An. 1312. scripsitque varia *contra* Ægidium Romanum aliosque *impugnatores exemtionum Regularium ac privilegiorum* quae memorat Sanderus in Bibliotheca MSS. Belgii parte 2. pag. 106. Ejusdem forsan argumenti *Defensorium Juris* quod memorat Carolus Vischius in Bibl. Cisterc. pag. 166. cum libro *contra Pseudoprophetas*, et *Quaestionibus Theologicis*, nec non *Collationibus in Apocalypsin.* Obiit An. 1321. Pontigniaci, ubi hoc ei positum epitaphium:

Quem tenet hic fundus, Doctor fuit iste profundus,
Sanctus ut Edmundus fuit absque libidine mundus:
Istius Ecclesiae Pater et fons Theologiae
Vitae norma piae, fervens in amore Mariae.
In testamentis praeclarus scriba duobus
Centum ter decies, septem ter, lumine Lucae.
Migrat ab hac luce: sit sibi, CHriste, quies.

JACOBUS *de Thessalonia*, supra *Jacobus de Cessolis.*

JACOBUS *Ticinensis* de quo Vossius pag. 594. non diversus a Jacobo Piccolomineo, de quo supra. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XV. pag. 313. seq.

JACOBUS *Timaeus* Amsfordensis, artium et Theologiae Doctor Coloniensis, cujus commentaria in Aristotelem de generatione et corruptione, et in tres meteororum libros excusa Colon. 1497.

JACOBUS *Trajectinus* monachus Olivetanus, cujus tractatus de modo visitandi et corrigendi subditos prodiit Brixiae 1500.

JACOBUS, *Turonensis* ab An. 1414. Archiepiscopus, et ab. A. 1427. ad 1432. Ebredunensis: cujus prolixa Epistola adversus Petrum de Luna sive Benedictinum XIII. edita a Bzovio ad A. 1415. n. 31. De hoc Jacobo Sammarthani tom. 1. Galliae Christianae pag. 282. et 782.

JACOBUS Perez *de Valentia* ex oppido Ajora regni Valentini, Augustinianus et ab An. 1468. Episcopus titularis Neapoleos Thraciae sive Christopolitanus, et suffraganeus Roderici Borgiae Episcopi Portuensis, qui deinde An. 1492. Papa Alexander VI. Obiit Jacobus An. 1491. Scripta ejus sunt: Commentarius allegoricus et anagogicus *in Psalmos* et *in Cantica ferialia* in Bibliis contenta et *in Cantica Evangelica:* Benedictinus, Magnificat, Nunc dimittis, et Gloria in excelsis. *In canticum Ambrosii et Augustini* Te DEUM laudamus, et *in Symbolum S. Athanasii*, ad Rodericum Borgiam Cardinalem, postea Alexandrum VI. Papam Paris. 1506. 1512. 1518. Lugd. 1512. Venet. 1568. et *in Cantica Canticorum Salomonis*, cum illius Quaestionis discussione *utrum solus CHristi sit metrum et mensura, largitor bonorum omnium et reparator humanae naturae*, contra Judaeos. Paris. 1510. apud Badium, et Lugd. 1513. Vide Simlerum e Gesnero: Nic. Antonium Bibl. vet. Hispan. X. 14. tom. 2. pag. 215. Labbeum tom. I. de S. E. pag. 493.

* Ejus commentarius in Psalmos prodiit primo Lugduni an. 1499. in 4. Tractatus contra Judaeos plane diversum est opus ab eo quod inscribitur. *Discussio quaestionis* finalis de Jesu Christo reparatore *naturae humanae*. Quae duo opera hic confusa diligenter distinguenda sunt. Vide Lambeker in Bibl. Antiqua Vindobonensi Civica pag. 39.

JACOBUS *de Viragine* a) sive (Viraggio) vico Virginis b) Ligurum Civitate, Ordinem

a) Aliis *de Varagine* vel *de Voragine*, unde Legenda ejus *vorago fabularum* vocatur a Clariss. Georg. Wallino in erudita disquisitione de S. Genovefa p. 51.

b) Vide Georg. Colvenerium in notis ad Jo. Nideri formicarium pag. 13.

Praed. intravit A. 1244 a) inde ex Priore ac Provinciali Vicarius Generalis: ac denique Archiepiscopus ab A. 1292. Januensis b) sive Genuensis, defunctus circa An. 1298. Est hic scriptor decantatissimae *Historiae Lombardicae* c) sive *Legendae aureae* d) undique collectae *de vitis Sanctorum*, scriptae tempore interregni, ante An. 1273. e) quae licet plena fabulis tamen lecta pridem avide atque fequenter exscripta typis. f) Paris. 1476. Venet. 1478. 1481. Norimb. 1478. 1493. 1496. Daventriae 1479. Colon. 1480. Lovan. 1485. Basil. 1486. Argentinae 1486. 1490. 1496. 1518. Mediolani 1494. g) cum supplemento Hilarionis Monachi et Antonii Liberi, Susatensis a Capite CLXXVIII. usque ad CCXVI. et Lugd. 1510. atque ex Claudi Rosae recensione 1519. 1531. fol. In plures etiam linguas versa exstat, ut *in Italicam* Nicolao Manerbio, Veneto interprete, *le legende de tutti li Sancti e le Sancte*, Venet. 1475. fol. apud Nic. Jenson. et 1481. apud Octavianum Scotum, et 1484. fol. per Andream Paltaschichis de Catharo et 1551. 1578. 1630. et in *Gallicam* a Joanne du Vignay, qui in gratiam Joannae Burgundae Francorum Reginae A. 1348. vertit, capitaque XLIII. quorum ultimum de sancto vultu Lucensi est, adjunxit, MS. in Bibl. Regia Paris. et ex alia versione, vetus editio sine loco et anno, et Paris. 1476. 1493. unde fluxit *Anglica*, Westmonaster 1483. fol. apud Wilhelmum Caxton, et Lond. 1503. fol. *Germanicam* quoque versionem et *Hispanicam* Jacobus Quetif tom. 1. pag. 456. utramque MStam commemorat, ubi etiam de Jacobi Lacopii Aldenardensis, Canonici Praemonstratensis *deflorationibus Legendae aureae*, h) ad eam ludibrio exponendam comparatis, a quibus longe diversa est *Legenda abbreviata*, excusa Venetiis 1487. 1498. fol. Caetera Jacobi hujus scripta sunt: *Chronica de Civitate Januae*, desinentia in An. 1295. MS. in Bibl. Regia Paris. atque edita tomo nono i) thesauri rerum Italiae Muratoriani Mediolan. 1726. fol.

Acta synodi Provincialis ipso praeside habita Januae An. 1293 necdum edita.

Defensorium contra eos qui Fratres Praedicatores impugnant, quod non vivant secundum Vitam Apostolicam. Venet. 1504 8.

Summa virtutum et vitiorum abbreviata ex summa GUILELMI *Peraldi*, de qua supra tom. 3. p. 151.

De operibus et opusculis S. Augustini, cujus scripta admodum familiaria habuisse perhibetur.

Tabula super historias sacrae Scripturae, habens distinctiones LX. et capitula CCCIX. MS. in variis Bibl. Vide Oudinum tom. 3. pag. 615.

Expositio in Symbolum Athanasianum.

Liber Marialis sive *Mariale aureum* de laudibus et virtutibus B. Mariae, secundum Ordinem litterarum alphabeti, Sermonibus CLX. Incipit: *Abstinentia multiplex*. Saepius editus sine loco et anno: sine loco A. 1484 et Venet. 1497 4. Paris. 1503 etc.

Sermones *de planctu B. Mariae Virginis*. Venet. 1502.

Sermones de sanctis, et in Evangelia Dominicalia, singula, Sermones tres ad honorem individuae Trinitatis: et bini in Evangelia singulis feriis in Quadragesima a quarta feria Cinerum ad tertiam feriam post Pascha. Etiam hi saepius excusi Venetiis, Paris. etc.

a) Jac. Qvetif. tom. 1. pag. 454. et 457.

b) Janua, deinde Genua. Vide Casp. Barthium p. 248. ad. Gvil. Britonem.

c) *Historia Lombardica* proprie est titulus narrationis quae vitae S. Pelagii, sive capiti CLXXVI. subjicitur: Seq. inde Legenda tota hoc nomine historiae Lombardicae venire consuevit. Vide Jacobum Qvetif. tom. 1. pag. 459.

d) Ludovico Vive judice et Melchiore Cano, Legenda illa aurea scripta *ab. homine oris ferrei, cordis plumbei*. Georgius Wicelius praef. in hagiologium monuit *mythologiae studere*, ringente Bollando: Claudinus Espenceus *legendam ferream* dixit, qood postea publice coactus est recantare, ut narrat Thuanus in extremo Anni 1555. adde Launojum hist. Gymnasii Navarrei p. 704. et 297.

e) Tob. Eckarde in notitia MStorum Codicum Bibl. Qvedlimburg. p. 34.

f) Jac. Qvetif tom 1. pag. 455. seq. et, 742. Oudinus tom. 3. pag. 614.

g) Philippus Picinellus in Athenaeo Mediolanensi p. 380.

h) Mem. litteraires de Trevoux A 1722 p. 97. seq.

i) Journal des. Sav 1735. Maji pag. 88.

A Sixto Senensi lib. IV. Bibl. sanctae traditur Jacobus hic *primus omnium Divina volumina in Italicam linguam summa fide ac diligentia transtulisse*: Sed non edita est illa versio, nam Biblia Italica excusa Venetiis 1471 1477 non Jacobum auctorem habent, ut suspicabatur Andreas Rivetus isagoges ad Scripturam sacram c. 13. §. 4. tom. 2. Opp. pag. 920. Sed Nicolaum Malermium sive Malherbium, Venetum, Abbatem Benedictinum Ordinis Camaldulensium. Vide Jacobi Longi Bibliothecam sacram tom. 1. edit. in fol. pag. 354. ubi plures versionis editiones recensentur. Nullum quoque exemplar versionis Bibliorum a Jacobo compositae MStum in ulla Bibliotheca Galliae reperire se potuisse profitetur Richardus Simon lib. 2. historiae Criticae N. T. pag. 17 et 483 ubi ex Nicolai Malhermi Epistola probat non Biblia integra, sed tantummodo Petri Comestoris Historiam Scholasticam Italice translatam ante illud tempus fuisse. Similiter in nulla Italiae Bibliotheca versionem Italicam exstare quae Jacobi nomen praeferat, Longum sua et Magliabechii fide docuit eruditissimus Muratorius.

Denique longe falluntur qui Joannem Januensem, scriptorem *Catholici* (de quo supra in *Joanne de* BALBIS tom. 1, pag. 153.) confundunt cum Jacobo Genuensi.

* Extat vetus editio sermonum eius de tempore per totum annum impressa Brixiae X. Ital. Aprilis an. 1491.

JACOBUS *de Viterbio*, Ord. Eremitar. Augustini, *Speculativus Doctor* cognominatus: Doctor Paris. et ex Beneventano Archiepiscopus Neapolitanus ab Anno 1302. ad 1308. Vide Ughellum tom. 6. pag. 119. et tom. 8. pag. 143. Scripta ejus a Trithemio cap. 534 laudantur: *de regimine Christianitatis* libri II. ad Clementem V. quos in Vaticana exstare MStos notavit Possevinus. Commentarius in IV. libros Sententiarum, et *Quodlibeta IV.* Parisiis disputata, quibus ab eodem Possevino adduntur, *Sermones* varii argumenti, et *Quaestiones de praedicamentis in Divinis*.

* Huius scriptoris opera multo quam hic Fabricius plura, inedita vero omnia recenset P. Gandolfo in Dissert. de cc. Augustinianis pag. 188. Sunt vero illa. *Abbreviatio sententiarum Aegidi Columnii*: *Quaestiones de S. Theologia*; *De Spiritu S. Quaestiones L. Recollectiones seu catena Patrum sup. Epistolas S. Pauli*; *Sermones diversi*, *quodlibeta* alia ab iis de quibus hic Fabricius XXX. *Lectura* seu verius compendium in *quotur libros Sententiarum. Divisio in eosdem libros Sententiarum*; *De Angelis quaestiones ac de Angelor. compositione. De coelorum animatione in Epistolas S. Pauli explicationes* sicut et *In Evangelium Matthaei et Lucae* Summa de *articulis fidei*; *De Mundi aeternitate secundum fidem Catholicam. In libros Phisicorum et Metaphisicorum Commentarii*, de principiis. Naturae: *Notabilia in Sententias; Concordantiae Psalmorum David. ad Carolum II. R. Siciliae*; *S. Thomae Aquinatis Tabula* falso alteri adscripta.

JACOBUS *de Vitriaco*, de quo audiendus Labbeus, cuius observatis notas quasdam meas adjungam. Ita vero ille tom. 1. de S. E. pag. 493. JACOBUS *de Vitreio*, seu *Vitriaco*, ubi natus perhibetur. Sunt tamen qui Argentolii a) ad Sequanam natum velint, et in eadem villa Presbyterum creatum, ex Canonico Regulari Ogniacensi, et primo Acconensis urbis, b) seu Ptolemaïdis, in Palaestina Episcopo, atque si Brocardo fides, Hierosolymitano Patriarcha c) Cardinalis S R. E. d) et Tusculanus Episcopus a Gregorio IX. Papa constitutus, multis in Oriente et Occidente laboribus perfunctus, obiit Romae pridie Kalendas Maji anni 1244 unde corpus ejus Ogniacum relatum in coenobium ad Sabin fluvium in

a) ita Miraeus ad Henr. Gandavensem c. 56. et G. Joseph, Eggs. tom. 1 purpurae doctae p. 155. Alii Vitriacum in Campania, dioecesis. Catalunensis oppidum patriam Jacobi venditat.

b) Vitiose *Anconitanus* pro Aconitano in prioribus Henrici Gandavensis editionibus, Acona, Ptolemais Phoeniciae, hodie *S. Joannis de Acre*. Vide Pagium ad A. 1191. n. X.

c) Brucardus in descript, terrae Sanctae cap. 6.

d) A. 1227. cum reversus e Palaestina fuisset Anno 1220.

dioecesi Namurcensi. De eo Henricus Gandavensis cap. 37. Thomas Cantipratanus a) Vincentius Bellovacensis, b) S. Antoninus, c) Bergomas, d) Trithemius, cap. 432. Continuatores Baroniani, e) Andreas Hoïus, f) quique de Cardinalibus scripserunt ex professo, g) nec omittendus Vossius, h) qui ex auctore Magni Chronici Belgici a Pistorio editi mendose obitum ejus refert ad annum 1260 seu 1240. i)

Conciones in Evangelia et Epistolas totius anni, k) Antwerpiae primum excusae anno 1575 cura Damiani a Ligno ord. Praed. in aedibus viduae et haeredum Joannis Stelsii, qui etiam affirmavit vidisse se ejusdem Sermones de Sanctis, et alios.

Libri tres l) *Historiae Orientalis et Occidentalis,* ex quibus duo, primus et secundus prodierunt Duaci anno 1579 8. studio Balthasaris Belleri, Francisci Moschi et Andreae Hoii Brugensis, et in tomo primo Historiae Orientalis Reineri Reineccii. Helmst. 1585 4. Tertium lib. dedit Jac. Gretserus in horto Crucis, inde libri duo, primus scilicet et tertius, recusi sunt cura Jacobi Bongarsii anno 1611. Hanoviae cum Auctoribus, qui Gesta Dei per Francos scripserunt, t. 1. pag. 1047 et 1125. Primus a defectione Mahometis inchoatus, desinit in coronatione Joannis Brennensis, facta anno 1210. Secundus, res Occidentales tractat, ab Anno 1220 ad 1240. Tertius, ad obsessam captamque anno 1218. Damiatam perducitur, de qua apud eundem Bongarsium *Epistola* Jacobi de Vitriaco p. 1136. ex Jacob. Gretseri S. J. horto Crucis. *Praefationem* illius Historiae edideret t. VI. Antiquae Lectionis Henricus Canisius (edit. novae Basnagianae tom. IV. pag. 27.) quam et ipsam exhibet Bongarsius pag. 1047. unde fallitur Oudinus qui bis hoc negat tom. 3. pag. 47. et 48. Libri tertii alia ἔκδοσις in Edmundi Martene tom. 3. anecdotorum pag. 268 293 una cum *Epistolis IV. ad Honorium Papam* p. 287 306 a quibus diversa, itidem scripta ex Palaestina,

Epistola ad Honorium III. de calamitatibus terrae sanctae An. 1119 in Dacherii spicileg. tom. 8. pag. 373 (edit. novae t. 3. pag. 590.) Sunt hae quinque ex *Epistolis* quas diversas ad diversos teste Henrico Gandavensi Vitriacus scripsit ad statum transmarinarum partium pertinentes.

Vitae B. Mariae Ogniacensis in Gallo Brabantia defunctae An. 1213 *libri duo*, ad Fulconem, Episcopum Tolosanum apud Surium 23 Junii, et sinceriores in Actis Sanctor. tom. IV. Junii pag. 636 cum notis Henisehii et Papebrochii: subjuncto supplemento sive libro tertio NICOLAI Canonici Regularis Cantipratani p. 666.

Memorantur ab aliis *liber contra Saracenos,* et *liber de claris mulieribus Leodiensibus*, quos non vidi, nec excusos puto, sicut nec *commentarios in quatuor Evangelia*, vel tractatum *de domo B. Virginis Lauretanae*, quorum meminit Eggius t. 1. pag. 156.

JACOBUS *Unrestus*, Theologus et Sacerdos in Carinthia, cujus *Chronicon Carinthiacum* ab A. C 764 ad 1475 edidit D. Simon Frid. Hahnius in collectione monumentorum veterum ac recentium, Brunswig. 1724 8. tom. 1, p. 479 536 et *Chro-*

a) Lib. 2. apiarit cap. LIV. 18. pag. 530.

b) Speculi Hist. XXX. 10. Vincentii et aliorum loca attulit Bongarsius prolegomenis ad gesta DEI per Francos.

c) Summae historial. parte 3. tit 24. c. 7.

d) Jac. Philippus Bergomensis in Chron. ad A. 1240.

e) Bzovius, Raynaldus, Spondanus.

f) In vita Jacobi de Vitriaco scripta versibus et cum historiae Orientalis libris edita.

g) Petrus Frizonius, Antonius Sanderus, Alphonsus Ciacconius, G. Josephus Eggs. etc.

h) Lib. 2. de Hist. Lat. p. 265.

i) Ad A. 1240. ex Alberico ad illum annum pag. 575. Itaque et apud Vossium cIↃccIX male excusum pro A. cIↃccXI.

k) In illa edit. partes *quatuor* typis exscriptae sunt. *Quinta* de Sanctis, et *sexta* de variis hominum statibus MStae servantur in variis Bibliothecis, de quibus praeter Possevinum Oudinus tom. 3. pag. 46. *Sermones de opere sex dierum* memorantur ab Anonymo in Actis Sanctorum tom. 4. Junii pag. 677.

l) Libri tres universi Jacobo contra Vossii suspiciones recte vindicantur ab Oudino tom. 3. pag. 49. et a Papebrochio tom. 4. Act. Sanctor. Junii pag. 678. In primo libro GVILELMUM *Tyrium*, cujus suffraganeus erat Aconensis: in tertio OLIVERIUM Coloniensem secutus est, sicut Vitriaci verbis non raro ut MARINUM Sanutum, Bongarsius observavit.

nici Austriaci partem posteriorem ab 1464 ad 1500 qua Friderici III vita potissimum uberius describitur pag. 537 803. Sed Germanice haec Jacobus scripsit, non Latine.

JACOBUS *Volaterranus*, Jacobi Piccolominei Cardinalis, de quo supra ab Epistolis, Vitam Patroni sui An. 1479 defuncti scripsit praemissam ejusdem Commentariis historicis atque Epistolis, quas ipse magnam partem collegit ac digessiit, editas Mediolan. 1506 fol. Condidit etiam continuationem Commentariorum Patroni sui ab An. 1479 ad 1484 quae estant in Codice Vaticano 3943 hoc titulo: *Jacobi* Maffei a) *Volterrani, Secretarii Apostolici Diariorum sive rerum gestarum Commentariorum libri quinque ab obitu Cardinalis Papiensis usque ad finem Pontificatus Sixti IV.* Ab his diversum *Diarium profectionis Cardinalis Papiensis in Etruriam et reditus ejus ad Urbem*, quod laudatur a Cardinali in Epistola ad Volaterranum scripta pag. 300. Vide diarium eruditorum Italiae tom. XV. p. 315 316 317. *Memorata hic a Fabricio Diaria prodierunt cura et opera cl. Muratorii, ex quibus tandem intelleximus exordium illorum statutum esse ab authore suo non quidem annum 1479 sed annum potius 1472. Finis vero idem est quem omnes assignarunt 1484. Muratorius autem in praefatione ad eamdem historiam evincit Jacobum hunc a Maffeia familia prorsus alienum esse, quamquam Volaterras habuit patriam, quae et Maffejae familiae sedes est.

JACOBUS *de Voragine*, supra *Jacobus de Viragine.*

JACOBUS *de Uratislavia* Monachus Lunaelacensis Ord. Benedict. defunctus An. 1480 quem ajunt tot transcripsisse volumina, quae sex equi electi vix sufficerent trahere, vel fortior currus ferre. Vide Bernardi Pez praef. ad t. 1 Anecdotor. p. IV.

JACOBUS *Urbevetanus*, supra *Jacobus Scalza.*

JACOBUS *Wimphelingius*, infra WIMPHELINGIUS.

a) Nomen *Maffei* additum a recentiore manu, quod Raphaelem Volaterranum ex illustri Maffeorum gente ortum constaret. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XV. pag. 314.

JACOBUS *Zenus* ab Au. 1447. Feltrensis et Bellunensis Episcopus et ab An. 1460 ad 1481. Patavinus. Scripsit culto atque ubere sermone An. 1458 *vitam Caroli Zeni* avi sui, Patricii Veneti-fortis et de Patria meritissimi Ducis, ab Anno 1334 deductam usque ad Annum 1418 dicavitque Pio II. Pontifici Maximo. Edita est in tomo XIX. scriptorum rerum Italicarum a) celeberrimi Muratorii, qui Italicae versionis a Francisco Quirino adornatae, saepiusque editae meminit, erroremque reprehendit eorum qui nomen auctoris pro Jacobo Zeno proscripsere *Joannem Jacobum*, Feltrensem. *Vita Nicolai Albergati* Ord. Carthus. Cardinalis et Episcopi Bononiensis An. 1443. defuncti, post editionem Gregorii Garnefelt, Carthusiani Colon. 1618 4. exstat cum Georgii Henschenii notis tom. 2. Act. Sanctor. Maji IX. pag. 469 477. Inedita ejus celebrantur Orationes variae ut de *CHristi corpore*, *de humana miseria* etc. atque opus *de Vitis Pontificum* Rom. a S. Petro usque ad Clementem V. quod laudat etiam Trithemius c. 825.

JACOBUS *Zinedolus* (sine dolo) Placentinus Ord. Praed. circa An. 1420 cuius nihil apud Altamuram, Quetifum t. 1. p. 771. aliosque memorari video quam *Sermones* et *Collationes de tempore et de Sanctis.*

JACOPONUS, supra, *Jacobus de Benedictis.*

JADRENSIS obsidionis a Venetis Anno 1345 seq. Historia libris duobus ab Anonymo auctore coaevo scripta exstat ad calcem Jo. Lucii sex librorum de regno Dalmatiae et Croatiae Amst. 1666 fol. p. 387 422. Confer Lucium lib. IV. c. 15 p. 216 sq.

JANNOTIUS sive JANETUS *Manettus*, Florentinus in patria Senator et An. 1452 equestri dignitate ornatus a Nicolao V. Pontifice. Vitam Jannotii ab An. 1369 quo natus est ad 1459 quo post XX. circiter gestas legationes, obiit Neapoli, scriptam a cive ipsius *Nalda Naldio*, vulgavit A. 1731 celeberimus Muratorius tomo XX. rerum Italicarum: et ante Muratorium An. 1722 clariss. Burmannus tom. IX. thesauri Italiae parte 8 ut ejusdem vitam ab Anonymo

a) ActaErud. 1733. pag. 347. seq.

et ab Alamanno Rinuccino a) et Vincentio Acciajolo traditam minus desideremus. De eodem Jannotio, discipulo Ambrosii Camaldulensis, Dominici Flocci condiscipulo, perito linguarum Graecae, Latinae et Hebraicae consulendi praeterea Jac. Gaddius in elogiis pag. 120. Franciscus Bocchius, Michael Pocciantus et Julius Niger in scriptorum Florentinorum historia, Diarium eruditorum Italiae tom. XI. pag. 340 seq. et Pauli Colomesii Italia Orientalis, eruditissimi Wolfii nostri notis illustrata p. 4. seq. (153. Vita Italice a Vespasiano conscripta in t. 1 Spicilegii Rom. edente Ang. Card. Maj, quamvis ei fusior eiusd. Authoris MS. in Marucelliana ignota remanserit.) Mihi satis fuerit, scriptorum eius editorum atque ineditorum brevem elenchum hoc loco subiicere.

Historia sive *Chronicon Pistoriense* libris tribus, ab origine Urbis usque ad A. C. 1446. editum a laudato Muratorio in tomo XIX. rerum Italicarum. Mediolan 1731. fol.

De vita Nicolai V. Pontificis *libros quatuor* ad Antonium Cerdanum, Cardinalem Ilerdensem et Joannem Mediceum, Cosmi fratrem, edere pridem voluit Leo Allatius in sexto συμμίκτων libro, et locum ex libro secundo profert Julius Niger pag. 235. Integros proxime a praeclaro Muratorio exspectamus. Etiam vitam *Nicolai Manetti* a Jannotio compositam in Bibl. magni Ducis MStam Cinellus commemorat, sed non diversa illa fortasse a vita Nicolai V.

Historia de rebus Genuensibus libris 2. et *laudatio Januensium* sive *Genuensium.*

Vita Alphonsi Regis Aragoniae et Neapolis, sed quam non absolvit: et ad eundem Alphonsum *Apologiae in Psalterium* sive *de recta interpretatione,* libri V.

De dignitate hominis et excellentia ad eundem Alphonsum libri IV. Basil. 1532. 8. edente Alexandro Brassicano. Hos quatuor libros donec corrigerentur prohibitis adscripsit Index Romanus A. 1596. p. 697.

De illustribus Viris qui ab Adamo ad sua usque tempora floruere.

De illustribus longaevis lib. VI. MSS. in Vaticana. De eodem argumento librum Luciani e Graeco versum Lapus Jannotio dedicavit.

Vitae Socratis, Senecae, Francisci Petrarchae, a) *Dantis Aligerii et Joannis Boccacii.* Ex his sola Petrarchae vita lucem vidit in Petrarcha redivivo Jac. Philippi Thomasini p. 195. seq. (154 Postea et aliae simul Florentiae 1747. 8. recensente Laur. Mehus et denuo Ibid. 1847. in vol. Philippi Villani De famosis civibus.)

Contra Judaeos et Gentes libri X. opus imperfectum.

Symposium. De rebus legationis suae A. 1448. ad Venetos susceptae.

De terrae motu ad Alphonsum Regem libri III.

De liberis educandis.

Dialogus de morte filii septennis, Antonii.

Tractatus de *Secularibus et de Pontificalibus pompis*, ad Angelum Acciajolum.

Laudatio Dominae Agnetis Numantinae.

Apologia Nuncii Hispani (al. *Numii*, vitiose ut suspicor.)

Orationes complures, in quibus etiam dicta in funere *Leonardi Aretini*, et alia in funere *Jannotii Pandolphini* Equitis, et *ad Vada Volaterrana*, cum regimen exercitus Sigismundi Malatestae, Reip. Florentinae nomine traderetur: et *contra Turcas*: et quas in variis legationibus habuit, *ad Venetos, ad Senenses, ad Genuenses, ad Callistum III. ad Federicum* Urbini Ducem, *ad Federicum III.* Imp. cum An. 1451. Florentiam ingrederetur: Orationes plures *ad Alphonsum Regem,* atque in his una *in congratulatione nuptiali unici filii, Calabriae Ducis,* et altera ad eundem *de laudibus Pacis:* utraque edita a Frehero Hanov. 1611. 4. cum oratione tertia *ad Fredericum III.* Imp. de coronatione sua Anno 1440 et quarta *ad Nicolaum V.* cum Pontifex creatus esset. Oratio *de laudibus et utilitate obtrectatorum* MS. in Strozziana. *De justitiae laudibus* Orationes duae. *Epistolae* variae.

Latine vertisse traditur ex lingua *Hebraica* partem librorum Veteris Test. et Psalmos quinquaginta.

a) Diarium eruditor. Italiae tom. XXI. pag. 591.

a) perperam *Plutarchi* Possevinus, Vossius alique. Vitiosius etiam apud Nigrum pag. 225. e *Plutarcho.*

Ex *Graeca* lingua, libros Novi Testamenti, Aristotelis libros X. Ethicorum ad Nicomachum, et septem ad Eudemum libros, librosque II. magnorum moralium et Praedicamenta, et Prophyrii isagogen.

* Nicolai V. Pontif. vitam edidit cl. Muratorius in tom. III. parte 2. Rer. Ital. qui oppignoratam a L. Allatio fidem ita demum liberavit. Psalmos ex Hebraico vertit Latine non quidem priores tantum quinquaginta, sed totum integrumque psalterium et instar Polyglottorum vulgavit triplici chartae sectione. In priori dedit lectionem septuagintaviralem. In altera collocavit versionem S. Hieronymi; in tertia dedit suam. Vide Zeni Dissertationes Vossianas 1. 175. ubi et integer operum ejus catalogum legitur.

JANUARIUS *a Lambese*, JANUARIUS *Muzulensis*, JANUARIUS *a Vico Caesaris* Ecclesiarum Africanarum Episcopi inter eos quorum Epistolae ad S. Cyprianum inter Cyprianicas leguntur.

JANUARIUS *Nepotianus*, cujus Epistolam ad Victorem, quam epitomae Valerii Maximi praemiserat, (publicavit Labbeus tom. 1. Bibl. novae MSS. pag. 169. inde legitur in praefatione Petri Josephi Cantelii ad Valerium, in usus Delphini illustratum et in Biblioth. mea Latina lib. 2. c. 5.

JANUS antea *Joannes Pannonius* Quinqueecclesiensis Episcopus, praeceptoribus usus Guarino a) Veronensi (qui nonagenarius An. 1460. diem obiit) Ferrariae per multos annos: et ad poeticam laurum capiti suo aptandam Galeotto Narniensi. Hungariam patriam suam Graecae Latinaeque linguae scientia et poëtices laude egregie nobilitavit, ut probe notatum Davidi Czwittingero in specimine Hungariae litteratae p. 289. atque ipse Janus professus est, hocce tumulo suo inscribi jubens epitaphium:

Hic situs est Janus, patriam qui primus ad Istrum
Duxit laurigeras ex Helicone Deas
Hunc saltem titulum livor permitte sepulto,
Invidiae non est in monumenta locus.

Et quidem ad *graeca latine reddita* quod attinet opuscula; *Diomedis et Glauci congressus ex Homeri VI. Iliad. latino carmine expressit.* Deinde *Bruti et Galbae in Plutarcho Vitas* latinas Pannonio Interpreti omnino tribuendas esse, *Joh. Sambucus in praefat. Poëmatibus Jani Pannonii praemissa* affirmavit, verbis hisce « quod ipsum de libro Veronae a me viso, et a Guarino emendato, testis oculatus confirmo: quin et *Ctesiphontis versionem* ab eodem Pannonio profectam fuisse ait, in eadem praefatione, qui (scil. *Sambucus*,) pro Ctesiphonte a) hujus ipsius quoque, (nempe *Pannonii*,) versionem pene absolutam habeo. In *Poësi latina* quod Janus praestiterit, scripta ipsius metrica docere queunt, typis excusa haec seqq. *Sylva Panegyrica, et Epigrammata quaedam, Basileae, apud Joh. Frobenium, An. 1518. in 4. Ejusd. Poëmata Venetiis impressa apud Gualter. Scotum, 1553 in 8. cum Lazari Bonamici carminibus nonnullis: Item Basileae ab Oporino in 8.* suntque haec: Ad Guarinum Veronemsem Panegyricus: Ad Jacobum Ant Marcellum Venetum Panegyricus: *Ad Fridericum III. Imp.* pro pacanda Italia Carmen: Diomedis et Glauci congressus ex Homer. 6. Iliad. latino carmine redditus. *Elegiarum liber unus. Epigrammata.* Additae sunt his *Elegiae duae* Baptist. Guarini senioris, ad Janum Pannonium. *Ejusdem Panegyrici duo, et Epigrammata ultra omnes editiones alias a Joh. Sambuco edita Patavii.* Ceterum Poëmata Jani Pannonii vulgata sunt *a Joh. Philipp. Pareo* in delitiis Poëtarum Hungaricorum, Francofurti A. 1619. in 12 editis, eaque se excipiunt h. m. 1. *Panegyricus primus dictus Guarino Veronensi, Praeceptori suo.* 2. *Panegyricus secundus, dictus Marcellino, Duci Venetiarum.* 3. *Ad Imp. Caes. Frideric. III. pro pacanda Italia.* Reliqua, tum heroico, tum elegiaco genere, de variis materiis, ad varias personas, elaborata carmina, lubens jam praetereo, quippe quae cuivis eadem nosse aventi, paulo ante citatae Delitiae Poëtarum Hungar. decenti ordine suppeditabunt. Praeter ista in lectorum manus missa opuscula, quin plura adhuc alia in scriniis

a) supra tom. 3. pag. 112.

a) Demosthenis Orationem.

ejusdem recondita fuerint diligentiae monumenta, vel illa me dubitare non sinunt, quae de MStis illius in Bibliotheca Budensi repertis. *Julius Pslugk* tradidit *in Epistola ad Vit. Ludov. a Seckendorf;* Ex tribus, inquiens, selectis Codicibus MStis erat etiam chartaceus quidam Codex in quarto, continebatque Johannis Episcopi Quinque-ecclesiensis, qui tempore Regis Hung. Matth. Corvini claruit, Poëmata quaedam latina miscellanea. Eundem Pannonium *Annales Hungariae heroicis versibus* uno in volumine colligasse, refert *Sambucus* in praefat. Poëmatibus Pannonii prefixa, ubi ait: Multa scripsit Janus, meditatus est plura numeris et perpetuo stilo; quorum quidem optima quaeque vel interciderunt, vel potius, ab odio et invidia, ne lucem adspiciant, suoque tempore jugi fruantur, alicubi premuntur. *Annales certe Patriae heroicis ipsum versibus uno in volumine colligasse, multi norunt:* quibus conficiendis quantum ipse se superarit, facile ex admiranda *Marcellina Panegyri* (quam una cum aliis, doctissimus et felix Poëta *Hilarius Cantiuncula* Venetiis edi curarat,) quisque secum cogitabit. Utinam quidem, pergit *loc. cit. Sambucus,* hi Annales ejus aliquando Viennae a me conspecti et lecti prodeant, carceresque perfringant: non secus, me Deus! atque Ciceronis aut Livii, quae periere mecum excipienda ducerem, tantum quisque huic Vati jure tribuendum censeat. Quod si Vulcano vel Istro sunt tradita, vel, ut quidam non dissimularunt, excrementis humanis loco abdito, foraminibusque putruere, manes invidorum luant poenas: quod φθόνος ἔξω τȣ θείȣ θρόνȣ ἵϛκαι ut apud Platonem est in Phaedro. » *Haec David Czwittingerus,* apud quem praeclara virorum doctorum de Jani ingenio testimonia leguntur pag. 291. seq.

JANUS *Parrhasius,* infra PARRHASIUS.

JANUS *a Suola* Eques, et JCtus, scripsit *Alphabetum Theologicum* sive *tropos utriusque Testamenti,* e Dionysio Areopagita, Gregorio M. aliisque veteribus. Item *Genethliacon Mundi*, carmine heroico. Haganoae 1531. 4. Ita Gesnerus, Simlerus, Eisengreinius. Itaque emendandum, quod apud Cangium ex Possevino Janus hic refertur ad A. 1331.

JANUS sive *Joannes Vitalis*, Gallus, Ord. Minor. et R. E. Cardinalis, obiit An. 1316. Ejus speculum morale S. Scripturae, in quo universa fere loca et figurae Vet. et Novi Test. in sensu mystico explanantur. Venet. 1603. 4. Alius JANUS *Vitalis,* Panormitanus, Siculus, Theologus et Poëta, qui obiit A. 1560. De eo Antonius Mongitor tom. 1. Bibl. Siculae pag. 305.

Ejus scripta sunt: *Meditationes in Psalmum 51.* Miserere mei DEUS. Bononiae 1553. 8. *Paraphrasis in Psalmum 130.* De profundis, *et in Psalmum 67.* DEUS misereatur nostri. ibid. *Hymni in Angelos.* et *poëma de Archangelo. Epithalamium CHristi et Ecclesiae. De elementis, de pietate erga Remp.* et *Hymnus de Pace. Epigrammata* varia, obvia in Pauli Jovii elogiis utrisque virorum litteris et bellica laude illustrium: et in deliciis poëtarum Italiae Gruterianis tom. 2. pag. 1411. seq. *Bellum Africae* illatum a Siciliae Prorege Joanne Vega. *Elogia Romanorum Pontificum*, et *Julii III. atque Cardinalium ab ipso creatorum. Triumphus Ferdinandi Francisci Davali* Aquinatis, Magni Piscariae Marchionis et *lacrymae in eundem. Teratorizon* sive de monstris etc.

JARLANDUS sive GERLANDUS, GARLANDUS Chrysopolitanus, Scholarum praeceptor et Canonicus Regularis S. Pauli Bisuntini sive Vesontionensis, circa A. 1130, scripsit *Candelam Evangelicam studii salutaris,* sive opus Morale Theologicum in partes XXVI. divisum et e Pontificum decretis Patrumque scriptis concinnatum, maxime ex Ambrosio Augustino et Gregorio. *Prologum* vulgavit Edmundus Martene tom. 1. anecdotorum pag. 372. seq. Opus ipsum in Bibliotheca S. Victoris Paris. saepius inspexisse semet testatur Ericus Mauritius a) JCtus insignis, et Jacobus Quetif tom. 1. de scriptis Dominicanorum p. 189. De aliis MStis Codicibus videndus Oudinus tom. 2. pag. 1289. Citatur a Joanne Picardo in notis ad Anselmi

a) Diss. de libris Juris communis § 28 pag. 125.

Cantuariensis Epistolas III. 159. et a Petro Francisco Chifletio ad Fulgentium p. 323. Sed jam pridem typis exscriptum lucem vidit sine nomine auctoris editum a Joanne Justo Carthusiano, Colon. 1527. 8. ut laudatus Jacobus Quetif bene annotavit. Incertum idemne Gerlandus sive Gerhardus, cujus *Epistolas* legisse se testatur Mabillonius tom. 3. Analect. p. 459. (edit. novae pag. 475.)

JASON *de Mayno* Mediolanensis, cum Patavii jus Civile magna cum laude docuisse, a Duce Mediol. Ludovico Sfortia Papiam sive Ticinum vocatus atque inter Senatores Ducales adscitus est, ubi obiit A. C. 1519. aetatis 84. Ejus epitaphium. *Jason Maynus J. C. Comes et Eques quisquis ille fuit hic requiescit.* Ejus scripta, *Super Codicem et Digesta. Super titulum de actionibus et institutis. Quatuor Volumina responsorum Juris. Apophthegmata seu singularia Juris. Epithalamium in nuptiis Maximiliani Caesaris et Mariae Blanchae. Epistolae* diversae et *Orationes*, ex quibus Orationem *in funere Hieronymi Torti JCti* quo et Jacobo Puteo Praeceptore usus fuerat, habitam Papiae An. 1484. 3. Id. Augusti, edidit ex Bibl. Kraftiana V. C. Joan. Georg. Schelhornius t. 4. amoenitt. literar, pag. 455. seq. De hoc Jasone praeter Trithemium cap. 896. Jovii elogia, et Riccobonum, Tomasinum. Nicol. Comnenum de Gymnasio Patavino p 236. seq. Alciati parerga V. 26. Pancirollus II. 127. de juris interpretibus, Jo. Fichardus pag. 426. Marcus Mantua pag. 488. Boissardus tom. 1. imaginum pag. 165. Matthiae Bernaggeri Orationes pag. 165. Isaaci Bullartii Academia scientiar. tom. 1. pag. 211. ubi ejus effigies perinde ut apud Jovium ac Boissardum : Baelii Lexicon in *Mainus* etc.

*Est etiam ejus typis edita sec. XV oratio habita coram Alexandro VI. cum legatione ad illum fungeretur pro Duce Mediolanensi gratulaturo de suprema dignitate recens adita. Prodiit in 4. absque loco et anno. In Bibliotheca Felini extat *Lectura D. Christophori Porcii* super 1. 2. et 3. Institut. cum additionib. D. Jasonis de Mayno Mediolanensis edita Venetiis 1484. in fol. per Mag. Andream Parmensem. (155 De editionibus Opp. Jasonis Vid. Argelati Bibl. Scriptorum Mediol. II. p. 1. 891.)

Petrus de ICHAM sive *Ickam, Ickcham, Yekeham*, infra, PETRUS.

IDACIUS *Clarus* aliis *Idatius*, *Hydatius*, a) Episcopus Emeritensis Hispanus, gravis Priscillianistarum adversarius, contra quos *Apologeticum* scripsit memoratum Isidoro Hisp. c. 2. de S. E. Honorio III. 2. sed jam pridem deperditum. Diem obiit ante A. 393. Vide quae viri docti ad Sulpicium Severum lib. 2. cap. 62. Nicolaum Antonium lib. 2. Bibl. vet. Hispanae c. 5. et Tillemontium memor. hist. Eccles. tom. VIII. pag. 498. seq. 791. etc. seq. Francisci Bivarii notas ad Dextrum pag. 364. 403. seq.

IDACIUS sive *Ithacius* Episcopus *Sossubensis* sive Osnobensis in Hispania, una cum Idacio Claro adversarius Priscillanistarum A. 380. seq. quem cum illo Sulpicius Severus memorat, et *nihil pensi, nihil sancti habuisse* definit, *hominem audacem, loquacem, impudentem, sumtuosum, ventri et gulae plurimum inpertientem*, lib. 2. c. 63.

IDACIUS junior, scriptor *librorum VIII de SS. Trinitate*, et *libri adversus Maribadum* sive *Varimadum* Diaconum Arianum, Hunerico Regi qui ab An. 447 ad 485 in Africa imperitavit, familiarem. Hic liber a Chifletio, qui non Idacium sed VIGILIUM Tapsensem auctorem putat, inter Vigilii opera editus, et in tres libros divisus est: sed Idatio recte vindicatur ab Josepho Anthelmio in disquisitione de Symbolo Athanasiano Paris. 1693. 8 et a clariss. Montfaucono tom. 3. Athanas. pag. 603 nec in prioribus editionibus in tres libros divisus, sed ut in antidoto Joannis Sichardi adversus haereses, Basil. 1528 fol. et in Haeresiologia Joannis Heroldi Basil. 1556. fol. unus legitur, praemisso pag. 250 capitum elencho, quem in Bibliothecis Patrum, ut Paris. tom. IV. Colon. tom. IV. et Lugd. tom. V. pag. 727 praetermissum video. In praefatione Idacius, *Dudum*, inquit, *dilectissimi fratres, in Neapoli Urbe Campaniae*

a) In quibusdam Severi Codd. *Nardacius*.

constitutus, *cuiusdem VARIMADI*, *Arianae sectae Diaconi*, *propositionibus a quodam studioso ac religiosissimo viro mihi oblatis rustico quidem sermone respondens*, *in uno corpore simul* de unitate Trinitatis libellos *digessi*. Hos viri eruditi non dubitant esse *libros* illos *de Trinitate*, qui Latine inter *S. Athanasii* scripta saepius prodierunt, sub Athanasii nomine etiam lecti a Ratramno III. 6. contra Graecos, Bernhardo Epist. 190. aliisque: inter Vigilii Tapsensis vero lucubrationes repetiti a Chifletio, duodecim numero exhibentur. In Commeliniana Athanasii editione septem priores libri exstant, in Parisiensi eamque secuta Lipsiensi tom. 2. pag. 575 post illos septem sequitur octavus qui incipit: *Ariani dicunt, Filium DEI non de substantia*. Sed apud Montfauconum octavi libri locum occupat tom. 3, pag. 623. qui incipit: *Fidei unius substantia Trinitatis*. Solus autem hosce octo libros Idacio tribuendos esse, laudatus Montfauconus contendit: caeteros tres, et in his illum pag. 624 qui incipit: *Ariani dicunt*, incertorum esse auctorum: duodecimum vero qui *de Trinitate et de Spiritu Sancto* inscribitur, incipitque: *His qui filium DEI creatum esse profitentur*, tom. 1. edit. Montfaucon. parte 2. pag. 969. Athanasio ipsi deberi. Primi libri ex duodecim hisce titulus in quibusdam Codicibus est: *De unita Deitate Trinitatis*, *ad Theophilum*. Notatis tom. V. Bibl. Graecae pag. 313. adde quod S. Athanasii libros contra idololatriam Gentium et de Fide S. Trinitatis cum D. Martini Lutheri praefatione edi curavit D. Jo. Bugenhagius Wittebergе. 1532 8.

IDACIUS *Lamacensis* sive *Lemicensis*, Provinciae Gallaeciae in Hispania Episcopus, scriptor *Chronici* a primo Theodosii Magni Consulatu sive ab A. C. 379 usque ad An. 467. De eo auctor appendicis ad Ildefonsum cap. 8 et ad eandem Miraeus: Sigebertus c. 18 et Trithemius c. 140 qui male confundit cum Idacio Claro. Operae pretium etiam consulere Nicolaum Antonium lib. III. Bibl. veteris Hispanae c. 4. pag. 195 seq. et de computo quo Idacius utitur, Carolum le Cointe tom. 1. Annal. Francor. pag. 103 seq. et Jacobum Basnagium ad Canisium tom. 2. pag. 149 seq. *Minus integrum* Chronicon hoc vulgaverat Canisius tom. 2. Antiquar. Lect. (edit. novae Basnagianae pag. 183 seq.) inde Andreas Schottus tom. IV. Italiae illustratae, Josephus Scaliger in prima editione Chronici Eusebiani An. 1606 et editio Romana Friderici Lindenbrogii 1615 4 tum Prudentius de Sandoval Episcopus Pampelonensis in utraque editione Hispanica Pampelonensi, a) 1615 et 1634 fol. *Integrum* primus in lucem dedit Jacobus Sirmondus Paris. 1619 8 recusum cum Chronico Eusebii et Hieronymi aliorumque in thesauro temporum Josephi Scaligeri Amst. 1658. fol. et in Andreae du Chesne tom. 1. scriptorum rerum Francicar. pag. 138. et in Conciliis Hispaniae Cardinalis Aguirrii t. 2. pag. 168 et in Bibliotheca Patrum, Lugd. tom. VII. pag. 1231. et inter Sirmondi Opera iunctim edita Paris. 1696 et Venet. 1729 fol. tom. II. pag. 291. *Fasti Consulares*, quos *minus integros* Sirmondus vulgaverat, Chronicoque subiunxerat. ab exordio Aureliani Augusti, sive ab A. C. 308. ad obitum Honorii An. 461 atque inde Bibl. Patrum Lugd. tom. 7, pag. 1238 deinde *integros* ab Anno 245. Urbis conditae, sive a Bruto et Collatino COSS. usque ad A. C. 468 dedit Labbeus, in limine tomi primi Bibliothecae novae MStorum, Paris. 1658 fol. et ex Labbeo Aguirrius tom. 2. Concil. Hisp. p. 119.

IDACIUS de quo Chronicon Idacii Lemicensis ad A. C. 454. *In Asturicensi urbe Gallaeciae quidam ante aliquot annos latentes Manichaei gestis Episcopalibus deteguntur, quae ab* Idatio *et Turibio* (Asturicensi) *Episcopis, qui eos audierant, ad Antonium Emeritensem Episcopum diriguntur.*

a) Titulus libri: Historias de *Idacio* Obispo, de *Isidoro* Obispo de Badajoz (usque ad A. 715, de *Sebastiano* Obispo de Salamanca ad. 870.) de *Sampiro* Obispo de Astorga, (ad A. 980.) y de *Pelagio* Obispo de Oviedo (ad A, 1100.) nunca hasta agora impressas, con otras notas tocantes a estas historias y reyes dellas etc. De Romana editione Jacobus le Long in Bibliotheca scriptorum Historiae Gallicae n. 6564. etsi Franciscum Lindenbrogium pro Friderico. nominat.

Ab his omnibus diversus *liber* scriptoris centum annis Chronico Idaciano iunioris, *cujus titulus est ITACIUS*, *in quo historia Regum Wandalorum et Alanorum in Gallaecia et postea Svevorum et demum Gothorum scribitur*. Eo usus est Ambrosius Morales lib. 2. cap. 57. et 59. nec non Garsias Loaisa, qui ex eo descriptionem quandam dioecesium Hispaniae dare se professus est in Conciliis Hispaniae, ad Concilium apud Lucum Augustum (Lugo) An. 569 pag. 135 et apud Aguirrium tom. 2, pag. 299 seq. Vide Nic. Antonium t. 2. Bibl. veteris Hispanae c. 4 n 95 p. 197.

Vita S. IDÆ sive *Ytae, Itae, Midae* Virginis in Hiberniae Sec. VI in Actis Sanctor. tom. Januar. 15 p. 1063.

IDALIUS sive IDALUS Barcinonensis Episcopus, sive ut alii Narbonensis circa A. C. 688. quo interfuit Concilio Toletano XV. Eius *Epistola ad Julianum* Toletanum, qua ei pro libro Prognosticon agit gratias, et altera *ad Zuntfredum*, Narbonensem primae sedis Episcopum edita a Jo. Cochleo ad calcem Juliani Toletani, Lips. 1536 atque inde a Dacherio tom. 1. spicilegii pag. 313. 316. (edit novae t. 3. pag. 316 et 317.) Huic Idalio Julianus dicavit libros tres Prognosticon futuri Seculi qui etiamnum exstant: et teste Felice Toletano librum Responsionum in defensionem Canonum et Legum, quibus prohibentur Christiana mancipia Dominis infidelibus deservire. Vide Nic. Antonium lib. V. Bibl. veteris Hispanae c. 7 p. 309.

IDIOTA circa An. 1380 vide infra *Raymundus* IORDANUS Abbas Cellensis: et Theophilum Raynaudum tom. XI Opp.

IDITH sive EGITHA mulier versificatrix inclyta, cuius cineres iuxta Bedam sepulti, de qua Albericus ad An. 1052 p. 88. et ad Anno 1115. pag. 226. Videtur eadem filia Godwini Comitis, de qua Ingulphus in historia Croylandensi p. 895. edit. Savil.

IDSARDUS sive EDZARDUS *Gravius* Frisius, Sacerdos, post JOANNEM *Becanum* Ultraiectinum scriptor *Chronici Frisiae* quod ab An. 763 perduxit usque ad An. 1514. Vide Suffridum Petri decade IX. scriptorum Frisiae, cap. 7. et ex eo Valerium Andream pag. 441. Sweertium pag. 383 et Vossium pag. 651.

IDUNGUS Coenobita Emmerammensis Ord. Bened. cuius librum Epistolarem de IV. Quaestionibus monachoclericorum et sanctimonialium Virginum vitam spectantibus edidit V. C. Bernardus Pez tom. 2. thesauri anecdotorum parte 2. p. 507 542.

IESSE sive *Jessäeus* (al. Tesse) Ambianensis in Gallia ab An. 799 ad 836. Episcopus, ad Nicephorum CPol. An. 802 legatus a Carolo M. et An. 809 ad Leonem III Papam: ejusdem Caroli testamentarias tabulas An. 811 signavit, ut a Sammarthanis tom. 1, pag. 94. Miraeo, Caveo aliisque praesertim a Cointio in Annalibus Francorum diligenter notatum est. Exstat eius *Epistola catechetica* ad Sacerdotes dioeceseos suae caeterosque fideles, qua per interrogationes exponuntur ritus Ecclesiae, praesertim quibus in baptismo uti consuevit. Prodiit extrema parte manca Paris. 1615 4. cum Hincmari Remensis opusculis pag. 664 et in Bibl. Patrum edit. Lugd. tom. XIV. pag. 67 72.

IESSES sive IESSIUS Episcopus primus ut ajunt Spirensis, adversarius Arianorum in Concilio Coloniensi A. C. 346 apud Sirmondum tom. 1 Concil. Galliae pag. 12. Vide tom. XI. Bibl. Graecae pag. 371.

IGLACUS Anglus, Monachus Ordinis Benedict. circa An. 800 cuius fama, ut notat c. 108. Lelandus, per monasteria Nortabrinorum celebris admodum, ita ut *Sigwinus* Abbas fani S. Petri in finibus Bernicionum versus orientem in insula Lindisfarnensi eum accersitum, praelectorem monachis Petrinis constituerit. Magister hic *Ethelwolphi* Bernicii, de quo supra tom. 2. pag. 523 et qui in carmine de Abbatibus et factis memorabilibus fani S. Petri, subinde huius Iglaci meminit. Addunt Baleus II. 10. et Pitseus p. 143 scriptam ab eo *Sigwini Vitam*, sed quae lucem nunqnam vidit, per Danicas irruptiones combusta ac perdita una cum aliis eius lucubrationibus.

IGNATIUS Squarcialupus Florentinus, Abbas Casinensis, defunctus An. 1520.

De eius scriptis videndus Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. pag. 336. et Jo. Baptista Marus ad Placidi Diaconi supplementum de viris illustribus Casinensibus cap. 3. pag. 193 194 Sunt autem illa Hymni varii, in honorem SS. Trinitatis, carmen Sapphicum quod Patres Casinenses in suis Ecclesiis concinunt. In laudem S. Berthárii Martyris, et de Virginitate. De visione illustrissimi Principis Consalvi, oratio, et de aggregatione Monasteriorum Siciliae ad congregationem Cassinensem, aliaeque Orationes variis in locis suae Congregatiouis habitae è quibus Sermonem in honorem S. Benedicti laudat Possevinus. Omitto metaphrasin Italicam Epistolae S. Benedicti ad Scholasticam sororem.

* De scriptis docti huius monachi, quem defunctum an. 1526 constat, agit prae caeteris Armellinus Biblioth. Benedectino Cassinensis p. 2 pag. 9 etc. additque enumeratis hic a Fabricio *Historiam Abbatiae Florentinae* non completam; *De reformatione Casinensis Coenobii; Epistolarum* librum; *Montem orationis cum tractatu de scala Coeli S. Augustini* impressum Florentiae an. 1524.

ILDEFONSUS *Toletanus*, supra HILDEFONSUS tom. 3. pag. 765 seq.

ILDEFONSUS iunior A. 845 ibid. p. 770.

ILDUINUS, supra HILDUINUS.

S. ILLIDIUS sive ELIDIUS a) Aruerorum Episcopus Claromontensis, et Confessor, defunctus A. C. 385 V. Jun. vide Sammarthanos tom. 2. pag. 522. seq. Sed emendandum quod apud Vossium p. 273. legas; *Surius in prologo* ad Vitam S. Boniti XV. Januar. *testatur se reperisse* Illidium et Gallum *Aruernorum Episcopos ac confessores, luculento stylo* Boniti *vitam consignasse.* Nam Surius ex Prologo Vitae Boniti tantummodo tradit, scriptorem coaevum illius voluisse vitam tradere, quoniam Illidii et Galli Confessorum vita luculento stylo exstaret exarata, Boniti autem desiderari Adelphius et Eucherius doluissent.

a) Gallis *Allire.* vide Tillemont. tom. VIII. memor. Hist. Eccles. pag. 424.

Longe magis hoc confirmatur ex verbis scriptoris coaevi ipsius tom. 1. Act. Sanctor. Jan XV. pag. 1070. Illidius Aruernorum Episcopus fuit ab Anno 370. 385. S. Gallus ab An. 525 ad 571 et S. Bonitus ab An. 689 ad 709. *S. Illidii vita* ex Gregorii Turonensis Vitis Patrum in Actis Sanctor. tom. 1. Junii V. pag. 425 et ex vetusto *breviario Illidiano* pag. 427 cum notis Godfredi Henschenii.

ILTUTUS sive *Elcutus*, Anglus nobilis, discipulus *Cadoci*, ipse clarus circa An. 520 conditor Monasterii in Morgania quod Academiae instar fuisse ait Lelandus c. 31 in quo instituti *Gildas*, *David*, *Paulinus* et *Sampson.* Baleus Centur. 1. cap. 52 et Pitseus pag. 93 seq. memorant ejus *Epistolam super quaestione* ad *Samsonem* et aliam *ad Isaacum et Atrochum Abbatem*, sed quas nec ipsi oculis se usurpasse ostendunt.

ILUDOLPHUS, infra LUDOLPHUS.

IMARUS, *Igmarus*, *Maurus*, *Ymarus*, Gallus ex Monacho S. Martini de Campo Ord. Cluniac. ab anno 1142. Episcopus Tusculanus, Cardinalis, defunctus An. 1169. Vide Ughellum tom. 1. pag. 231. Eius *Epistola ad Canonicos Ecclesiae Londoniensis* super electione Richardi Episcopi, MS. in Bibl. Cottoniana pag. 73.

IMBRICO sive *Embricho*, *Emmericus*, Comes a Leiningen, Episcopus ab. A. 1125 ad 1147. Herbipolensis, Vide Jo. Petri Ludewig scriptores Wirtzburgenses p. 499. seq. Ejus *laudationem funebrem S. Othonis* Episcopi Bambergensis et Pomeranorum Apostoli An. 1039. defuncti memorat Miraeus in auctario de S. E. pag. 54. De aliis S. Othonis vitae scriptoribus supra in ANDREA *S. Michaelis*, tom. 1. pag. 95.

INAS Anglorum Occidentalium sive Westsexiae et Gervisiorum Rex ab A. C. 691 ad 724. Ejus *Leges LXXX.* in Chronico Johannis Bromptoni pag. 759. seq. Leges Ecclesiasticae XI. Anglo saxonice cum versione Guil. Lambardi in hujus Archaenomia, et in Speelmanni Conciliis Angl. tom. 1. pag. 182. et ex veteri Latina versione MS. Regii et Jornalensis pag. 186. et in Conciliis Labbei tom. 6. Harduini tom. 3. et Coleti tom. 8. ad An. 692. Confer Pa-

gium ad An. 692. n. 23. seq. et Bzovium da A. 1398. n. XI. ubi et de legibus Ecclesiasticis aliorum Regum Anglo Saxonicorum. De Conciliis sub Ina habitis, itidem Speelmannus tom. 1. pag. 208. 215. 219.

Joannes de INDAGINE, infra JOANNES.

Stephanus INFESSURA, Senatus Populique Romani Scriba, *Diarum Urbis Romae* scripsit ab An. 1294, ad 1494. non Latine quidem sed Italice vulgatum a Jo. Georgio Eccardo tom. 2. Corporis Historici medii aevi pag. 1863-2016. Latinis tamen quibusdam interpositis pag. 1902. seq. et 1937. ad 2015. (156 Et in Rer. Ital. Scriptores III. p. II. pag. 1111. 1252. Latine et plenior extare MS. in Bibl. Barberina nos docet Caiet. Marini *Archiatri Pontificj* 1. 199. Extat et Florentiae.)

INGEBURGIS, Conjugis Philippi II. Regis Francorum Epistola ad Caelestinum III. Papam data A. 1196. exstat apud Baluzium tom. 1. Misc. pag. 422.

INGELRAMNUS, supra ANGELRANNUS.

S. INGENUINUS sive *Genuinus*, Episcopus Sabionensis sive Brixinensis in Rhaetia secunda, circa A. 590. defensor trium Capitulorum, de quo Acta Sanctor. tom. 1. Februarii V. pag. 669. seq. primus subscripsit synodo Episcoporum Istriae ac Venetiarum congregatae in Marano Venetiae oppido. Vide libellum ad Imp. Mauritium apud Baronium ad A. 590. n. XXVIII.

* Diu multumque postremis hisce diebus certatum est de Sancti elogio viro huic attribuendo. Cl. Tartarottus in dissertatione *De episcopatu Sabionensi S. Cassiani* martyris *deque S. Ingenuini ejusdem urbis episcopi actis epistola* Venetiis 1750 in 8. contendit illum inter Schismaticos occasione dissidii de tribus capitulis nomen suum dedisse; nec satis ex idoneo teste constare dicit num tandem resipuerit. Vicissim Roschmannus Oenipontanus Bibliothecarius pro sanctimonia Ingenuini decertavit valide Dissertatione edita Brixiae Noricorum an. 1748. Rursum pro sanctitate Ingenuini Apologia struxit P. Benedictus Bonelli Reformatus ord. minor. cuius opus inscriptum: *Vindiciae Rom. Martyrologii* lucem adspexit Veronae an. 1751 in 4 Pro se etiam dissertationem protulit idem Roschmannus opere bipartito in 4 excuso Ulmae an. 1751. Contra vero pro Tartarotto stare visus est author Historiae Litt. Italicae III. 404.

INGOBERTUS sive *Ingolbertus*, *Ingoberethus*, Caroli M. Scriba de quo Cangius jubet consulere Nicolam Alemannum libro Rom. 1628. 4. edito de parietinis Lateranensibus a Cardinale Barberino restitutis pag. 116. 123. 134.

INGULFUS aliis vitiose *Indulphus*, Londinensis, scribà Guilelmi Conquaestoris a) post lustratam A. 1064. Palaestinam Monachus Fontanissensis, atque inde A. 1076. factus ab eodem Guilelmo Abbas in Anglia Croylandensis, diem obiit An. 1109. propior octogenario. Scripsit AIONIS Monachi Croylandensis Chronicon secutus, b) *historiam* sive *Descriptionem Abbatiae Croylandensis* ab ejus fundatione A. C. 664. usque ad A. 1091. Hanc primus sed minus integram vulgavit H. Savilius inter scriptores rerum Anglicarum post Bedam praecipuos Lond. 1596. et Francof. 1601. fol. Integriorem autem et suppletis lacunis c) additaque postema parte, nec non continuatione PETRI Blaesensis aliorumque trium ANONYMORUM Joannes Fellus Oxon. 1684. fol. Vide supra, tom. 1. pag. 33. et pag. 99. seq. et Catalogum Bibl. Cottonianae pag. 71. *Scripsit* notante pag. 387. Vossio Ingulphus *et de vita et miraculis S. Guthlaci: Sunt qui et aliorum Angliae coenobiorum historiam condidisse testentur, atque in ea multa etiam referre ad Reges pertinentia, desinere autem in A. 1066. quo imperare in Anglia coepit Guilelmus.* Puto respici a Vossio Miraeum, qui haec tradit in auctario de S E. pag. 57. sed nullum ille aliud de Coenobiis Angliae opus Ingulphi volvit quam illud de Abbatia Croylandensi, in quo et aliorum Coenobiorum subinde mentionem facit.

Chilienus de INISKELTRA, supra CHILIENUS.

a) De se ipso Inguiphus pag. 905. seq. edit Savil.
b) Vide Oudinum tom 2. pag. 870.
c) In Savilii editione deerant etiam Regis *Eduardi leges* quinquaginta veteri lingua Gallica, quas Gvilelmus Rex confirmavit. Hae in nova Oxoniensi exhibentur.

INNOCENTIUS I. patria Albanensis, Episcopus Romanus ab 21. Dec. Anni 401. usque ad An. 417. 12. Martii. Hic teste Gennadio cap. 43. scripsit *Decretum Occidentalium et Orientalium Ecclesiis adversus* Pelagianos *datum, post quem successor ejus Zosimus latius promulgavit.* Confer Pagium ad A. 416. n. 14. seq. et ad A. 417. n. 17. Idem adversarius Photinianorum, Novatianorumque, nec minus constans defensor Chrysostomi, atque auctor reconciliationis Ecclesiarum Orientalis. Vide Tillemontium tom. IX. memoriar. Hist. Eccles. pag. 627. seq. *Epistolas* hujus Innocentii et ad eum scriptas *XLII.* easque argumentis, monitis atque observationibus erudite illustratas exhibet Petrus Coustant in Epistolis Romanorum Pontificum p. 738. seq. et suppositas ei quatuor, in appendice pag. 104. seq. de quibus etiam videndus Blondellus in Pseudo Isidoro pag. 562. Notitia Epistolarum quadraginta amplius deperditarum quae ad Innocentium attinent, exstant apud laudatum Petrum Coustant pag. 919-931. *Decreta* ejus LVII. obvia apud Dionysium Exiguum in Codice Ecclesiae Romanae pag. 192. seq. et apud Isidorum, Ivonem, Burchardum, Gratianum etc. In his non invenio *constitutum de omni Ecclesia, et de regulis Monachorum et de Judaeis et Paganis* quod apud Anastasium in Innocentii vita memoratur.

*Ex codice quodam vetustissimo Lucensi epitomen quamdam epistolarum huius Pontificis evulgandam mihi sumpsi ex qua variantes nonnullae elici possunt. Sunt autem epitome epistolae ad Exuperium, ad Episcopos in Tolosa, ad Victricium (hic tamen constanter legitur Victorius) Ad Episcopum quemdam, ad Decentium et ad Aurelium. In eodem pariter Codice est integra epistola ad Vitricium (hic tamen ut superius est, *Victorium*) in qua variantes nonnullae animadversione dignissimae occurrunt. omnes dedi in meo Concilior. supplem. I. 280.

INNOCENTIUS II. Romanus, antea *Gregorius S. Angeli,* invitus creatus, Papa ab A. 1130. Febr. 17. ad A. 1145. Sept. 24. Ejus *Epistolae XLVIII.* in tomo decimo Concilior. Labbei et Joannis Harduini tom. VI. parte 2. Coleti tom. XII. ex quibus primae tantum duodecim in Regia et Binianis editionibus. Epistola *ad Robertum* Abbatem S. Mariae de Rota in dioecesi Andegavensi apud Baluzium tom. 2. Misc. p. 209. et *ad Ulgerium* Episcopum Andegavensem pag. 198. Privileg. de Ecclesia *Tyriaci* sive *de Tyrcio* tom. 4. pag. 458. Epistola *ad Archiepiscopum Saltzburgensem* tom. 5. pag. 103. Ad *Gregorium* Abbatem de privilegiis monasterii *Cuxanensis* in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam p. 1270. et pro monasterio *Rivipullens* pag. 1277. Epistolae duae *ad Abbatem et Monachos Beccenses* apud Baluzium tom. 7. Misc. pag. 138. seqq. *Ad Fromundum,* in Edmundi Martene anecdotis tom. 1. pag. 386. et *ad quosdam Abbates* pag. 389. *Ad Odorium* Priorem S. Crucis, *Alphonsum* Regem Portugalliae, et *Bernardum* Episcopum Colimbricensem, Epistolae tres apud Gabr. Pennottum in historia Canonicorum Regularium pag. 510. et 512. *Ad Coenobitas Benedictoburanos,* una : et duae *ad Waltherum* Episcopum Augustensem in Bernhardi Pez tom. 3. anecdotor. parte 3. pag. 631. seq. *Ad Hugonem* Archiep. Rothomagensem, in Dacherii spicilegio tom. 2. 458. et 481. (edit. novae tom. 3. pag. 484. 486.) *Ad Lotharium* Romanorum Regem, in Udalrici Babenbergensis Codice, n. ccc LIII. apud Jo. Georg. Eccardum tom. 2. Corporis Histor. medii aevi p. 360. et *ad Vicarios suos* n. ccc LX. pag. 366. Ab eodem Innocentio An. 1139. habitum *Concilium Lateranense* mille circiter Episcoporum, in quo, ut notatum Orderico Vitali lib. XIII. hist. pag. 919. *Multa Papa de priscis Canonibus propalavit, insignemque sacrorum Decretorum textum congessit.* Ad ea quae in tomis Conciliorum leguntur, addendum supplementum ex Edmundi Martene t. 4. thesauri anecdotorum p. 139. *Commentaria in Cantica Canticorum,* quae in Bibl. S. Galli apud Helvetios MSta servari scripsit Possevinus, nemo hactenus in lucem protulit.

* Spicilegium quoddam Epistolarum et Decretorum Innocentii ego in meo Concilior. supplemento tom. II. p. 394. adieci; nam

praeter epistolam 363 ad Lotharium ex codice Udalrici acceptam, cuius hic Fabricius meminit; alias pariter eiusdem ex eodem codice eduxi: nempe epistolam 344. ad Germanos pro afferenda Legatione Apostolica Gerardo Cardinali, sicut et alteram n. 344 ad Lotharium Regem de eodem argumento; dedi pariter decreta quaedam, seu *fragmentum* ex dictis *Innocentii Papae* ex Codice MS. Pistoriensi descriptum. Insuper ex Codice Udalrici n. 352 345 346 extraxi epistolas tres ad asserendam Innocentii huius canonicam electionem. Earum epistolarum prior est Cardinalium electorum ad Lotharium, altera Gualterii Ravennatensis Archiepiscopi, tertia Henrici Lucensis Episcopis ambae ad Archiepiscopum Partenopolitanam. Denique concili Remensis ab eodem Innocentio habiti Canones non parum a vulgatis discrepantes protuli p. 407 prout sese offerunt legendi in principio Cod. Udalrici. Postremos omnium dedi canones concilii Pisani ab eodem Pontifice coacti ut leguntur in MS. Cod. Pistoriensi. *

INNOCENTIUS A. 1178. mense Augusto per breve tempus Antipapa: ante dictus *Lando* sive *Landus Sitinus*.

INNOCENTIUS III. ante dictus *Ioannes Lotharius*, Comes Signinus *Anagninus* virtutibus et dominandi libidine ingens Papa ab A. 1198. Jan. 8. ad A. 1216. Jul. 16. Laudes ejus Gaufridus cecinit in sua poetria quam ei dicavit et quae incipit: *Papa stupor Mundi*, in Leyseri historia poetarum medii aevi pag. 862. et 939. De scriptis ejus quae reliquit quam plurima saepiusque et junctim Coloniae 1585. fol. Venet 1578. 4. in lucem edita, ac de praecipuo illius *Epistolarum* Opere, quod libris XI. digestum cum gestis Innocentii III. a coaevo scriptore traditis, a) vulgavit incomparabilis Baluzius, Paris. 1682. fol. 2. Volum. nolo repetere quae a Caveo diligenter annotata sunt. Tantummodo paucas quasdam observationes adjungam. Libris duobus prioribus tom. 1. pag. 543. libri tertii quartique loco subjecit laudatus Baluzius *primam collectionem Decretalium* Innocentii III. ex tribus primis regestorum ejus libris compositam a RAINERIO Diacono et Monacho Pompositano sub titulis quadraginta. Deinde post librum quintum pag. 687. sequitur Registrum super negotiis Romani Imperii. Desunt inde libri VI. VII. VIII. IX. Sed in tomo secundo exstant liber X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. Paulum Dumay a) qui selectiores Innocentii Epistolas notis illustratas ediderat Tolosae 1625. 8. hoc elogio ornavit Hugo Grotius:

Situ sepultas Innocentii chartas
Vetustiorum temporum notatrices
Quals ille fulgens dignitate suprema
Tam Juris auctor quam peritus interpres
Regum Ducumque terminaverat causas,
Donare luci primus occupat Dumay
Et judicare lectus, optimum donat
Sibique et aliis, quod sequantur, exemplum.

Epistolam pro Ecclesia *Albiensi* vulgavit Baluzius tom. 4. Misc. pag. 367. aliam de consecratione *Fulconis* Episcopi Tolosani tom. 6. pag. 358. Ad Abbatem *Pegaviensem* de appellatione de Germania ad Curiam Romanam, Caesare etiam invito, exstat apud Jo. Petrum Ludwig tom. 2. reliquiar. MSS. pag. 201. et ad Walterum Abbate *S. Petri de monte sereno* p. 208. Antonii Dandini Alteserrae commentarius in Decretales Innocentii III. Paris. 1666. fol. Epistolas ad Hispaniam spectantes exhibet Cardinalis Aguirrius tom. 3. Concil. Hispan. pag. 403-485. Commentarii *in VII. Psalmos poenitentiales*, prodiere etiam Colon. 1551. 8. *Libri III. de contemtu Mundi* sive *de miseria hominis* b) Colon. 1496. 8. Lugd. 1554. 1641. et Duaci 1633. forma minore *Epistola decretalis* pro jure Regis et Regni Francorum, apud Goldastum de Monarchia Imperii tom. 2. pag. 86. Epistola ad *Philippum* Regem Francorum ut usuras in Regno suo non patiatur, in Dacherii spicileg. tom. 6. pag. 464 (edit. novae tom. 3. pag. 577.) Ad Episcopum Cenomanensem de visitanda Ecclesia S. Martini Turonensi edita a Galizcono, Turonibus

a) Prodierant haec. gesta sed minus emendata Tolosae 1635. f. cum quatuor libris Epistolarum Innocentii III. illustratis a Franc. Bosqueto. Deinde in Muratori thesauro Italiae t. 3. pag. 486. et in Carusii Bibl. Siciliae tom. 2. p. 210.

a) De hoc. Menagiana tom 3. pag. 526. seq.
b) Vide Sanderum pag. 117.

An. 1694. una cum Epistolis quibusdam LEONIS VII. et ALEXANDRI III. Alia ad Archiep. *Bituricensem* de canonisatione Guilelmi Bituricensis, apud Labbeum tom. 2. Bibl. novae MSS. pag. 390. *Epistolae XLVIII.* ad Regem et Principes super negotio *Albigensium* apud Andream du Chesne tom. V. pag. 706-748. *Ordinatio expeditionis pro recuperanda terra sancta* p. 747-763. atque Epistola *ad Episc. Vercellensem* de eodem argumento, pag. 792. seq. itemque aliae pag. 794. 802. 804.

Moralisatio Scaccarii, sive ludi Scaccorum inter Innocentii III. lucubrationes memorata a Ludovico Jacobo pag. 119. Bibl. Pontificiae, editaque deinde Oxoniae circa A. 1657. 8, cum Joannis Prideaux hypomnematibus Logicis, Rhetoricis, Physicis, alium INNOCENTIUM Monachum, Anglum, juniorem auctorem habet, ut notavit Thomas Hyde in historia Shahiludii pag. 179. Alia hujus Innocentii III. memorat. Lud. Jacobus in Bibl. Pontificia pag. 118.

De eruditione Principum. De sacramento Baptismi. De claustro animae: De purgatorio: nec non *singularia in Jure.* Quod vero Henricus Gandavensis cap. 35. ait *Canonem Missalis Officii subtilissime exposuisse*, libros VI. de Missa respicit, qui saepius lucem viderunt typis exscripti.

* Praeterisse pigeret Innocentii III. Sermones a Fabricio hic omissos legi tum in editione omnium eius operum Veneta an. 1578. tum item extare in MS. Codice saeculi saltem XIV et forte XIII Membran. Biblioth. Canonicor. Majoris Ecclesiae Lucensis in quo duos offendi in editione illa Veneta et in aliis etiam, ut arbitror frustra quaerendos. Epistola collectioni sermonum praemissa quae et in editis se offert directa est in Cod. Arnolfo Abbati Cisterciensi cum in editis sit Ardufo etc. Ineditos igitur censeo sermonem in Dominicam III Adventus super illud: *ego baptizo vos in aqua et* Incipit. *Apostolica Sedes quae disponente Domino cunctorum fidelium caput est et magistra.* Itidem sermonem in II. Dominica adventus: *Cum audisset Joannes:* incipit *mirum fortasse videtur quod Joannes Baptista* etc.

Post haec scripta codicem alium eiusdem Biblioth. MS. membranaceum offendi Saec. omnino XIII. in quo est pariter sermo in Dominicam II. Adventus *Mirum fortasse;* est et alius *Apostolica Sedes* etc. Epistola collectioni praefixa dirigitur *Arnaldo abbati.*

Denique jam inde ab annis aliquot laetum ad nos pervenit nuncium a viro cl. P. Thoma M. Mamachio Ord. Praed. laborari ut absolutissima omnium epistolarum Innocentii III collectio adornetur, quod illum non irrito labore moliturum speramus, eo quod praesto habeat MSS. Vaticanos Codices, a quibus unice integrum id opus repeti posse certum est. Id ut quantocios praestet vir summus, et votis nostris instamus et orbis universi desideria sollicitant. *

INNOCENTIUS IV. ante dictus *Sinibaldus de Flisco*, Genuensis, Papa ab A. 1243. Jun. 24. ad A. 1254. Dec. 7. Juris scientia clarus ut *pater et organum veritatis* diceretur: vide Trithemium cap. 447. Pancirollum II. 5. et Valentinum Forsterum III. 14. Jo. Fichardum pag. 404. Oudinum tom. 3. pag. 164. Scripsit praeter librum *de exceptionibus*, commentarios saepius editos *in V. libros Decretalium* Gregorii IX. De *Epistolis* ejus et *Constitutionibus* quae in tomis Conciliorum leguntur, dixi tom. XI. Bibl. Graecae pag. 635. De aliis apud Waddingum in Annalibus Ord. Minor. adeundus Caveus. His adde excerpta ex regesto anni sexti Pontificatus Innocentii IV. *Epistolas CIX.* quas edidit Baluzius tom. 7. Misc. pag. 407-505. In his pag. 432. Patriarcham Hierosolymitanum et pag. 497. CPolitanum *Apostolicae Sedis legatos* appellat. Vita ejus a NICOLAO *Curbio*, Ord. Minor. postea Episcopo Asisinatensi ibid. p. 353-405. et ex BERNARDI *Guidonis*, Annalibus Pontificum Minoribus pag. 406. 406. Omitto vitam scriptam Italice a Paulo Pansa, editamque Venet. 1598. 4. Sed non omittendum Epitaphium: positum ab UMBERTO Archiep. Neapolitano:

Hic Superis dignus requiescit Papa benignus,
Laetus, de Flisco, sepultus tempore prisco:
Vir sacer et rectus, sancto velamine tectus.
Ut jam collapso mundo temeraria passo,
Sancta ministrari urbs posset quoque rectificari.

Concilium fecit, a) veteraque jussa refecit.
Haeresis illisa ex tunc extitit, atque recisa.
Moenia direxit, recte sibi credita rexit;
Stravit inimicum Christi colubrum Fridericum. b)
Ianua de nato gaudet sic clarificato,
Laudibus immensis urbs tu quoque Parthenopensis c)
Pulchra decore satis, dedit hic sibi plurima gratis.
Hoc titulavit ita *Umbertus* Metropolita.

Bulla qua religiosos arcet a functione Hierarchicarum actionum. edita est a Joanne Cordesio in prolegomenis ad Guilelmi de S. Amore opera pag. 74. Epistolae duae, quarum priore mentio Concilii Bituricensis A. 1243. habiti: in altera usum pileorum ob regionem frigidissimam concedit monachis Fiscannensibus, tom. 1. anecdotorum Edmundi Martenii pag. 1023. seq. Epistola *de translatione B. Elisabeth*, apud Lambecium tom. 2. pag. 883. Bulla de profectione in terram sanctam. data Lugd. 1245. in qua insertae litterae Regis Hungariae, in Jac. Bongarsii gestis DEI per Francos tom. 1. pag. 1192. Epistolae duae ad Ludovicum IX. Regem, et ad Praelatos Franciae, apud Andream du Chesne tom. V. pag. 871. 862. Constitutiones quaedam illius leguntur etiam in libro VI. Decretalium, quem postea prodidit Bonifacius VIII. qui Papa ab An. 1294. ad 1303. Caetera Innocentii scripta apud Possevinum et Ludov. Jacobum p. 121. memorantur haec: *De potestate Ecclesiastica et jurisdictione Imperii* contra Petrum de Vineis. *Vita S. Guilelmi* Episcopi Briocensis. *Officium in Octavis festi Nativitatis B. Mariae*. *Regula Clarissarum*. Denique *interpretationes in Vetus Testamentum*. *Summam* quoque *Canonum poenitentialium* ei tributam docet Lambecius tom. 2. pag. 813.

* Constitutiones Innocentii IV ego primus e MS. Cod. Lucensi in meo Conciliorum supplemento t. II 1071. vulgavi, sunt tamen fere omnes in sex Decretalium comprehensae, nisi una vel alia excepta. Legit illas Innocentius in Concilio Lugdunensi 1. easque dein transmisit ad varias per orbem DD. academias. Quam ego in meo Cod. offendi, directa legitur ad Universitatem magistrorum et Scholarium Bononiae commorantium. In eodem pariter codice reperi annotationes seu Glossas illas, quas Lambecius in Vindobonensibus codicibus legit. Est etiam in Biblioth. Canonicor. S. Martini Lucensi MS. Codex exhibens sermones Innocentii III in quo pariter alia a toto codice manu descripti leguntur sermones alii, qui sane alterius authoris ab Innocentio opus esse videntur. Suspicatus sum apud me num forte Innocentio huic IV tribuendi sint: tanta enim erat eorum temporum ruditas et imperitia, ut ea quae unius erant authoris, ex nominis affinitate alteri tribuerentur. Cum igitur ambo hi Pontifices unius eiusdem essent nominis, ideo forte accidere potuit ut orationibus Innocentii III orationes etiam Innocentii IV tamquam unius eiusdemque scriptoris adiungerentur. Est insuper additarum istarum orationum author subiniquior viris religiosis, quod sane congruit Innocentio IV. religiosorum ordini non sane amico. Horum Sermonum prior est de apostolis. Thema *Ecce ego mittam ad vos* etc. Incipit *tres sunt enim piscatores* etc. De S. Maria: thema· *Ave Maria* etc. Incipit *o gloriosa plena gratia* etc. In Quadragesima thema: *Erat Jesus eiiciens* etc. Incipit: *Tria enim operatus est Dominus* etc. De sponsa: thema: *vidi signum magnum* etc. Incipit: *Haec mulier est Ecclesia*. De martyre vel aliquo sancto thema: *animadverte quod vir iste* etc. Incipit: *Haec est mulier Sunamitis*. De S. Michaeli tema: *Factum est praelium magnum* etc. Incipit: *Jesus vidit per visionem* etc. De Poenitentia: thema: *versa est in luctum* etc: incipit; hoc dictum est de David et Saul etc. *Pro mortuis*: thema: *arcta via est* etc. Incipit· *Ecce ampla est quae ducit*. De poenitentia vel ad multa: thema: *Vae mihi quia factus sum sicut qui colligit* etc. Incipit *non est Ioseph Moyses* etc. An haec coniectura mea persuasura sit lectoribus eruditis viderint alii: Interium satis est indicasse paucos hosce

a) Lugdunense A. 1245. in quo promulgatus ab Innocentio IV. constutiones, MStos cum glossis servat Bibl. Caesarea, teste Lambecio tom. 2. pag. 810.

b) Fridericum II. Imp.

c) Neapolis.

Sermones, ut alii saltem, qui forte inciderint in Codicem hos ipsos continentem certiora doceant. *

INNOCENTIUS V. antea *Petrus de Tarantasia* Burgundiae: Primus ex Ord. Praed. Papa, per paucos menses An. 1276. a 20. Janaur. ad 22. Jun. De illo Jacobus Quetif tom. 1. scriptor. Dominicanor. pag. 350. seq. ex quo scripta ejus referre juvat. *Registrum Epistolarum*, ex quo nonnullae apud Raynaldum in Annalibus ad A. 1276. Steph. Thomam Soveges sive Soegum in anni Dominicani mense Junio An. 1689. edito Gallice et Petrum Mariam Campi in historia Ecclesiastica, Placentiae vulgata Italice pag. 488. seq. Postillae super *Pentateuchum, Psalmos, Cantica, Lucam,* et quae sub *Nicolai de GORRAM* a) nomine typis exscriptae leguntur *in Epistola Pauli.* Commentarii *in IV. libros Sententiarum* Tolosae 1652. sq. *Quodlibeta.* Opuscula *de unitate formae. De materia Coeli. De aeternitate Mundi. De intellectu et Voluntate.* Libri *Decretorum abbreviatio,* per *Distinctiones,* ubi in Constitutionibus, juris peritia: in ordinationibus potestas legitima, in executionibus administratio Canonica traditur. Per *Causas*, quae accusationum, actionum ex regula gerendarum, et obligationum sive nuptiarum continent disciplinam. Per *Considerationes* denique, prosequentes sanctificationem rerum, temporum, personarum. *Actiones* et *Orationes* tres in Synodo Lugdunensi II. A. 1274. ut quam habuit in *S. Bonaventurae* funere: et altera *de Concordia Ecclesiae Graecae*, cujus Antistites mox venturi nunciabantur. Postremo *Sermones* varii. Nam Compendium Theologicae veritatis rectius refertur ad HUGONEM Argentinensem, ut supra tom. 3. pag. 844. notare me memini. Ludovicus Jacobus pag. 123. Bibl. Pontificiae Innocentium V. tradit etiam omnia THOMÆ *Aquinatis* opera in compendium misisse: inter cujus Thomae Opuscula tomo XVII. Operum, in nono loco legitur Responsio ad Joann. Vercellensem, Generalem Magistrum Ord. Praed. *de articulis centum et octo* quos adversarii in scriptis Petri de Tarantasia notaverant, sed quam non nisi post morten Innocentii V. duobus annis post S. Thomam defuncti scriptam esse, laudatus Quetifus tom. 1. pag. 333. observavit. *Virtutes agni Dei,* carmine descriptae et ad Imperatorem (Rudolphum) cum agno Dei missae, MSS. Oxonii in Collegio Corporis Christi n. 237.

a) Vide supra. tom. 3. pag. 71.

INNOCENTIUS VI. antea *Stephanus Alberti* F. Lemovicensis, Papa ab An. 1352. Dec. 18. ad A. 1362. Sept. 12. de quo Baluzius in Papis Avenionensibus tom. 1. p. 322. seq. 918 1433. seq. Ejus *Epistolarum Volumina XV.* in Bibl. Vaticana asservari a multis traditum: ex quibus petitae quas edidere Bzovius, Raynaldus, Waddingus. Registrum Epistolas complectens CCL. a ZENOBIO Magistro collectum exhibet Edmundus Martene tom. 2. Anecdotor. pag. 843-1072. Epistolae duae apud Baluzium tom. 2. Papar. Avenionens. pag. 752 seq. Epistola ad Cantuariensem et Eboracensem Archiepiscopos de celebrando *festo S. Augustini* Confessoris in Anglia, et altera ad Praelatos Angliae de celebrando *festo S. Eduardi* Regis obviae sunt in Conciliorum tomis. Declaratio super statutis Benedicti XII. *de Monachis nigris* sive Benedictinis, apud Baluzium tom. 7. Misc. pag. 155. Bulla *de festo lanceae et clavorum* Crucis Domini, edita ex tabulario publico Stadensi a Jo. Henrico von Seelen diss. de hoc festo Flensburg 1715. 4. § XV et in Miscellaneis pag. 894. Edidere et alii ab eodem laudati p. 402. Praeterea *Sermones* aliquot, *Decreta Ecclesiastica* et *Institutiones pro Foroliviensibus* memorat Lud. Jacobus p. 125.

INNOCENTIUS VII. antea *Cosmatus Melioratus*, Sulmonensis, Papa ab An. 1404. Octobr. 17. An. 1406. Novembr. De ejus *Oratione de Ecclesiastica unione*, et *Epistolis* apud Andream du Chesne in ejus vita. Waddingum tom. 5. Annal. Minor. idem Lud. Jacobus. *Approbatio Regulae Fratrum et Sororum de Poenitentia Ordinis S. Dominici* exstat in Laertii Cherubini bullario magno tom. 1. pag. 301.

INNOCENTIUS VIII. antea *Jo. Baptista Cibo*, Genuensis: Papa ab Anno. 1434. Au-

gusti 29. ad Annum 1492. Augusti 1. De actis electionis supra in Joanne BURCHARDO, De *Epistolis* ejus, *Constitutionibus* et *Regulis* Henricus Warthonus ad Caveum. Bulla *adversus haeresin maleficarum* in malleo maleficarum plus semel lucem vidit, de quo supra in HENRICO *Institore*. Eadem familiam ducit inter Bullas XIX. Innocentii VIII. apud Laertium Cherubinum tom. 1. bullarii p. 443. seq. *Breve ad Ludovicum de Ambasia*, Episcopum Albiensem exstat apud Baluzium tom. VII. Misc. pag. 158. *Privilegium Congregationi Gallicanae Canonicorum Regularium S. Rufi* datum, in Gabrielis Pennoti historia Canonicorum cap. LVI. 497. (157 *Serdonati*, *Fran.* Vita e fatti d'Innocenzio VIII. Milano 1829. 8. *Vialardo*, *Franc. M.* Historia d'Innoc. VIII. Bonifazio IX. etc. (Cybo) Ven. 1613. fol.)

INNOCENTIUS IX. antea *Jo. Antonius Fachinetti*, Bononiensis: Papa per paucos menses Anni 1591 ab Octobr. 30 ad 29 Decembr.

INNOCENTIUS X. antea *Jo. Baptista Pamphilius*, Romanus: Papa ab An. 1644. Sept. 15 ad An. 1655 Jan. 8 inter cuius Constitutiones apud Cherubinum tom. pag. 237 seq. celebris est data A. 1653 contra quinque propositiones Cornelii Jansenii.

INNOCENTIUS XI. antea *Benedictus Livius Odescalcus*, Lombardus ex Civitate Como: Papa ab An. 1676 Sept. 11 ad An. 1689. August. 12. Vide Baelii Lex.

INNOCENTIUS XII. antea *Antonius Pignatelli*, Neapolitanus: Papa ab A. 1691 Jul. 12 A. 1700 27 Sept. Bullarium ejus in lucem datum Romae A. 1697.

INNOCENTIUS XIII. antea *Mich. Angelus Conti* sive *de Comitibus*, Romanus: Papa ab An. 1721, Maji 8 ad A. 1724 Mart. 7. Vide panegyricum ei dictum in Commentariis Academiae Regiae Ulyssiponensis A. 1721. V Jul.

INNOCENTIUS *Agrimensor* tempore Constantii Imp. de quo Ammianus Marcellinus lib. XIX cap. 11 ubi vide Henr. Valesium. In scriptoribus rei agrimensoriae pag. 250 edit. Goesinae Innocentius hicce *praefectus Urbi* appellatur, ubi ex ejus *libro XII* quaedam afferuntur *de litteris quibus signatae casae*, excerpta quae ex Bibl. Palatina Rigaltius primus publicavit. Vide lib. IV Bibl. Latinae cap. 11 num. 11.

INNOCENTIUS amicus S. Hieronymi qui obitum ejus dolet Epist. 41. testatus *ex duobus oculis unum* se perdidisse: *Innocentium enim, partem animae meae repentinus febrium ardor abstraxit.* Eundem Epist. 49 charissimum appellat, scribens ad eum narrationem de muliere septies icta Vercellensi, perinde ut Evagrius presbyter, qui Innocentio huic versionem Vitae S. Antonii, scriptam ab Athanasio dedicavit. Vide Tillemontium t. XII. memoriar. p. 13.

INNOCENTIUS Episcopus *Maronianus* sive *Maroniae* in Rhodope Thraciae provincia, tempore Justiniani Imp. Ejus *Epistolam* Latine scriptam ad *Thematem* saepius laudat Nic. Alemannus notis ad Procopii historiam arcanam.

INNOCENTIUS *de Caesaria*. Supra CAESARIUS, Omitto tamquam juniorem INNOCENTIUM *de Novaria* Abbatem Casinensem defunctum An. 1557 de quo Placidus Diaconus cap. VIII.

INNODIUM pro ENNODIO dixit Arnulphus Lexoviensis a) propter difficile et obscurum dicendi genus, cui interdum visus est indulsisse. Vide supra ENNODIUS tom. 2 pag. 511.

INTEMELIENSIS Monachi poemata, quae accepisse Barlaeum, Epistola ad Nic. Heinsium A. 1647 data scripsit Js. Vossius tom. 3 seq. Sylloges Burmannianae p. 568 non aliunde nota mihi. Suspicor autem recentiorem aliquem Poetam intelligi, cui patria Intemelium sive Albintemelium Liguriae.

JOACHIMUS Abbas de Curatio, in Calabria, Ord. Cisterc. atque fundator Florensis Monasterii, institutorque Congregationis Florensis, defunctus An. 1201 de quo praeter Possevinum aliosque copiose et erudite Papebrochius in Actis Sanctor. tom. VII. Maji 29 pag. 89 seq. Vita scripta a Gabriele Bario, Franciscano, et de Joachimo testimonia Vincentii Bellov. Antonini Florentini, Laonici Chalcondylae alio-

a) Epist. ad Henricum Pisanum Cardinalem, tom 22. Bibl. Patrum. Lugd. p. 1521.

rumque exstant in Joannis Wolfii lectionibus memorabilibus tom. 1. pag. 499 seq. 443 Celebris et inprimis Joachimus hic propter vaticinandi, quam prae se tulit facultatem : quanquam Guilelmus Parisiensis lib. de Virtutibus cap. XI. pag. 152. auctor est nonnullos credidisse *non donum Prophetiae* hoc fuisse, *sed intellectus*, *idque tantae claritatis et acuminis ut in quibusdam valde assimilatum fuerit Prophetiae.* Confer iterum Papebrochium pag. 134 seq. Pagium ad An. 1188. n. 19 seq. et ad An. 1190 §. 4. seq. Natalem Alex. tom. 7. hist. in fol. pag. 77. et 331. Franciscum Bivarium in apologia pro Joachimo, in notis ad pseudo Dextrum pag. 461 seq. contra ea quae Gabriel Pennotus pag. 168 et 243. etc. Vitam et vaticinorum Joachimi explicationem scripsit *Leander Albertus* Bononiensis, quam MStam Parisiis in Colbertina memorat Jacobus Echardus tom. 2. de scriptoribus Dominicanis pag. 138. In Joannis Wolfii lectionibus a) memorabilibus tom. 1. pag. 446 458 exstant *vaticinia XXX.* de Pontificibus Romanis, a Nicolao III. ad Innocentium VIII. b) quorum partem ANSELMO *Marsicano* alii, alii universa Joachimo tribuunt, una cum totidem imaginibus, ligno descriptis. Sequitur pag. 459. (praefixa etiam ipso in titulo lectionum Wolfii) Joachimi *Rota* a Pio IV. ut ajunt, in Solis et Lunae imagine incipiens et futura de Pontificibus significans. *Paschalini Regiselmi* annotationes, quibus figurae mysticae imaginum explicantur ex edit. Venet. 1589 pag. 459 466 *Theophrasto Paracelso* tributae notae, cum notis marginalibus *Adami Durischii* interpretis pag. 466 483 Annotationes *Joannis Adrasder* pag. 483 488. Explanatio *Pauli Scaligeri* sive *de Scala*, Paracelso opposita, prodiit cum aliis ejus scriptis Colon. 1570 4. unde emendandum, ubi Josephus Scaliger Joachimi vaticinia illustrasse traditur. *Italice* saepius viderunt lucem, ut Venet. 1589 1600 1646 4. De similibus vaticiniis infra in MALACHIA Hiberno.

a) Prima editio prodiit Lavingae A. 1600. secunda Francof. 1625. fol.

b) Acta Sanctor. Maii. propylaeo pag. 216.

Vaticinia de Regibus Castellae et Legionis a Ferdinando I. Sanctii F. usque ad Philippi V. qui hodie Hispanias regit, successorem quintum, scripta versibus : *Quae vox quae poterit lingua retexere?* Prodiere primum An. 1670. deinde cum P. Angeli, Augustiniani discalceati notis historicis in tomo tertio Sylloges Archimbaldinae cui titulus: nouveau recueil de pieces fugitives d' Histoire, de litterature etc. Paris. 1717 12. pag. 50 58.

Caetera huius Joachimi scripta sunt, de quibus Leonardus Nicodemus in additionibus praeclaris ad Nic. Toppii Bibl. Neapolitanam pag. 91. seq. Acta Sanctor. tom. 7. Maii pag. 103 seq. 129. Carolus Visch, etc.

Liber Concordiae Novi ac Veteris Testamenti, ubi de quinque sigillis, libris V. Venet. 1519 4. Vide Jo. Wolfii lectiones memorabiles tom. 1 pag. 489 seq.

Psalterium decem chordarum, libris III. in quibus de summa Trinitate, eiusque distinctione: de numero Psalmorum et eorum arcanis ac mysticis sensibus: de Psalmodia: de modo et usu psallendi simul et psallentium. Venet. 1527 4. cum prophetia inventa a GERARDO *Odonis*, Ord. Minor. et *Hymno*, Abbatis Joachim *de patria coelesti.*

Super *Esaiam*, et super nonnulla Capitula *Nahum*, *Habacuc*, *Zachariae* et *Malachiae*, cum plurimis internis et mysticis sacrarum litterarum intellectibus et de oneribus in Orbem universum sive magnae partis Orbis terrarum Civitatum Vaticiniis. Venet 1517 4. Vide Wolfii lect. morabiles tom. 1, pag. 488.

Super *Jeremiam* Prophetam, ad Henricum VI. Imp. Venet. 1519 1525 4. Colon. 1577 8 ubi inter alia disputat *Ecclesiam Carnalem, quae nova Babylon nuncupatur, fore triplici percutiendam flagello: temporalium scilicet amissione ab Alemannorum Imperio, secundo haeresi, et praecipue a Patarenis, de quorum secta erit mysticus Antichristus: tertio, gladio ab Infidelibus et praesertim Mahumetanis. Hi tres simul insurgent contra fornicariam, ut eam penitus prosternant*,

et tandem a CHristo Sponso renovetur ut aquilae juventus sua. Plura apud Jo. Wolfium pag. 491 497.

In Ezechielem: MS. in Bibl. Coenobii Dunensis, Ord. Cisterc. teste Carolo de Visch pag. 172. Bibl. Cisterc.

In Danielem: MS. ibid. et Venet. 1519 4. teste Besodnero, ex quo Crovaeus et alii.

In Bibl. Cottoniana pag. 23 MS. Joachimus *super Prophetas*, ad fratrem Raynerium de Poncio: non diversus a commentario in Esaiam, qui Raynerio huic dicatus est.

In Evangelium Joannis, memorat Trithemius cap. 389 de S. E. et II. 117 illustr. Benedictin.

In Apocalypsin explanatio, cum Psalterio decem chordarum edita Venet. 1527 4.

De septem sigillis. Trithem.

Oraculum *B. Cyrilli* eremitae montis Carmeli, qui An. 1225 obiit, de statu Ecclesiae et magnis tribulationibus ex modo usque in finem seculi, et specialius de horrendo illo schismate mysticis Antichristi, praecursoris veri Antichristi cum expositione Abbatis Joachimi, et mutuis utriusque *Epistolis*, Venet. 1517 4. et MS. cum notis Joannis de Lezana, Carmelitae Hispani. Nec non Italice cum notis Anselmi Episcopi Marsicani Venet. 1589 1646 4.

In Prophetiam Vatis Britannici, *Merlini*, MS. Lovanii in Coenobio Vallis S. Martini.

In prophetiam Erythraeae, Sibyllae.

Liber contra Petrum Lombardum, *de unitate, seu essentia SS. Trinitatis* a) quo disputaverat Quaternitatem ab illo induci, quod lib. 1. sententiar. dist. V. scripsisset: *Patrem, et Filium et Spiritum S. quandam summam esse rem, quae neque sit generans, neque genita, neque procedens*: damnatus est in Concilio Lateranensi quarto An. 1215 b) quanquam in Psalterio decem chordarum, Catholicam de SS. Trinitate doctrinam a Joachimo proponi non diffitetur Papebrochius in responsione ad Sebastiani a S. Paulo errores, c) qui et alibi docet eum Tritheitis neutiquam favisse. Vide Acta Sanctor. tom. 7. Maji pag. 131 seq. Albericus ad An. 1201 pag. 424 *Caetera Joachimi opuscula et vitam ejus religiosam et morum institutionem et eruditionem quam in Florentino* (Florensi) *Monasterio reliquerat idem Joachim, Papa Innocentius tertius non improbavit, sed approbando commendavit*. Eadem verba repetit auctor magni Chronici Belgici p. 210.

Joachimi Abbatis Florensis Ordinis *Chronologia* a Jacobo Graeco Scillensi Calabro Ord. Cisterc. edita Cosentiae per Andream Riccium, 1612 4. * Praeter hymnum *de patria coelesti* est etiam in eadem Veneta editione an. 1527 carmen alterum inscriptum: *visio eiusdem* (Joachimi) *praeclara ac plurimum admiaranda de gloria paradisi* Commentariorum in Jeremiam editio est altera iis omnibus, quas Fabricius hic laudat antiquior, Veneta scilicet an. 1516 per Lazarum de Soardis in 4 ex quo opere testimonium adversusRomanam, Ecclesiam illi persimile, quod hic a Fabricio datur, eruit Illyricus; sed frustra se illud quaesivisse cl. Lambaker in notis ad catalogum Bibl. Civicae Vindob. p. 42 testatur. An vero ea saltem quae hic Fabricius recitat, in eo libro contineantur, exquirere non vacat. Constat tamen Joachimus his verbis nullam doctrinae alterationem ecclesiae Romanae imputassae. Nam in capite operis de concordia veteris et Novi Testamenti Ecclesiae Rom. judicio libros suos omnes submittit; professus *se abiicere quod ipsa abiicit, et suscipere quod suscipit ipsa. Credens firmiter non defecturam fidem ejus usque ad consummationem saeculi.*

JOANNES I. Constantii F. Hetruscus, post Hormisdam Episcopus Urbis Romae ab A. C. 523. Sept. 3 ad An. 526 defunctus Ravennae in carcere. De eo Acta Sanctorum tom. VI. Maji 27. pag. 702 seq. In collectione Isidori atque inde in Conciliorum tomis et apud Baronium ex-

a) Confer Petavium de Ss. Trinitate lib. IV. 15. 4. et VI. 12. 4. seq. Leonardi Nicodemi additiones ad Toppium pag. 96, Frid. Spanhemii Opera tom. 1. pag. 1695. seq. D. Georgii Serpilii Esaiam pag. 146. seq.

b) Canone 2. tom. VII. Harduin. pag. 18. qui repetitur in Gregorii IX. Decretal. lib. 1. tit. c. 2.

c) Acta Erud. A. 1696. pag. 507.

stant *Epistolae duae*. ad Zachariam Archiep. et altera ad Episcopos Italiae de Theodorico Rege: sed quas ei suppositas esse viri docti non dubitant. Confer Blondelli Pseudo Isidorum pag. 570 seq.

JOANNES II. Romanus, cognomine Mercurius, Papa ab An. 531. Dec. 19 ad A. 535. April 21. Praeter Epistolam suppositam ad Valerium Episcopum, quam expodit idem Blondellus pag. 596 aliae *sex Epistolae* genuinae leguntur in Conciliorum tomis, una cum Epistolis ad Joannem, a) Justiniani Imp. Athalarici Regis, et Cassiodori Senatoris. Vide tom. XI. Bibl. Graecae pag. 429. Tres ex illis Joannis Epistolas, ad Episcopos Galliae, ad Regensis Ecclesiae clerum et ad Caesarium Arelatensem in causa Contumeliosi, Regensis Episcopi, exhibet etiam Sirmondus tom. 1. Concil. Galliae p. 237 238 232.

JOANNES III. Romanus, Anastasii viri illustris filius, alio nomine Castellinus, Papa ab An. 560 Jul. 26 ad An. 572. Jul. 13. Epistola *ad Episcopos universos per Germaniae et Galliae provincias constitutos* supposita in collectione Isidori et in Blondelli pseudo Isidoro pag. 613. Epistola brevis *ad Edaldum*, Viennensem Archiep. in Baronii addendis ad tom. XII. annal. et ex Joannis a Bosco Bibliotheca Floriacensi, in tomis Conciliorum, ex eadem Isidori officina prodiisse videtur Francisco Pagio in breviario Pontificum Rom. tom. 1. pag. 427. Ludovicus Jacobus autem pag. 130. Bibl. Pontificiae refert ad Joannem V. Sed nec illius temporibus Edaldum Viennensi Ecclesiae praefuisse constat. Vide Sammarthanos tom. 1, pag. 796 et de *privilegio S. Medardi* quod Joanni III. suppositum fertur, Caroli Cointli Annales ad An. 562 tom. 2, pag. 21.

JOANNES IV. Jadarensis Dalmata, Papatum gessit ab An. 639. Dec. 31 ad An. 641. Octobr. 12. Ex ejus Epistolis tribus quae in Conciliorum tomis leguntur, prima *ad Episcopos et Presbyteros Scotiae* pro observatione Paschatis et de cavenda haeresi Pelagiana, exstat etiam apud Speelmannum tom. 1. Concil. Angliae pag. 142. Secunda pro Honorio Papa *ad Constantinum Imp. Heraclii F.* edita etiam a Sirmondo inter collectanea Anastasii Bibliothecarii de causa Monothelitarum: eadem apud Eutychium tom. 2 annal. pag. 324 inscribitur *ad Heraclium et Constantinum, fratres Imperatores*, quamquam post mortem Heraclii demum ordinatus est Joannes. Tertia *ad Isaacium* Episcopum Syracusanum. In Concilio Romano quod Anno 640 habuit, Monothelitas ab eo anathematizatos notat Theophanes p. 274.

JOANNES V. Antiochenus, Syrus, Papa ab An. 685 Jul. 22 ad An. 686 August. 2. *Epistola ad Ethelredum*, Regem Merciorum, *et Alfridum* Regem Deirorum et Berniciorum in causa Wilfridi Episcopi, apud Speelmannum tom. 1. Concil. Angl. pag. 179 ex Malmesburiensi de gestis Pontificum lib. 3. De Epistola *ad Edaldum*, supra in Joanne III. Etiam libellum *de dignitate pallii* composuisse notat Ludov. Jacobus pag. 131. Bibl. Pontificiae, dubito an visum illi vel alii cuiquam.

JOANNES VI. Graecus, Papa Romanus ab An. 701. Octobr. 29 ad Anno 705 Jan. 10. De Concilio Romano An. 704 Episcoporum CCCXXVI. quod ab illo celebratum est, vide Bedam V. 20 hist. Angl. Anastasium in Joannis VII vita, et Pagium ad An. 702 703 704 n. 8. seq. et 1705 n. 12.

JOANNES VII. Platonis F. Rossanensis ex magna Graecia, Papa ad An. 705 Mart. 1. ad An. 707 Octobr. 18. *Epistola ad Ethelredum* Merciorum et *Alfridum* Deirorum Reges, qua accepta Wilfridus in Archiepiscopatu Eboracensi confirmatur: apud Wilhelmum Malmesbur. lib. 3. de gestis Pontificum Angl. pag. 267 atque inde Speelmannum tom. 1. Concil. Angliae p. 204. et in Concilior. tomis. *Epistola ad Anglos* in Baluzii Miscellaneis tom. V. pag. 478.

JOANNES VIII. Anglicus, sive *Joanna Papissa* quae a multis traditur fuisse inter Leonem IV et Benedictum III. ad An. 854 ad Sept. 856 a multis vero et praeclaris viris vocatur in dubium, vel argumentis non contemnendis prorsus nega-

(a Vide Norisii diss. de uno ex Trinitate passo cap. VI. et X.

tur, mihi quidem hoc loco potest esse οὐδ' ἐν λόγῳ οὐδ' ἐν ἀριθμῷ, quia nulla ejus scripta referre valeo, quibus Bibliotheca Scriptorum mediae Latinitatis locupletetur: neque *Necromantica* ejus, quae a Baleo XIII. 10. memorantur, vel ipsi vel alii cuiquam puto lecta fuisse. (150 Vidend. op. *Jos. Garampii De nummo argenteo Bened.* III. Romae 1749. 4.)

JOANNES VIII. (al. IX.) Romanus Papa, ab An. 872. Dec. 14 ad An. 882. Dec 15. Ejus gesta exhibet Baluzius tom. 7. Misc. pag. 319 352. *Epistolas CCCXX.* editio Conciliorum Regia, tom. XXIV. Labbei tom. IX. et Coleti tom. XI. ex his Harduinus tom. VI. tantum CXLI. quas Decretalium censu habere se profitetur: Sirmondus tom. 3. Conciliorum Galliae pauciores, illas nempe exhibet quae res Galliae spectant. LXXXVIII. obviae etiam in Andreae du Chesne tom. 3 scriptoribus rer. Franc. pag. 866 913. Indicem omnium Alphabeticum eorum ad quos scriptae sunt exhibui tom. XI. Bibl. Graecae pag. 545. seq. in quibus et illa ad Photium Patriarcham, quam Venetiis MStam reperisse se refert praestantissimus Montfauconus pag. 46. Diarii Italici. In Synodo Romana. An. 877 *Sermo* Joannis VIII. *in electione Caroli Calvi Imp.* dictus: cum responsione Episcoporum, in laudatis Conciliorum tomis legitur et tom. 3. Sirmondi pag. 457. *Constitutio de Jure Cardinalium* apud Baronium ad An. 882 n. 8. Sunt etiam qui huic Joanni tribuunt *Vitam Gregorii M.* scriptam libris quatuor, de quo infra in JOANNE *Diacono.* Vide Latini Bibliothecam sacro profanam pag. 81. Epistola ad Ludovicum Imp. edita a Baluzio T. V Misc. 489. alia tom. 7. pag. 352.

* His omnibus epistolis Joannis huius adiiciendae sunt epistolae geminae quas servari legimus in Cod. Latino MS. 983 Biblioth. Universit. Taurinensis, quarum prima est ad Ingelbergam Reginam. Incipit *omnes qui fidelitatem jurant.* Alia ad eamdem incipit. Quia *nostrum de Vilberto.* Alias ego epistolas Joannis VIII huc illuc collectas dedi in meo concilior. Supplemento tom. 1 pag. 1014. Librum alterum illi adscribit Albericus Monachus Triumfontium in Chronico ad annum 873 his verbis. *Iste scripsit quasdam interpretationes sive decreta super librum Gothicae legis, sicut invenitur in libro qui Canones inscribitur.*

JOANNES IX. (al. X.) Tiburtinus Ord. S. Benedicti, Papa ab An. 905. Ejus *Epistola IV.* in tomis Conciliorum, quarum primam ad Heriveum, Archiep. Remensem, de Northmannis recens ad Christum adductis, offert etiam Sirmondus tom. 2. Concil. Galliae pag. 534. Caeterae tres sunt ad Stylianum Episcopum Neocaesariensem, ad clerum populumque Lingonensem, et ad Carolum simplicem, Regem Francorum.

JOANNES X. (al. XI.) Cinthius Capuanus ex Abbate Casinensi Papa ab An. 912. ad 918. Scripsit, ut jam notatum Ludovico Jacobo pag. 133. Bibl. Pontificiae, *Epistolas varias*, cui rescripserunt Constantinus VIII. Imperator Orientalis, Ordonius Rex Legionensis, Heribertus Comes Veromanduorum, S. Sisinandus Episcopus Compostellanus, et Nicol. Patriarcha Constantinopolitanus. Ejus Chronico succincto *de persecutionibus Coenobii Casinensis, et de miraculis ibi factis* usum se profitetur Leo Ostiensis. *Chronicon postremorum Comitum Capuae* post editionem Camilli Peregrini, vulgatum sincerius in tomo nono thesauri scriptorum Italiae Burmanniani p. 272 279.

JOANNES XI. (al. XII.) Comes Tusculanus, Patricii Alberici frater, Papa intrusus sed toleratus ab An. 931 ad 936. *Epistolas duas* Andreas du Chesne in ejus vita, et *Concilia duo* Franciscus Longus a Coriolano in summa Conciliorum memorat. Vide Lud. Jacobum p. 134.

JOANNIS XII. (al. XIII.) Patricii Alberici filius, antea dictus Octavianus, Papa ab An. 955 ad 965. Ejus *Epistola ad Dunstanum* Archiep. Cantuariensem, de pallio, apud Baron. ad An. 960 n. 8 et *rescriptum pro excommunicatione Isnardi et sociorum*, in tomis Concilior. ad An. 955. Aliud *pro Ecclesia Glastoniensi* apud Guil. Malmesburiensem lib. 2. de gestis Anglorum c. 8. pag. 58 57. Baronius Joanni XIII. tribuit ad An. 971 n. 2.

* Praeter has epistolas geminae sunt aliae ad Aedredum Anglorum Regem quibus jura nonnulla Monachis S. Petri et Pauli conceduntur. Ex Wilkins Concil. Britan. tom. 1 pag. 253 ego in meo concilior. supplementum traduxi tomo 1 pag 1131 etc. Ibi pariter ad Rom. concilium sub hoc Pontifice dedi bullam eius super erectionem Archiepiscopatus Magdeburgensis et Episcopatus Merzeburgensis adiectis in fine canonibus nonnullis in eodem, ut non inaniter suspicatus sum, concilio sancitis.

JOANNES XIII. (al. XIV.) ex Narniensi Episcopo Papa ab An. 965 Jul. ad A. 972. Septembr. 6. Ex ejus quatuor Epistolis quae in tomis Conciliorum exstant, primam ad Episcopos citerioris Britanniae offert etiam Sirmondus tom. 3. Concil. Galliae pag. 596. In Concilio Ravennatensi Anno 967 *decretum* Joannis XIII. quo Heroldum deponit, et Fridericum ejus loco Episcopum Salisburgensem surrogat, Alia ejus *Epistola* in Concilio Romano An. 969.

* Alteram eius epistolam ad Galliarum Episcopos pro erectione Archiepiscopatus Ausoniensis dedi ego in meo Concilior. supplemento tom. 1 pag. 1141 acceptam ex Martene Vet. Mon. t. 1 pag. 223. Adieci et alteram pag. 1145 ex Spicilegio Lunigii derivatam pro institutione Archiepiscopatus Magdeburgensis. Denique et tres alias e Concilio Rom. an. 967 vel 968 habito directas, quarum altera est pro tuitione et munimine Parthenonis Grandersheimensis; altera pro tuitione Monachorum S. Maximini Trevirensium, tertia denique pro erectione Episcopatus Misnensis, quas omnes Lunigii Spicilegio debeo.

JOANNES XIV. (al. XV.) antea Petrus dictus, ex Episcopo Papiensi Papa ab An. 984. Octobr. 19 ad 985 20. August. cujus in carcere peremti nulla scripta referuntur, sicut nec JOANNIS Roberti F. qui A. 985 electus, ante inangurationem eodem A. obiit.

JOANNIS XV. (al. XVI.) antea Gerbertus, Papa ab An. 985. Decembr. 25 ad 996. Maji 7. Ex ejus Epistolis tribus quae in tomis Conciliorum leguntur, prima servata a Guil. Malmesburiensi lib. 2. de gestis Regum Anglor. cap. 10 pag. 53. Epistola ad omnes Archiepiscopos Galliarum, mentio in Synodo Mosomensi An. 995.

* Duplicem ejus Bullam pro asserendis juribus Monachorum quorundam ex Lunigii Spicilegio ego in meo concilior. supplemento tom. 1 pag. 1187 dedi.

JOANNES XVI. (al. XVII.) Placentinus: Antipapa An. 997 mox iterum dejectus ab Othone Imp.

JOANNES XVII. (aliis XVIII.) cognomento Siccus, Papa ab An. 1003. Maji ad Novembr. 5. ejusdem anni.

JOANNES XVIII. (al. XIX.) cognomento Fasanus, sive Fanassus, Papa ab A. 1003. Nov. 20. ad An. 1009. Jul. 18. ad quem scripsit Fulbertus Carnotensis. De eius *Epistolis* ad Graecos, aliosque, Lud. Jacobus pag. 136.

JOANNES XIX. (al. XX. confer Baronium ad A. 1022. n. 25.) ex Comitibus Tusculanis, frater Benedicti VIII prius invasor, deinde abdicans, postremo confirmatus Papa ex Laico. Vide Pagium ad A. 1024. num. 2. et de *Epistolis* ejus apud Andr. Duchesne, Lud. Jacobum pag. 136.

JOANNIS XXI. antea Petrus Julianus, Ulyssiponensis, Papa ab A. 1276. Sept. 13. ad An. 1277. Maj. 21. Hic est cujus varia scripta sub PETRI *Hispani* nomine feruntur, ut notavit Nic Antonius tom. 2. Bibl. vet. Hispanae pag. 50 seq. et Lud. Jacobus pag. 137 seq. Bibl. Pontificiae. Sunt vero *parva Logicalia, summulae Logicales, Dialectica, tractatus Logicales, problemata*, et *in Physiognomica Aristotelis. In Isaacum de urinis*, et in eundem *de diaetis universalibus et particularibus. Thesaurus pauperum* seu *de medendis humani corporis morbis. De formatione hominis. De oculis. De medenda podagra. In artem Galeni* et glossae *in Hippocratem de natura puerorum. Canones Medicinae. Consilium de tuenda valetudine* ad Blancham matrem S. Ludovici. Pontifex autem scripsit *Epistolarum* Volumen MS. in Bibl. Vaticana, et *Sermones*. (158. De Thesauro pauperum extat versio Italica Sec. XIV. qua usi auctores Lexici vulgo *Della Crusca;* cusa pluries Sec XV. sine nota, postea vero an. 1494 1500 bis in 4. 1531 1543 in 8.)

JOANNES XXII. Caturiensis Aquitanus, antea Jacobus de Eusa, corrupte Deusa, Ossa, Oza, Deusa, sutoris F. ex Cadurcensi Episcopo Papa a) ab A. 1316. August. 7. ad A. 1334 Dec. 4. Vitam ejus dedit Baluzius in Papis Avenionensibus tom. 1 scriptam a Joanne Canonico S. Victoris Paris. pag. 114 a Bernardo Guidonis pag. 134. et 153. a Veneto quodam coetaneo pag. 170 ab auctore appendicis ad Ptolemaeum Lucensem pag. 174. a Petr de Herentals, Canonico Praemonstratensi et Priore Floreffiensi pag. 181 et ab Amalrico Augerii, Priore B. Mariae de Aspirano pag. 186. *Articuli contra Monachos* prodiere Basil. 1585 8. Responsio ad *Michaëlem de Caesena* super proprio vel speciali vel communi in facto Minorum, MS. in Bibl. Bodlei. Damnatio *Marsilii de Padua* et *Joannis de Janduno* apud M. Antonium de Dominis VII. 7. 7. de Rep. Ecclesiast. Sed de pluribus illius *Epistolis*, *Constitutionibus*, *Extravagantibus*, *Sermonibus de B. Virgine* libello *de contemtu Mundi*, nec non *de arte metallorum transmutatoria*, videndi Lud. Jacobus et H. Warthonus, appendice ad Caveum. Ejus Bullas, Epistolas et Decreta CCCCXXI. ordine temporis digessit, et ubi singula exstent annotavit B. noster Staphorstius t. 3 hist. Eccles. Hamburgensis p. 142-171. Vide et Baluzii Misc. tom. 1. p. 165 195 et tom. 6 pag. 445 et tom. 2 Paparum Avenionens. pag. 298 305 308 339 341 368 374 388 391 398 402 435 439 476 479 547 548 556 *Sermones* autem duo MSti Cantabrigiae, quorum initium est: *Mementote operum Patrum quae fecerunt in generationibus suis*, produnt Joannis hujus sententiam *de visione beatifica seu faciali*, qua animas Sanctorum ante Judicium extremum frui est inficiatus. Illam sententiam a GUILELMO *Occam* aliisque confutatam, deinde morti vicinus retractavit. quae retractatio exstat apud Baluzium tom. 1 Papar. Avenionens. pag. 183. Confer S. Antonini Summam Hist. tit. XX. c. 7 § 15 tom. 3 pag. 333. Ed. Brownii t. 2 fasciculi rerum expetendarum p. 454 et Theophili Raynaudi Opera t. XII p. 432.

a) Non αὐτοχειροτόνητος. Vide Dominici de Colonia hist. literariam Lugdunensem tom. 2 p. 352. seq.

JOANNES XXIII antea Balthasar Cossa, Neapolitanus, Papa, ab A. 1410 Maj. 27 usque ad A. 1415 Jun. 12 ubi in Concilio Constantiensi *schisma de tribus Obedientiis* extinctum, et Johannis depositi loco Martinus V. electus fuit. Vide historiam ejus scriptam a Theodoro de Niem Frf. 1620 4. *Bulla convocationis Concilii Constantiensis* et *Sponsio de abdicando Papatu*, saepius edita in Actis Concilii Constantiensis, sicut et plura ejus *diplomata* in clarissimi Hermanni ab Hardt tom. I. parte 22 tom. II parte 9 et 10 tom. IV. pag. 45 50 51 53 102 114 219 221 222 224 259. tom. V pag. 162 tom. VI pag. 9 *Postulata pro sua securitate*. Tom. V pag. 162. De fuga ejus tom. IV pag. 59 67 83 suspensus a Papatu pag. 183 228 depositus pag. 236 292. Aliae *Epistolae* apud Bzovium et Raynaldum. Librum ejus *de varietate fortunae*, carmine scriptum memorat Lud. Jacobus pag. 140. *Bulla contra Wiclefum* inter Jo. Gersonis opera tom. V edit. novae pag. 615. Articuli LXX. contra eum et alii LIV in laudati Hardtii tom. IV pag. 196 230 238 253.

JOANNES *Abbaevillanus* supra t. 1 p. 1.

JOANNES *Abbas* circa An. 1070 cujus prologum ad Imperatricem viduam Henrici Imperatoris in *libellum precum variarum de scripturis et verbis Patrum* collectum in eorum praesertim Christianorum utilitatem qui contemplativae vitae sunt amatores, edidit Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 133. (edit. novae pag. 120) subjunctis etiam ex libello ipso speciminibus et excerptis, et ex libello altero *de Divina contemplatione*.

JOANNES *Abbas* S. Arnulfi Metis Ord. Bened. scriptor *Vitae Joannis Abbatis Gorziensis*, An. 962 in Actis Sanctor. tom. 3 Febr. 27 pag. 690-715 cum notis Bollandi: et in Mabillonii Sec. V. Benedict. p. 363. Idem scriptor post A. 961. *Vitae* et *translationis duplicis S. Glodesindis* Virginis, quae temporibus Childerici circa An. 608 traditur claruisse. Exstat apud Labbeum tom. 1 Bibl. novae MSS. pag. 720 740 et

in Actis Sanctor. tom. 6 Julii xxv p. 210 et in Mabillonii Actis Benedictinis Sec. 2 pag. 1087 et Sec. 4 pag. 435. Vitam, sed interpolatam ediderat Surius 25 Jul. testatus Codices quosdam auctorem habere quendam BERNARDUM Abbatem, alios ALBERTUM Monachum.

* Admonuisse juvat scriptorem hunc non quidem ex integro scripsisse vitam S. Glodesindis, sed ab alio quopiam forte a Bernardo Abbate vel Alberto Monacho datam reformasse, atque additis de suo quibusdam auxisse, uti monent authores historiae litterariae Gallicae tom. 6 pag. 423 qui et addunt Joannem hunc scriptorem in vivis adhuc egisse anno 987 sicut et anno 989 non amplius inter mortales extitisse.

JOANNES *Abbas* Casinensis, defunctus A. 934 cujus *Chronico* usum se testatur Leo Marsicanus. Vide Vossium pag. 763.

JOANNES *Abbas* Monasterii Nivicellensis circa An. 1460 cujus *Concordantiam Bibliae, et Canonum, decretorumque Pontificum* secundum ordinem Divinorum librorum, laudat Sixtus Senensis lib. IV Bibl. S. pag. 316.

JOANNES *Abbas* Petriburgensis sive de Burgo Petri, scriptor *Chronici Abbatiae Petriburgensis*, quod in An. 1368 desinens MS. exstat in Bibl. Cottoniana. Vide Oudinum tom. 3 pag. 1088.

JOANNES *Abgillus* supra tom. 1 pag. 2.

JOANNES *Abiosus,* Neapolitanus, Medicus et Mathematicus qui A. 1492 ad Alphonsum Siciliae Regem scripsit Dialogum in Astrologiae defensionem, cum Vaticinio a Diluvio usque ad A. C. 1702 Prodiit Venet. 1494 4. Vide Gesneri Bibl. pag. 380.

JOANNES Comes Bajocarum (de Bayeux) Episcopus ab 1061 *Abrincensis,* et ab A. 1068 ad 1079 Archiepiscopus Rotomagensis, de quo Sammarthani tom. 2 pag. 4 et tom. 1 pag. 575 seq. Ejus *liber de Officiis Ecclesiasticis* editus Rotomagi 1642 8 et integrior cum notis Jo. Prevotii. ibid. 1679 8.

JOANNES *Actonus* sive *de Actona,* supra tom. 1 p. 6 Lelando cap. 272 *Achedunus,* aliis ut H. Warthono ad Caveum A. 1222 ubi de Guilelmo Lindwoodo, *Joannes de Athona.* Apud Cangium vitiose *de Altono.*

JOANNES *Ægidius* seu *de Ægidio, Anglus,* Ord. Praed. supra tom. 1 pag. 21.

JOANNES *Ægidius, Augustinianus* sive Ord. Eremitarum S. Augustini, cujus expositiones quorundam Vocabulorum Biblicorum, et tractatus de accentu et dubitabilibus quaestionibus Bibliorum MSS. fuere in Bibl. D. Caroli de Montchal, Archiepiscopi Tolosani, teste Labbeo Bibl. MSS. pag, 205.

JOANNES *Ægidius, Zamorensis* Hispanus Ord. Minor. Ab Alphonso. X Sapiente, laudatissimo Hispaniae Rege praefectus filio Sancio. Huic (An. 1274 successori Patris) dicavit adhuc Infanti librum *de praeconiis* sive *laudibus Hispaniae,* quem citat Tostatus qv, 18 prologi in Josuam ut notavit Waddingus pag. 189. De hocce libro videndus Nic. Antonius tom. 2 Bibl. Hispanae veteris p. 71 seq. qui etiam longe plura Joannis hujus scripta commemorat, ut sex ingentibus Voluminibus traditam ab eo *Historiam naturalem, Ecclesiasticam et Civilem*: Ex quibus Naturalis historia MS. etiam in Bibl. Thoruniensi, teste Petro Jaenichio in notitia Bibl. Thoruniensis pag. 21. Caetera sunt: *Archivum* sive *Armarium Scripturarum.* Liber *de Mundi aetatibus et Viris illustribus. Indices historiarum* per literas alphabeti: *Summa de Casibus Conscientiae. Vita* Ledesmae oppidi Martyrum, *S. Leonardi,* utriusque *Nicolai* et *Bletissae. De corporis S. Ildefonsi revelatione in Ecclesia Zamorensi. Adversaria. Liber proprietatum.* Omitto additiones ad Juliani Petri Chronicon, quas tanquam commentitias explodit Nic Antonius pag. 83.

Joannes ÆSCHENDENUS, Baleo *Ashenton,* et *Joannes Estwode*: at in MSto Codice D. Jo. Andreae Gleichii, ȣ μακαρίτȣ Dresdae venali hoc ipso A. 1735 *M. Joannes de Eschenden* socius aulae de Mercone Anglus Medicus et Mathematicus *summam Astronomicam* sive *Judicialem de accidentibus Mundi* absolvit A. 1348 Scripsit et *de Conjunctione Martis et Saturni in Cancro*: et *de conjunctione Saturni et Jovis in*

Scorpione, cum *permutatione triplicitatis.* Et *de signis Conjunctionum. Elucidarium Planetarum. Regimen contra pestilentiam* et *de prognosticis aëris.* Vide Lelandum cap. 362 Baleum VI 13 et infra, *Joannes Anglicus,* Astrologus.

JOANNES *de Æsculo* sive *Æsculanus*, infra *Jo. Asculanus.*

JOANNES *Agnus* sive *Agnellus* Gaudensis, Ord. Præd. defunctus An. 1296. Ejus *Sermonem in die Natalis Domini* A. 1373 Parisiis habitum memorat Jacobus Quetif tom. 1 pag. 268 et *Formulam vitae cujuslibet Christiani* pag. 449.

JOANNIS *Ailinus* sive *Aylinus* Maniacus, Notarius scripsit *de bello Forojuliensi* ab A. 1381 ad 1387 tempore Philippi de Alenconio, Patriarchae Aquilejensis: quod manu exaratum exstat in variis Bibliothecis. Vide Vossium pag. 539. de Hist. Lat. Montfauconi Diarium Italicum pag. 137. et Diarium eruditorum Italiae tom. IX p. 160 seq.

* *Joannis Aylini* filius de Maniaco (ita enim scribendum est) dedit historiam belli Forojuliensis, quae licet in uno codice desinit in an. 1387 ex altero tamen Codice Antonii Bellonii Notarii ad an. usque 1389 perducitur, eidemque Joanni auctori tota debetur. Vulgatum est opusculum istud a Cl. P. F. Jo. Franc. Bernardo M· de Rubeis ord. Praedicator. viro inter paucos doctissimo, quem colo et observo in append. ad Monumenta Ecclesiae Aquilejensis pag. 44. etc.

JOANNES *Alcock* sive *Alkoch,* Eliensis in Anglia Episcopus circa A. 1490. Scripsit Commentarium *in Psalmos Poenitentiales*, Librum exhortationis ad Carthusianos sive *de monte perfectionis*: et *Sermones* ad populum. *Galli cantum* ad Verbi Ministros. *Abbatiam Spiritus S. Meditationes.* Vide Baleum VIII 57.

JOANNES *Aldarus* Historiographus Anglus, cujus librum *de Scotis et Hibernis* memorat Pitseus pag. 866 ex Balei XII 73 qui in Bibliotheca Regis Eduardi VI illum vidisse se testatur.

JOANNES *de Alemannia,* Ordinis Fratrum Eremitarum *Doctrinale* MS. memorat Sanderus in Bibl. Belgica tom. 2 p. 137.

JOANNES *Aleriensis* Episcopus. Supra *Joannes* ANDREAS tom. 1 pag. 86.

JOANNES *de Alerio* Tolosanus, Carmedefunctus A. 1321. Magister Generalis defunctus A. 1342 Scripsit *in Ecclesiasticum,* et *in IV libros Sententiarum.* Vide Trithemium cap. 571 Alegrium pag. 284.

JOANNES *de Ales,* sive *Alensis* Anglus. ad exemplum Bonaventurae scripsit *Psalterium B. Mariae Virginis*, et plerosque Psalmos Davidis ad ejus laudes retulit. Vide Pitseum pag. 867.

JOANNES *Algrinus,* Abbaevillanus, supra tom. 1 pag. 1.

JOANNES *de Allodio,* infra, *Joannes de Aurelianis.*

JOANNES *de Alneto,* Abbas Ursicampi Ord. Cisterc. interfuit Synodo Basileensi A. 1435. in eaque habuit Orationem editam Jacobo Hommey in Supplemento Patrum pag. 663-682.

JOANNES *de Altavilla,* infra *Johannes Hautevillensis.*

JOANNES *Altenstaig,* Mindelheimensis scriptor *Vocabularii Grammatici,* quod absolvit An. 1508 ediditque Basil. 1514 Argent. 1515 4. et *Vocabularii Theologici*, quod prodiit Haganoae 1517 fol. saepius deinde recusum ut Antw. 1576 Venet 1579 Lugd. 1580 et cum auctario *Joannis Tytz* Colon. 1619 fol. Vocabularium Theologicum dicavit Christophoro de Stadion, Episcopo Augustensi et *D. Joanni Staupitio,* quem magnis et dignis encomiis celebrat. Quae autem in praef. ad Vocabularium Grammaticum scribit *Henrico Bebelio,* praeceptori suo, non alienum ab instituto meo existimavi hic referre. *Collegi,* inquit, *vocabula quaedam quae ab adolescentia legi in quibusdam Grammaticis, et modo meis discipulis interpretatus sum*: *et praesertim ex* Prisciano, Donato, Sergio, Servio, Phoca, Capro, Pomponio Laeto, Aldo Manutio, Francisco Nigro, Curio Lanciloto, Mancinello, Pylade, Omnibono, Perotto, Venturino, Trapezontio, Guarino, Agretio et Diomede, *Grammaticis non poenitendis. Et praeterea legi* Jacobi Henrichmanni *et* Joannis Brassicani, *Tubingensis paedotribae Grammaticas institutiones, quantum mihi*

per otium licuit: qui duo fere ea quae alii in suis praeceptionibus Grammaticis vocabula posuerunt, in unum collegerunt. Ego igitur ea vocabula quae inveni in ipsis Grammaticis et aliis quibusdam quae mihi occurrerunt, fere pro virili parte sum interpretatus, et quam brevissime potui. Et ut ea eruditi et docti, non ut Catholicon, Hugutio, Mammatrectus, Papias, Graecista, Synthis, Joannes de Werdea, Brito, *caeterumque imperitum vulgus: sed ut* Aul. Gellius, Nonius Marcellus, Festus Pompejus, Pomponius Laetus, Nicolaus Perottus, Petrus Marsus, Varro, Ubertinus, Martinus Phileticus, Bartholomaeus Merula, Raphael Regius, Nestor, Calepinus *et* Curius Lancilotus *interpretati sunt, exposui, ut Lectori patescit: nihil novi scribens* etc.

JOANNES *de Altono*, Anglus JCtus apud Cangium vitiose pro *Joanne de Actono* sive *Actona*, qui circa A. 1290 vixit, et constitutiones Legatorum Pontificis in Angliam Othonis et Ottoboni illustravit, ut dixi tom. 1 pag. 6. Vide Baleum IV 66 Pitseum pag. 372 seq.

JOANNES *Amalius* sive *Amelinus* Gallus, Ord. Minor. Commentarios *Jo. Scoti* in IV libros Sententiarum aliaque ejus Opera per materiarum classes disposuit teste Waddingo pag. 190. Alius Joannes Amelinus sed junior, itidem Gallus nobilis, qui tempore Henri II. hoc est medio saeculo XVI scripsit Historiam Galliae, quam ineditam laudarunt Ronsardus, Crucimanius, aliique.

JOANNES *Amelinus* Cardinalis A. 960. quo titulo inter hos scriptores a Cangio referatur, nondum comperi.

JOANNES *Amundishamus* ad S. Albanum in Anglia Monachus An. 1450 scripsit *Jo. Frumentarii* Abbatis Acta, et pro eodem *Clypeum* sive Apologiam: et *Epistolas*, diversique generis carmina. Vide Possevinum ex Balei VIII 15.

JOANNES *de Anania* in Latio: Archidiaconus Bononiensis et Juris Canonici Professor defunctus A. 1455. a) Laudantur ejus *Consilia*, *Quaestiones Juridicae*, *glossae in Decretales:* et *Lectura super Decretum*. Tractatus *de jure Patronatus.*

a) Ita Gayalupius et ex Etchardo Gesnerus. seq. Pancirollus III. 34. habet A. 1456.

* Ejus consilia impressa sunt cura et studio Ludovici Bolognini Bononiens. *cum suis additionibus* in fol. Bononiae per Magist. Henricum de Colonia an. 1481. In Cod. MS. 433 Felini extat Joan. de Anania Archidiaconi Bononiensis scripturam *super quinto Decretalium.* In fine ejus legitur. *Explicit primum opus clariss. in utroq. jure Doct. D. Reverendi Joan. de Anania dignissimi Archidiaconi Bononiensis super quinto Decretalium. Tum* succedit *Tractatus brevis de Jubilaeo* eiusdem authoris. Annum obitus ejus et summam gestorum tangit F. Hieronymus de Bursellis in annal. Bonon. Rer. Ital. tom. XXIII. an. 1457. *Dom Jo. de Anania Archidiaconus Bononiensis et famosiss. Canonista mortuus est et magno cum honore sepultus in Ecclesia Servorum S. Mariae. Hic vivens omnia bona sua pauperibus erogavit. Ante clericatum uxorem habuerat. Factus clericus nostram civitatem lectionibus, consiliis et bonis operibus illustravit. Eum tota civitas et maxime pauperes ploraverunt.*

JOANNES *de Ancona* inter Summistas et Canonistas citatur in summa Angelica Angeli de Clavasio qui A. 1485 diem obiit. MStam in Bibliothecis Belgii memorat Sanderus pag. 177 ejus *summam super Jus Canonicum*.

JOANNES *Anderus* apud Cangium vitiose excusum pro *Joanne Arderno*, sive Arderne de Neuvar, Lincolniensi, scriptore Chirurgiae practicae circa Annum 1370. Vide Baleum IX 33 Pitseum pag. 560.

JOANNES *Andeversus* Anglus, Theologus Oxoniensis, cujus *Lecturam in Apocalypsin* et *Postillas in Sacram Scripturam* memorat Pitseus p. 868 ex Possevino et Balei X 90.

JOANNES *Andreas*, Episcopus Aleriensis, de quo supra tom. 1. pag. 86.

JOANNES *Andreae*, JCtus Bononiensis, *fons Canonum*, quem Julius Niger Florentinis accenset in historia scriptorum Florentinor. pag. 263. (160 et recte Vid. Ph. *Villani de famosis Civibus.*) Obiit Bononiae Anno 1348 ubi hoc ei positum epitaphium;

Hic jacet Andreae notissimus orbe Joannes
Primus qui sextum Clementis, quique Novelais,
Hieronymi laudes, Speculi quoque Jura peregit,
Rabbi Doctorum, Lux, Caesar, normaque morum.

Vide de ejus scriptis Trithemium c. 574. Gesnerum, Possevinum, Labbeum tom. 1 de S. E. pag. 512. II. Warthonum ad Caveum, et B. Nic. Staphorstii nostri Hist. Eccles. Hamb. tom. 3 pag. 138 140 seq.

JOANNES *Andreas Balleonius*, Episcopus ab A. 1434 ad 1449. Perusinus, quem Leges pro clericis Perusinis publicassse et multa in Jure Canonico scripsisse tradit Augustinus Oldoinus in Athenaeo Augusto pag. 165.

JOANNES *Andreas Palatius;* qui ex antiquioribus Codicibus Perusinis composuit Vitam Constantini Perusini Episcopi ut ajunt et M. Antonini Imp. temporibus Martyris, editam a Surio 29 Januar. et in Actis Sanctor. tom. 2 Januar p. 932-937.

JOANNES *Angelus*, Bavarus ex Aichen, Medicus et Mathematicus Viennensis. Supra tom. 1 pag. 269. Vide et Gesnerum, qui ejus Ephemerides, Prognostica et tabulam aequationum motuum planetarum affectam memorat.

JOANNIS *Angeli Terconi* de Leonissa, Ord. Minor. *de Inferno, purgatorio et paradiso* opus scriptum Romae A. 1409 fuit MS. Hafniae in Bibl. Rostgaardina.

JOANNES, a Patre Rege *Joannes sine terra* a) cognominatus, postea Rex Angliae ab A. 1199 ad A. 1215 cujus statuta apud Guilelmum Lambardum in Archaenomia et alios Legum Anglicanarum digestores atque interpretes, quos laudavi t. 1. p. 97.

JOANNES *Anglicus*, supra inter Pontifices Romanos *Joannes* VIII.

JOANNES *Anglicus* qui ad Henricum Anglorum Regem misit *Opusculum Dominicae Orationis expositorium* metro elegiaco. Epistolam dedicatoriam edidit Edmundus Martene tom. 1 anecdotor. p. 604.

JONNES *Anglicus,* Astrologus, scriptor *Summae Anglicanae Astrologiae Judicialis de accidentibus Mundi in generali* et *in particulari*, editae Venet. 1489 fol. Vide Augusti Beyeri memorias librorum rariorum pag. 74 et quae notavi supra, (idem enim est) *in Johanne Æshendeno.*

a) Jo. Brompton pag. 1281. Chronici.

JOANNES *Anglicus,* clarus circa A. 1390 cujus *Commentarius super Quaestiones Joannis Scoti de universalibus* prodiit Alosti in Flandria A. 1489.

JOANNES *Anglicus* cujus librum *de Musica arte* celebrat Anonymus Mellicensis c. 59.

JOANNES *Anglicus* Medicus scriptor *Rosae Anglicanae* sive practicae Medicinae a capite ad pedes, Venet. 1516 f. Vide Gesnerum.* Vix alterius esse puto Joannis Anglii opusculum quod exhibet MS. Codex 929. Latinus Biblioth. Universit. Taurinensis sub hoc titulo: *Compendium Joannis Anglii indagatione Trinitatis.* Impiam comparationem instituit inter tria experimenta Chemicae artis et Trinitatem divinarum Personarum. Floruit scriptor iste circa an. 1320 et Rosae prior editio prodiit Papiae 1492. fol. et correctior dein Augustae Vindelic. 1595 in 4 curante et adnotationes suas addente Phil. Scophio Med. physico Durlecensi.

JOANNES *Anglicus,* Ord. S. Francisci, Theologus Paris. auctor *Summae Joannae* in Magistrum Sententiarum. Idem scripsit *in Apocalypsin Joannis. De perfectione Evangelica, Manipulum Florum. Sermones.* Vide Pitseum pag. 867.

JOANNES *Anglicus*, sacrae Theologiae Doctor, cujus eodem Pitseo teste est *Rosarium B. Mariae Virginis* de quatuor ejus festis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationes et Assumtionis.

JOANNES *Anglicus* scriptor *de vitis Sanctorum Wallensium* sive Cambrobritannorum, unde Cambrobitannum patria conjiciebat Pitseus pag. 868. Vossio pag. 708 idem videtur opus signari a Briano Twyno lib. 3 de antiquitatt. Academ. Oxon. pag. 387 ubi quaedam de S. Frideswida refert ex Joannis Angli *libro XVII parte 2 historiae aureae.*

JOANNES *Annaevillanus,* infra *Jo. Hanvillensis.*

JOANNES *Annius,* aliis *Nannius,* Viterbiensis, Ord. Praed. apud Sixtum IV et Alexandrum VI gratiosus, et Magister sacri Palatii obiit Romae An. 1502 aetatis 70.

De eo Jacobus Echardus tom. 2 de scriptoribus Dominicanis pag. 4 seq. Baelius in Lexico, voce *Nannius*. Niceronus in limine tomi XI memoriarium de viris eruditis editarum Gallice, Paulus Colomesius pag. 9. Italiae Orientalis: Daniel Guilelmus Mollerus diss. de Annio, Altdorf. 1692 4. et Laur. Arrhenius Upsal. 1727 8. Hendreichius pag. 199 pandect. Brandenb. Martinus Hanckius libro utroque de Romanarum scriptoribus cap. 49. Nihil notius est ejus *libris XVII Antiquitatum variarum* editis primum una cum commentariis Annii Rom. 1497 fol. et sine iisdem Venet. 1498 ut secutas editiones omittam, de quibus dixi lib. IV. Bibl. Latinae, cap. 31 ubi etiam de dubia fide quam viri docti illis monumentis tribuunt quae Annius sub antiquissimorum scriptorum Graecorum, Latinorumque nominibus protulit. Confer Burchardi Gotthelf Struvii diss. de doctis impostoribus, B. Jo. Hubneri nostri Bibl. historicam Hamb. tom. 1 pag. 231 seq. Caeterae Annii lucubratione sunt: *De futuris Christianorum triumphis in Turcos et Saracenos*, ad Sixtum Papam IV et Reges, Principes ac Senatus Christianos. Genuae 1480 4 atque inedita *commentaria in universos libros Biblicos. Tractatus de Imperio Turcorum*. Volumen libris LXX distinctum *de antiquitatibus et gestis Etruscorum. Chronologia nova*, in qua Eusebii Caesariensis Chronologiae errores emendare tentavit. *De correctione typographica Chronicorum. De dignitate officii Magistri sacri Palatii.*

JOANNIS *de Annosis* sermones MSS. memorat Sanderus tom. 2. Bibl. Belg. pag. 218.

JOANNES *Antiochenus* Patriarcha in Concilio Constantiensi pro Papae potestate supra Concilium acriter contendit Vide schedulam ejus apud Bzovium ad A. 1415. n. XXXVII et in Hermanni ab Hardt Actis illius Concilii tom. 2 pag. 296. Idem tom. 6 pag. 63 seq. exhibet quae Petrus de Alliaco adversus Johannem huncce disputavit.

* Quamvis Joannes iste in Concilio Constantiensi Rom. Pontificis partibus facit; in Conc. tamen Basileensi pro superioritate Concilii supra Pontificem peroravit ea oratione quae legitur in Labbeo Venetae edit. tom. XVIII p. 706 tom. IV 108.

JOANNES *Antonius Campanus*. Supra, CAMPANUS.

JOANNES *Antonius Flaminius*. Supra, FLAMINIUS.

JOANNES *Antonius Pantheus*, infra, PANTHEUS.

JOANNES *Aquaedunus* Lelando cap. 538 idem qui c. 542 illi *Jo. Heinodunus* et Sixto Senensi lib. IV. pag. 333. *Hayton*: Alegrio pag. 334. *Hainctonus*, Pitseo p. 612 et Bzovio ad An 1429 n. XCIX. *Haintonus* nuncupatur: Anglus, Carmelita, Theologus Oxoniensis. circa An. 1428 scripsit *in Evangelium Matthaei, Lucae* et *Joannis*. In *Epist.* Canonicam *Joannis*, commentarios duplices. In *Epist.* 1 et 2 *ad Corinthios* et *ad Hebraeos:* et Lectiones XLVI. In *Apocalipsin*. Tum *Collectanea*, *Conciones* et *Collationes. Quaestiones Theologicas*, et *Summam Virtutum* sive de Virtutibus. Diatribam *in vesperiis Gualteri Hunti*, qui diu post Joannem An. 1478 aetate decrepita diem obiit.

JOANNES *de Aquaveteri*, sive Palaeonydorus, (Oudewater) Batavus Carmelita Mechliniensis, amicus Trithemii, defunctus An. 1507 aet. 74. Auctor. *fasciculi temporum quadripartiti* de origine, statu et profectu sui Ordinis. Scripsit et *Manuale*, et *propugnaculum Carmelitarum* de illorum antiquitate et sanctimonia: Dialogum inter Carmelitam et Carthusianum: De puritate conceptionis B. Mariae Virginis: Sanctorum sui Ordinis. Sermones de tempore et Sanctis. Epistolas, quae plures fuere apud Jo. Baleum. Vide H. Warthonum ad Caveum, et Valerium Andream pag. 547.

JOANNES *Aquilanus*, ex Aquila civitate Regni Neapolitani, Ord Praed. obiit Ferrariae 1479 cujus *lima vitiorum* sive Sermones quadragesimales prodiere 1497 1501 1568 1576 8. Vide Jac. Quetif t. 1. p. 856.

JOANNES *Archicantor* Romanus, et Agathonis Papae ad Anglosaxones legatus scripsit librum *de Synodo Anglorum* Hatfeldensi, alterum *de* Catholica *eorum fide*.

Alium *de Romana Synodo*. Librum item *de modulandi et legendi ritu*. Vivebat An. 679. Haec Possevinus ex Balei XIII. 7. De illa Romana Synodo An. 679 vide Cambdeni tom. 1. Concil. Britanniae pag. 157 et de Synodo Hedtfeldensi pag. 168. Guil. Malmesburiensem lib. 3. de gestis Pontificum Anglor. pag. 263.

JOANNES *Archidiaconus* Barensis, scripsit translationem et miracula *Nicolai* Archiepiscopi et Confessoris de Myrea in Barum, ex cujus libro excerpta quaedam habet Ordericus Vitalis lib. VII. Hist. Eccles. pag. 653 ad An. 1087 adde Surium et Acta Sanctor. 9. Maji et Pagium ad Anno 1087 n. IX. Vitam *Sabini*, Canusini Episcopi, An. 565 defuncti, cuius pars apud Baron. ad 1091 n. 16. Ughellus tom. 7. p. 605. integra praemisso in Sabini laudem elegiaco carmine in Actis Sanctor. tom. 2. Febr. 9. pag. 328 331.

JOANNES *Archidiaconus* Bononiensis, supra *Jo. de Anania:*

JOANNES *Archidiaconus* Ecclesiae cujusdam Horit, Seculo XIII. apud Trithemium cap. 401 de S. E. ubi eius Epistolas et librum de processione Spiritus S. adversus Graecos memorat.

JOANNES *Archidiaconus* de Kikullew in Transsylvania, et vicarius Archiepiscopi Strigoniensis, notarius Regis Hungariae *Ludovici*, post eius obitum, qui in Annum 1382 incidit, *vitam* eius *et res gestas* tradidit amplo commentario, quem integrum Joannes Thuroczius Chronico suo rerum Hungaricarum inseruit, quod Matthiae Corvino dicatum prodiit Augustae Vindel 1488 fol. Vide Oudinum tom. 3, p. 1167 et 2694,

JOANNES *Archidiaconus* Romanus, a quo vitam Gregorii M. scriptam laudat Anonymus Mellicensis cap. 60. Vide infra *Joannes Diaconus*.

JOANNES *Archithrenius*, infra *Joannes Hautevillensis*.

JOANNES *Arculanus* sive *Herculanus* Veronensis, qui artem Medicam docuit Bononiae, Patavii, Ferrariae, scripsit expositionem *libri IX. Rhasis* sive *Rhazae ad Almansorem*, Editam Venet. 1493 fol. Vide Gesnerum et de ejus *practica Medica*, et expositione *in primam Fen quarti Canonis Avicennae*, Bibliothecarum Medicarum scriptores, qui notant obiisse An. 1484.

JOANNES *Arderne*, supra, *Joannes Auderne*.

JOANNES *Aretinus*, infra TORTELLIUS.

JOANNES *de Argomanes* Hispanus Ord. Minor. circa An. 1500 scriptor *speculi Fratrum Minorum* et *Clypei sacrarum monialium* quae excusa feruntur in Enchiridio Fratrum Minorum. Omitto ejusdem de valore indulgentiarum editum Hispanice. Vide Waddingum pag. 190 Nic. Antonium tom. 1, pag. 483.

JOANNES *Argyropylus* Byzantius, Florentiae in aula Cosmi Medices gratiosus, principes Juventutis aliosque nobiles Juvenes Graecas et Latinas litteras docuit, inter instauratores litterarum jure suo numerandus. Diem obiit Romae An. 1486 aetat. 70 de quo Jovius et tom. 1. pag. 269. Isaacus Bullartius in Academiae scientiarum, Oudinus tom. 3, pag. 2609 et Nic. Comnenus tom. 2, hist. Gymnasii Patavini pag. 179 seq. Lambecius tom. VI. p. 278. ubi et eius effigies aere descripta conspicitur. Quae Latine vertit et quae Latine vel Graece scripsit, relata a me sunt tom. X. Bibl. Graec pag. 426. Sed Gesnerus etiam JOANNIS *Argyropuli* junioris facit mentionem, itidem Graeci, cujus est versio Latina libri *Aristotelis de Interpretatione*.

JOANNES *de Aridavilla*, infra, *Joannes Dritonus*.

JOANNES *S. Arnulphi*. Supra *Joannes Abbas*.

JOANNES *de Arundine*, Brugensis, Carmelita, Episcopus Usbitensis, suffraganeus Trajectensis Episcopi, defunctus Trajecti An. 1497. a) de quo Trithemius cap. 907. de S. E. et de Scriptor. German cap. 250. Valerius Andreas pag. 449 et Franc. Sweertius pag. 399. Scripsit *in librum Sapientiae* et *in Epistolam Pauli ad Romanos*. Deinde *sermones in Psalmum* CXIX. *Beati immaculati*, et *Sermones de tempore* ac *de Sanctis*.

a) Non 1490. ut Alegrio traditum pag. 397. paradis. Carmelitici decoris.

JOANNES *Asculanus*, aliis *Æsculanus*, vel *de Esculo*, *Esculanus*, Ord. Minor. circa An. 1270 cujus *Epistolas* et *sermones de tempore* et *de Sanctis* memorat Waddingus pag 191 ibique et pag. 173 arguit Trithemium cap. 473. Possevinum aliosque qui hunc Joannem confunderunt cum HIERONYMO *Asculano*, ejusdem aetatis viro, qui in Generalatu Ordinis Franciscani A. 1274 S. Bonaventurae successit, et a Gregorio X. missus CPolin Graecis persuasit ut ad Concilium Lugdunense venirent, obiitque An. 1292. scriptis postillis *in varios S. Scripturae libros*, commentariis *in IV. libros Sententiarum*, *Sermonibus* de tempore et de Sanctis, *Epistolisque* compluribus et in his una insigni *ad Patres Capituli generalis Patavini.*

JOANNES *Ashenton*, supra, *Jo Æschedenus.*

JOANNES *Asbwarbius,* Theologus Oxoniensis circa An. 1380 Jo. WICLEFO favens, adversarius RICHARDI *Maydestoni*, scripsit *contra Fraterculorum mendicitatem. Determinationes Scholasticas. Ordinarias Quaestiones. Quodlibeta Theologica. De tripliei necessitate. Sermones ad Clerum. Ad populum Sermones. Lecturas Scripturarum* Vide Baleum VI. 85,

JOANNES *Asser* sive *Asserius* de quo supra in ASSERIO t. 1 pag. 135 ubi dictis adde quod Lelandus c. 119 qui *Asserionem* etiam appellat, tribuit ei *aurearum sententiarum enchiridion,* cui *Homilias* atque *Epistolas* addunt Baleus II. 25 et Pitseus p. 172.

JOANNES *Astonus* Anglus An. 1382 de XXIV. articulis haereseos Oxonii accusatus, scripsit *contra usurpationes Cleri*: *De recto usu Sacramenti. Rationem suae Fidei. Contra mendicitatem otiosam*: et *ad populum Conciones.* Vide Baleum VI. 78.

JOANNES *de Athona.* Supra, *Joannes Actonus.*

JOANNES *Atinensis* in Italia Episcopus An. 1087 cuiusque Sermonem brevem *de SS Martyribus Atinensibus, Marco, Nicandro et Marciano* edidit Ughellus tom. 6. Italiae S. pag. 437 438.

JOANNES *Aventinus.* Supra, AVENTINUS.

JOANNES *Avonius*, Northamptoniensis Anglus, Carmelita, Theologus et Mathematicus defunctus An. 1350. Scripsit praeter alia Mathematica, *Calendarium Ecclesiae perpetuum,* illustratum postea a Richardo Maydestono: *Annulum Philosophicum,* sive Astronomicum, metiendae Solis altitudini a), cujus primus ille artifex traditur extitisse: denique *Sermones.* Vide Alegrium pag. 297 Baleum V. 75.

JOANNES *de Aurbach* (vitiose apud Possevinum, et Hendreichium *de Ausbach*) Bambergensis Presbyter circa An. 1469 b) cujus *volumen de Sacramentis* laudant Trithemius cap. 727. de S. E. et de Germanis c. 194. Guil. Eysengrenius p. 173.

JOANNES *de Aurelianis*, sive *Joannes de Allodio*, Aurelianensis dioecesis sive *de Allodiis*, Theologus, Canonicus et ab An. 1271 Cancellarius Parisiensis, postea An. 1281 ingressus Ordinem Praedicatorum, de quo Bulaeus tom. 3. Academ. Paris. pag 447. Oudinus tom. 3. pag. 489. *Sermones* ejus quosdam memorat Jacobus Quetif t. 1, p. 268 385 et 499 et *Distinctiones* p. 500.

JOANNES *Aylinus*, supra *Joannes Ailinus.*

JOANNES *de Babenberg* sive *Bamberg* Ord. Minor. circa An. 1500 Guardianus Cizensis, cuius memorantur *Quaestiones disputatae*; *Collationes ad Clerum*, *Sermones de tempore* et *de Sanctis.*

JOANNES *Baco* sive *Bacondorpius.* Supra tom. 1, pag. 152.

Magister JOANNES *de Bado aureo*, qui dogmata ac traditiones Doctoris et praeceptoris sui FRANCISCI *de Foveis* secutus ad instantiam ANNÆ, Reginae Angliae seculo XVI. seripsit tractatum de armis et insigniis, in quo subinde provocat ad BARTHOLI JCti tractatum de armis pingendis, eumque supplet ac corrigit. Lucem vidit cum Henrici Speelmanni Aspilogia, Lond. 1654 fol.

JOANNES *Balbus* sive *de Balbis* supra tom. 1. 153.

JOANNES *Ballester* sive *Ballistarius*, Catalanus origine, domo Balearis Majori-

a) Vide Christiani Wolfii Lexicon Mathemat. in voce *annulus*, et Louis Feuillée pag. 54.

b) Non 1415. ut Canglus.

censis, Prior Generalis Carmelitarum defunctus An. 1374 Ejus scripta : *super IV. libros sententiarum* Commentarius. *Constitutionum Ordinis sui* libri duo. *Sermones* de tempore et de Sanctis. Et *de bello forti militantis Ecclesiae et Antichristo*, sive *de novissimis temporibus* ad Gregorium XI. Vide Trithemium cap. 646. Nic. Antonium tom. 2. Bibl. Vet. Hispanae p. 144 et Alegrium pag. 298 ubi emendandum quod traditur obiisse An. 1347.

JOANNES *Bamptonus* Anglus, Carmelita Philosophus et Theologus Cantabrigiensis circa An. 1340 cujus *Scholasticae Lecturae Theologiae*, et liber sive *Octo quaestiones de Veritate propositionum* memorantur apud eundem Alegrium pag. 289 nec plura Baleus X. 86 ex Lelando, nec Pitseus p. 449.

* JOANNES *Baptista* infra JOAN. B. *Caccialupus*.

JOANNES *de Bardea*, infra *Joannes de Werdea*.

JOANNES *Barensis*. Supra *Joannes Archidiaconus*.

JOANNES *Barninghamus* non diversus a *Bernegamo*, Sudvolciensis Anglus, Carmelita docuit Oxonii, diemque obiit Gippovici An. 1448. Scripsit *de enormitate* sive *horribilitate peccati*, Quodlibeta, super IV libros Sententiarum, Quaestiones Ordinarias et librum sacrarum Concionum. Vide Lelandum cap. 554 et Baleum VIII. 11. qui adiungit *Lecturas Scripturarum*, ut ex 2 pag. 1435 et Baleo Pitseus pag. 640.

JOANNES *de Barro*, cujus Magicos libros superstitiosos combustos Parisiis memorat Joannes Gerson in Trilogio Astrologiae Theologizatae, propositione IV tom. 1 Opp. edit. novae pag. 205 *quales*, inquit, *reperiuntur adhuc in Hispania, sub titulo Schem Hammpehorasch (nomen Dei tetragrammaton)* Confer celeberrimi nostri Jo. Christoph. Wolfii Bibl. Hebraeam t. tom. 3 pag. 436.

JOANNES *Barwic* sive *Barwicanus*. Lelando c. 329. *Brenlanlius*, aliis corrupte *Breulanlius*, sive *Brenlanlius*, Anglus, Ord. Minor. Theologus Oxoniensis circa Annum 1340. Scripsit *super prognosticis Astrologorum*, laudatus a Joanne Pico libro duodecimo contra Astrologos: *Lecturas Scholasticas: Ordinarias Quaestiones de formis* et Commentarios *in Magistrum Sententiarum*. Vide Waddingum p. 192 Baleum V 43 e Lelando, et Pitseum pag. 439 seq. qui pag. 443 perperam veluti diversam ab illo refert *Joannem Brenlanlium*, qui contra praenotiones Astrologorum scripserit.

JOANNES *de Basilea* sive *Basileensis*, Augustinus, qui Capitulum generale Basileense direxit A. 1381. Magnis laudibus virtutis et doctrinae mactatur a Philippo Elssio in encomiastico Augustiniano pag. 349. Scriptorum ejus nullum reperio nisi Commentarium *in quatuor libros Sententiarum*.

JOANNES *Basilius* Patavinus, Praetor Ariminensis, Cosmographus ac Jurisconsultus, clarus circa A. 1310 scripsit *de familiis Patavinis*, de quo opere Vossius pag. 798.

JOANNES *Basingus* a) sive *de Basingstoke*, *Basingstochius*, Anglus, Archidiaconus Legeriamus sive Legrecestriae, Graecis litteris operam dedit Athenis, eruditus a *Constantina* nobili foemina, multaque inde exemplaria Graeca secum attulit in Angliam, inter alia *Testamentum XII. Patriarcharum*, quod Latine vertit Robertus Lincolniensis Episcopus. *Graecam* quoque *Grammaticam* sive *Donatum Graecorum*, in studiosorum usus transtulit et *Concordiam Evangeliorum* ex Graeco vertit. Scripsit praeterea *Conciones, particulas sententiarum per distinctiones* etc. Obiit An. 1252. Vide Lelandum c. 246 Baleum IV 15 Pitseum pag. 325 326 et qui ante illos diligentius de hoc Basingo tradidit Matthaeum Paris ad A. 1252 ubi inter alia refert eum *figuras Graecorum numerales et eorum notitiam et significationes in Angliam portasse et familiaribus suis declaravisse*, *per quas figuras etiam litterae repraesentantur. De quibus figuris hoc maxime admirandum, quod unica figura quilibet numerus repraesentatur, quod non est in La-*

a) Apud Hendreichium pag. 447. perperam recensentur ut quo distincti scriptores *Basingus et Basistoches*.

tino vel in Algorismo. De Magistra vero Joannis ita idem Matthaeus: *Quaedam puella, filia Archiepiscopi Atheniensis nomine CONSTANTINA, nondum vicesimum agens annum, virtutibus praedita omnem trivii et quadrivii* a) *noverat difficultatem: unde alteram CATHARINAM consuevit dictus Magister Joannes jocose, propter suae scientiae eminentiam appellare. Haec magistra fuit Magistri Joannis, et quicquid boni scivit in scientia, ut saepe asseruit, licet Parisiis diu studuisset et legisset, ab ea mendicaverat. Haec puella pestilentias, tonitrua, eclipsin, et quod mirabilius fuit, terrae motum* a) *praedicens, omnes suos auditores infallibiliter praemunivit.*

JOANNIS *Bassetus* Anglus Historicus a Cangio memoratus non Latine sed Anglice *Chronicon* suum scripsit, de quo Pitseus pag. 868.

JOANNES *Bassolis* Ord. Minor. discipulus Doctoris Subtilis Jo. Scoti qui A. 1308 obiit, ipse inter Scholasticos *Doctor Ordinatissimus.* Exstant ejus *Commentaria* sive *Lectura in IV libros Sententiarum,* Paris. 1517 *Miscellanea. Philosophica et Medica.* ibid. Vide Labbeum t. 1 de S. E. p. 516.

JOANNES *Bastonus,* infra. *Jo. Bestonus.*

JOANNES *Bate* seu *Balus* Anglus, Graecae linguae studiosus, Carmelitarum Eboraci Prior, defunctus circa An. 1429 Scripsit *De constructione Partium orationis. Super Universalia* Porphyrii, *super Praedicamenta* Aristotelis. *In sex Principia* Gilberti Porretani. *De assumtione B. Virginis. Sacras Conciones.* Vide Lelandum c. 525. His Baleus VII 79. addit: praeter *De anima Quaestiones, Pro introitu Sententiarum. Actus ordinarios. Encomium Theologiae. Replicationes argumentorum, Compendium Logices. Sermones per annum. Sermones ad Clerum Oxoniensem. Collationes Synodales,* et *Determinationes.* Eadem Pitseus pag. 614.

JOANNES *S. Bavonis* apud Gandavenses in Flandria Abbas Ord. Bened. circa An. 1390 scripsit *de esu carnium* sanis monachis illicito: *declarationes in regulam S. Benedicti,* et *Quaestiones Sententiarum.* Vide Trithemium cap. 691 de S. E. et de scriptoribus Germanis cap. 142.

JOANNES *Becanus, de Beca,* sive *Beka* Canonicus Trajectensis circa A. 1350 Scripsit ad Guilelmum Hollandiae Comitem, *Chronicon Trajectinorum Episcoporum Comitumque Hollandiae* a primo illius Ecclesiae Episcopo S. Willebrordo usque ad A. 1346 a) dicatum Joanni de Arkel Episcopo Trajectensi et Wilhelmo Duci Palatino sive Principi Hollandensis Provinciae. Hoc in lucem dare, quinque MSS. Codicibus usus paravit et ad A. 1574 continuavit Suffridus Petri, ipsoque extincto dedit Bernardus Furmerius Leovardiensis, Franeker. 1611 4 Longe meliorem deinde editionem, cujus spes facta erat pag. 529 a Vossio, debemus Arnoldo Buchellio, qui cum notis historicis vulgavit Ultrajecti 1643. in 4. in Corpore Historiae Traiectinae b) Caeterum quae in utraque editione leguntur post illa verba ad An. 1346 quibus Margareta Imperatrix in Bavariam rediens traditur filio suo Wilhelmo, Comitatus Hannoniae, Hollandiae, Zelandiae et Frisiae gubernandos commendasse, illa addita esse ab aliena manu, et partim demum post A. 1393 docet Jo Baptista Solerius in disquisitione inserta Actis Sanctor. tom. 7 Junii pag. 175.

JOANNES *Beccodunus* sive *Bectonus* Anglus utriusque Juris Doctor et Episcopus Herefordiensis in aula Henricii tertii circa A. 1260 filiique Eduardi gratiosus, diem obiit An. 1275. Hujus librum cui titulus *Briton* sive *Bretoun, de legibus Anglicanis* laudant Lelandus c. 292 Baleus IV 44 Pitseus pag. 357.

JOANNES *de Beets* sive *Beetz,* Barbantus Ord. Carmelit. Theologus Lovaniensis

a) Notum est *Trivii* nomine intelligi Grammaticam, Logicam, Rhetoricam: *Quadrivii* vero quatuor disciplinas Mathematicas, Arithemeticam, Geometriam, Astronomiam, Musicamque.

b) Confer quae de signis terrae motus futuri, Plinius lib. 2. cap. 81. Et de ratione eum praesentiendi Mem. litterarias Trevoltinas A. 1705. pag. 189. edit. Amst.

a) Trithem de S. E. c. 621 de S. Germ. c. 115.

b) Valerius Andreas pag. 456.

defunctus An. 1470 b) de quo Trithemius cap. 842 de S. E. de script. Germ. c. 209 Valerius Andreas pag. 457. etc. Scripsit *Praeceptorium Divinae Legis* sive *Commentariorum in Decalogum* libros X Lovan. 1486 fol. Scholasticam expositionem sive Postillam in *Epistolam Pauli ad Romanos. Quaestiones varias disputatas.* Librum *de Sacramento Altaris Sermones de tempore* et *de Sanctis*

JOANNES *de Beka,* supra *Jo. de Beca.*

JOANNES *Belethus,* Pitseo *Bilethus*, qui Anglusne fuerit an Gallus, dubitat. Certe Theologicae Scholae Rector Parisiis, ut testatur Henricus Gandavensis cap. de S. E. Deinde in Ecclesia Galliae Ambiensi floruit teste Alberico in Chronico ad An. 1182. pag. 363 Scripsit *Rationale Divinorum* sive *summam de Divinis Officiis*, editam Antwerp. 1553. Cornelio Lautimanno curante, et Dilingae atque iterum Antwerp. 1570 8 et cum Durandi Rationali Venet. 1572 1581 4. Lugd. 1565 1583 et 1592 1612 8. Praeterea *sermones* ejus varios memorat Trithemius cap. 415 Pitseus etiam *Gemmam animae,* laudato teste Henrico de Gandavo, sed in cujus Catalogo de illa ne γρῦ.

JOANNES *Belius* sive *Bellus* Canonicus ad S. Lambertum Leodicensis et Joannis Hannoniae Comitis a Consiliis circa A. 1326 cujus *Chronicis* se usum profitetur Joannes Frossardus. Vide Valerium Andream p. 457.

JOANNES *de Bello monte,* Rector Universitatis Magistrorum et Scholarium Parisiis studentium A. 1410. cujus scriptum de eo *an liceat gravato debitis intrare religionem,* exstat inter Jo. Gersonis Opera tom. 2 edit. novae pag. 736 seq.

JOANNES *Belmeis* Anglus, Eboracensis Thesaurarius circa A. 1194. Hunc Joannes Sarisberiensis lib. VIII policratici cap. 7. pag. 555 laudat *virum singularis eloquii, et qui omnibus*, inquit, *quos viderim, trium linguarum gratia praestat.* Apud Baleum (ex Lelando) III 12 et Pitseum pag. 260. memoratur ejus *Historia*, et praeter hanc *Orationes* : tum *Epistolae XXXII* ad Thomam Becketum, Archiep. Cantuar. A. 1170 interfectum, et in eundem *invectiva.* Hasce Epistolas inter Epistolas Thomae illius et ad Thomam scriptas, quae Bruxellis 1682 4. viderunt lucem, frustra quaesivi.

JOANNES *de Belna* haereticae pravitatis Inquisitor Carcassonensis in Gallia, a quo A. 1318 condemnatur *Pet. Joannes Olivi,* Ord. Minor. vide Baluzii Misc. tom. 1 pag. 214 seq. 285 seq. et infra, PETRUS.

JOANNES *Bembus* ex cujus Chronico de rebus Venetis ab A. 1383 ad 1410 excerpta in celeberr. Muratorii tom. XII thesauri rerum Ital. pag. 515 seq.

* JOANNES Benechini de Calmarnia Oelandensis (f. Hollandus) in Monasterio Vazstenensi presbyter, sed in ordinem Diaconorum juxta regulam S. Salvatoris adlectus. Vide *Chatharina.*

JOANNES *Berardi,* Monachus et Praepositus Abbatiae S. Clementis Casauriensis sive Piscariensis in Piscaria Insula (Pesquaire) in Aprutio ulteriori : scripsit *Chronicon* illius Abbatiae ab An. 854. ad 1182. libris III quorum partem sine nomine auctoris ediderat du Chesne et Ughellus, integros vulgavit Dacherius tom. V spicileg. pag. 361 (edit. novae tom. 2 pag. 929-977) ut dixi supra tom. 1 pag. 196. Sed post Dacherium eosdem libros pluribus etiam diplomatibus a) ex Codice Regio Paris. locupletatos offert clarissimus Muratorius in thesauro scriptorum Italiae t. 2 par. 2 p. 769.

JOANNES *Bernegamus* super *Jo. Barninghamus.*

JOANNES *Bertachinus* Firmanus, de Firmo, Piceni Civitate JCtus et in prima juventute laurea Doctorali donatus An. 1465 in variis Italiae urbibus jus dicentibus adfuit, denique Advocatus Consistorialis. Scripsit *Repertorium utriusque Juris* post edit. Norimb. 1483. b) saepius editum et a Jo. Thierrio, et Ægidio Maria Manolesso auctum: librum *de Episcopis* , alterum *de gabellis* sive vectigalibus, et alia de quibus Pancirollus II 124 operis de claris Juris Interpretibus. *Quaestiones varias* memorat Trithemius cap. 809.

* Repertorium eius ante editionem No-

a) Trithem. de S. E. c. 621. de script. Herm. c. 115.

a) Acta Erud. A. 1727. pag. 484.
b) Hendreich pandect. Brandenb. pag 559.

rimbergensem an. 1483 lucem jam viderat Romae jussu Sixti IV per Magistrum Laurentium Georgium de Herbipol Theutonicum an. 1481 tom. 3. in fol. Liber eius de vectigalibus et tributis prodiit Venetiis an. 1498 fol. Tractatus de Episcopo excusus prius per Vincentium de Portonariis de Tridino lucem iterum vidit Lugduni an. 1533 in 8 Tractatus de Gabells fol. sine loco et anno. (161 obiit Bertachinus post an. 1486. Vide Fracassetti Gius. Biografia in op. Biografie e Ritratti d'Illustri Piceni Forlì 1839 8.)

JOANNES monachus *Bertinianus* scripsit libris duobus Vitam et miracula *B. Bernardi Poenitentis*, defuncti A. 1182 cujus memoria Audomaropoli in Belgio colitur. Exstat in Actis Sanctor. tom. 2 Aprilis IX pag. 675-697. Librum priorem claudit brevi carmine, cujus primos versus in gustum venae ejus adscribam:

Me, Bernarde, tibi laudes persolvere cogit
Dulce tuum nomen, quod quasi nardus olet.
Tu bene ver, versu dicaris tu quoque nardus,
Nam notis spiras semper aroma novum.
Suavis odor tua vita fuit, mors auget odorem etc.

JOANNES *Bertram* Nuenburgensis Teutonicus, Erfordiae primum ac deinde Moguntiae Theologiam docuit circa An. 1494 de eo Trithemius cap. 943. Scripsit *in prologum Bibliae: De valore Missarum. Quaestiones varias. Collationes* sive *Sermones ad Clerum.*

JOANNES *Bervicanus* supra, *Joannes Barwic.*

JOANNES *Bestonus,* Lelando *Besodunus*, aliis apud Alegrium *Bastonus*, Anglus Carmelita Nordvolciensis in Conventu Linensi ubi diem obiit Anno 1428 cum Concilio Senensi interfuisset A. 1424 Scripsit *super Universalia* Holcoti. *Compendium Theologiae Moralis* super Virtutibus et Vitiis. *Quaestiones Ordinarias. Determinationum librum* et *sacras Conciones* in Evangelia et Epistolas. *Rudimenta Logicae. Epistolarum* ad diversos, libros 2. *Lecturas S. Scripturae,* quibus quadriplicem sensum indagare instituit. Vide Lelandum cap. 522 Baleum VII. 69 Pitseum pag. 611 Alegrium pag. 335.

JOANNES *Bever* sive *Fiber*, Anglus. Monachus Westmonasteriensis. Vide supra, CASTOR. tom. 1 pag. 332.

JOANNES *Beverlaye* sive *Beverlacius*, Anglosaxo ex illustri genere, Graecas litteras a Theodoro Graeco, Archiepiscopo Cantuariensi edoctus, Magister Bedae, apud Alfredum Regem gratiosus, et Episcopus primum An. 686. Hagustaldensis et ab A. 687. a) Eboracensis Archiepiscopus defunctus An. 721. Vide Baleum Centur. 1 cap. 94 et Pitseum pag. 122. Qui illi tribuunt *expositionem Lucae, Epistolas* ad Hildam Abbatissam, ad Audoenum et Bertinum. et ad Herebaldum discipulum, nec non *Homilias* in Evangelia.

JOANNES *Beverleius* alter itidem Anglus Alegrio p. 318. *Beberleius* Carmelita, Theologus Oxon. circa An. 1390. Cujus *Quaestiones in IV libros Sententiarum* atque *Ordinarias disputationes* memorat Baleus XII 30 et Pitseus pag. 555.

JONNES *Biclariensis.* De eo audiendus Labbeus, cui notationes quasdam adjungam. Ita vero ille tomo 1 de S. E. pag. 517. JOANNES, Gerundensis b) Ecclesiae in Catalonia Hispaniae Episcopus, gente Gothus, Scalabitanus ex provincia Lusitaniae, in adolescentia per septem annos Constantinopoli Graeca et Latina eruditione imbutus, reversus in Hispanias sub Leuvigildo Ariano Gothorum Rege Barcinonem in exilium relegatus, ubi ad radices Pyrenaeorum montium condidit Monasterium, quod *Biclaro* (Vallis clarae) dicitur. Quo anno factus sit Gerundae Episcopus, quove obierit, non constat. Sunt qui sub Swinthila obiisse dicant. Trithemius c. 228. de S. E. et de illustribus Benedictinis lib. 2. cap. 15 sub Recaredo floruisse dicit anno Domini 600. Verum cum Mauritio addat etiam Phocam, ultra signatum annum vitam produxisse oportuit: c) tyrannidem

a) Warthon Angliae Sacrae tom. 1. pag. 694. 695.

b) Alius Joannes Gerundensis scriptor *paralipomenon Hispaniae*, de quo infra.

c) Nicolaus Antonius lib. IV Bibl. vet. Hispanae cap. 5. tom. 1. pag. 227. seq. colligit Joannem Episcopum creatum A. 592. et vitam produxisse usque ad A. 620.

enim Phocas arripuit exeunte anno 602. De eo S. Isidorus capite 31 libri de Viris Illustribus, Honorius Aug. libelli 3. cap. 37. Trithemius, Baronius, Mariana, Miraeus, etc.

Praeter *Regulam* Monasterio suo profuturam, cujus Isidorus et Honorius meminit, sive *exhortatorium ad Monachos*, ut a Trithemio appellatur, hic Joannes chronico Victoris, Tunnunensis in Africa Episcopi, addidit *Appendicem*, sive *Chronicon ab anno primo Iustini II. Imp. Christianae aerae 566 usque ad annum 8.* Mauritii Imp. et quartum Recaredi Regis, Christi 590 Henricus Canisius Noviomagus I. C. et SS. Canonum Professor ordinarius, descriptum a R. P. Andrea Schotto ex codice Bibliothecae Toletanae, edidit primus Ingolstadii anno 1600 4. non in Antiquae Lectionis tomis, quod fuit Ger. Jo. Vossii μνημονικὸν ἁμάρτημα, sed cum Victore Tunnunensi dumtaxat, legatione Luitprandi ad Nicephorum Phocam Imp. Synodo Bavarica, etc. Franciscus inde Schottus frater in quarto Volumine Hispaniae illustratae pag. 153. Francof. 1608 fol. Et Josephus Scaliger emendatius recudi curavit Amst. An. 1606 fol. cum Eusebio, et aliis pluribus Chronographis, in Thesauro Temporum, qui praelis iterum subiectus Amst. 1658 fol. Denique Canisium secutus Chronicon hoc edidit Cardinalis Aguirre tom. 2. Concil. Hispan. pag. 421.

* Quamquam Joan. huius chronicon in vetusta edit antiquar. lectionum Canisii non legebatur, in nova tamen Basnagii suo loco insertum est tomo 1.

JOANNES Diestemius, ex Diestemio Brabantiae, *Blaerus*, (vitiose alibi *Blaesus*) Monachus et Prior S. Jacobi Ord. Bened. Leodiensis circa an. 1496 cujus *Historia revelationis. B. Julianae* Corneliensi A. 1230 factae, qua motus Urbanus IV. Festum Corporis CHristi instituit, apud Bzovium ad illum Annum n. XVI. et in magno speculo exemplorum: iterum iterumque Duaci edito. Vide Valerium Andream pag. 461.

JOANNES *de Blakeney*, sive *Blacwey* Nordovolciensis Anglus Ord. S. Trinitatis de redemtione captivorum, circa Annum 1447. Grammaticus scripsit: *Necessiloquium Grammatices*, *Modum rhetoricandi*, *Jocale aureum*. *De fabricandis Epistolis*. *De Mundi aetatibus*. *In epigrammata THOMÆ Langley*. *In Boëthium de Consolatione*. Vide Baleum VIII. 9. et Pitseum pag. 639.

JOANNES *de Blanasco* Burgundus, Jura professus Bononiae An 1256. Scripsit *Ordinem Judiciarium*, et *variarum quaestionum* librum, unum *de feudis* et *homagiis* alterum, unde fere omnia ad eam materiam pertinentia Guil. Durandus ad exornandum speculum suum est mutuatus, ut notatum Pancirollo II. 38 de Juris interpretibus. Scripsit et *de Actionibus Advocatorum* (volumen magnae utilitatis, vocat Trithemius cap. 445.) in quo plura quae Roffredus Beneventanus in tractatu de formulis libellorum negligenter tradiderat, significavit potius quam reprehendit. Vide Jo. Fichardum in Vitis JCtorum pag. 404 et Hendreichii pandectas Brandenburg. pag. 591 seq.

JOANNES *Blomendal* sive *Blumendal* Germanus Ord. Minor. circa An. 1330 cujus nihil nisi *Sermones* de Tempore, de Sanctis et Quadragesimales Trithemius c. 578 de S. E. et script. Germ. cap. 103 et Waddingus pag. 194 commemorant.

JOANNES *Blondus* sive *Blundus* Anglus ex Canonico Eboracensi electus Archiepiscopus Cantuariensis, sed cui Anno 1233. praeferri contigit Eadmundum Divitium sive Riche, Canonicum Sarisberiensem Vide Matthaeum Paris ad illum annum p. 264 et ad An. 1234 pag. 272. Ipse diem obiit An. 1248. Vide Lelandum cap. 261. Baleum III. 95 et Pitseum pag. 319. Nullum ejus scriptum Lelandus testatur se reperisse, Baleus autem et Pitseus, ejus *Summarium sacrae Facultatis* nescio quod et *Disceptationes Scholasticas* commemorat.

JOANNES *Bloxhamus* Theologus Oxon. Carmelitarum per Angliam Provincialis et Monasteriorum in Scotia et Hibernia visitator defunctus An. 1334. cujus commentarios *in Lombardi IV. libros Sententiarum*, libellum *de septem signaculis*, et *farraginem Epistolarum* 186. laudat Lelandus c. 469. Addunt Baleus V. 22. Pitseus p. 431. atque Alegrius pag. 287. *Annotationes in Apocalypsin*, *Hybernensium* (Carmelitarum)

Ordinationes. Quaestiones et *Sermones.*

JOANNES *Bloxhamus* alter, Collegii Mertonensis Rector, Oxonii circa An. 1394 cujus ex Walsinghamo mentionem facit Pitseus pag. 559 et de scriptis ejus solas *Epistolas* commemorat.

JOANNES *Boccaccius*, supra BOCCACCIUS, tom. 1, pag. 230.

JOANNES *Bockinghamus* Theologus Oxoniensis atque Episcopus Lincolniensis, denique ab An. 1397. Monachus Cantuariensis scripsit *Ordinarias disceptationes*, et typis etiam exscriptas *Quaestiones in IV. libros Sententiarum* Paris. 1505. Vide Baleum XI. 85 et Pitseum pag. 564.

JOANNES Langer *de Bolkenhan*, Presbiter Uratislaviensis, circa An. 1494 scripsit praeter *Carmina* et *Epistolas* librum *de censibus et reemtionibus*. Vide Trithemium cap. 927 de S. E. et de script. Germ. cap. 283.

JOANNIS *Bondi* de Aquilegia, *Usum* seu *Artem dictandi litteras*, Cangius evolvit MS. in Bibl. Sangermanensi Cod. 531.

JOANNES *Bohemiae* Regis Epistola, data An. 1346. qua Dominicani a criminatione, quasi Henricum VII. Imp. patrem Johannis venenata hostia peremissent, absolvuntur, exstant apud Baluzium t. 1. Misc. p. 162.

JOANNES *Bonaventura*, supra BONAVENTURA.

JOANNIS *de Bononia* Summam Tabellionatus officii MStam evolvit Cangius. Alius Joannes de Bononia, junior, Theologus Lovaniensis post medium Seculi XVI. de quo Baelius in Lexico Historico.

* Codex MS. 910. latinus Biblioth. Universit. Taurinensis offert Jo. Bononiensis tractatum de ordine judiciorum, quo nomine vix alium designari credo praeter hunc Joannem t. II. commentariorum eiusd. Bibliothecae. Idem opusculum absque authoris nomine in membrana scriptum Felini Bibliotheca servat.

JOANNES *Bonus* Andreae F. Patavinus, Imperatori Alberto Austriaco An. 1354. obtulit opus *de gestis Patavinorum*, ab Urbis origine ad sua tempora. Scripsit et *de familiis Patavinis*. Vide Vossium pag. 798.

JOANNES *Bosianus* sive *Bossianus* Cremonensis JCtus Bulgari discipulus, praeceptor Azonis, Accursii, et multorum aliorum illustrium virorum, unde *Juris lucerna* et *speculum Mundi* est appellatus: Defunctus est Bononiae An. 1179. Vide Arisii Cremonam litteratam tom. 1, pag. 73. Diarium eruditorum Italiae tom. X. pag. 271. tom. XV. pag. 204. In *Ventosa* sive *summa* brevi super Pandectas Placentinum libenter notat ac perstringit. *Summam Novellarum* sive Authenticarum Azo et Accursius exposivere: *Arborum actionum* Rofredus Beneventanus. Vide Guidum Pancirollum II. 23 Jo. Fichardum pag. 400. *Lecturam super Codicem* memorat Trithemius cap. 421.

* Authoris huius summam ad Pandectas contineri credo in Cod. MS. 435. Feliniano sub tit. *Incipit summa ad Pandectas secundum Joannem.*

JOANNES e Wildeshusen, oppido dioecesis Osnabrug. *Bossinensis* sive *Bosnenus* in Hungaria Episcopus et ab An. 1241 ad 1251 Ord. Praed. Magister Generalis: apud S. Antoninum tit. 23 cap. 12. tom. 3. summae Hist. pag. 684. *Joannes Teutonicus*, non confundendus cum *Joanne de Friburgo*, vulgo dicto *Lectore*, ut factum a Miraeo, Cangio quoque et ab aliis quos notat eo nomine Jacobus Quetif tom. 1, pag. 113. nulla scripta Magistri Ordinis referens praeter *Epistolas encyclicas* datas e Capitulis quibus praefuit. Commentarium enim in IV. libros Sententiarum, et Chronicon ab orbe condito ad A. C. 1261 de quo Lambecius tom. 2, pag. 862 potius referri debere contendit ad Joannem de Friburgo, de quo infra.

JOANNES *Bostonus*, supra BOSTONUS.

JOANNES *de Botlesham* sive *Botleshamensis* in Comitatu Cantabrigiensi Ord. Praed. Episcopus ab An. 1385. Landavensis, inde ab An. 1389 Roffensis defunctus An. 1399. Hujus *sermones coram Rege* Richardo II. habitos, et *Disputationes Scholasticas* memorant Baleus VI. 79 et Pitseus pag. 491. Nec plura Jacobus Quetif tom. 1. pag. 717 qui *Guilelmum*, non *Johannem* dictum esse contendit.

JOANNES *Botrellus* Anglus, Carmelita circa An. 1400 a Dialectices peritia cele-

bratus, scriptis *summulis Logicalibus* et libro *de Logices utilitate*. Non plura enim de eo Baleus VII. 24 Pitseus pag. 568 et Alegrius pag. 324.

JOANNES *Brammart* Teutonicus Aquensis, Carmelitarum inferioris Alemanniae Provincialis defunctus An. 1407. Vide Trithemium de S. E. cap. 628 et de scriptis Germ. cap. 147 a quo Commentarius eius *in IV. libros Sententiarum* et *Sermones* commemorantur. His *Quaestiones varias* addit Alegrius pag. 327.

JOANNES *Bramptonus*, vide *Jo. BROMPTON*, supra tom. 1, pag. 263.

JOANNES *Brando*, supra BRANDO tom. 1. pag. 252.

JOANNES *Breton*, supra *Joannes Beccodunus.*

JOANNES *Brevicoxa*, supra BREVICOXA tom. 1, pag. 257.

JOANNES *Bridlengtonensis* Abbas, Anglus Ord. Augustin. defunctus An. 1279. Vide Baleum VI. 62 et Pitseum pag. 520. Eius scripta, praeter *Homilias*, *Carminum Vaticinalium* libri III. et *Vaticinales versus* quorum initium: *Taurus cornutus ex primo germine tutus*. De Codicibus MStis, et Commentariis ad Carmen Vaticinale a JOANNE *Erigena* dicatis Humfredo de Bohun, Comiti de Herford et Constabulario Angliae, vide Polycarpl Leyseri Historiam poetarum medii aevi pag. 2050 seq.

JOANNES *Britannicus*, Brixianus, in patria defunctus An. 1510 cujus exstant *in Persium* commentaria, Brixiae 1486 Venet. 1492 1499 fol. et *in Terentium*, *in Horatium, in Metamorphosin Ovidii* in *Statium* et in *Juvenalem*. Vide Trithemium c. 889. Theatrum Ghilini tom. 1, pag. 78. Baelii Lexicon, Leonhardi Cozzandi Bibliothecam Brixiensem pag. 155 Hendreichii Pandectas Brandenb. pag 738 etc.

JOANNES *Bromiardus*, supra BROMIARDUS tom. 1, pag. 263.

JOANNES *Bromius*, supra t. 1, p. 263.

JOANNES *Brompton*, supra BROMPTON tom. 1, pag. 263.

JOANNES *Bronchorstius*, infra *Joannes Noviomagus.*

JOANNES *Brugmannus* supra t. 1, p. 264.

JOANNES *de Brusellis*, infra *Joannes Mauburnus.*

JOANNES *Burchardus*, vitiose *Buccardus*. Supra tom. 1. pag. 278.

JOANNES *de Burgo*, scriptor *pupillae oculi*. Supra tom. 1, pag. 281.

JOANNES *Burgensis*, sive *Petroburgensis Abbas*. Supra p. 126 et t. 1 pag. 281 Vide etiam infra *Joannes de Caleto.*

JOANNES *Burgundio*, supra, BURGONDIO.

JOANNES *Buriensis*, *de Bury*. Supra BURY, tom. 1, pag. 283.

JOANNES *Burlaeus*, Anglus, Carmelita et Theologus obiit Stanfordiae in Comitatu Lincolniensi, An. 1333. Laudatur a Lelando cap. 378. Scripsit in *Porphyrii* quinque voces, in *Aristotelem*, in sex principia *Gilberti Porretani*, et in *Petri Lombardi* IV. libros sententiarum. Vide Baleum X. 71. et Pitseum pag. 428. De aliis Burlaeis *Adamo* et *Gualtero*, supra t. 1 p. 283.

JOANNES *Buschus* supra BUSCHIUS, tom. 1, pag. 283.

JOANNES *Caballini de Cerronibus* de Urbe, Apostolicae Sedis Scriptoris, *libri X. de virtutibus et dotibus Romanorum*, MSti fuere in Codice membranaceo Bibliothecae Gudianae, qui in Guelpuerbytanam cum aliis, ut spero, transiit. Extrema pagina hanc referebat notam: *Quicunque hujus opusculis et opificis tantillum deleverit, et sibi usurpare praesumserit, cum Anna et Caipha poenas referat infernales.* Vide Catalogum illius Bibliothecae pag. 567.

(162 Titulo h. op. addendum: *ipsorumq. Imp. et Papae singularibus Monarchiis ac aliis incidentibus eorumdem.* Lib. X. Floruit circa medietatem Sec. XIV et opus non parvi momenti Jo. Andresio visum est. *Lettera a Jac. Morelli sui Codici di Novara e di Vercelli Parma 1802* in 8 p. 30. ubi capita per extensum refert.)

* JOANNES *Baptista Caccialupus* a S. Severino Campaniae oppido vivebat circa an. 1464 et Advocatum consistorialem in Rom. Curia egit. Scripsit tractatum de modo studendi, et vita doctorum, excusum Senis an. 1467 de mense Aprilis quam editionem servat Cod. 404. Biblioth. Felini.

In Cod. etiam 397. eiusd. servatur quoddam eius Consilium MS.

JOANNES *Cacheng* Possevino et aliis, Altamurae *Chachengda*, Jacobo Quetif *Cochinger*, Friburgensis Ord. Praed. circa A. 1350. Scripsit *Lectiones in Epistolam ad Romanos*, de quibus laudatus Quetif tom. 1, pag. 632 seq. Tractatum *de quarta funerali*, et alterum *de Contractibus*.

JOANNES *Caesaraugustanus* post Maximum, Isidoro cap. 33 laudatum, Episcopus ab An. 615 usque ad An. 627 quo frater Braulio (de quo supra t. 1, p. 743) illi successit. Ildefonso cap 6. teste *in Ecclesiasticis officiisquaedam eleganter et sono et oratione composuit*: hoc est, ut interpretatur Nic. Antonius tom. 1. Bibl. vet. Hispan. pag. 275 non solum scripsit, sed et musicam modulationem addidit. *Annotavit inter haec inquirendae Paschalis solemnitatis tam subtile atque utile argumentum, ut lectori et brevitas contracta, et veritas placeat patefacta*: compositis scilicet Canonibus Paschalibus, quoniam diversa observantia laterculorum Paschalis festivitatis errorem interdum parturiebat, ut ex Concilii Toletani IV. cap. 5. notatum ab eodem Antonio.

JOANNES *Cairleon* Anglus, cuius *tabulas de rebus Astronomicis* Londini Anno 1482 scriptas laudat Lelandus cap. 581.

JOANNES *Calderinus*, JCtus, supra t. 1, pag. 297.

(163 JOANNES *Caldiera* Medicus, scripsit an. 1473. *De praestantia Venetae politiae et artibus tam mechanicis quam liberalibus* Lib. V. Vide Hody De Graecis Illustr. Lond. 1742. 8. Foscarini Lett. Ven. 321. Morelli Bibl. MS. Farsetti praet. Negri vita di Ap. Zeno Ven. 1815 8. qui laborem parvi ponderis putarunt. MS. in Veneta D. Marci Biblioth.

JOANNES *Caligator*, Lovaniensis, poeta circa An. 1358 scriptor Carminis epici de *vita et passione SS. Apostolorum Petri et Pauli*. Incip. *Roma caput Mundi primo pastore beata*. Ejusdem librum *de institutione Principis* ad Wenceslaum. Ducem, memorat Valerius Andreae p. 475. Bibl. Belgic.

JOANNES *a Calvisano* sive *Calvisanus* in dioecesi Brixiensi Ord. Praed. circa An. 1481 scripsit *librum precum piarum collectarum ex SS. Patribus, et aliis quorum usus est in Ecclesia*. MStum Neapoli memorat Possevinus, et Jac. Quetif t. 1 p. 902.

JOANNES *e Cambico*, aliis *de Zambaco*, rectius *de Tambaco* sive *Dambach*, oppido Alsatiae non longe ab Argentina, Ord. Praed. Magister et Professor sacrae Theologiae defunctus An. 1372 aet. 84. Eius opus *de Consolatione Theologiae libris XV.* quod in exilio circa An. 1366 scripsit, *ab impugnatoribus justitiae pariter et obedientiae S. Romanae Ecclesiae ejectus*, prodiit An. 1466 fol. Caetera scripta sunt: *Exhortatio ad Carolum IV. Romanorum et Boëmiae Regem*, ut a Pontifice obtineat generalem absolutionem a sententiis et poenis processuum vulgatorum: et ut cum irregularibus dispensetur, atque ut per novam constitutionem sanciatur, quod nullum interdictum generaliter latum ab homine vel a jure, ante quam sit publicatum per denunciationem, necessario sit servandum, et excommunicationis, suspensionis et interdicti Sententiam incidens generalem, sit vitandus de necessitate, quousque ipsius nominatim fuerit denunciatio subsequuta. MS. in Bibl. Caesarea. *De sensibilibus deliciis Paradisi. De culpa et Gratia. De amore Virtutum. De ingrato commodo Sacerdotum. De quantitate indulgentiarum. De proprietate mendicantium. De privilegiis exemtorum circa interdictum. De moderatione quartae funeralium. De Simonia claustralium. De redemptionibus* seu reemtionibus. *Directorium Confessorum. De praeconiis S. Ioannis Evangelistae.* Vide Jacob. Quetif tom. 1. p. 667 sq.

JOANNES *Campensis* Friso Carmelita circa An. 1404 scripsit *Artium summulas. Quodlibeta* et *in quatuor libros sententiarum*. Vide Possevinum, et Alegrium p. 325.

JOANNES *Campsenus*, aliis *Campscenus*, *Campson*, et corrupte *Canscon*, Anglus ex eodem Carmelitarum Ordine circa An. 1341. Hujus nihil aliud a Trithemio cap. 695 atque deinde ab aliis referri video quam *Sermones de tempore* et *de Sanctis*.

JOANNES *Campus bellus* sive *Cambellus* ex Argadiae sive Argatheliae Comitibus,

Scotus nobilis circa An. 1270 scriptor historiae Scoticae, quam in sua sequitur Hector Boethius. Vide Vossium pag. 787.

JOANNES *Canales*, Ferrariensis, Ord. Minor. circa An. 1450 Eius *de coelesti vita*: *de natura animae ejusque immortalitate*, *de Paradiso et felicitate animae*, *de Inferno et animae cruciatu* prodiere Venetiis 1494 fol. Vide Waddingum pag. 195.

JOANNES *Candelarius* sive *Chandler* Anglus familiaris Thomae Becchingthono, Episcopo Bathonensi et Wellensi circa A. 1460 de quo Lelandus cap. 564. Baleus VIII. 26 et Pitseus pag. 651 seq. Scripsit *de statu humanae naturae*. Orationes *de laudibus Fontanensis et Badunensis urbis* (Wells et Bath.) De rebus a *Guilelmo Perotto*, alias *Vischamo*, Episcopo Ventano sive Wintoniensi gestis libellos aliquot. Orationem qua respondet Orationi primae *Cornelii Vitellii*, Praelectoris in novo Collegio Oxonii. *De laudibus Thomae Beckingtoni. Epistolas.*

JOANNES cognomento *Canonicus*, ex Augustinianorum Ordine, Anglus, circa An. 1250. scriptor *Poëmatum* et *Vaticiniorum* de quo Pitseus pag. 324.

* Nescio quis nam sit Joannes ille Canonicus, quem Lucas Olchinensis in literis praemissis Confessionali F. Hieronymi Savonarolae eo curante impresso Ven. 1520 inscribit se eadem diligentia curatum opus impressioni tradidisse. *Suscipe Reverendissime D. F. Hieronymum ea fronte qua Joannem Canonicum tibi a me dicatum excepisti.* Facile tamen ille est Joannes Canonicus Scoti discipulus de quo hic Fabricius.

JOANNES *Canon*, sive *Canonicus* Anglus, Joannis Scoti discipulus Parisiis, Ord. Minor. circa An. 1320. scripsit *Lecturam Sententiarum*, *Lecturas Magistrales*, *Quaestiones Dialectices*, *Disputationes Ordinarias* et *in Aristotelis Physica*. Vide Trithemium cap. 566 et Baleum V 3.

JOANNES *Canonicus* itidem Anglus a duobus prioribus diversus, quem Matthaeus Paris testatur diem obiisse A. 1257. Vossius autem pag. 475 notat famam sibi parasse scripta historia belli, quod inter Gallos et Flandros gestum fuit temporibus Margaritae, Flandriae Comitissae.

JOANNES *Canonicus* Urbevetanus (Orvieto) in Hetruria, scriptor coaevus vitae *S. Petri Parentii* Martyris A. 1199 occisi, quam Papebrochius edidit cum notis tom. V Act. Sanctor. Maji 21 pag. 86-97.

JOANNES *Cantianus* relicta patria Canonicus Andegavensis, denique in Angliam reversus Ordini Minorum se addixit A. 1247 scriptis *Rubricis* sive *libris duobus de Casibus Juris*, idem enim opus videtur apud Lelandum cap. 278 licet Baleus IV 8 et Pitseus pag. 320 distinguant.

JOANNES *Capella*, scriptor *Vitae S. Gervini* Abbatis Ord. Bened. Centulensis in Pontivo Belgicae secundae, defuncti An. 1073. Exstat in A. Sanctor. t. 1 Martii 3. pag. 283-288. cum notis Henschenii.

JONNES *Capgravius* sive *Capogrevus*, supra tom. 1 pag. 306.

JOANNES *Capistranus*, supra t. 1 p. 306.

JOANNES *Capino*, infra REUCHLINUS.

JOANNES *Capreolus* supra, CAPREOLUS.

JOANNES *de Capua*. Supra t. 1. p. 308.

JOANNES *Capuanus* alter, infra *Joannes Casinensis* Abbas.

JOANNES *e Carcassona* Narbonensis Gallus, Augustinianus circa A. 1350 Scripsit *in Evangelia*, et *de vita solitaria* librum et *Epistolas* et *Conciones*. Vide Philippi Elssii encomiasticon Augustinianum p. 350.

JOANNES *de Cardailhaco* sive *de Cardalhaco*, Archiepiscopus Tolosanus ab A. 1378 ad Annum 1390. Vide supra tom. 1 pag. 309. De ejus *Sermonibus* MSS. Pelhestrius in libro, reflexions Critiques sur les essais de litterature pag. 69 seq.

JOANNES R. E. *Cardinalis*. Vide *Joannes Amelinus*, *Joannes de Casa nova* etc.

JOANNES cognomento *Cardinalis*, Artium Magister, Decretorum Baccalaureus, et coetus Magistrorum studii Pragensis Rector: promachus Hussitarum, cujus *Consilium de usu Calicis* in sacra Coena exstat apud Bzovium ad A. 1417 n. XVI. Hic est apud eundem Bzovium ad A. 1422 n. 3 pag. 622 Joannes Apostata, quem ait unum solum multiloquio plus apud plebem quam totam Pragam imperio potuisse.

JOANNES *Cario*, notissimus scriptor *Chronici* a Melanchthone retexti auctique et aucti a genero Melanchthonis Casp. Peucero, de cujus editionibus et interpretibus dixi in Centifolio Lutherano pag. 796 seq. atque accuratius de illo tractare recepit vir celebratissimus D. Eberhardus David Hauberus. Fallitur Langletus du Fresnoy, qui Carionem Magistrum sive Praeceptorem Melanchthonis appellat tom. 3 methodi historiarum, Gallice in 4 editae pag. 58. Diem obiit Joannes Cario Berolini A. 1538 postquam Doctore eo in Astronomica scientia usus fuisset gloriosiss. Elector Brandenburgicus Joachimus I atque ipse Cario Mathematicas disciplinas docuisset in Academia Francofurtensi Viadrina.

JOANNES *Carmessonus* a Cangio traditur scripsisse *Vitam S. Petri Thomae* sive *Thomasii* Carmelitae, Archiepiscopi Cretensis qui ab Urbano V. creatus Patriarcha CPolitanus obiit Martyr A. 1366. Sed vita hujus Thomasii edita Antwerp. 1659 8. repetitaque cum Godfr. Henschenii notis in Actis Sanctorum 29 Januar. tom. 2 pag. 995 auctorem habet *Philippum* MAZERIUM, coaevum scriptorem, Cancellar. regni Cypri.

JOANNES *Carnotensis*, infra *Joannes Sarisberiensis*.

JOANNES *Carolus*, Florentinus, Ord. Praed. supra t. 1. p. 325. (164 Et *Laudatio Pratensis* et *Deploratio praesentium temporum*. Lucae an. 1461. exarata MSS. nunc in Magliabechiana a Morenio (Bibliogr. Toscana 1. 219) memorantur.)

JOANNES *Carthusiensis* ex Monasterio Portarum circa An. 1150 cujus *Epistolas quinque* (cum GUIGONE de quo supra) vulgavit Petrus Franciscus Chifletius S. J. Divione 1657. 8. unde recusae sunt in Bibl. Patrum Lugd. tom. XXIV pag. 1506. 1518. Ex his secunda et tertia est *de modo orandi*.

JOANNES *Carthusianus*, cujus liber *Nosce te* prodiit Venet. 1480 et Heidelbergae 1489. Vide Possevinum.

JOANNES *de Casa nova* Aragonius Ord. Praed. Barcinone ab An. 1403 et ex Episcopo Elnensi in Catalonia, denique R. E. Cardinalis ab An. 1430 ad 1436 scripsit tempore Concilii Basileensis *de potestate Papae supra Concilium*. Vide Alphonsum Ciacconium de vitis Cardinalium, Nic. Antonium Bibl. vet. Hispanae X. 4. tom. 2. pag. 153 et Jacobum Quetif tom. 1 p. 791.

JOANNES Abbas *Casinensis*, sive post Coenobium Casinense a Saracenis vastatum Capuanus, defunctus A. 934. Praeter *Chronicon de calamitatibus Coenobii Casinensis*, quo usum Leonem Ostiensem supra pag. 335 jam notare me memini, scripsit *Chronicon* alterum *postremorum Comitum Capuae*, quod editum ab Antonio Caracciolo, inter quatuor antiquos Chronologos, Neapoli 1626 4 et a Camillo Peregrino, in historia Principum Longobardorum, Neapoli 1643. 4. pag. 122. unde recusum tom. 2 Muratorii, et tomo nono thesauri scriptorum Italiae Burmanniani, spuriis quibusdam rejectis. Vide Jo. Baptistam Marum ad cap. XV. Petri Diaconi de viris illustribus Casinensibus.

JOANNES *Cassianus*, supra t. 1 p. 328.

JOANNES *Castellae* et *Legionis* Rex defunctus An. 1379 cujus vita et acta atque Epistolae pro Clemente VII in causa schismatis adversus Urbanum VI. leguntur apud Baluzium de Papis Avenionensibus tom. 1 pag. 493. seq. et pag. 1281-1295. atque inde apud Oudinum t. 3 p. 1200. sq.

JOANNES *Castellensis* in dioecesi Germaniae Aichstadiensi sive Eystetensi Monachus Ord. Bened. circa A. 1390 et 1400 scripsit *Compendium Bibliorum* et libros duos *in Regulam S. Benedicti*, *Sermones XLII. de passione Domini. Sermones de tempore et de Sanctis*, *Epistolas*. Vide Trithemium c. 669 de S. E. et illust. Benedictin. II. 135. Eysengreinium pag. 153. Possevinum etc.

JOANNES *Caxtonus* Anglus, Ord. Minor. cujus *Summa Confessionum* memoratur a Pitseo p. 871. nec plura Waddingus p. 199.

JOANNES *de Ceccano* supra FOSSÆ *novae Chronicon* tom. 2 pag. 388.

JOANNES *de Cermenate*, Notarius Mediolanensis adhuc superstes A. 1330 cujus *Historia de situ, origine et cultoribus Ambrosianae urbis* sive Mediolani, *ac de Mediolanensium gestis* sub imperio Henrici VII

ab A. 1307 ad 1313 edita a laudatissimo Muratorio tom. 2. anecdot. Latin. Mediolani 1698 4 pag. 31 111 inde recusa in tomo nono thesauri scriptorum Italiae Mediolanensis pag. 1221 et in tomo quarto thesauri Graevio Burmanniani pag. 55.

(165 Docuerat haec Fabricius et supra in vol. 1 h. edit. p. 366 67 non suo loco.)

JOANNES *Chandler*, supra *Joannes Candelarius*.

JOANNES *Charlerius*. Supra GERSON. tom. 3 pag. 47.

JOANNES *Chelmestonus* Anglus Carmelita, Theologus Oxoniensis circa A. 1209. scripsit *Quaestiones ordinarias*, *Determinationes Theologicas* (non *Logicales* ut apud Alegrium pag. 274.) *Quodlibeta*, *Lecturas Scholasticas*, *Sermones* et *Collationes*. Vide Baleum IV 57 Pitseum pag. 372.

JOANNES *Chenningaulus* Anglus Carmelita defunctus Nordovici An. 1451. Hujus *Paschales Conciones* memorat Lelandus cap. 562.

JOANNES *Chiemensis* in Carniola Episcopus scripsit A. 1519 librum non indignum lectu qui inscribitur *Onus Ecclesiae* editum Landshutae 1524 Colon. 1531 fol. et A. 1620 4 ex quo Flacius in Catalogo testium veritatis Jo. Wolfius in Lectionibus memorabilibus tom. 2 pag. 104 et clariss. Struvius in Bibliotheca antiqua tom. 1 pag. 201 seq. 315 seq.

JOANNES *Chillingworthus*, sive ut Lelando cap. 559. *Chillenworthus*, Baleo VI. 10 *Killingworth* Anglus Maridunensis, Medicus et Mathematicus circa A. 1360. Scripsit *Arithmeticum opus*, *Algorismum*, *Canones et Tabulas Astronomicas*. *De judicio Astronomiae*. *De crepusculis*. *De adscensionibus nubium*. Vide Pitseum p. 489 seq. *Hujus*, inquit Lelandus, *industriam imitati sunt Cervinus Hartaeus, Curio, Joannes Stacius*, et *Blachaeus*, *Maridunenses omnes Matheseos admiratores et amatores certe maximi omnes*.

JOANNES *Chilmarcus* sive *Chilmarcius*, *Chylmarke*, Maridunensis et ipse Anglus Mathematicus circa A. 1390. Ejus *de Elementorum accidentiis* librum laudat Lelandus cap. 458. Sed apud Baleum VI 99 et Pitseum pag. 547 diversa ejus scripta sunt: unum *de accidentibus planetarum*, et *de Elementorum accidentibus*, et alterum *de elementorum actione*. His libros *de motu*, *de alteratione*, et *de augmentatione* Baleus adjungit: Pitseus etiam *opuscola Logica*.

JOANNES *e Chiniveto* Gallus Carmelita et Theologus Metensis circa A. 1340 Scripsit *Speculum institutionis Ordinis sui*. *Sermones* de tempore, de Sanctis et Quadragesimales. Vide Possevinum e Trithemii encomio Carmelitarum.

JOANNES *Chraft* Cambensis Ord. Praed. qui ANDREÆ Ratisbonensis Chronicon interpolavit, continuavitque ab A. 1443 ad 1490. Exstat in Jo. Georgii Eccardi Corpore scriptorum medii aevi tom. 1 p. 1931 2176.

JOANNES *Chrestonus*, aliis *Crastonus*, *Crestonus* et vitiose *Groslotius*, Placentinus Carmelita circa A. 1480 1490 scriptor Vocabulistae sive Lexici Latini Graecique, sub Theodoro Gaza et Constantino Lascari, editique primum Vincentiae An. 1483 deinde Regii Lepidi 1497. ut alias editiones praeteream de quibus tom. X Bibl. Graecae pag. 73. Ejusdem *Epistolas* memorat Alegrius in paradiso Carmelitici decoris pag. 368. *Psalterium* Graece et Latine ex ejus recognitione editum Mediolan. 1481 4.

(166 Lexici huius Crastoni, prima editio sine nota (Mediolani 1478. 80) ch. 368. fol. cum epist. Bonaccursi Pisani Franc. Turriano. In epitom. redacti cura eiusd. B. Accursii sine nota cum epist. ad Ant. Bracellum (Mediolani 1480) chartis 166. in 4.)

JOANNES *Christophorus* sive *Christophori* de Meleberga, Saxo (Eysengreinio Cangioque, Moguntinus) Prior Conventus Mindensis Ord. Praed. Trithemio c. 495 et aliis, Cangioque An. 1260. Jacobo Quetif autem circa An. 1355. Scripsit Postillas *super IV Evangelia*, *et Epistolas Pauli* universas *septemque Canonicas*: Commentarios item *in IV libros Sententiarum*, nec non *in Aristotelis elenchos* et *tres libros de anima*. Vide laudatum Quetif. t. 1 p. 590.

JOANNIS *Cimeliarcha* Ecclesiae Neapolitanae, qui circa A. 1260 scripsit *Vitam S. Jo. Episcopi Neapolitani*, defuncti An. 953 Exstat in Actis Sanctor. 1 Apri. t. 1 p. 34.

JOANNES *Cincinnius* Lippiensis, clarus circa A. 1500 1515. Edidit *Vitam S. Ludgeri* Saxonum Apostoli, de cujus aliis editionibus supra in ALFRIDO.

JOANNES *de Cireya* Divionensis Gallus, Abbas Cistercii ab A. 1476 ad 1530 scripsit *Collectionem privilegiorum* et *Compendium Sanctorum Ordinis Cisterc.* editum Divione 1491. De eo videndus Ludovicus Jacobus de scriptoribus Cabilonensibus pag. 147 atque Carolus Visch in Bibl. Cisterc. qui ejus *exhortationem ad Monachos* exhibet p. 201-103 ex Chrysostomi Henriquez libro privilegiorum Ordinis, Antwerp. 1630 pag. 241. Apud Vischium et Warthonum ad Caveum perperam *Joannes de Circyo* hic scriptor appellatur. De eo et supra t. 1 352.

JOANNES *Cirita* Abbas Tharaucanus S. Joannis de Tharauca Ord. Cisterc in Hispania, una cum GUISCARDO Monacho suo A. 1162 in gratiam Alphonsi I. Regis scripsit *Regulam militibus Ordinis Avisii* apud Lusitanos clari, editam una cum duabus ejus *Epistolis* a Chrysostomo Henriquez in vita Joannis Ciritae lib. 1 fasciculi sanctorum Ord. Cisterc. dist 19. Bruxellis 1623 fol. Obiit A. 1174. Vide Carolum Vischium Bibl. Ord. Cisterc. p. 203. Et de Ordine illo Commentarios Academiae Regiae Ulyssiponensis 30 Iul. A. 1722 Lusitanice editos in fol.

JOANNES *Clipston* Anglus Carmelita circa A. 1378. Theologus Cantabrigiensis, scripsit *in varios sacros textus*, et *exempla S. Scripturae,* Postillam *in S. Joannis Evangelium. Expositorium sacrorum Bibliorum. Disceptationes scholasticas. Quaestiones in Magistrum Sententiarum Sermones* per annum et de proprio et de communi Sanctorum. Vide Baleum VI. 56. et Pitseum pag. 159.

JOANNES *Cluniacensis* Monachus, Italus idem deinde Abbas, *vitam* Magistri sui *S. Odonis* Abbatis secundi Cluniacensis An. 944. defuncti scripsit libris tribus, qui contracti apud Surium 18 Nov. sed integri Andreae du Chesne Bibl. Cluniacensi pag. 13-56 et in Mabillonii Sec. V Benedictin. pag. 150. Ejusdem Opusculum ex Gregorii Magni Moralibus defloratum memorat Mabillonius pag. 123. Musei Italici.

JOANNES *Clyn,* sive *Clynne*, Hibernus Monachus Kilkenniensis Ord. Minor. scripsit *Annalium Chronicon* a nato Christo brevius quidem usque ad An. 1315 et copiosius inde usque ad A. 1350 et *de Regibus Anglorum*, ab Hengisto ad Eduardum III nec non *de custodiis Provinciarum* ubi de coenobiis Franciscanorum et quibusdam illius Ordinis scriptoribus in Britannia et Hibernia: et *Catalogum Sedium Episcopalium Angliae, Scotiae et Hiberniae.* Vide Baleum XIV. 95 et Jacob. Waraeum lib. 1 de scriptoribus Hiberniae pag. 69.

JOANNES *Coledunus*, infra, *Joannes Coltonus*.

JOANNES *de Dollemedio* ex Canonico regulari Iprensi S. Martini, Archidiaconus Morinensis, *vitam B. Joannis, Episcopi Morinorum* 27 Januar. A. 1130 defuncti scripsit nono post ejus decessum anno. Exstat cum Bollandi notis in Actis Sanctor. tom. 2 Januar. pag. 794-702.

JOANNES *Collaeus* sive *Colley,* Anglus Carmelita circa A. 1440 scripsit *de Christi passione, de laudibus Apostolorum*, *Epistolas* ad diversos, et *sermones.* Vide Baleum XII. 60 e Lelando: Pitseum pag. 629 Alegrium pag. 344.

JOANNES *Coltonus*, Lelando cap. 486. *Coledunus* Anglus Archiepiscopus Armachanus, a Cangio Baleum et Pitseum secuto refertur ad A. 1410 sed jam defunctus erat A. 1404. Scripsit librum *de causa schismatis et remedio ejusdem,* cum antipapa adversus Urbanum VI. esset electus Clemens VII. Vide Baleum VII. 31 et Pitseum p 587 Jacobi Waraei Hiberniam sacram p. 22 qui *Constitutionum Provincialium* ab eo promulgatarum partem superesse testatur.

JOANNIS *Columbariensis* Chronicon citatur a Petro de Prussia in vita Alberti Magni. Vide Jacobum Quetif tom. 1 pag. 494 de scriptoribus Ord. Praed.

JOANNES *de Columna* Romanus, cujus *Chronicon* sive Mare historiarum libris X ab initio Mundi usque ad tempus suum A. C. 1250 laudat Antoninus Florentinus tit. 23. summae hist. cap. XI. §. 2 tom. 3 p. 681.

De eo supra, COLUMNA, tom. 1 pag. 373. Alius JOANNES *de Columna* R. E. Cardinalis ab A. 1327 ad 1347 ad quem Petrarcha scripsit Epistolam consolatoriam super obitu Stephani fratris ejus F. Jacobi Columnae. Vide Sandii animadversiones ad Vossium pag. 171.

JOANNES *Cominus* seu *Cuminus* (Comyn) Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia ab An. 1182 ad 1212 et teste Girardo Cambrensi Presbyter Cardinalis. Praeter Canones in Concilio Dublinensi An. 1585 promulgatos approbatosque a Papa Urbano III scripsit Epistolas ad Pontifices aliosque diversos, quas in Bibliotheca Pauli Petavii Parisiis vidisse se Thomas Demsterus est testatus. Vide Jac. Waraeum lib. 2. de scriptoribus Hiberniae pag. 118 seq. et in Hibernia sacra pag. 106.

JOANNES *e Condeto,* Hannoniensis, Carmelita Coenobii Valencenarum circa An. 1380. Scripsit *in Canonicam Epistolam S. Joannis*, Lecturam *in quatuor libros Sententiarum* et *Sermones* de tempore ac de Sanctis. Haec Possevinus: nec plura de eo Alegrius pag. 312. seq.

JOANNES *Consobrinus* Ulyssiponensis Carmelita circa A. 1475 ut est apud Trithemium cap. 867 *in declamandis* sermonibus *ad populum celeberrimae opinionis, contra inimicos Fidei primum in Anglia ac deinde in Portugallia magnos et efficaces latratus dedit.* Ejus liber *de justitia commutativa, arte campsoria ac alearum ludo* prodiit Paris. 1496 8. Vide Nic. Antonium tom. 2 Bibl. vet. Hispan. pag. 227.

JOANNES *Constablius* Anglus sub Henrico VIII Rhetor et Poëta cujus *Epigrammata* aliaque *Carmina*, et liber cui titulus: *Querela veritatis*, a Pitseo pag. 871 memorantur, ex Balei IX. 23.

JOANNES *Constantiensis,* circa A. 1120 scripsit *de computo Ecclesiastico*. Praefatio ad Gaufridum Abbatem, Richardum Priorem et Monachos Savignienses exstat in Edm. Martene t. 1 anecdotorum p. 362 sq.

JOANNES *de Cornazanis* Ord. Praed. scripsit Latine *Historiam Parmensem.* Sed in celeberrimi Muratorii tom. XII thesauri scriptorum Italiae tantum Italice occurrunt fragmenta ab An. 1301 ad 1355.

Magister JOANNES *Cornubiensis* Anglus Theologus circa An. 1170 scripsit, si Possevinum audimus, *ad Eulogium de homine assumto.* Sed titulus libri est *Eulogium*, scripti ad Alexandrum III Papam, in quo contra Abailardum et Petrum Lombardum a) disputat, docetque *quod CHristus sit aliquis homo* secundum humanam naturam sit aliquid, verus nempe homo ex anima rationali et humana carne subsistens: qua de controversia conferre juvabit Petavium lib. V de incarnatione Verbi cap. 6 7 8 9 et Cancellarium Wirtenbergicum D. Pfaffium libro de impersonalitate et perpetuitate humanae Christi naturae, Tubing. 1722. 4. atque Edmundi Martene admonitionem praeviam Joannis Cornubiensis eulogio praemissam, qui illud primus in lucem edidit tom. V anecdotorum pag. 1657 1702. Paris. 1717 fol. In MS. Codice Bibl. Baliolensis Oxon. teste Caveo inscribitur: *discussio super Philosophia et haeresibus.* Bis autem de hoc argumento scripsisse, Joannes noster cognoscitur, semel brevius, quod inter Hugonis Victorini scripta tom. 3 pag. 68. legitur sub titulo *Apologiae de Verbo incarnato*. Vide Oudinum tom. 2. pag. 1157. et 1530 deinde prolixius quod ab Edmundo vulgatum jam dixi. Caetera ejus scripta laudantur: *Summa*, *qualiter fiat Sacramentum altaris per virtutem S. Crucis*, *et de semptem Canonibus sive Ordinibus Missae*, MS. Cantabrigiae. Etiam hoc scriptum exstare editum inter Hugonis Victorini Opera tom. 3 pag. 399 seq. Vide iterum Oudinum tom. 2 pag. 1531. *Commentarii in plura S. Scripturarum. Disceptationes. Epistolae ad diversos.* Vide Lelandum cap. 200 Baleum III 6 Pitseum pag. 236 seq.

JOANNES *Cornubius* (Horneby) Prior Carmelitarum Bostoniensium sive Botolphoduni in Hollandia. Vide Lelandum cap.

a) Lelandus de scriptoribus Britannicis pag. 227. *Eulogium a Joanne scriptum causa inimicitiae magna fuit inter eum et Petrum Longobardum Theologum insignem; cujus et adhuc penes me exstant* apologia *quae Eulogio Coriniani accurate, severe et acute respondet, et veluti cum hoste de triumpho ambitiose miles veteranus contendit.*

409 qui laudet ejus librum *pro Carmelitis* contra *Joannem Stochium* Dominicanum, et praeterea *sacras Conciones*, et *Quaestiones* quibus illa applausit aetas.

JOANNES Crastonus supra Joa. Chrestonus.

JOANNES *Cremensis* eruditus et eloquens Presbyter in Synodo Remensi An. 1119. Vide Ordericum Vitalem lib. XII p. 860. 862 863.

JOANNFS *Crescius* sive *Cressaeus*, *Cresse*, Anglus, Doctor Oxoniensis et Prior S. Bortulfi, Carmelita, qui A 1450 diem obiit. Scripsit *de laudibus B. Mariae Virginis assumptae* et *homilias per annum*. Vide Baleum XII 81 ex Lelando, e quo Pitseus pag. 642 Alegrius pag. 349 etc.

JOANNES *de Dacia*, cujus *summam Grammaticalem* MS. memorat Sanderus pag. 204 Bibl. Belgicae, una cum *commentario in minus Volumen*: et pag. 195 ejusdem *Philosophiam*.

Magister JOANNES cognomento *Dalich*, Praedicator apud Leodium, quem laudat Albericus ad A. 1195 pag. 406 et ejus *sermones per anni circulum*, atque in Psalm. XXV *ad Te levavi animam meam*.

JOANNES *Danck*, supra, *Danck*.

JOANNES *Dastinus*, supra, *Dastinus*.

JOANNES *Datus*, supra, *Datus*.

JOANNES *Dechtus*, supra, *Dechtus*.

JOANNES *Dedecius*, supra, *Dedecius*.

JOANNES *Deirus*, supra, *Deirus*.

JOANNES *de Deo*, supra, *DEO*.

JOANNES *Derlingtonus* sive *Derlingtonia* (Lelando cap. 291. *Durolendunus*) Anglus, Ord. Praed. Archiepiscopus An. 1279. ab 1284 Dublinensis. Vide Jacobum Waraeum in Hibernia sacra pag. 199 Baleum IV 56 Pitseum prg. 364. et Jacobum Quetif tom. 1 pag. 395 seq. Inter lucubrationes ejus, praeter *disceptationum scholasticarum* Volumen et *Sermones* ad utrumque statum, Clerum populumque, celebratae inprimis *Concordantiae Bibliorum*, quae *magnae* vel etiam *Anglicanae* appellari consueverunt. Confer si placet quae supra in CONRADO Halberstadiensi.

JOANNES *Destigius*, supra, DESTIGIUS.

JOANNES *Diaconus* Casinensis, cujus *versus in laudes S. Virginis Mariae* laudat Petrus Diaconus cap. 38.

JOANNES *Diaconus* Hispanus, Madritensis qui seculo XIV scripsit *Vitam S. Isidori Agricolae* Madritensis editam a Joanne Tamajo Volumine 3 Martyrologii Hispaniae XV Martii et in Actis Sanctor. tom. 3 Maji 15 pag. 514 ut Jacobi Bledae versionem Hispanicam, Madriti 1623 4 editam cum additionibus omittam. Vide Nicolai Antonii Bibl. Hispanam veterem tom. 2. pag. 65. Alius JOANNES *Diaconus* Hispanus junior cujus exstat *Flos Decretorum*.

JOANNES *Diaconus* S. Januarii, jussu Joannis, Abbatis S. Severini circa A. 920 tempore Joannis Episcopi Cumani et translationis reliquiarum Sosii Miseno Neapolim facta scripsit *certamen Martyris, Sosii Diaconi* Misenatensium in Campania sub Diocletiano passi, *Januariique Episcopi Beneventani et sociorum ejus* vulgatum a Surio ad 23 Sept. In praefatione, alia tyrocinii sui opuscula commemorat, quibus aliquantispec juvenilem animum, charitatis sit visus imperio exercuisse.

JOANNES *Diaconus* Neapolitanus circa A. 903 auctor *Chronici Episcoporum Neapolitanorum* usque ad Annum 872 exstat in clariss. Muratorii scriptoribus rerum Italicarum tomo VI sive tomi primi parte 2 pag. Ejusdem *Vita Joannis Episcopi Neapolitani* A. 853 defuncti, in Actis Sanctor. tom. 1 April 1. p. 32 seq. *Martyrum S Procopii* Episcopi Dauromenitani ejusque sociorum An. 903 cum animadversionibus Octaviani Cajetani S. I. in ejus tomo II. Sanctorum Siculorum pag. 6 Panormi 1657 fol. et in Jo. Baptistae Carusii Bibl. Historica Siciliae, tomo I ibid. 1720 fol. pag. 19 et in laudati Muratorii thesauro scriptorum Italiae tom. 1 parte 2 pag. 267. *Historia translationis reliquiarum S. Severini Noricorum Apostoli* cum notis Bollandi in Actis Sanctor. tom. 1 Januarii 7. pag. 1098-1103 *Martyrium XL Sanctorum Sebastenorum* sub Licinio, cujus scriptor Graecus, Evodius ut videtur Caesareensis, Joanne Diacono interprete, in iisdem Actis tom. 2. Martii 10 p. 22-25 ex edit. Gerardi Vossii, ad Gregorii Thaumaturgi calcem.

JOANNES Ecclesiae Romanae *Diaconus* Anonymus Mellicensis cap. 60 Archidiaconus, *defunctus ante* Annum 882. In hujus gratiam Anastasius Bibliothecarius Chronographiam tripertitam ex Nicephoro CPol. Georgio Syncello et Theophane Graecis scriptoribus Latine versam, atque inter scriptores Historiae Byzantinae nuper recusam Venetiis: tum Collectanea a Sirmondo edita digessit, eaque illi dicavit: *Carissimo fratri Joanni digno CHristi Levitae, Anastasius exiguus in Domino Salutem. Ecclesiasticam scripturae ad multorum instructionem historiam industriae tuae, promiseram ex Graeco me tibi sermone quaedam in Latinum vecturum eloquium.* a) Illa Joannis *historia Ecclesiastica* hodie non exstat quod sciam, nisi *historiae Miscellae* auctorem Joannem, non PAULUM *Diaconum* esse cum Ciacconio dicamus. Vide Vossium pag. 292. *Gesta Clementis I Papae* Martyris, quae ut scriberet a Gauderico Velitrensi Episcopo rogatum Johannem testatur Sigebertus cap. 106 de S. E. servari MSta in Bibl. Casinensi scribit Joannes Baptista Marus in notis ad Petrum Diaconum cap. 38. Sed a Mabillonio tom. 1 Musei Italici parte 2 pag. 78 vulgata est GAUDERICI Epistola ad Joannem VIII Papam, ex qua constat Joannem Diaconum gestis Clementis describendis immortuum fuisse, et Gaudericum usum affecta Joannis Diaconi lucubratione, libris tribus gesta Clementis consignasse. *Hujus rei gratia.* inquit, *quendam olim* Joannem Diaconum *cognomento* Hymonidem *virum peritissimum postulavi, quia multa legerat, pauca ex iis ad aedificationem multorum colligere, et quae forte nonnullis comperta non erant, ipse relegens breviter reserare. Quod ille meis precibus, humiliter satisfaciens, coepit quidem a genalogia ejus perstringere, et quae legerat vel expertus fuerat, liquido coarcare. Sed quo minus ad conclusionem hujus opusculi scriptitans pervenisset, hunc Dominus ab hoc seculo, morte quam ipse permisit praeventum ad aeternam quietem vocavit. Cujus ego pedissequus adspirante DEO exsistens, hoc quod deerat, non tam strenue quam devote collegi, et in tribus libris conglutinans ordinavi. In primo siquidem libro Clementis genus, patriam, nativitatem, institutionem, propositum, vitam, conversionem, et qualitatem recognitionis ejus innuimus. In secundo vero, DEO auxiliante, profunditatem doctrinae, dignitatem Episcopalis apicis, auctoritatem singularis Pontificatus et audaciam contra idola sophistice disputantis subdidimns. At in tertio, miraculorum prodigia, exsulationis angustias, martyrii laureas, reversiones ejus ad propriam sedem post plurimos annos et miracula colligere procuravimus* etc. Lucem praeterea vidit eiusdem Mabillonii beneficio tom. 1 musei Italici parte 2 pag. 69 76 *Epistola* Joannis Diaconi ad *Senarium* virum illustrem *de variis ritibus ad Baptismum pertinentibus, et aliis observatione dignis*. Exstat praeterea eidem laudata Sigeberto etiam in Chronico. et Anonymo Mellicensi, et Trithemio cap. 278. *Vita Gregorii I.* Papae libris IV. ad Joannem Papam VII (sive VIII potius, qui praefuit ab An. 872 ad 882.) Eam Joanni octavo praeter rem tribuerunt Volaterranus, Platina, Lipomannus. Edita est tum a Surio 12 Martii, tum in Gregorii M. Operum editionibus, ut in novissima tom. 4 et in Mabillonii Sec. I Benedictin. p. 398 et in Sanctorum tom. 2 Martii pag. 137. 211 cum notis Henschenii. *Commentarium* seu expositionem brevem, *in Heptateuchum* sive in Pentateuchum Mosis et in libros Josuae atque Judicum MS. evolvit Mabillonius pag. 77 ex sententiis Patrum, Augustini et Hieronymi passim, Origenis, Eusebii ex quaestionibus Pentateuchi, *Victoris, Capuae episcopi* ex libello suo Reticulo vel de Arca Noë, *item* ex libro Paradisi; *tum* ex scholiis Diodori Tarsensis episcopi; *ad haec* ex sermone sancti Basilii de dogmatibus *apud eundem Victorem; Ambrosii ex* tribus libris Officiorum *et* ex libro de martyrio Agricolae et Vitalis; et *Hilarii* ex libro quinto de Fide; *ac denique PAGATI seu PACATI* contra Porphyrium. Hic Commentarius sub Joannis Diaconi nomine habetur MS. in Bibl. S. Ger-

a) Tom. 3. Opp. Sirmondi pag. 467.

mani de pratis recte ad Diaconum hunc Romanae Ecclesiae refertur, quia locum ex ea proferens Lupus Ferrariensis de tribus quaestionibus p. 261. Joannem Ecclesiae Romanae Diaconum laudat auctorem. Ad quem locum Baluzius: *Hujus est ergo expositio in Heptateuchum. An vero auctor quoque sit vitae S. Gregorii Papae, non adeo exploratum habetur.* Nullam tamen addidit rationem, quare inscriptioni et Codicibus MSS. et dissertis Sigeberti aliorumque licet iuniorum testimoniis fides deneganda sit. Magis deneganda fides quod huic Joanni cognomen *digitorum* et commentum *Donationis Constantinianae* tribuitur in donatione quae Sylvestro Papae facta ab Othone III traditur. Vide Marquardi Freheri ad eam notas pag. 20 seq.

* Epistola illa àd Senarium quam P. Mabillonius Musaei Ital. t. 1. vulgavit ad alterum plane Joannem multo quam Joannis iste antiquiorem pertinet, id vero in victis rationibus in dissertatione de reb. liturgicis praemissa Liturgiae Romanae veteri tom. 1. col. 31. cl. Muratorius demonstrat. Ex eius enim calculis evincitur recentiorem non fuisse saeculo labente V. cum Joannes iste in vivis agebat dumin Africa christianae Religionis exercitium liberum vigebat, ait enim: *nunc per Africam fieri dicitur, ut presbyteri sacrum chrisma conficiant.* Constat autem labente saec. V. Hunnericum Arianum regem religionem suam eo invexisse, nec permisisse, ut catholici Episcopi et presbyteri sacra ibi sua peragerent.

JOANNES *Diaconus* Romanus, basilicae Salvatoris patriarchii Lateranensis Canonicus circa An. 1270 ad Alexandrum III. Pontificem scripsit *de Ecclesia Romana Lateranensi* librum quem praecepto Joannis Prioris et fratrum ejusdem Ecclesiae ait se de sanctis sanctorum ex archivo renovasse. Edidit Mabillonius in appendice ad libellos Ordinis Romani, tom. 2. musei Italici pag 560 576. Confer, ubi lubebit, Oudinum tom. 1, pag. 1548.

JOANNES *Diaconus* et Canonicus Veronensis *Historiam* condidit *a Julio Caesare usque ad Henricum VII.* Lucemburgensem, qui imperitavit ab An. 1398 ad 1314. Notitiam huius operis Vossius pag. 504 testatur se reperisse in indiculo scriptorum Veronensium, exarato ab Alexandro Becello. Cancellario Veronensi.

* De Authore hoc solide ac erudite disserit Cl. Hieronym. Tartarotti in opusculo *Relazione di un MS. dell' Istoria di Gio. diacono* legendo in opusc. a P. Calogerà collectis XVIII. 135. quo historiam illam perductam evincit usque ad an. 1310. licet auctor ad aliquot post haec annos vitam protraxerit. Meminisse eius censet Guillelmum Pastrengum Petrarchae aequalem in suo libro de originibus rerum, quamvis ab illo presbyter et maioris Ecclesiae Veronensis mansionarius appellatur. Ex hoc ipso MS. opere cujus fragmenta idem vir cl. affert, deducimus ab hoc ipso scriptore confectum fuisse aliud opus *de vitis Romanor. Pontificum*, sicut et *Historiam veteris Testamenti* Alicubi etiam in eadem historia sua Joannes agitare se consilium ait scribendi *specialem librum de vita beatissimi patris* (Athanasii) quod an praestiterit ignoramus. putat cl. Scipio. Maffeius in t. VI Op. *Osservazioni* Letterarie pag. 200. duos distingui oportere Joannes Veronenses, qui eiusdem argumenti opus confecerint, quorum alter Diaconus, alter Sacerdos mansionarius ecclesiae majoris egerit, sed opinionem viri docti discutit et refutat idem Tartarottus in epistola ea de re scripta, legenda in iisdem opusculis. t. XXVIII Hanc litem dirimere non vacat.

JOANNES *de Dictaminibus*, Canonista cujus *praeludium ad forensium litium Gymnasia* memorat MS. Sanderus in Bibl. Belgica pag. 177.

JOANNES *Dieppurg*, infra, *Joannes de Francfordia.*

JOANNES *Divinus* cujus liber *de Doctrina Cordis* MS. in Coenobio Cambaronensi ord. Cisterc. in Hannonia, teste Sandero Bibl. Belgicae pag. 359.

JOANNES *Dlugossus.* Supra t. 2, p. 435.

JOANNIS *de Dobergos*, Plebani, exemplatio Evangeliorum per anni circulum occurrentium, MS. in Bibl. S. Petri hujus

Urbis. Vide B. Staphorstii tom. 3. hist. Eccles. Hamburg. pag. 266.

JOANNES *Docreus* quem circa A. 1318 scripsisse de vita, passione et sepultura Dionysii Areopagitae notat Eysengreinius, diversum esse non dubito a *Joanne Docaeo* Gallo Benedictino, de cujus scriptis Possevinus: Vixit enim hic post A. 1550

JOANNES *Dominici* de Eugubio, Ord. Praed. circa An. 1290. De cujus *Epistola ad Principes Bavariae de Origine et veritate Sacramenti mirabilis in monte* Andechs *inter alias reliquias requiescentis* vide Lambecium tom. 2. pag. 922 923. Jacobum Quetif tom. 1, pag. 704.

JOANNES *Dominici*, de Florentia, Ord. Praed. et ab An. 1408 ad 1419. Presbyter Cardinalis et Archiepiscopus Ragusinus, de quo Trithemius cap. 731. Acta Sanctor. tom. 2. Junii pag. 396 Jacobus Quetif tom. 1, pag. 768. seq. Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. pag. 289 seq. Ciacconius, Eggs et alii qui de Cardinalibus scripsere. Sigismundus Ferrarius de rebus Hungaricae provinciae Ord. Praed. pag. 156 seq. qui eius *litteras* quas legatus Apostolicus An. 1409 de indulgentiis 130 dierum; Ecclesiam B. Virginis de Insula Danubii, Vesprimiensis dioecesis visitantibus *ad Sigismundum Hungariae Regem* datas exhibet parte 2, pag. 340. Hunc Magistrum suum multis celebrat S. Antoninus summae histor. tit. 23 cap. XI. §. 3. tom. 3, pag. 682 seq. Caeterae eius lucubrationes sunt: *In Ecclesiasten* Lectiones, quas Venetiis Lector habuit. *In Cantici Canticorum* cap. 1. et 2. *In Matthaeum* ad Caput XIX. usque: et *super Magnificat*, copiosus commentarius. *In Psalmos. Itinerarium devotionis.* Sermones XLIV. *de amore Charitatis*, in illud 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar et Angelorum. Idem *Trattato della sancta carità.* Senis 1513. 4. Venetiis 1524 1536 8. Florent. 1595 8. *De Vita B. Virginis et Ecclesiis ei dicatis Florentiae* ad Petrum Medicem Cosimi F. libris IV. Carmine. (168. Abs re confundisse Fabricium JO. *Dominici* hunc cum F. Dominico Joannis *de Corella*, juniorem scriptorem op. *de Vita B. Virg.* et *Ecclesiis ap. Florentinos* in celeberr. *Storia* VI 251 ed. 1795 monuit Tiraboschius) *Quadragesimalia* plura, in quibus varia loca Scripturarum Evangelii, Epistolae: Psalmorum et *Epistolae ad Romanos* illustravit, neque alium puto Commentarium ejus in Epistolam ad Romanos et *ad Corinthios*, quem apud Julium Nigrum memorari video. Dubito etiam de commentario *in Ecclesiasticum.* Inter alia vero teste Antonino, *una Quadragesima Florentiae in Ecclesia Cathedrali* omnes regulas Juris, *quae habentur in libro VI. Decretalium, bis dietim praedicavit, cum magno concursu audientium, unam de mane, aliam de sero proponendo cum themate Evangelii vel Epistolae concurrentis, admirantibus cunctis.* Tractatus *de conceptione B. Virginis. De corpore CHristi. De proprio* et *de possessionibus. Regula vivendi. Sermones* de tempore. De festis et de Sanctis. *Vita D. Marcolini, Forolivienses. Epistolae. Oratio in funere Boniti Cardinalis.* De Johannis huius *lucula noctis* vide quae supra tom. 2 p. 168.

JOANNES *Dominici* de Narbona Ord. Praed. An. 1323 Avenione absolvit compendium quo secundam secundae S. Thomae Aquinatis, iussu Papae Joannis XXII abbreviavit. Vide laudatum Quetif tom. 1 558.

JOANNES *Dominicus* Spazzarinus. Infra SPAZZARINUS.

JOANNES *Dondus*, sive *de Dondis* ab Horologio, Jacobi Dondi Medici F. frater Gabrielis Dondi, Medici: Medicus et ipse celebris et Philosophus ac Mathematicus Patavinus, ea fama, ut *Aristotelis anima* diceretur. Amicus Francisci Petrarchae, qui moriturus quinquaginta ei aureos legavit pro annulo, quem Petrarchae in memoriam semper in digito gestaret. Obiit Petrarcha An. 1374. 18. Jul. Joannes vero Dondus A. 1380 5 Cal. Octobr. Vide Scardeonium, Tomasinum, et Nic. Comneni historiam Gymnasii Patavini tom. 2. p 158 Scripsit Volumina tria *Planetarii*, de ratione construendi instrumenti quod motus coelestes spectantibus proderet. Tres quoque libros de balneis Patavinis et de causis caliditatis ac natura aquarum Aponen-

sium, ut iam dicere me memini supra tom. 2 pag. 474.

JOANNES *Dorre*, Presbyter. JCtus, Decanus Ecclesiae S. Andrea Wormatiensis praesens *Concilio Constantiensi* An. 1414 1418. habito interfuit eiusque *Actorum Epitomen* condidit, quam nobilem vocat V. C. Hermannus ab Hardt tom. 4 p. 5 MSta illa usus ex Cod. Bibl. Caesar. Vindobonensis.

JOANNES *de Dorstein* Teutonicus, Augustinianus circa A. 1474 cuius solos *Sermones* de tempore et de sanctis memorat Trithemius cap. 853 de S. E. et de scriptor. German. cap. 217.

* Obiisse scribitur an. 1481 scripsit de cruore miraculoso D. N. J. Christi osservato in Monasterio Groserensi Augustinianorum. Quaestiones varias super quatuor libros sententiarum. Consolationum contra metum mortis. De cognitione Angelorum. De vitiis linguae et sermones de quibus tantummodo hic Fabricius. Haec omnia servantur MSS. Vide Gandolfo in Dissertatione de CC. Augustinianis.

JOANNES *Dribrocus* JCtus, Anglus cuius commentarium ad quinque libros Decretalium laudat Pitseus pag. 873.

JOANNES *Driedo* (Dridoens) discipulus Hadriani VI Pontificis, Theologus Doctor ab An. 1512. Lovaniensis, defunctus An. 1535. De eius scriptis Possevinus, Valerius Andreas, Sweertius, Miraeus.

JOANNES *Dritonus* de Arida villa, Anglus, Parisiis Theologiam docuit circa An. 1260 scripsitque: *De tribus principiis De principiis Theologicis. Conclusiones Scholasticas. De relatione. Contra seductores fratres*, Evangelii aeterni jactatores. Vide Baleum IV 26 et Pitseum pag. 339. seq.

JOANNES *Dumbletonus* Anglus, Oxoniae Collegii Mertonensis alumnus circa A. 1320 praeter *Commentarios in Cantica* scripsit *Summam Theologiae* maiorem libris X. minoremque: *Summam artium. De Logica intellectuali* libros IX. *De Philosophia naturali* libros IX. In Aristotelis Ethica ad Nicomachum, sive *in Philosophiam moralem* libros X. Vide Baleum V 14 et Pitseum p. 414.

JOANNES *Duns*, sive *Dunostenus*, infra *Joannes Scotus*.

JOANNES *de Duren* a Patria Marcoduro, Theologus Ord. Minor. in dioecesi Coloniensi Seculo XV. vixit scripsitque *De septem peccatis mortalibus*, *de occultis vitiis*, *de confessione. Sermones* de tempore, de Sanctis, et *Quadragesimale*. Vide Trithemium de S. E. cap. 699 et de scriptor. Germ. cap. 144 e quo Possevinus, Valerius Andreas, Sweertius, Waddingus etc.

JOANNES *Durolendunus*. Supra, *Joannes Derlington*.

JOANNES *de Dusseldorf* Teutonicus, Carmelitarum Prior, Argentorati superstes adhuc A. 1494 cum scriberet Trithemius, cujus librum de S. E. vide cap. 960 et Alegrium pag. 369. Scripsit *Itinerarium terrae sanctae* quam ipse adierat et *librum de dierum festorum observat one*, *Sermones* de tempore et de Sanctis.

JOANNES *de Eboraco* Anglus Carmelita, Theologus Oxoniensis, circa A. 1390. Scripsit *Lecturas in Genesin*, *Expositiones Ordinarias*, *Praeconia sacrae Scripturae*. Vide Pitseum pag. 874. Alegrium pag. 319.

JOANNES *Eboracensis* thesaurarius, supra, *Joannes Belmeis*.

JOANNES *de Eck* sive *Eccius* notus *Lutheri* nostri adversarius, natus in Sveviae pago Eck 13. Nov. A. 1486 et defunctus Procancellarius Academiae Ingolstadiensis An. 1543 10 Febr. De eo ejusque scriptis, cum sit junior pro instituto praesenti, tanto minus hic repetam quae notata a me sunt in Centifolio Lutherano.

JOANNES *Edaeus* Anglus Herefordensis Guardianus Ord. Minor. circa A. 1406 de quo Lelandus cap. 472 Baleus VII 28 Waddingus pag 204 et Pitseus pag. 580. Scripsit *in Apocalypsin. In Magistrum Sententiarum. Opuscula Theologica. Fasciculum Virtutum et Vitiorum. In Logicos et Physicos Aristotelis libros. Lexicon nominum originalium. Conciones.*

JOANNES *de S. Edmundo*, Anglus, Carmelita, circa A. 1350 cujus *commentarios in Lucam* memorat Pitseus pag. 474.

JOANNES *Ego*, Monasterii *Augiae Majoris* seu *Divitis* Prior, quanquam iunior (scripsit enim A. 1630. idem A. 1643. 25 Jul. defunctus) hoc loco a me refertur,

quia librum eius *de Viris illustribus illius Monasterii* inter scriptores medii aevi vulgavit V. C. Bernardus Pez tom. 1. Anecdotorum parte 3. pag. 629-773. Sectio prima de Sanctis et Beatis Augiensibus disserit: secunda de Doctoribus et Scriptoribus pag. 640 seq. et tertia denique pag. 705. seq. de Monachis Augiae ad varias dignitates assumtis, evectisque ad Abbatias, et Episcopales ac Metropolitanas sedes. Etiam *Chronicon Augiense* ab hoc Egone conditum laudatus Pez annotat, qui ejus edendi spem fecit in diss. isagogica ad tomum 1. Anecdotor. p. Xc.

JOANNES *Eitonus* sive *Eytonus*, Anglus, Collegii Mertonensis in Academia Oxoniensi alumnus, cujus tractatum MS. *de usura* ex Pitsei pag. 875. Cangius commemorat.

JOANNES *Eligerus* de Gondersleven, Teutonicus, Joannis de Saxonia, de quo infra, auditor, Philosophus circa A. 1350 Scripsit *de compositione et de utilitate Astrolabii. De utilitate Quadrantis. De Astrogemetro. De Magnete.* Vide Trithemium de S. E. cap. 616. et de scriptor. Germ. cap. 112.

JOANNES *Elinus* sive *Helinius* Nordvolciensis Carmelita circa A. 1379. scripsit *Commentarios in Apocalypsin*, vaticiniis etiam per icones appositas descriptis. *Lecturas Scripturarum. Quodlibetales quaestiones. Homilias.* Vide Lelandum c. 575. Baleum VI. 32. Pitseum pag. 519.

JOANNES *de Ellenbogen* sive *de Cubito*, oppido Bohemico ad Egram fluvium sito ex Priore Waldsassensi Abbas ab A. 1313 od 1325. Ord. Cisterc. Scripsit *de Vita Monachorum Monasterii sui* ad Petrum Abbatem Aulae Regiae, libellum editum a Bernhardo Pez tom. VIII. Bibl. asceticae pag. 467-490. Ratisbonae 1725. 8.

JOANNES *Eremita* cujus libri II. *de vita S. Bernhardi* Claraevallensis ad Petrum Tusculanum Episcopum scripti sunt circa A. 1180. editique à Petro Francisco Chifletio in genere illustri S. Bernhardi asserto, Divione 1660. 4. atque inde in Mabillonianis Operum S. Bernardi editionibus. Vide supra t. 1 p. 617. et 621.

JONNES *de Erfordia* Thuringus, Ord. Minor. circa A. 1350. Scripsit teste Trithemio cap. 630. *Summam de casibus*, *Summam Confessorum*, *et Tabulam Juris* eandem ut videtur cum *tabula Originalium* per ordinem alphabeticum quam MS. memorat Sanderus pag. 204. Bibl. Belgicae, et Waddingus pag. 204. qui *tabulam Juris originalium nominum* appellat. Hisce *Sermones* de tempore et de Sanctis adjungit Trithemius de scriptoribus Germ. cap. 117. atque Eysengreinius pag. 144. Verum Possevinus et Waddingus etiam *Commentaria in libros Sententiarum.*

JOANNES *Erigena,* infra *Joannes Scotus.*

JOANNES *Ernesti*, Gymnasii Heidelbergensis decus et Rector, clarus tempore Concilii Basileensis A. 1440. Scripsit *de auctoritate Concili generalis. Quaestiones Sententiarum. Quaestiones disputatas. De jejunio* ad Universitatem. *Sermones* multos et *Orationes* Varias, atque in his, *de Nativitate Domini.* Vide Trithemium cap. 798. de S. E. et scriptor. Germ. cap. 183.

JOANNES *ab Esculo*. Supra, *Joannes Asculanus.*

JOANNES *de Eschenden,* supra, *Joannes Æschendenus.*

JOANNES *de Essendia* Ord. Praed. Conventus Wesaliensis, S. Theologiae Professor circa An. 1437. Eius opus historicum laudat Wernerus Rollevinckius: confer Oudinum tom. 3, pag. 974. Et inter scripta Henrici de Kalteysen apud Jacobum Quetif tom. 1, pag. 830 et 791 fertur Declaratio quorundam dubitabilium circa acta seu dicta per spiritum in Meyeric, quae decidit frater Joannes de Essendia, qui spiritus apparuit An. 1437 in Ducatu Clivensi.

JOANNES *Estuidi*, *Estwode* supra *Joannes Æschendenus.*

JOANNES *Everisdenus* supra t. 2 p. 529.

JOANNES III. *Eystensis* an An. 1446 ad 1464. Episcopus, cuius libellum *de Constantia*, *ad Virgines S. Walpurgis*, sive *Historiam Reformationis Monasterii S. Walpurgis* Eystetensis, Ord. Bened. vulgavit Bernardus Pez tom. VIII. Bibl. Asceticae pag.

651 670. Idem in praef. memorat eiusdem Joannis *Reformationem statutorum ac Judicii Eystetensis. Ordinem Judiciarium*, cui est immortuus. Tractatum *de comparatione vitae activae et contemplativae. Epistola sex ad Bernardum de Waging*, Priorem Tegernseensem, quarum una est, utrum tutius, et utilius sit uni DEO et sibi in Monasterio vacare, quam in cura animarum et praelatione existere. *Epistostolam ad Iacobum Anachoretam Domus Carthusiensis Cellae Salutis in Ducklhausen*, de gravi onere Praesulatus.

JOANNES *Faber*. Quatuor hoc nomine, supra tom. 2, pag. 543 seq.

JOANNES *de Fabriano*, Augustinianus, Theologus et Philosophus Bononiensis qui An. 1348 obiit. *De concordia Platonis ad sacram Scripturam* commentatus est. teste Possevino atque Philippo Elssio pag. 352 praeterea scripsit *expositionem quatuor Evangeliorum*, et *in Ethica ac Politica Aristotelis*.

* In MS. Cod. meo extat scriptum quoddam breve ad hunc Joannem referendum h. titulo. *Testimonia de adventu D. N. J. C. in carne hinc inde recollect. per Magistr. Jo. de Fabriano* Incipit titulus: *In Aegipto*. Tum exorditur. *Hermes Trismegistus libro de verbo perfecto* etc.

JOANNES *de Fabrica* Ord. Minor. sacrae paginae Professor Paris. circa Anno 1500. Huius tractatus *super declaratione indulgentiarum concessarum pro animabus in purgatorio*, exstat MS. in Bibl. Quedlimburgensi. Vide Tobiae Eckardi notitiam illius Bibliothecae pag. 44.

JOANNES *a Falchenberga* Pomeraniae, Ord. Praed. dictus etiam Jacobita de Saxonia, et Doctor de Prutenis, utpote natus in ditione equitum Cruciferorum Livoniae et Prussiae. In Concilio Constantiensi addictus Gregorio XII. et An. 1418 assertiones Joannis Parvi, *licere tyrannum occidere*, propugnavit duobus scriptis, quae leguntur inter Jo. Gersonis Opera tom. V. pag. 1013 et 1020. Praeterea edidit libellum vehementem pro Cruciferis suis *contra Polonos eorumque Regem Wladislaum* sive *Iagellonem* de potestate Papae et Imperatoris, respectu infidelium, qui liber in iam dicto Concilio damnatus fuit. Vide Clariss. Hardtii Acta Concilii Constantiensis t. IV. p. 1531 1556 seq. Jo. Gersonis opera edit. novae t. 4 p. 713 seq. Jacobum Quetif t. 1 p. 760 seq. atque Edmundum Richerium hist. Concilior. lib. 2, p. 250 255 seq.

JOANNES *a Fano Eadmundi*, Carmelita, Anglus, cujus Commentarios *in Lucam* laudat Lelandus cap. 545.

JOANNES *Felminghamus* Philosophus Anglus quem Pitseus p. 874 ait Quaestiones scripsisse in elenchos *Aristotelis*, atque alios Philosophi libros Commentariis illustrasse.

JOANNES *Felton* cognomento Homiliarius, supra tom. 2, pag. 569.

JOANNES *Fernandus*, circa An. 1494. Ord. Bened. cujus carmina quaedam in Monachos edidit Flacius in poematibus veteribus de corrupto Ecclesiae statu p. 486 seq, De aliis vide Trithemium c. 936.

* Hunc Joannem designari puto a Symphoriano Camperio medico Lugdunensi in Catalogo praeceptorum et patronorum etc. suorum verbis illis. *Praeceptores nostri in humanitate Guido Juvenalis, Joannes Ferdinandus* ec. Vide eius libellum inscriptum *Duellum epistolarum*.

JOANNES *Ferrariensis* Philosophus, Ord. Minor. cuius *excerpta ex Annalibus Principum Estensium* ab An. 1409 ad 1454 vulgavit celeberrimus Muratorius tom. XX thesauri scriptorum Italiae, Mediolan. 1731 fol. Vide Acta Eruditor. 1733 p. 395 seq.

JOANNES *Fiber*, supra CASTOR tom. 1, pag. 332.

JOANNES *a Fibrilega* sive *Fibroleganus* Anglus, Bedae laudatus de quo vide si placet Lelandum cap. 53.

JOANNES Abbas *Fiscamnensis* Coenobii in Normannia ad An. 1028 ab 1078 cujus *Epistolam* ad Wilhelmum Conquaestorem, Angliae Regem et alteram ad Vitalem, Abbatem Bernacensem: tertiamque ad Warinum, Abbatem Metensis Monasterii S. Arnulfi, edidit Mabillonius tom. 1. Analect. pag. 221 (edit. novae pag. 450 seq.) Eidem Joanni sive ab exilitate staturae dicto JOHANNELINO laudatus Mabillonius tribuit pag. 133 (edit. novae pag. 130.) *li-*

brum precum variarum a) de Scripturis et verbis Patrum, ad Imperatricem Agnetem viduam Henrici III. Imperatoris, in partes divisum tres, cuius prologum affert et specimina: sicut et librum *de Divina contemplatione, CHristique amore* et *de superna Hierusalem*, similiter tribus distinctum partibus, cuius itidem excerpta subiicit: notans ex hoc Joanne ad verbum multa reperisse, qui *Meditationum* librum S. AUGUSTINO supposuit. In prologo iam dicto innuit Johannes Abbas se etiam scripsisse *de institutione viduae, de vita et moribus virginum* et *de eleemosynarum dispensatione.*

JOANNES *Fischerus* Roffensis Vide JOAN. *Roffensis.*

JOANNES *Flasboriensis* laudatur inter scriptores quibus usus est ad opus Chronographiae suae condendum Joannes Nauclerus.

JOANNES *Fletus*. Supra t. 2, p. 575.

JOANNES *Folshamus* Doctor Catabrigiensis, Carmelitarum per Angliam Minister Provincialis, defunctus Norwici Anno 1548. Vide Lelandum cap. 369. Pitseum pag. 459. Baleum V. 69 Scripsit Commentarios *in aliquot libros Salomonis. Flores ex S. Chrysostomo. Indices super Anselmum* Cantuar. *Quaestiones Theologiae. Moralitates rerum. De arte praedicandi. De matrimonio. Collationes per annum. In Metaphysicam Aristotelis*, et *De naturis rerum* quod incipit: *Triplex esse verum.*

JOANNES *Abbàs de Forda* scriptor *vitae S. Volferici* Eremitae, defuncti An. 1154. Laudat Albericus ad illum annum pag. 324. Idem Joannes Ord. Cisterc. Abbas *Fordensis* sive *de Fordeham* Devoniensis in Anglia Joannis Regis qui ab An. 1199 ad 1216 praefuit, a sacris Confessionibus, qui etiam scripsit *In ultimam partem Cantici Canticorum* et *in Jeremiam, ac Threnos Homilias CXX.* et *De contemtu Mundi. De sacramento altaris.* Vide Oudinum t. 2. pag. 1653. Lelandum c. 206. Baleum 66 Pitseum pag. 276 sed qui male confundit cum Scotichronici auctore, de quo mox.

a) Supra pag. 125.

JOANNES *Fordun*, Scotus, auctor *Scotichronici* libris V. ab ultimis temporibus usque ad A. C. 1066 sive ad mortem Eduardi III. cuius filius Haroldus II. (non illius qui aliis Eduardus III. aliis Eduardus VI. unde error virorum doctorum Seldeni et Galei qui aiunt in An. 1360 desinere, et quos secutum me video supra 2. 533.) Editum est hoc opus Forduni a Thoma Galeo t. 1. quindecim scriptorum p. 565 699. Illud pridem interpolavere continuaveruntque et librum VI VII VIII X XI usque ad A. 1447 addidere Archiepiscopi Edinburgensis Secretarius, atque si Galeum audimus, discipulus Fordunii, MAGNUS *Macullach* sive *Macullochus*, cuius aetatem video referri ad An. 1482 et WALTERUS Bower: cum quorum supplementis et contiuuatione opus Forduni vulgavit Thomas Hearne a) Oxon. 1722 8 quinqe Voluminibus. Scriptorum a Forduno laudatorum en brevem indiculum, quem inter legendum consignavi ad paginas edit. Galeanae:

Adamnanus 638 seq. 660.
Ambrosius 578.
Arelatense Chronicon 653.
Bartholomaeus 577 584 588.
Bartholus 584.
Beda 589. 594. 600. 606. 610. 627. 630. 632. 636.
Bragmannorum ad Alexandrum Epistola 583.
Legenda Brandani 575.
Chronica 573 572 576 581 628.
Comestor 576.
Elucidarium 582.
Erodotus (Herodotus) 591.
Eusebius 578.
Eutropius 574. seq. 577. 578. 598. 602. 610. 662.
Galfridus 578 587 589 595 605.
Gaufridi Chronicon liber sextus 631.
Gaytheli leges 576.
Gildae prophetia 634 versus 593 613 621.
Grossum Caput 573 577.
Helynandus 669.
Isidorus 568 576 578 583 591 592.
De Mariano Scoto 689.

a) Acta Erud. 1724. pag. 211. Journal des Sav. 1725. Fevrier pag. 225.

Melinus 631.

Polychronicon (Ranulphi Cestrensis) 625. 681.

Polymanticus 584.

Richardus 596.

Sibylla Tiburtina 598 seq.

Sigebertus 616 617 632.

Theoduli versus 583.

Tolomaeus (Ptolemaeus) 588.

Vincentii speculum 653 ubi ait eum de Chronicis metropolis Arelatensis quaedam excerpsisse.

JOANNES *Fortescue* Capitalis Justitiarius et Cancellarius Angliae circa A. 1460. Ejus *de laudibus Legum Angliae*, prodiit An. 1599 et cum Jo. Seldeni notis Lond. 1616 8 (quae notae recusae inter ejus Opepera tom. 3 pag. 1884-1906) et cum notis Eduardi Waterhusii Lond. 1663 fol.

JOANNES Dieppurg, *de Francfordia* Doctor Heidelbergensis circa A. 1494 scripsit *contra Hussitas et Feymeros* aliaque de quibus ad Trithemium cap. 764.

JOANNES *Franciogia* Cangii et aliorum confictus ex *Joanne Abbaevillano* defuncto A. 1237 de quo dixi supra in limine tomi primi. Vide Sammarthanos tom. 1 Galliae Christianae pag. 128.

JOANNIS *de Frarino* scriptum *de Eucharistia et aliis Christianae Religionis Mysteriis* evolvit Cangius in Bibl. S. Germani de Pratis Cod. 330.

JONNES *Friburgensis* cognomento Runsic, Teutonicus Ord. Praed. circa Annum 1320 auctor Chronici ab Orbe condito ad A. C. 1261 aliorumque scriptorum, de quibus supra tom. 2 pag. 608. male confusus a quibusdam cum Joanne Teutonico qui ab A. 1232 Episcopus Bossinensis a) sive Bosnenus et Magister Ord. Praed. A. 1252 diem obiit.

JOANNES *Fribitoris*, *Frihitoris*, sive *Forbitoris*, *Forbiteus* (Fourbisseur) Theologus Parisiensis, Ord. Praed. circa A. 1379 Scripsit *in IV libros Sententiarum* et *Sermones*. Vide Jacobum Quetif tom. 1 p. 677.

JOANNES *Frossardus*. Supra t. 2 614.

JOANNES *Frumentarius* al. *Whethampstede* ex Monacho Glocestrensi Abbas fani S. Albani in Anglia circa A. 1440. Ejus librum *de Viris illustribus* ad Hunfredum Glocestriae ducem, laudat Lelandus c. 207 256 atque alibi. Praeterea cap. 530 testatur inspectum a se illius librum *de situ terrae sanctae*. Alia ejusdem memorantur apud Baleum VIII 3 et Pitseum pag. 631. Expositio S. Scripturae sive *granarium de granis typicis libri V Manipularium Doctorum*. *Ordinationes suae Abbatiae*. *Defensorium exemptorum*. *De hominum officiis*. *De haereticis et eorum fautoribus*. *Contra Episcopum Nordvicensem*. *Contra infidum fratrem*. *De gestis propriis*. *Orationes* in Synodis Papiens et Senensi habitae tempore Martini V. *De vita S. Amphibali*, carmine quod incipit: *Si cupis Amphibali certamina*. *Opus necessariorum*. *Opus metricum* cuius initium: *in Cirrhae cyatho pueris potando propino*. *Palearium poëtarum et Pabularium*. *Declamationes metricae*. *Epistolarium* et *Epistolae ad diversos*. Vertit etiam vitam S. Albani, atque indicibus instruxit, sive ut Balei verbo utar tabulavit Valerium Maximum, Joannem Sarisberiensem, Petrum Blaesensem, Augustinum de Ancona et Defensorium Ecclesiae.

JOANNES *Fust* sive *Fustgin*, *Fustiginus* Carmelita: ex Cruzenachensi Lectore Prior apud Argentinensis circa A. 1370 ex cujus scriptis apud Trithemium cap. 655 de S. E. et de scriptor. Germ. cap. 126 Possevinum et Alegrium pag. 310 nihil memoratur praeter *Sermones* de tempore, de Sanctis et Quadragesimales.

JOANNES *Galensis*, cujus *Communeloquium* et Tractatus *de vitiis et virtutibus*, itemque alius *de poenis ac praemiis* MS. in Bibl. Paulina Lipsiensi. Vide Catalogum B. Joachimi Felleri pag. 196. Non diversus hic a *Joanne Guallensi*, de quo dixi supra tom. 3 pag. 104.

JOANNES *Gallus*. Vide infra JONAS, monachus *Fontanellensis*.

JOANNES *de Gandavo* sive *de Gauduno* Flacio aliis *de Janduno*, aliis *de Geduno*, Perusiae Theologiam et Philosophiam docuit et circa A. 1326 scripsit *librum de potestate Ecclesiastica*, eadem cum Marsi-

a) Vitiose apud Cangium *Ossunensis*.

lio Patavino sentiens, ac propterea a Joanne XXII damnatus in decreto extravag. A. 1327 quod incipit: *licet intra doctrinam Apostoli.* At enim *Informationem de nullitate processuum Johannis XXII contra Ludovicum Imp.* pro superioritate Imperatoris in temporalibus, quam edidit Goldastus tom. 1 Monarchiae Imperii pag. 18-21 ipse in diss. de auctoribus, tomo illi praemissa negat illius scriptoris esse, alias interim ejus lucubrationes laudans, *Commentarios super Sententias*, et *Quodlibetum* a Marsilio Patavino in manus hominum datum. De hujus Joannis quaestionibus et Commentariis in *Aristotelis* Physica, Metaphysica, librosque de anima, Coelo et de Mundo videndus H. Warthonus ad Caveum. *Quaestiones in Averroëm de substantia Orbis*, prodiere Venet. 1488 1496 1501 fol.

JOANNES *Gamver* aliis *Gauwer, Gattver*, Carmelita Theologus Moguntinus qui Concilio Basileensi A. 1440 interfuit, ac praeter *Sermones* de tempore, de Sanctis et Quadragesimale triplicatum scripsit *in Exodum* et *Concordiam Evangelicam*, *in IV libros Sententiarum.* Vide Trithemium de script. Germ. cap. 179 et de S. cap. 793 Possevinum et Alegrium pag. 346.

JOANNES *de Garlandia*, Grammaticus et Poëta, de quo supra tom. 3 pag. 19.

JOANNES *Garlandius*, Medicus et Physicus. ibid. pag. 19.

JOANNES *Garso*, sive *Garzonis.* Supra tom. 3 pag. 20.

JOANNES *Gascoinus* supra tom. 3 p. 21.

JOANNES *Gastisdenus, Gatisdenus, Gadesdenus*, Anglus Medicus, circa A. 1320. Matthaeo Silvatico *Joannes Anglicus* cujus iam supra feci mentionem pag. 338. Ubi *Rosam* eius *Anglicanam*, dixi editam Venet. 1502 1516 fol. Haec in quinque tributa libros, tribus primoribus morbos communes, duobus posterioribus particulares persequitur. Scripsit praeterea *De regimine acutorum*, *de simplicibus medicinis* : *de digerentibus et evacuantibus, de instrumentis suae artis, Quidpro quo* sive de medicamentis succedaneis. *De phlebotomia. Practicam Medicinae* et *pro dietariis.* Vide Lelandum c. 379 Baleum V. 7 et Pitseum p. 413. seq.

JOANNES *Gattuer*, supra *Joannes Ganver*.

JOANNIS *de Geduno* MS. commentarius *de anima* memoratur a Sandero parte 2. Bibl. Belg. pag. 89. Vide supra *Joannes de Gandavo.*

JOANNES *Geilerus* natus Schafhusae Ao. 1443 Caesaremonti vero sive *Kaisersbergae* a proavo educatus: Argentorati denique ubi per annos XXXIII sacras Conciones cum fructu habuit. defunctus An. 1510 Vir egregius quem B. Rhenanus hoc decoravit epitaphio: *DEO TRINO et UNI. Bene valeas quisquis es. JOANNI GEILERO Caesaremontana, Theologiae consultissimo, qui Pericle eloquentior, Socrate continentior, Numaque religiosior, vitae sanctimonia et sacris Concionibus Argentoratensem populum Annos XXXIII. non sine magno profectu erudivit, nemini unquam assentatus, pauperes patrio affectu fovit, bonos ac doctos mero studio dilexit: Argentoratensis inclyta Resp. aeterno decori et monimento posuit. Vixit annos LXIV menses XI dies XXIV. Obiit totius Alsatiae lacrymis defletus sub Maximiliano Aug. a quo ob vitae integritatem plurimum amatus est, Anno Gratiae X Sext. id. Martias. Proh quam recti exempli homo erat! Sed orta cadunt.* Iampridem hic inter testes Veritatis numeratus est a Flacio aliisque. Vide Hermanni ab Hardt autographa Lutheri et aliorum tom. 1. pag. 46. seq. ubi de Kaysersbergii *Formicario*: et t. 2 p. 66 ubi de ejus homiliis An. 1494 habitis quibus ansa *navem stultiferam* sive *Narragoniae* Germanicis versibus exponendi data fuit Sebastiano Brandt, a) seu Titioni, JCto Argentoratensi: et Latinis elegis Jacobo Locher b) cognomento Philomuso, Svevo, quae recognita ab eodem Brandto c) plus simplice vice recusa est, ut Germa-

a) Vide Trithemium de S. E. cap. 924. et de scriptoribus Germ. cap. 258. Exstat et *Wigandi Wirt*, Ord. Praed. carmen elegiacum adversus Brandtum, editum Argentorat. 1503. qui incipit: *Brandt, nimium insontes cornuta fronte lace sis.*

a) Vitiose *Jacobus Echor* tom. 2. autograph. Lutheri pag. 66. et *Jacobus Lodar* apud Voëtium tom 3. select. diss. pag. 684.

c) Argentorat 1497. 4. Augustae Vindel. 1497. 8. Basil. 1498. Paris. 1572. 8. apud Henr. Petri.

nicam Metaphrasin Joannis Pauli. Ord. Minor. Argentor. 1520 fol. et in dialecto inferioris Saxoniae Rostoch. 1519 4 Anglicas item Belgicasque praeteream, de quibus Christoph. Hendreichius pandect. Brandenb. p. 703 seq. De Kaysersbergio autem consulendi Trithemius cap. 918. de S. E. et de scriptoribus Germ. cap. 247. Melchior Adami in vitis Theologorum pag. 3 seq. Jo. Pantaleo prosopographiae parte 2 pag. 474 (quo teste *praedixit religionem corruptam, venturumque quendam Divinitus qui eam instauret, eamque diem videre exoptavit.*) Boissardus tom. 2 iconum pag. 228. Diarium Theologicum *Unschuldige Nachrichten* A. 1721 pag. 5 seq. ubi etiam effigies, sicut apud Boissardum, et rudior apud Pantaleonem occurrit. Omitto velut notiores Possevinum, Koenigii Bibl. in *Geilero*, et Jo. Gotfridi Olearii Bibl. Ecclesiasticam in *Kaisersbergio*. Inprimis referre juvat ab illo primum collecta recensitaque lucem vidisse *Joannis GERSONIS*, Cancellarii Paris. opera, Argentorati 1488 fol. 3 Voluminibus, ut dixi supra tom. 3 p. 48. De caeteris ejus lucubrationibus non habeo quae addam notatis a Gesnero Simleroque, Possevino et H. Warthono ad Caveum: nisi ejus *naviculam poenitentiae* excusam esse Basileae apud Hervagium, et Speculum consolationum (*Frost-Spiegel*) recusum Germanice Hamburgi An. 1597. curante B. Davide Woldero.

* Viri huius pii vitam brevi, compendio tradidit B. Rhenanus absque loco et tempore excusam. Ex eo auctore discimus explicatum ab illo Humbertum de virtutibus, quam opellam propediem evulgandam nunciat. Tum addit extare eius fragmenta de passione Domini, Sermones in orationem Dominicam, speculum Stultorum aliosque libellos vernacule scriptos. De corrupto religionis Statu ac de instauratore posthac venturo, quod ab illo praenunciatum affirmat Joannes Pantalio hic apud Fabricium nihil quidquam mutit. Scimus tamen Geilerum invisos habuisse plurimum mores corruptos cleri et populi in quorum corruptores acriter invectus est. Hanc ergo corruptionem morum, non dogmatum in religione improbasse vero perquam simillimum credo. Quid quod audaces quasdam manus in sermones eius immissas quaeritur Petrus Wickgrami eiusdem Geileri ex sorore nepos in epistola Sermonibus eius praefixa? in qua et catalogum sincerorum operum eiusdem exhibet. Sunt vero illa · *Peregrinus* latine et Germanice: *Oratio dominica et passio* latine: nam Germanicam editionem vitiatam judicat Wickgramus in iis praesertim: *quae venenato ore evomuntur in ecclesiasticos* et monasticae professionis viros. Addit nosse se hominem sacrae professionis, qui ex ore concionantis quaedam accepta suis permultis ineptiis ac deliramentis confersit, et formavit in volumen, quod postillarum Evangelii Keiserpergii titulo decoravit, vendiditque opus grandi aere typographis mox evulgandum. Dein inter sincera eius opera laudat *tractatus de dispositione ad felicem mortem*; item et *naviculam salutis* cum *nave stultifera*, *ove errante*, *Paradiso animae ex Humberti tractatu de virtutibus Germanice tradito*. Haec fere omnia accepi ex cl. Lambaker Bibl. Civ. Vindob. pag. 255. Postremum vero opus *De paradiso animae* idem est cum eo de quo supra. Sermones eius duobus in fol. voluminib. prodierunt Argentinae 1518 1519.

JOANNES Gorus sive Gorinus, Etruscus *de S. Geminiano* Ord. Praed. post Annum 1323. adhuc vixit: nam *vita S. Petri Confessoris* qui A. 1323. obiit, ab illo composita extat in Actis Santorum t. IV. Julii 19. pag. 665. Idem scriptor *Summae de exemplis* a) *et rerum similitudinibus*, libris X. falso sub HELVICI *Teutonici* nomine editae. Sed Joanni vindicant editiones insecutae Venet. 1497. 1499. 1557. 1582. Basil. 1490. 4. Antw. 1583. 1599. 1629. 8 Lugd. 1585. Colon. 1670. 4. Vi-

a) Exempla et similitudines offeruntur lib. 1. de Coelo et elementis: 2. de metallis et lapidibus. 3. de vegetabilibus et plantis 4. de natatilibus et volatilibus. 5. de animalibus terrestribus 6. de homine et membris ejus. 7. de Visionibus et Somniis in S. Scriptura relatis. 8. de Canonibus et Legibus. 9. de artificibus et artificialibus: et 10. de actibus et moribus humanis.

de Jacobum Quetif tom. 1. pag. 528. seq. et Jo. Vincentium Coppi in annalibus et Viris illustribus Sangeminianensibus, Florentiae 1695. 4. Caetera ejus scripta sunt *Conciones* funebres, Lugd. 1489. 4. 1510. 4. Paris. 1611. 8. Quadragesimales Venet 1584. Colon. 1612. 8. et aliae. Collationes sive Sermones varii generis inediti.

JOANNES *Gerbrandus* de Leydis. Supra tom. 3 pag. 133.

JOANNES *Gersen* al. *Gessen* sive *de Gessate*, Abbas Vercellensis Ord. Bened. ab A. 1230. ad 1245. quem nonnulli, assentiente etiam Cangio, faciunt auctorem librorum *de imitatione CHristi*, ut dixi supra tom 3 pag. 50. ubi etiam de *libro aureo* quem huic Gersenio tribuit, inque lucem tom. 1 anecdotor. parte 2. pag. 565-650. edidit V. C. Bernardus Pez, *de professione Monachorum Ord. S. Benedicti.*

JOANNES *Gerson*, Cancellarius Paris supra tom. 3 pag. 47.

JOANNES *Gerundensis* in Catalonia Episcopus, scriptor *Chronici* et *Regulae Monachorum*. Supra *Joannes Biclariensis.*

JOANNES Margaritus, *Gerundensis* Episcopus, junior, sub Seculi XV. exitum qui ad Regem Ferdinandum Catholicum ejusque conjugem Isabellam scripsit *libros decem anacephalaeoseos* et *paralipomenon Hispaniae* a Thubale et ultimis originibus usque ad Augusti tempora. Exstant inter Roberti Beli scriptores aliquot rerum Hispanicarum, tom. I Francof. 1579. fol. et in Andreae Schotti Hispaniae illustratae tom. I Francof. 1603. fol. Vide B. Joannis Hubneri nostri Bibliothecam historicam Centur. VIII. pag. 36. seq.

JOANNES *Gillemanus* Canonicus Rubeae vallis in Sonnia silva, altero ab Bruxellis lapide circa A. 1480. scripsit *Hagiologium Brabantinorum*, ex cujus secunda parte, *Vitam S. Himelini* Presbyteri Fenacensis in Brabantia et temporibus Pipini Confessoris edidit Henschenius tom. 2 Act. Sanctor. Martii 10. pag. 47.

JOANNES Confrater et Monachus *Glastoniensis*, (Glassenburg) Ord. Bened. Anglus, ejus *Chronica de rebus Glastoniensibus*, desinentia in A. 1400. vulgavit V. C. Thomas Hearne a) Lond. 1726. 8.

JOANNES *Gluel* Aquisgranensis, Prior Carmelitarum Coloniae circa A. 1390. praeter *sermones* de tempore, de Sanctis et Quadragesimale scripsit de origine et profectu Ordinis sui *Speculum Carmelitarum*, quod laudatur a Trithemio cap. 686. de S. E. et in Bibl. Carmelitana, et de script. Germ. cap. 139.

JOANNES *Gmunden* Germanus, Astronomus et Mathematicus claruit Viennae in Austria, diemque obiit A. 1442. Ejus scripta feruntur a Gesnero, *Tabulae de planetarum motibus et luminarium eclipsibus* ad meridianum Viennensem, *Calendarium* in multos profuturum annos. *Tabulae variae de arte proportionali. Canones in tabulam tabularum. De arte calculandi in minutiis Physicis. Tractatus sinuum. Æquatorium motuum planetarum* ex Jo. CAMPANO (de quo supra tom. 1 pag. 301. seq.) *Compositio et utilitates astrolabii et aliorum quorundam instrumentorum.*

JOANNES *Gobelinus*, supra t. 3 p. 63.

JOANNES *Gobii*, A. 1350. Junior, Ord. Praed. cujus liber, inscriptus *Scala Coeli* ad Hugonem de Colubreriis, memoratur a Sandero inter Codices Belgii MStos p. 194. De editionibus vide Jac. Quetif tom. 1 pag. 633.

JOANNES *Gochius*, cognomine Pupperus Belga, Presbyter Mechliniensis circa A. 1470 amicus Wesseli Groningensis, inter testes veritatis laudatus a Flacio, Jo. Wolfio aliisque, atque in indices librorum prohibitorum, Tridentinum et alios ob eandem causam relatus. Inter alia scripsit *de S. Scripturae dignitate et irrefragabili auctoritate, et quo judicio aliorum scripta, praesertim Scholasticorum et Philosophorum legenda sint*, ad Engelbertum Ord. Praed. *De quatuor erroribus circa Evangelicam legem exortis. De votis et religionibus factitiis sive de libertate Christianae Religionis, conclusiones novem.* Vide Gesneri Bibl. p. 422. b. ac de caeteris Caveum.

JOANNES *Godardus* Anglus, Ord. Ci-

a) Bibl. Angloise tom. XV. pag. 352. Acta Erud. A. 1729. pag. 181.

stere. Mathematicus, circa A. 1250. Scripsit *de triplici computandi modo* ad Radulphum Abbatem coenobii Coggeshallensis. atque alia de rebus Mathematicis. Laudant Lelandus cap. 363. Baleus IV. 11. et Pitseus pag. 324.

JOANNES *Godfridus* de Ligate, infra, *Joannes Goverus*.

JOANNES *Godfridus* de Odernhem, Oppenheimensis Ecclesiae circa A. 1495. Antistes, scripsit sermones de tempore ac Sanctis per totum annum: atque Augustinum de Civitate, et Ciceronis libros tres de Natura Deorum in Germanicam linguam transtulit. Vide Gesnerum.

JOANNES *Godwicus* sive *Gotwicus*, *Goodwyck*, Nordvolciensis Anglus, Augustinianus in Coenobio Linnensi circa A. 1360. Scripsit in plures Bibliorum libros, *lecturas in Genesin*, Commentarios *in Danielem et de hebdomadibus Danielis. In quaedam Pauli dicta. Quaest. disputatas et Sermones* per annum. Vide Baleum V. 91. et Pitseum p. 485.

* Scripsit praeter ea quae hic notantur a Fabricio *Lecturas in psalmos*. Haec notat P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis.

JOANNES *Goldestonus*, sive *Goldesten*, *Chrysolithus*, Eboracensis Anglus Carmelita Theologus Oxoniensis diem obiit A. 1320. teste Lelando cap. 358. qui haec ejus scripta commemorat: Commentarios morales *in Psalterium et Evangelium Joannis. In Evangelium Matthaei* duplices Commentarios. *In Canonicam Joannis Epistolam. Quodlibeta*, *Determinationes Theologicas*, *Quaestiones*: *Disputationes in IV. libros Sententiarum. Sacras Conciones quinquaginta.* Eadem Possevinus, Alegrius p. 284. Baleus V. 10. et Pitseus pag. 407. qui addunt Collectaneorum librum, Sermones de Sanctis, Orationes ad clerum.

JOANNES *Golein* Normannus Carmelita, Prior Rothomagensis, floruit non An. 1541. ut Alegrio pag. 392. persuasum, sed circa A. 1370. tempore Caroli V. (non Imperatoris, sed) Regis Francorum cui *Rationale Divinorum Officiorum* offerens conspicitur in veteri icone quam exhibet celeberrimus Montfauconus tom. tertio monumentorum Monarchiae Gallicanae. Scripsit praeterea *super IV. libros Sententiarum* quod opus insigne vocat Trithemius cap. 650. Sed et *quaestiones varias* memorat Gesnerus, Alegrius etiam *de Sacerdotum Institutione*.

JOANNES Abbas *Gorciensis*, supra pag. 334. *Joannes Abbas S. Arnulfi*.

JOANNES *Gorinus*, supra, *Ioannes de S. Geminiano*.

JOANNES *Goverus* a) nobilis Anglus, captus oculis, senex diem obiit A. 1402. de quo Lelandus cap. 493. et 505. Baleus VII. 23. et Pitseus pag. 575. seq. Praeter ea quae Gallice et quae Anglice pro illa aetate eleganter scripsit, etiam multa Latine composuit, ac versibus quidem *Carmina* atque *Epigrammata* varii generis, et *de amoris varietate. Scrutinium lucis. De regimine Principum. De peste vitiorum. De compuntione cordis. Contra mentis saevitiam in causa superbiae. De populari tumultu anno Richardi II. De Rege Henrico IV.* et ad eundem *de laude pacis. Chronica* libris VII. quibus titulus: *Vox clamantis in deserto*, sive de Mundi erroribus. *Chronicon tripartitum* libris tribus, quorum initium: *Tolle caput Mundi*, b) *C. ter, et sex.* Prosario sermone autem *Chronicon Richardi secundi*, libris III. et *de conjugii dignitate.* Vide Polycarpi Leyseri historiam poëseos medii aevi pag. 2053 seq. et quae supra in Joanne GODFREDO de Lidgate t. 3 pag. 64. Diversus ut puto, JOANNES *Glastoniensis* Monachus Anglus qui circa A. 1400. scripsit de antiquitate illius Ecclesiae et sanctis ibi quiescentibus, professus se ex Guilelmo Malmesburiensi et Adamo de Domersham c) profecisse. MS. in Bibl. Cottoniana, cujus vide Catalogum p. 19. seq. De editione Thomae Hearne supra pag. 366.

JOANNES *Grammaticus* Anglus circa A. 1270. de quo Baleus IV. 40. Scripsit *integumenta*, quae vocat, *in Metamorphosin Ovidii. De arte metrica*, Incip. *Parisiana jubar diffundit carmina. Compendium*

a) *Joannes Godefridus Lidgate.*

b) *Literam* M. et CCC, et XXXXX.

a) In Catalogo Bibl. Cotton. *Domexham*, et apud Oudinum *Domescham*.

Grammatices. Incip. *Grammaticam trivialis apex. Carmina.* De opusculis Graecis quae addit Pitseus pag. 351. ipse viderit.

* JOANNES Grammaticus alius ab eo de quo hic Fabricius, Farfensis coenobii in Ducatu Spoletano Monachus Chartas eiusd. Monasterii collegit, et disposuit addita praefatione carmine expressa. Scribebat an. 1092 sub Henrico IV Ind. XV die XIII Kal. Maii. Catalogum chartarum illarum ab an. 691 incipientium dedit Muratorius antiq. t. V p. 687. Porro Muratorii catalogus usque ad an. 817 pertingit, reliqua in MS. codice desiderari monet.

JOANNES *Grandisonus*, Vossio *Graunson*, Lelando et Baleo VI. 39. *Grauntson*, Anglus, Regis Eduardi III. a sacris, et Episcopus Excestriensis sive Exoniensis diem obiit A. 1369. Praeter sermones, scripsit *Ordinale* sive *Martyrologium Exoniense*, *Vitas Sanctorum*, ac speciatim *S. Thomae* Cantuariensis. Vide Pitseum pag. 503. seq. Vossium pag. 534.

JOANNES *Grauner*, sive *Grauver*, supra *Joannes Gauver*.

JOANNES *Graye*, *Grayus* sive *Grajus* Anglus, Episcopus in Anglia Norvicensis A. 1214. et prorex Hiberniae et designatus Archiepiscopus Cantuariensis, quanquam res successu caruit, ipso etiam defuncto A. 1216. Nescio quid sibi velit titulus *Schalechronici,* quo opus historiarum suum proscripsisse testantur Gesnerus, Possevinus et pag. 288. Pitseus; Nam apud Baleum III. 73. et Vossium pag. 454. hoc non invenio.

JOANNES *Gritsch* Ord. Minor. de quo supra tom. 3 pag. 102. Hic a Trithemio cap. 170. de scriptoribus Germ per errorem calami Dominicanis adscribitur, cum ipse cap. 779. de S. E. eum recte Franciscanis accensuisset. Utrobique testatur ipsum scripsisse librum *de passione Domini.*

JOANNES *Groslotius*, supra *Joannes. Chrestonus.*

JOANNES *Grossus.* Supra, t. 3 p. 103.

JOANNES *Gualbertus* Abbas, Vallumbrosanorum Ord. Benedictini fundator qui diem obiit A. 1073. aetatis duodenonagesimo. Ejus *preces* exstant in Actis Sanctor. tom. 3 Julii 12. pag. 323. seq. Et ex *Epistolis* ejus *duae* a scriptoribus Vitae ejus servatae p. 362. n. 112. et p. 379. n. 74.

(167 Franchi D. Diego Historia di S. Gio. Gualberto Firenze 1640 in 4.)

JOANNES *Guallensis*, Ord. Minor. supra tom. 3 p. 104.

JOANNES *Guallensis*, junior, ib. p. 104.

Joannes GUALTERIUS, Anglus medio seculo XV. scriptor *Canonum* Astronomicorum *in tabulas aequationis domorum.* Vide Lelandum cap. 550.

* JOANNES *Gualterus* est alter Canonicus Lugdunensis, quem inter Legum instauratores praestantissimos una cum Matthaeo et Joanne de Vauzelles Lugduni agentes accenset Claudius Peroneus Delphinas in praefatione ad Doctrinale humanorum, quod scribebat Lugduni an. 1520 et ibi forte excusam est sine adnotatione anni et loci impressionis in 4.

JOANNES *Guentus* Camber Britannus Ord. Minor. defunctus A. 1348. scripsit *in IV. libros Sententiarum et Quaestiones disputatas, Sermonesque.* Vide Pitseum p 461.

JOANNES *Guldener* patria Coloniensis, Carmelita, Doctor Parisiensis, cujus nihil fertur praeter *Sermones* de Sanctis, per Adventum, Quadragesimale et *Collationes feriales* sive Sermones de festis. Vide Possevinum, Alegrium p. 288.

JOANNES *Gundorpius*, *Gunthorpius* sive *Guntheri silva,* Anglus: in Italia, Guarini discipulus, amicus Joannis Phreae, inde redux in Britanniam Decanus Fontanae sive Wellensis Ecclesiae, et privati sigilli custos sub Eduardo IV. Rege. Vide Lelandum cap. 571. Baleum VIII. 42. et Pitseum pag. 661. qui ejus *Epistolas, Orationes* et *Carmina* celebrant.

JOANNES *ab Hagen*, infra, *Joannes de Indagine.*

JOANNES de Hexam sive *Hagustaldensis* in Anglia, dioecesis Dunelmensis, Prior Ord. Bened. de quo Baleus III. 31. et Pitseus pag. 255. Scripsit historiam *XXV. annorum,* qua *SIMEONEM Dunelmensem* ab A 1130. ad A. 1154. continuavit. Ab Anno 1141. unius anni metachronismo semper peccare notavit Pagius ad A. 1141. 8. et

1153. n. 13. Prodiit, Simeonis historiae subjuncta ejus continuatio in tomo priore X. scriptorum Historiae Anglicanae, quos Rogeri Twysden et Johannis Seldeni studio debemus Lond. 1652. fol. pag. 257-282.

JOANNES *de Haida* sive *Hayda* Anglus Poëta circa A. 1280. cujus carmina de *Jona Propheta*, *de Passione S. Laurentii*, *de vita S. Malchi Monachi*, et *de forma Vitae honestae* apud Baleum IV. 54. Pitseum pag. 362. memorantur, qui et *Epistolas* ejus ad diversos laudant.

JOANNES *Haintonus*, sive *Heinodunus*, supra p. 339. *Joannes Aquaedunus.*

JOANNES Rode *de Hamburgo* Ord. Carthus. prope Pragam circa A. 1404. Ejus *Epistola ad Henricum Olemannum*, Canonicum Northunensem, in qua post gravia ad pietatem monita, de corruptis Ecclesiasticorum moribus conqueritur: edita a B. D. Joanne Georgio Dorsheo ad calcem parallelorum Monasticorum, Argentorati 1644 12. Plures hujus Joannis Epistolas commemorant Theodorus Petraeus et Aub. Miraeus de scriptoribus Carthusianis.

JOANNES *Hardingus.* Supra t. 3 p. 176.

JOANNES *Hautivillensis*, *Hanvill*, *Hantvillensis*, Gyraldo et Vossio *Nantvillensis*, aliis *de Altavilla* etc. Sed Lelando c. 237. *Annaevillanus ex Annaevilla Neustriae oriundus, at in Britannia insula ortus*, Magister Oxoniensis, et ad Albani fanum Monachus Ord. Bened. ab opere suo celebri cognomentum *Archithrenii* consecutus, floruit circa Annum 1200. scripsitque ad Gualterum de Constantiis, Archiepiscopum ab A. 1184. ad 1207. Rothomagensem, Poëma *libris IX.* distinctum sub titulo *archithrenii*, quod incipit:

> Velificatur Athos; dubio mare ponte ligatur,
> Remus arat colles, pedibus substernitur unda,
> Puppe meatur humus, pelagi Tethis exuit usum,
> Salmoneus fulmen jaculatur, Daedalus alas
> Induit, ingenii furor instat, et invia princeps
> Rumpit et artifici cedit natura labori.

MS. in variis Angliae Bibliothecis ut notatum Leysero in historia poeseos medii aevi pag. 761. Gesnerus autem testatur vidisse se illud Francfurti, impressum in 4. Non vidit Simleurs, qui *libros XVI de Anglorum antiquitatibus* appellat. Archithrenii editio Parisiensis An. 1517, 4. fuit in Bibl. Thuana tom. 2. pag. 286. cumque rarissime sit obvia, operae pretium esset praelis iterum subjici. Lelando quidem judice est *opus, ut ea tulit aetas, sane elegans, venustum, splendidum: in quo subinde encomiastes, aliquando etiam et satyricus. Nomen autem inditum est ab insigni lamentatione. Hoc est flebilium quasi summe flebile carmen.* Gyraldum vero si audimus; *ejus quidem carmina turgida et sonora, sed incondita et barbara, nihilominus ea non legisse vos pigeat.* Dialogo V. de poëtar. hist. tom. 2 pag. 306. Apud Baleum III 49 et Pitseum pag. 267 traditur et alia carmina scripsisse hic Joannes, et *Epigrammata* et *Epistolas*, et poëma *de rebus occultis,* cujus initium: *rebus in obscuris dubitantes.*

JOANNES *de Hees.* Infra *Joannes de Hese.*

JOANNES *Heidelbergensis* Doctor, ita interdum vocatur Joannes de Francofordia.

JOANNES *Heinodunus*, supra pag. 139. *Joannes Aquaedunus.*

JOANNES *Herculanus*, supra *Joannes Arculanus.*

JOANNES *Herefordensis* Anglus Ord. Minor. cujus *Epistolae* MStae Cantabrig. in Collegio S. Benedicti, a Pitseo p. 875 memorantur: idem teste Lelando cap 210. scripsit *Lexicon* sive *tabulas originalium.*

JOANNES *Herolt.* Supra DISCIPULUS.

JOANNES *de Hesdinio* sive *Hisdinie*, *Isdinio*, Theologus Parisiensis, Ordinis fratrum hospitalis S. Joannis Hierosolymitani circa A. 1390. Ejus sunt explanatio *in Jobum*, de qua Sixtus Senensis: Lecturae in *Evangelia Marci* et *Joannis*: *In Epistolas Pauli ad Philippum, Archiepiscopum* ab A. 1359 ad 1378 Rothomagensem: ex quibus Lectura in Epist. ad Titum MS. Lipsiae in Paulina. a) *De annunciatione Dominica*, et *Sermones Varii.* Vide Trithemium cap. 678.

JOANNES *de Hese* sive *de Hees*, Presbyter Trajectensis, *Itinerarium* sive *peregri-*

a) Vide Catalogum Joachimi Felleri pag 188.

nationem suam A. 1389. Hieroselymis in Arabiam, Indias atque Æthiopiam susceptam singulari libro descripsit, edito una cum aliis quae refert Vossius, Paris. apud Robertum Gourmont 4. Daventriae 1504. 4 et cum Francisci Monachi Ord. Minor. Epistola de Orbis situ ac descriptione 1565 12.

* Insignis anachronismus corrigendus hic venit; opus enim seu mavis itinerarium Joannis huius longe antiquius est quam hic statuitur; ita enim incipit in MS. Cod. Tegernseensi, quem consuluit P. Pez tomo 1. Anecdot. in Dissertat. Isagogica pag. 87. n. 8. *Anno Domini 889 Joannes Hess presbyter Traiectensis dioecesis fuit in Jerusalem.* Haec olim scripseram ex fide authorum Historiae Literariae Gallicae, et eiusdem Pezii, cuius dissertationem oculis inspexeram. Nunc vero rem diligentius ponderans suspicor mendosam esse inscriptionem Codicis Peziani, ac reipsa Trajectensem hunc scriptorem commentationem suam non dedisse nisi anno 1389. ut ipse in eodem opusculo testatur, adeoque scriptorem hunc e Seculo IX cui Literariae Hystoriae scriptores assignant ad Saeculum XIV cum Fabricio hic transfero.

JOANNES *de Hexam* in Northumbria, supra *Joannes Hagulstadensis.*

JOANNES *Hickelejus* Anglus, Augustinianus, circa Annum 1381 de quo supra tom. 3 pag. 228. Vide etiam Possevinum, Pitseum p. 535 seq. Elssium in Encomiastico Augustiniano pag. 380.

JOANNES *de Hida* sive *Hyda*, Monachus Wintoniensis Anglus circa Annum 1284 de quo Baleus IV 75 et Pitseus p. 365. Scripsit *vitam patientis Jobi*, et *Homilias.*

JOANNES *Hierosolymitani* postilla *in Epistolam ad Titum*, MS Venetiis in Bibl. SS. Joannis et Pauli, teste Tomasino p. 26.

JOANNES *Hildeshemensis* Saxo, Carmelita circa Annum 1370 Avenione familiaris Petro Thomae, Carmelitarum Generali. Scripsit ad Florentinum de Wewelkoven, Episcopum ab A. 1372 ad 1378. Monasteriensem, volumen capitibus XLVI, constans *de tribus sanctis Regibus*, eorumque reliquiis translatis Coloniam: Editiones notavit Oudinus, quem si placet vide tom. 3. pag. 175. *Chronicam historiarum*, sive fasciculum temporum Ordinis Carmelitarum ex variis auctoribus. *Legendas* quasdam *abbreviatas* Patrum Ordinis Carmelitici. Opus metricum *de monstris in Ecclesia. Defensorium sui Ordinis*, sive Dialogum inter directorem et detractorem, MS. in Bibl. Bodlejana: *De fonte vitae.* Dialogum sive *Speculum fontis Vitae.* MS. in eadem Bibl. *De Antichristo. Contra Judaeos. In turpia pingentem. Epistolas* octoginta et *Sermones* varios de tempore et Sanctis. Vide Trithemium in Bibl. Carmelitica, et de S. E. cap. 648 et de scriptoribus Germ. cap. 122 Alegrium p. 306. Possevinum etc. Fallitur Oudinus qui hunc Joannem Hildesheimensem confundit cum *Joanne Gluel*, de quo supra.

JOANNES *Hiltonus* supra tom. 3 p. 251.

JOANNES *Hintonus* Sophista Anglus, cujus nihil nisi *fallaciarum formulas* memorat Pitseus pag. 875.

JOANNES *Hiperius* infra *Joannes Iperius.*

JOANNES *de Hisdinio.* Supra, *Jo. de Hesdinio.*

JOANNES *Hispalensis* Archiepiscopus, quem Hugo de S. Victore lib. 1 Misc. titulo LXXX tom. 3 Opp. pag. 119 graviter monet Fidem Christianam non solum corde tenendam, sed quoque ore confitendam esse, quod ille facere negaverat.

* JOANNES *Hispalensis.* Fuit et alter incertae aetatis et conditionis Joannes qui teste Nic. Antonio Bibl. Hispan. antiqua tom. 1, 355. in vertendis ex Arabico in Latinum Arabicis maxime Astronomicis libris operam suam impendit. Vide eundem scriptorem ibid. tom. 2 267. Quae vero ibi ait de versione operis Alfragani, quam versionem putat ille factam esse de elementis astronomicis eiusdem; veritati ista quidem congruunt. Extat apud me opus illud ex versione Joannis Hispalensis ad pervetustum codicem castigate editum Parisiis in 8 an. 1546. De caeteris nihil modo quod addam occurrit.

JOANNES *Hispanus*, cujus commentarium in Decretales MStum evolvit Cangius in Codice Thuano CLXII.

JOANNES *Hocsemius*, infra p. seq. et tom. 3 pag. 254.

JOANNES *Hofmannus*, Misnensis ab A. 1413 ad 1451. Episcopus, non quartus Episcopus Misnensis, ut apud Possevinum legas (XXXVIII enim a) ante eum fuere) sed Joannes quartus inter Misnenses Antistites, patria Swidnicensis, Theologiae Doctor Pragae primum deinde Lipsiae: idem Concilio Constantiensi interfuit, scripsitque *de inventione pueri JEsu* et *de praesentatione B. Virginis*. Vide Centuriam a Madero editam num. XVI. Caetera scripta ejus apud Possevinum sunt: *Libri sex de officio Missae et omnibus quae in illa peraguntur*, ad Marchiones Misnenses. *De communione sub utraque specie*. Venet. 1571. *Quaestiones Theologicae cum solutionibus*.

JOANNES *Holibrocus* sive *de sacro fonte*, Anglus, *Mathematicus*, circa Annum 1450 cujus *novae tabulae mediorum motuum, et aequationes dierum*, et continuatio libelli *de reductione Tabularum Alphonsi per annos CHristi, menses, dies et horas*, commendantur a Lelando cap. 549 quibus Baleus VII 96 et Pitseus pag. 646. *Canones Astronomicos* adjungunt.

JOANNES *Homiliarius*, supra *Joannes Felton*.

JOANNES *Homo Dei* scriptor *Collectionis de verbis Seniorum ad Juniores informandos*, adhuc quod sciam ineditae, nisi quod praefationem ex Codice Taluerensi ante annos sexcentos exarato vulgavit Edmundus Martene tom. 1 anecdotorum p. 163.

JOANNES *Honsemius*, aliis *Hocsemius, Hosemius*, Canonicus et Scholasticus Ecclesiae S. Lamberti Leodiensis. Hic ÆGIDII Aureae vallis Monachi Cisterciensis (de quo supra tom. pag. 48.) *Chronicon Episcoporum Leodiensium* continuavit ab An. 1251 ad A. 1248. Exstat in Joannis Chapeavilli gestis Pontificum Leodiensium tom. 2 pag. 273-514. Leodii 1613 4. Natum ipse se testatur Februario Anni 1278.

JOANNES *Horingerus* qui est Cangio, is apud Baleum IV 93 et Pitseum *Hormingerus*, Suffolciensis Anglus, qui circa An. 1310 clarus nihil Latine scripsisse perhibetur, sed ex Italia atque aliis regionibus in quas iter susceperat, redux in patriam laudes Angliae libro singulari complexus esse sermone Anglico ad Eduardum II. Regem.

JOANNES *Horitensis* Archidiaconus, de quo supra pag. 340.

JOANNES *Horneby, Hornebius* Lincolniensis, Anglus, Carmelita circa An. 1374 scripsit *Historiam nominis JEsu. Historiam Visitationis B. Mariae Virginis*, ad Reginam. *Determinationes solennes* pro Carmelitis contra Joannem Stockesium Dominicanum. *Defensorium* antiquitatis Ordinis sui, libris duobus. *Pro adepto triumpho. Quaestiones Ordinarias. Pro introitu Sententiarum. Sermones ad Clerum* pro suo Ordine. *Ad Populum Sermones*. Vide Baleum VI 50. Pitseum pag. 514.

JOANNES *Hovedenus* Londinensis, Eleonorae matris Eduardi I. Angliae Regis capellanus defunctus An. 1275. Vide Baleum V. 79 et Pitseum pag. 356. Scripsit plura metra rhythmica, ut *de beneficiis DEI* ex Bernardo: incip. JEsu *CHristi celeri intercessione. Canticum Divini amoris*, incip. *Princeps pie JEsu bone. Cantica quinquaginta* quorum initium: *Summe DEUS Pastor potens. Quinquaginta Salutationes Mariae*. Incip. *Ave stella maris Virgo singularis. Quindecim gaudia Mariae*. Incip. *Virgo vincens balsamum. Philomelam*, cuius carminis etiam Lelandus cap. 203. Incip. *Philomela praevia temporis amoeni. Lyram dulcisonam*. Et sermone prosario *Meditationem animae Christianae*, et *Speculum Laicorum*, ut omittam metris compositum Gallicis Rosarium de nativitate, passione, adscensione JEsu CHristi, quod MS. servari Cantabrigiae notavit Pitseus.

JOANNES, *Hugenetti* de Metis, Licentiatus in Legibus, et in Concilio Constantiensi nuncius Universitatis Avenionensis, ex cuius *Oratione de B. Dominico* quaedam affert. Clariss. Hardtius tom. V. Concilii Constantiensis pag. 26 seq.

JOANNES *Hulhethus* Anglus, Carmelita circa An. 1357 scripsit *contra LICHARDI*

a) Vide Menckenii scriptores tom. 3. pag. 1888. et Jo. Hubneri quaestiones Historicas tom. VIII. pag. 869.

Armachani novem quaestiones, quibus ille fratres mendicantes oppugnaverat. Vide Lelandum cap. 426.

JOANNES *Huss*. Supra tom. 3. p. 285.

JOANNES *Iacobinorum* Patriarchae Latini Alexandriae, Epistola ad Eugenium IV. in Actis Concilii Florentini parte III. Labbei t. XIII. p. 101. Harduini t. IX. p. 1018 etc.

JOANNES *de Janduno*. Supra *Joannes de Gandavo*, et JOANNES XXII.

JOANNES *de Janua*. Supra de BALBIS. tom. 1 pag. 153.

JOANNES *S. Januarii*, supra *Joannes Diaconus* pag. 355.

JOANNES *Fessinetz*, Bohemus, Doctor Juris Canonici, cujus scriptum *pro defensione Johannis Hussi*, A. 1412 compositum exstat inter Hussi opera t. 1 p. 324-333.

JOANNES *de Imenhusen*, Germanus, Doctor Parisiensis circa A. 1360 de quo Trithemius cap. 120 de script. German, et libro de S. E. cap. 642. Praeter *sermones*, scripsit *super quatuor libros Sententiarum*.

JOANNES *de Imola* sive *Imolensis*, (168 De fam. Ugodonigi seu Nicoletti. V. Biogr. di Ill. Romagnoli Forlì 1837. III. 144.) ex Foro Cornelii, JCtus Bononiensis Baldi senis auditor, censor non infrequens Bartoli, praeceptor Alexandri Imolae (de quo supra tom. 1 pag. 61.) defunctus A. 1435 18. Febr. ut Jo. Fichardus, Val. Forsterus, Labbeus, Cangius: sive An. 1436 ut Trithemius cap. 764 Boissardus 1 imagg. p. 118 Guidus Pancirollus II 88 aliique. Ex ejus scriptis praeter *responsa* et *Consilia* exstant commentarii *in Digestum infortiatum*, a) *novumque*, *in tres primores* et *sextum Decretalium*, librum et *in Clementinas*. Etiam in Rubricam quarti Decretalium de sponsalibus, c. *tuae* laudat Gesnerus, quem si placet vide.

JOANNES Hagen, nomine *de Indagine* notior, Germanus, monachus Carthusianus ab A. 1440 in domo montis S. Salvatoris prope Erfordiam, deinde Prior prope Stetinum in domo Gratiae DEI, postea prope Isenacum in Thuringia, ubi obiit circa A. 1475. Vide Christiani Frid. Paulini annales Isenacenses pag. 119. Scriptorum ejus ac tractatuum, quos plus quam trecentos fertur composuisse, magnum numerum videre licet apud Trithemium cap. 822. de S. E. et de script. Germ. cap. 188 praecipue apud Possevinum, et Theodorum Petrejum in Bibl. Carthusiana. Inter illa sunt in omnes fere libros V et Novi Test. quadruplici sensu. *De visione Danielis* cap. VII. *De quatuor sensibus Scripturae. De auferibilitate Sponsi ab Ecclesia, de schismate, de potestate Ecclesiastica et de auctoritate Papae in Concilio: De cruciata contra haereticos* An. 1467. *Contra JOANNEM Kannemann*, Ord. Minor. libri III. *Contra flagellatores. Contra errores Bohemorum. De doctrinis peregrinis cavendis. In regulam S. Benedicti. De Judice contra conscientiam judicante. De visione TUNDALI. De Cognitione futurorum. De futuris prodigiis. De apparitione cujusdam defunctae* etc. His accedit *Chronicon triplex* de quo Vossius pag. 588 ab Orbe condito usque ad A. C. 1471 alterum brevius, tertium brevissimum Operae pretium etiam conferre elenchum tractatuum XLIV MStorum in Bibl. Quedlimburgensi quarum tituli in notitia illius Bibl. a V. C. Tobia Eckardo edita pag. 24 seq.

JOANNES *de Indagine* Abbas Bursfeldensis Ord. Bened. propre Goettingam defunctus A. 1479 de quo Jo. Georgius Leuckfeld ὁ μακαρίτης in antiquitatibus Bursfeldensibus Lips. 1713 4 pag. 22 seq.

JOANNES *de Indagine* tertius junior, cujus Chiromantia, Physiognomia atque Astrologia judiciaria exstat dicata Alberto Archiepisc. Moguntino et Cardinali An. 1522.

JOANNES *Infantius*, Anglus Monacus Rameseganus, amicus Joannis Lelandi qui cap. 241. eum laudat cognitione trium linguarum doctum ac reconditae Antiquitatis ac veterum exemplariorum indagatorem longe curiosissimum.

JOANNES *Institor*, Carthusianus Buxheimensis prope Memmingam circa annum 1437 cujus *Breviloquium animi cujuslibet religiosi reformativum*, in quo monita quaedam non contemnenda sub descriptione XX

a) Digestum *vetus* a libro primo, *Infortiatum* incipit a titulo tertio librii XXIV. *Novum* a libro XXXIX. Digestorum ad quinqua gesimum.

avium immundarum aquilae p. 164. gryphis pag. 167 haliaëti pag. 179 accipitris pag. 204 bubonis, pag. 222 merguli, pag. 229 upupae, pag. 252 onocrotali, pag. 254 lari, pag. 256 struthionis, pag. 267 noctuae, pag. 272 milvi, pag. 277 vulturis pag. 281 corvi pag. 299 charadrii pag. 306 herodii sive falconis pag. 317 porphyrionis p. 320 et vespertilionis pag. 340 edidit Bernardus Pez tom. 7 Bibl. asceticae pag. 115-350 et *tractatum exhortativum ad evitandam malam iram* p. 353-388. Notatione nominum ab alio petendas suaserim, nam tyranni etymologiam traditurus pag. 251 *tyrannus* inquit, *quod dicitur* a tyro *Graece quod est* fortis, *vel* angustia *Latine, eo quod per ipsum Tyrannum, id est illicitum sensualitatis motum, quasi violenter regnantem in membris magna angustia spiritui inferatur.* Librum *de objectionibus Bibliae* quem Theodorus Petrejus memorat, editum non memini.

JOANNES *de Joinvilla*, Seneschallus Campaniae Gallicae, et *S. Ludovici IX Regis* Comes itineris in Orientem. *Vitam* eius An. 1270 defuncti scripsit non Latine sed Gallice, eruditis notis atque aliis monumentit additis illustratam a Claudio Menardo Paris. 1617 4 et Cangio Paris. 1668 fol. De his aliisque editionibus Jacobus Longus n. 7154 Bibl. historicor Galliae p. 358.

JOANNES *Jolihan* Nordwallus, Anglus, Carmelita circa An. 1348 utique idem videtur cum Johanne Folshamo de quo supra pag. 214 certe et tempus convenit, atque eadem ad eum scripta referuntur apud Possevinum et Alegrium p. 295.

JOANNES *Jorkus. Yorhus,* sive de Eboraco, Carmelita, de quo Baleus XII 35 et Pitseus pag. 876 memorantes ejus *praeconia S. Scripturae, Lecturas in Genesin* et *Ordinarias expositiones.* Circa An. 1435. claruisse notat Alegrius pag. 342.

JOANNES *Foscelinus,* Matthaei Parkeri Archiepiscopi Cantuariensis An. 1574 defuncti familiaris, hoc loco a me memoratur, quoniam eius notitiam librorum Saxonicorum et eorum qui historiam gentis Anglorum scripsere, et ubi extent, edidit Thomas Hearne cum Roberti de Avesbury historia de mirabilibus gestis Eduardi III Oxon. 1720 8.

JOANNES *Iperius* sive Iprensis patria, ex Ipra Flandriae, Abbas per XVII annos Bertinianus Audomaropoli apud Artesios Ord. Bened. defunctus A. 1387. Vide Vossium pag. 800 scripsit *Chronicon* sive *historiam Monasterii Sythiensis S. Bertini* ac simul Episcoporum Morinensium et Comitum Flandrensium ab Anno 590 ad Annum 1296 quod ex duobuos MSS. recensuit notisque illustratum praelis destinaverat Lucas Dacherius, quo morte praevento, Mabillonio item Massvetoque tandem illud vulgavit Edmundus Martene tom. 3. anecdotor. pag. 446-776. Vide et supra pag. 345 *Joannes Bertinianus.*

* Obiit an. 1383 ut signat author supplementi ad Chronicon huius Iperii. Supplementum istud ab an. 1294 ad annum usque 1497 perductum vulgavit P. Martene Vet. Monum. VI. 614.

JOANNES *de Isenach* sive *Isenacensis,* cuius *Acta et Facta Praesulum Nuenburgensium* ab An. 968 ad 1493 exstant in Christ. Friderici Paulini syntagmate veterum scriptorum p. 125 Junior hic Johanne de Indagine de quo supra pag. 372.

JOANNES *Italus* supra p. 353 *Joannes Cluniacensis.*

JOANNES *Keningalus Kenyngale,* Nordwicensis, qui Thomae Waldensis sive Valldeni Doctrinale Ecclesiae Martino V Romae obtulit, deinde Richardi Ducis Eboracensis a sacris Confessionibus et Carmelitarum in Anglia Provincialis diem obiit A. 1451. Scripsit *de itinere suo,* et *Aristotelem de animalibus,* et *Conciones Paschales XII.* Vide Baleum VIII 17 Pitseum p. 646 et Alegrium pag. 353.

JOANNES *de Kikuleo* supra pag. 340. *Joannes Archidiaconus.*

JOANNES *Kyllingworth,* supra *Joannes Chilliugworth,* pag. 352 illius enim sunt *Canones tabularum* quos MStos memorat Sanderus parte 2 Bibl. Belgicae pag. 37.

JOANNES *Kininghamus* Theologus Oxoniensis, Joannis Lancastriae et Aquitaniae Ducis a sacris Confessionibus, atque Carmelitarum in Anglia Provincialis defunctus

A. 1399. Ejus scripta apud Baleum, et Alegrium pag. 323. *Contra propositiones Wiclefi* quem primus oppugnasse traditur. *Super ideis ejusdem. Ad quaedam loca allegata. Scripturae sacrae praeconia. In threnos Jeremiae. In Ezechielem. In canonicam Jacobi Epistolam. Lecturam in libros Sententiarum. De nativitate et passione CHristi De Spiritu sancto. De natura Angelica. Quaestiones varias. Commentarios Metaphysices. De esse intelligibili. Pro primo suo ingressu. De temporis ampliatione. Sermones de tempore et de Sanctis.*

JOANNES *de Lana* Bononiensis Prior Augustinianorum defunctus A. 1357 aetatis 93. Ejus scripta: ***Quaestiones in libros Physicorum, Quodlibeta,*** et ***Commentarius in IV libros Sententiarum***, quae MSS. Bononiae servari testatur Elssius pag. 354. encomiastici Augustiniani.

* De scriptore hoc Augustiniano disserens P. Gandolfo in dissert. de CC. Augustinianis obiisse evincit an. 1350 aetatis 74. Inter eius opera potissimas censet ***quaestiones de anima humana*** hic a Fabricio omissa, in quibus, ait, *multa explicantur utilia et rara, quae non ita facile apud alios reperiuntur.*

JOANNES *Langdenus* Anglus, Doctor Oxoniensis, et ex Monacho Cantuariensi Ord. Bened. Episcopus Roffensis circa A. 1420 atque inter judices XII qui sub Archiep. Cantuariensi Thoma Arundelio An. 1420 *Wiclefum* jam An. 1380 defunctum condemnarunt et ejus libros flammis addixere. Scripsit Langdenus *Chronicon Anglorum* a) quo usum se profitetur in Chronicis suis Thomas Rudburnus Monachus Wintoniensis. Vide Baleum VII 68 et Pitseum pag. 606 a quibus et *sermones* ejus memorantur.

JOANNES *Langhamus* Nordvolciensis Anglus, Augustinianus, cujus *Institutiones Logicales et Scholasticas disputationes* memorant Baleus XII 44 et Pitseus p. 877.

JOANNES *Langtonus* Londinensis, Carmelita circa An. 1400 scripsit *examen Doctoris Henrici CRUMPA*, *Ord. Cisterc.* a) qui Berengario suffragari fuerat visus. Confer Baleum X. 35 et XIV. 98 et Pitseum pag. 625 qui cum ei praeter *Actus suos ordinarios*, Historiam *de rebus Anglicis* tribuit, videtur illum cum Joanne Langdeno confundere. Pitseum sequitur Alegrius pag. 341 qui ambo tradunt interfuisse Concilio Basileensi, ibique diem obiisse An. 1434.

a) Nescio unde hauserit Vossius quod pag. 559. tradit Chronicon istud perductum usque ad A. 1420.

JOANNES *Landsbergius* Carthusianus, scripsit *pharetram Divini amoris* ad Hermolaum Barbarum, quae Italice etiam versa exstat a Seraphio de Torresinis, Canonico Lateranensi, Venet. 1549. De aliis ejus vide si placet Theodorum Petrejum in Bibl. Carthus. et Possevinum, cui ille est *Joannes Justus Lanspergius.*

JOANNES *de Lanshem* Wormaciensis, Germanus, Augustinianus circa An. 1495 scripsit: *arrham aeternae Salutis, Speculum Missae, Speculum Novissimorum, de institutione et utilitate Rosarii B. Virginis.* Vide Philippi Elssii encomiasticum Augustinianum pag. 354.

JOANNES *Lathbirius, Lathberius, Latteburius* Anglus Ord. Minor. circa A. 1406 scripsit commentarios morales *in Threnos Jeremiae*, capitibus CXV laudatos Lelando cap. 388 atque An. 1482 etiam typis exscriptos in fol. Praeterea *in Psalmos, Jeremiam, Acta Apostolorum. Alphabetum morale, Lectiones Scripturarum, Distinctiones Theologiae* et *Conciones.* Vide Baleum VII. 34. Pitseum pag. 582. Waddingum pag. 212.

JOANNES *Laudensis* Monachus, et discipulus *Petri Damiani*, cujus An. 1072 exstincti *vitam* scripsit editam cum Damiani Operibus, atque in Actis Sanctor. tom. 3. Februar. 23 p. 416 ut dixi supra t. 2 p. 20.

(169 Vita S. Joannis Laudensis antiqua ex MS. eruta Italice facta cum adnotationibus et Dissertationibus etc. a P. Mauro Sarti Jesii 1748 4. Ziegelbav. Centifol. Camaldulense 40.

JOANNES *Launha*, infra, *Joannes Lemovicensis.*

a) De hoc supra tom. 1. pag. 404.

JOANNES *Lector*, supra FRIBURGENSIS, tom. 2, pag. 608.

JOANNES *Legati* sive *Legatius* Monachus Hildesheimensis Ord. Bened. circa A. 1500 scripsit libris duobus ad Henningum Abbatem *Chronicon Coenobii S. Godehardi in Hildesheim* ab An. 1131 quo conditum est, ad sua usque tempora: editum in illustris Leibnitii scriptoribus Brunswicensibus tom. 2. pag. 404.

JOANNES Gerbraud, *de Leidis*. Supra GERBRANDUS tom. 3. pag. 45.

JOANNES *Lelandus* Senior, de quo jactatum: *Ut rosa flos florum, sic Leland Grammaticorum*. Defunctus Oxonii Anno 1428. Ejus *Grammaticam* Latinam laudat Lelandus alter libro de scriptoribus Britannicis cap. 537. Baleus VII 73 et Pitseus p. 612 etiam *Declamationes* Latinas, Graecasque et *tractatum de generibus*.

JOANNES *Lelandus*, junior, Londinensis, qui toties fuit mihi eritque vocandus ad partes, cui Baleus VIII. 81 et Pitseus pag. 742 seq. plurima fatentur se debere, vir doctus et de antiquitatibus Britannicis longe meritissimus. Canonicus Ecclesiae CHristi Lond. et Bibliothecarius Regis Henrici VIII. *Quod vero*, inquit Baleus, *ex subita mentis deturbatione, cerebri vitio, furore, tristitia vel alio quocunque immoderato animi affectu in amentiam aut phrenesin inciderit, lugere certe debet, quisquis patriae studium inter virtutes connumerat.* Obiit Londini An. 1552. Beati Rhenani nostri aemulatione accensum se testatus est hisce versibus.

Quantum Rhenano debet Germania docto,
Tantum debebit terra Britanna mihi.
Ille suae gentis ritus et nomina prisca
Æstivo fecit lucidiora die.
Ipse antiquarum rerum quoque magnus amator
Ornabo patriae lumina clara meae.
Quae cum prodierint niveis inscripta tabellis,
Testes tum nostrae sedulitatis erunt.

In scriptis ejus molestius est quod delectatur ubique nominibus propriis et hominum et locorum a recepto usu alienioribus, ut pro Londino vocat *Trenovantum, Grantum Girviorum* pro Cantabrigia, pro Oxonio *Isidis vadum* atque ita in caeteris, quorum explanatio, praeclaro instituto subjuncta est ad calcem *commentarii* ejus *de scriptoribus Britannicis*, a) ab editore erudito Antonio Hallo, Oxon. 1709 8. Idem vitam Lelandi praemisit, e qua notitiam scriptorum ejus repetam additis paucis quibusdam observationibus. Sunt itaque:

Naenia in mortem *Thomae Viati*, Equitis incomparabilis. Lond. 1542. 4.

Genethliacon illustriss. *Eadverdi* Principis Cambriae, Ducis Coriniae, Comitis Palatini. ibid. 1543 4 cum syllabo et interpretatione antiquarum dictionum, quae passim per libellum lectori occurrunt. Neque aliud esse *dictionarium Lelandi Britannico Latinum*, memoratum Pitseo, suspicatur Guil. Nicholsonus pag. 30. Bibl. Hist. Anglicanae.

Assertio inclytissimi *Arturii* b) Regis Britanniae, Lond. 1544 4. cum elencho antiquorum nominum.

Cygnea Cantio, poema in laudes Henrici VIII. Regis, decantante eas cygno in Tamesi fluvio. c) Lond. 1545 4. 1658 8. cum *commentario in cygnaeam cantionem*.

Laudatio pacis. Lond. 1546 4. Martia bella canant alii.

Strena de suo itinere, *Henrico VIII.* Regi Angliae oblata An. 1546 atque edita a Jo. Baleo cum annotationibus Lond. 1549 8. Rex An. 1533 regni sui XXV ex speciali gratia et mero motu diploma Lelando regium concesserat, per quod liceret per omnia regna et ditiones suas spatiari, et Antiquitates omnes, scripta, recorda, archiva et quaecunque monumenta notatu digna in singulis Bibliothecis, Collegiis, sodalitiis, claustris, coenobiis, basilicis, monasteriis, aliisque locis quibuscunque diligenter et fideliter rimari et perscrutari.

Epigrammata quae Thomas Neodunus, Castrensis edidit hoc titulo: Principum ac illustrium aliquot et eruditorum in Anglia virorum encomia, trophea, genethliaca et epithalamia Lond. 1589 4.

Collectaneorum Volumina quatuor MSS. in Bibl. Bodlejana in fol. Horum postremum

a) William Nicholson English. historical library p. 153. edit. in fol.
b) Id. pag. 38.
c) id pag. 3.

est *de scriptoribus Britannicis*. Et in strena sua, et in Commentariis in Cygneam Cantionem meminit *quatuor librorum de Viris illustribus*, quorum ultimum promisit se inchoaturum ab Henrico VIII. Rege *Tres priores*, sed sine librorum distinctione, editi sunt ab Antonio Hallo, ut iam dixi, Oxon. 1709 8. Credibile est illum libri secundi initium voluisse capere a *Cedda* c. 51. tertii vero ab *Joanne Severiano*, c. 176 Coniectura est, eum quartum librum non scripsisse. Editio Halli in duos divisa tomos, posteriorem tomum a Rogero Bacono incipit cap. 236.

Itinerarium, quinque Voluminibus in 4. MS. in Bibl. Bodleiana Anglice, editumque a Thom. Hearne cum variis dissertationibus editoris. Oxon 1715 8 novem tomis. Vide memorias litterarias Trevoltinas An. 1713 pag. 129 seq.

Duo Collectaneorum Volumina de rebus Britannicis, eiusdem magnitudinis, vulgata a Thoma Hearne Oxon. 1715 8 sex parvis tomis. Vide Acta Erud. An. 1717 p. 103.

Collectiones ex antiquissimis auctoribus desumtae, quae ad *Britanniam* spectant. MSS. in Bibl. Cottoniana. Julius C. 6.

Codrus sive liber contra *Polydorum Vergilium*, de erroribus in eius scriptis, et contra defensorem Polydori. MS. vide Antonium Sylvium.

Naenia in mortem *Henrici Duddelegi*, Equitis. MS. id.

Bononia Gallomastix, in laudem Victoris felicissimi, *Henrici VIII.* Anglici, Francici, Scotici. MS. id.

Civilis Historia, sive de antiquitatibus Britanniae, libris quinquaginta.

De Pontificibus Britannicis.

Itinerarium Cantiae Vide Nicholsonum pag. 15 Bibl. Hist. Angl.

De Academiis Britannicis.

De origine et incremento bonarum in Britannia litterarum.

De nobilitate Britannica libri III.

De insulis, Britanniae adjacentibus.

His ex Baleo VIII. 81 licet addere et Pitseo p. 743 seq. quorum vanitatem in multiplicandis scriptoribus, pariter et scriptis notavit Stillingflectus p. 209. Origg. Britannic. *Vitam Sigeberti Regis*, non diversam ab ea quae in libro de scriptoribus c. 57 legitur.

Errores ex Hectore Boëthio.

De pace inter Papam et Caesarem.

Ad Annam Clivensem, et *de coronatione ejusdem.*

De titulo Regis ad Scotiam.

De imperio Anglorum in Scotos.

De topographia Britanniae.

Antiphilarchiam adversus Albertum Pighium.

In declamationes Quintiliani.

In Martialem commentarios.

Pigmaeomachiam.

JOANNES a Launha, *Lemovicensis*, praeter lucubrationem *de stylo dictionario*, hoc est, ut interpretor, sub aliena persona per *ethopoeiam* sive *Ethicam dictionem* a) effícto ac composito, quam MS. memorat Sanderus Bibl. Belgic. pag. 204 scripsit de Regia disciplina *Epistolas XX* sub *Pharaonis* Regis Ægypti exaratas persona ad Josephum, Jacobi Patriarchae filium, dicatasque Theobaldo, Regi Navarrae inclyto, Campaniae ac Briae Comiti Palatino, quem A. C. 1216 constat rebus humanis valedixisse. Harum priores XVIII paucis in duodevigesimae calce verbis deficientibus edidit Clarissimus Wagenseilius cum Epistola sua de hydraspide: Altdorfii 1690 4 unde repetitas illas exhibui in Codice pseudepigrapho Veteris Testamenti tom. 1 p. 441. Hamb. 1712 1722 8. Cum itaque ab eo tempore Vir illustris atque eruditissimus *Ericus Benzelius* Episcopus dignissimus Gothoburgensis nuper, hodie Lincopiensis, non modo clausulam Epistolae XVIII sed etiam integras XIX et XX ex Codice MS. Bibl. publicae Upsaliensis descripserit manuque sua consignatam ad me miserit, juvat easdem, pace ipsius, hoc loco cum lectore erudito communicare.

Supplementum

SOMNII MORALIS PHARAONIS,
auctore JOHANNE *Lemovicensi*,
ex cod. MS. Biblioth. publicae Upsaliensis. ad calcem Epistolae XVIII. addendum in

a) Vide Sirmondum ad Ennodium pag. 74. 80. et ad Sidonii VIII. 11.

Codice Pseudepigrapho Veteris Test. t. 1 pag. 496.

. . . . *Ne autem modicum fermentum* totam massam corrumpat, a pretiosis praeconiis vile secernimus, de virtuosis vitiosum rescindimus. A commendationum nostrarum quinario deponimus quartam partem.

Epistola XIX Detrectatorum ad Joseph super Regis reformatione.

Singulari regis remedio ac universali refrigerio regionis, Domino Joseph, consiliario bonae fidei: praeposito bonae spei, domestica regis militia et armigera clientela, salutem et officiorum salubrium exercitium salutare. In castrensi miseria constituti, in miranda et miseranda curia tanquam a castris injustitiae, in schola fraudolentiae, in foro cupiditatis, in vanitatis tyrocinio, in lenocinio voluptatis in silva sollicitudinum, in venatione mortis, in macello virtutum, in nuptiis vitiorum, in plenitudine malorum, in bonorum solitudine desolati scelestae curiae scelus celare nequimus, palliare nescimus, excusare si voluerimus, non valemus. Unde quemadmodum navigantes mare, narrant ejus pericula, ita nos curialem commeantes amaritudinem, periculosa ipsius naufragia, quae scimus, loquimur, quae vidimus, testamur. Ceterum vero fama laborans non permittit nos conquiescere, infamia proclamans nos prohibet conticere. Nec solum exterioris famae ventositas nostrum implevit velum, nostram ampullam volutantem: sed interioris indignationis spiritus ex indigna regis curiositate conceptus animam nostram exanimat, cor corrodit, mentem dementat, et sicut mustum sine spiraculo lagunculas novas disrumpit, sic illius impetuosus impulsus rationabilem virtutem vincit, irascibilem irritat, concupiscibilem colaphizat. Quid plura loquimur et respirabimus, nam conceptum sermonem quis poterit continere? O mors justitiae, quam amara memoria tua, quam durum et amarum est in curia regis incuriam regiminis, velut in campo certaminis dereliquisse te indefessam. Vae tibi chaos confusionis, stilla subversionis, curia nepharia Pharaonis, ubi veritas corruit, caritas excidit, ceterae virtutes et arma bellica, non carnalia sed spiritualia perierunt. Vae tibi domina gentium, princeps provinciarum, nunc vidua, nunc tributaria, viduata virtutibus, vitiis subjugata: Ægypte noli non flere. Non taceat pupilla oculi tui, quia visitatum est nomen tuum, quia nominalis deformitas transmutata est in realem. Facies tua super carbones denigrata est, lumen vultus tui in tenebras conversum est, risus tuus resolutus est in moerorem. Ecce tenebrae, ecce moeror, ecce notabile praesagium experimento flebili consummatum. Si fortasse sic tenebris inversa, sic moestitudine tabefacta, quod necdum recognoscas nec tenebras, nec moerores. En optimates tui obtinuerunt moerorem, princeps tuus praecipue tenebrescit, populus tuus moerore tabescit. Exitus aquarum deduxit oculus plebis, quia caligat oculus principis suspiciens in excelsum. Iste turbatus est furore, quoniam . . . . contenebratus est ab errore. Merito quidem moerendum est quod plebs imminuta, non illaesa, immunis malitiae vero inprimis, in labore manuum, in sudore vultuum, in tremore genuum, non sinatur comedere panem suum, sed illius fame repleantur regis horrea, illius siti redundent torcularia, illius nuditate perticae fulgeant, in cortice turgeant: illius inopia calcaria deaurentur, aeraria cumulentur. Verum tamen si rex tuus tantam saltem observaret justitiam, quantam canis; ut sicut ille pauperum caseos a muribus conservatos sic iste a tyrannis minoribus tueretur: sic ille pauperum caseos a muribus conservatos solus corroderet, sic iste subditorum substantiam ab aliis praeservatam raptoribus singulariter raptitaret, tolerabilior esset injuria, mitior malitia, minor culpa. Nunc autem residuum locustae, bruchus comedit, residuum bruchi aerugo consumit, dum regis reliquias bajuli, reliquias bajulorum fures, foeneratores et alii perditionis filii depraedantur. Nec tot habet fera insidias, avis laqueos, piscis hamos, quot vita pauperum venato-

res. Rex autem, regum honorem ambiens, onus sic abijciens, tranquillitatem privatam diligens, publicam negligens, ad officium regale tepidus, ad stipendium improbus, ad laborem regiminis lentus, ad mercedem promtus, ad audiendas conquestiones aspide surdior, ad extorquendas exactiones lupo rapacior, lucem odit, tenebras colit, in umbraculo dormit, in secreto thalami sedens cum divitibus, in occultis ut interficiat, quos salvare negligit innocentes. Ibi adsentationum mollibus circumfultus pulvillis, palporum lenibus delibutus unguentis, simulatorum nectariis inebriatus, dulciloquis gloriatur se partem optimam elegisse: in tantam elationem elatus, ut rectius reputet, sanctius sanciat, justius judicet., divinas prophanare iustitias, et suas sequi concupiscentias, quam illi operosum exhibere ministerium, per quem reges regnant, judices judicant, cui discretam non de sacerdotio, sed de regno, non de scripturarum scrutinio, sed de viduarum judicio, de pauperum patrocinio redditurus est rationem. Nec contentus humanum contaminare judicium, nisi contaminet et divinum. Qui super manifestis actionibus ad forum suum spectantibus judicare renuerat, super occultis affectibus ad altius tribunal pertinentibus, temerarie differre praesumit, omnes errare suspicans qui eundem erroris spiritum non imbiberint: Omnes languere conjectans, qui pari labore non laboraverint: Omnes exorbitare praesumens, qui similem non incurrunt coecitatem. Hic est doloris gladius nostram tentans animam, manu regis immaniter evibratus, et sagitta vulnerans in jecur nostrum evolans de pharetra Pharaonis. Non videtur cor carneum, sed lapideum, quod tali rationis offensa, tali juris injuria non candescit, non apparet frons pudica, sed meretricia, quae tanta famae jactura, tanta honoris macula non rubescit. Non miretur igitur inoffensa serenitas spiritus vestri, non turbetur inconcussa tranquillitas cordis vestri pro eo quod in nobis sic disrupit modestiae frenum, sic dissolvit linguae silentium vis doloris; nec enim alienae felicitatis invidi, sed nostrae cupidi, magnificis viris obtrectare studemus; sed zelo rectitudinis inflammati ac miseratione popularis miseriae liquefacti non possumus eloqui quae vidimus et audimus testimonium reddente spiritui nostro spiritu veritatis. Ceterum quia vestrae lenitatis forma potest adversitatis amaritiva dulcerari, supplicamus profundius, obsecramus obnixius, atque fiducialius postulamus, quatenus intentius intendentes regni profectui et regis honori, qui specialis animarum privilegio in dominum domus suae, in principem possessionis suae magnifice vos praefecit, sic velitis erudire vestros conprincipes, sic curetis edocere consiliarios seniores, quorum senectus non venerabilis sed miserabilis, non morum sed annorum numero, non charismatum sed aetatum septenario computatur, ut flante spiritu oris vestri, sol justitiae, qui latebat in nube negligentiae, de cetero in principes pacis, in propugnatores aequitatis, velut in clypeos aureos effulgescat, et palponum mendacia vos veritatem dicere non compellant.

Epistola XX. Josephi ad detrectatores super eorum consolatione.

Joseph servus justitiae, praepositus Egyptiae regionis, familiaribus, commilitonibus et conservis, salutem et pacem, quae superat omnem spem, omne votum. Quis est iste leoninus rugitus, caninus latratus, et vulpinus procacitatis vestrae gannitus, involvens sententias sermonibus imperitis, alienas injustitias argute arguens, suas conniventer pertransiens, in peregrinam messem extendens falcem judiciariam, derelinquendo propriam aerugini corrodendam? Quis furor, o judices, quae tanta temeritatis licentia, ut regem militia, dominum familia, principem clientela judicare praesumat, dissoluto jugo juris, disrupto vinculo rationis? Quis spiritus impatientiae vos impegit, ut in sellam regalis celsitudinis audeatis erigere os insulsum? An putatis vos, injusti judices, impune justum Dei judicium evasuros, qui judicantes alios, condemnatis vos ipsos, iisdem peccatorum funibus circumflexos: nec timetis severi-

tatem Divinam instruere, quam horridam in vos debeat sententiam fulminare? Nescitis quoniam et vos singuli regna singula divinitus obtinetis? quid enim corporum vestrorum diversitates, nisi diversae regiae civitates? quid sensus corporum nisi partes regalium civitatum? ibi nempe rationem regnare, voluntatem villicare, sensualitatem servire dominus dominantium ordinavit. Si quid in tumultuosa sensuum turba seditionis emerserit, ad examen pertinet rationis, quodque ratio recta decreverit, ad executionem spectare dignoscitur rationalis voluntatis. Nos autem oculata fide videmus quod in vestris internis curiis judices pro tribunali non sedent, reges in consistorio non consistunt, sed aut stertunt in diversoriis, aut otiosis studiis occupantur. Villici vero regali patientia abutendo, post concupiscientias currunt, nec Deum timentes, nec hominem reverentes. Vulgus autem brutalium motuum, indisciplinatum, indomitum et indoctum, unitatem scindit, fidem frangit, proximos prodit, famam laedit, honorem dirumpit, et arctantium impunitas vitae tantum erroris incitat et incendit. Quamobrem internus specierum locus, virtutum hortus conclusus evidenter apparet, alter ager hominis pigri, altera vinea viri stulti, ubi vinetum jucunditatis, rosetum patientiae degenerare vident in anxietatis spinetum et impatientiae urticetum. Haec revera nobis vestra patefecit epistola, vestrorum testis conceptuum, interpres intentionum, nuntia voluntatum. Quid igitur in alienis oculis consideratis festucas, qui tamen in vestris trabes recognoscitis vos gestare? Equidem humanae infirmitatis est in via morum errare, sed obstinationis diabolicae, errorem agnitum non vitare. Unde nimirum justitia errori compati, fla a) vero solet errantibus indignari; vos autem nec complacentes infirmitati regiae, non curastis eum reducere in spiritum mansuetudinis, sed in ipsum infremuistis dentibus infrunitis. Nos tamen non immemores quod virtutes civiles in vitiorum medio conversantur, quod facile sit deviare a medio, et quod difficile medium invenire, vobis aequitatem zelantibus, sed zelum sine scientia, obsequium sine ratione, sacrificium sine sale videam offerre, libenter ac liberaliter veniam indulgemus, humanis arbitrantes infirmari cum infirmitatibus quod insultare cum insultantibus et indignantibus indignum. Porro visceribus vestris popularis compassionis gladio sauciatis, post vinum compunctionis, oleum consolationis impertire volentes, nolumus vos ignorare magnificum miserationis mysterium, quo pater animarum Deus totius consolationis, miseriam inopum, et gemitum pauperum disposuit misericorditer consolari. Cum enim vidualis ploratus, pupillorum ululatus in conspectum introisset ipsius, excitatus tanquam dormiens, Deus excitare decrevit somnolentiam regis, circa curam regis, sub horrore visionis nocturnae, salutarem insinuans disciplinam, coelesti providente consilio, ut quod in luce latuerat, in tenebris appareret: cui dies non illuxerat, non ipsa diesceret, quod vigilias non dormiens non nesciret, et quam dies diei non eructaverat, nox nocti scientiam indicaret. Quippe corpulentas bestias macilentis, et spicas gravidas ab adustis absorptas somnians vidit, videns stupuit, stupens nostrum suffragium accersivit, quod divina institutione formati ad reformationem regiam pertinere patenter propalavimus, testificantes eidem, sic curiositates ab incuriis, sic adulatores a detrectatoribus destrui, sicut bruta a brutis, sicut spicas a spicis dissipari viderat et discerpi, cui repente curiositates abjuranti, incurias abdicanti et repudiatis curis brutalibus ad curas rationales anhelanti viam patefecimus regiam, regulam reseravimus reginalem. Consequenter famae jacturam supplere, horum maculam abolere et duram malitiam redimere satagenti, luculenter ostenso, quod incassum labia detrahentia cohibere tentaret, nisi adulantibus labiis cereum sigillum adhiberet. Mox de regali licentia, de speciali mandato, in chamo et freno competentis cor rationis constrinximus magniloquas adulationum maxillas, nunc in vestrae desolationis mitigationem

a) Fallacia.

et obstrictioris accurationis regale desiderium et somniale dilucidarium feliciter terminavimus, quo circa regalibus praeventi precibus, praemuniti mandatis, vestram rogamus providentiam, requirimus probitatem, preces praeceptis, praecepta minis regaliter roborantes, quatenus in zelum amaritudinis, qui spiritum concupiscitis moeroris, super curiositate regis, incuria regiminis . . . . , gravimine regionis regiae, rege deinceps vigilante, super custodia sua stante, negligentiae noctem praecedere, diligentiae diem accedere praesumente, mutata caussa mutetis effectum, abiicientes opera tenebrarum, indigna putetis inpatientiam et clamorem, induentes arma lucis, ad gratulationem, laudem jucundam pariter et decoram. Sicut enim exhibuistis labia vestra servire impatientiae ad infectionem, sic exhibere oportet, et servire benevolentiae ad gloriam et honorem; jam enim hyems adversitatis, imber lugubritatis abiit, aestus prosperitatis, serenitas jucunditatis advenit, ut ubi abundavit iniquitas abundet gratia, ubi regnavit tristitia imperavit infamia, concelebretur solemnis gaudium et laetitia, gratiarum actio et vox laudis.

Explicit Morale Somnium Pharaonis.

JOANNES *Leo* Romanus, Ord. Praed. et Episcopus Beneventanus ab A. 1440. ad 1488. Hujus opus MS. *de gestis Concilii Basileensis* laudat Cangius: aliud *de gestis Concilii Ferrariensis et Florentini* Jacobus Quetif tom. 1 pag. 794. et aliud divisum in septem libros, *de Synodis et Ecclesiae potestate* tom. 2 pag. 823.

JOANNES *Leo* alter, Eliberitanus Granatensis, non quidem Latine scripsit, sed Arabice primum, deinde Italice celebrem illam *descriptionem Africae* composuit digestam libris novem: quae cum digna lectu exstet ex latina versione Joannis Floriani edita primum Antwerp. 1556. 8. locum ei hoc loco dare volui. Ipse quidem patria per Ferdinandum Catholicum expugnata in Barbariam profugus, Fessae litteris Arabicis dedit operam, et post lustratas non indiligenter regiones Asiae Africaeque, captus a piratis ad insulam Lotophagitem sive Zerbi, perductusque Romam et dono datus fuit Leoni X. Pontifici maximo: qui Africam ab eo descriptam comperiens, charum habuit pensioneque ditavit, et Mahumedem ejuranti in baptismo imposuit nomen Joannis Leonis. Sed hic post Pontificis mortem a) deinde Roma relicta Tunetum se contulit, et Catholicam fidem cum Punica commutavit, ut memoriae proditum a Jo. Alberto Widmanstadio praef. ad Novum Test. Syriacum, editum Viennae Austriae 1555. 4.

JOANNES *Leo* Mutinensis Poeta sive Poetinus, discipulus Guarini et Ripae, de quo Gyraldus lib. 1. de poetis suorum temporum, laudans ejus elegias, epigrammata, et libros tres Perseidos, versu heroico.

JOANNES *Leodicensis*, supra *Joannes Honsemius* et infra *Joannes Lossensis*.

JOANNES *Lidgatus*, ex Ludgate sive Lydgate opido Comitatus Suffolciensis in Anglia, Monachus Buriensis ad S. Edmundum, non Augustinianus sed Ord. Bened. circa A. 1440. de quo Baleus VIII. 7. et Pitseus pag. 632. Elssius in encomiastico Augustiniano pag. 384. Poeseos floruit laude, variaque ex Italica et Gallica lingua in Anglicam transtulit, et ex Latina quoque, ut Boëthii libros de Consolatione philosophiae, Martyria SS. Albani et Amphibali, et nonnulla Joannis Boccatii scripta. Sed et Latine plura ipse composuit, ut *de gaudiis coelorum: Vitam* Regum *S. Edmundi, Ethelstani, Fremundi, Proprietates nationum, Parlamentum volucrum, De Philosophorum secretis, De rege Arthuro et mensa ejus rotunda. Acta Guidonis Warwicensis. De Guidone et Colbrando: Proverbia, testamentum* et alia quae apud laudatos scriptores referuntur.

JOANNES, a Lignano vico agri Mediolanensis, *Lignanus*, JCtus Bononiensis, non imperitus Philosophiae, idemque Pontificii juris consultissimus diem obiit A. 1383. ita enim Ghilino traditur tom. 2 pag. 129. verius quam 1368. quod legitur in ejus

a) Obiit Leo X. A. 1521. 1. Decembr.

epitaphio apud Pancirollum III. 25. de Juris interpretibus: Neque A. 1400. claruit, ut apud Trithemium c. 701. legitur. Marcus quidem Mantua, quem Cangius sequitur, recte A. 1380. ait floruisse, addit autem tempore *Urbani V.* qui iam. An. 1370. rebus humanis valedixit. Itaque legendum *Urbani VI.* pro quo *Epistolam* scripsit ad Petrum de Luna Cardinalem A. 1378. cujus partem edidit Odoricus Raynaldus ad illum annum n. 30. integram extare Cod. 811. Bibl. Colbertinae notavit Baluzius de Papis Avenionensibus tom. 1 p. 1400. Pro eodem Urbano sexto plura idem Lignanus, e quibus *novas allegationes* edidit idem Raynaldus ad calcem tomi XVII. Annalium pag. 510-528. quae sunt secundi ejus tractatus pars secunda, ut eidem Baluzio notatum pag. 1294. Idem pag. 1082. notat in Codice Colbertino 815. servari ejus librum *de statu Ecclesiae*, cui Joannes Fabri, Abbas S. Vedasti (de quo supra t. 2 p. 543.) librum de planctu bonorum opposuit, MS in eadem Bibl. Cod. 812 814. Caetera ejus scripta sunt: Commentaria *in Decretales,* et *in Clementinas* MSta Patavii in Bibl. Cathedrali, teste Tomasino: et *de pluralitate beneficiorum, de horis Canonicis. de censura Ecclesiastica* MSta Patavii in Bibl. Basileensi: *de bello et duello, de haeresibus,* et *de amicitia. De interdicto Ecclesiastico. Dr repressaliis, De permutatione* etc.

* Tractatus de amicitia prodiit Bononiae per Hugonem de Rugeriis an. 1492. Tractatus vero de bello et represaliis et de duello cum additionibus D. Pauli de Lignano lucem vidit Bononiae op. Mag. Henrici de Colonia an. 1477. fol. In Cod. 311. MS. Bibl. Felinianae extat huius Joannis *tractatus de bello;* cui Felinus manu sua haec adnotavit; *compilatus in Studio Bononiensi an. 1360 pendente forte exercitu contra civitatem, qui causam dedit tractatui ut Scholaribus tunc foret causa exercitii* Quae tamen verba usque ad illud: *qui causam dedit* Felinus ex edito descripsit, reliqua de suo adiecit quamquam et ista leguntur in secunda editione eiusdem operis producta Mediolani an. 1515. Ipsi huic operi additiones suas dedit Antonius de Lignano authoris nepos, quae exhibentur in edit. Taurinensi an. 1525. in 4. Tractatus de pluralitate beneficior. prodiit Parisiis 1511. Mediolani 1515 et istud una cum superiori de bello in collectione Veneta t. XVI. leguntur In eodem pariter t. XII est tractatus *de amicitia* et t. XIV. tractatus *de Censuris ecclesiasticis* qui ante prodierat Mediolani sine anno et impressore. Tractatus de *Repressaliis* lucem aspexit Papiae an. 1487. 4.

JOANNES *de Ligneriis* Philosophus et Astronomus circa An. 1330. quo tempore socios studiorum Parisiis habuit Joannem de Saxonia, Joannem de Muris et Bernhardum Philos. teste Trithemio cap. 580. Ejus scripta *liber de sphaera* et *Canones* atque *tabulae primi mobilis.*

JOANNES *Lilleshullensis* Coenobii praeses, sub saeculi XIV exitum, scriptor *enchiridii* in quinque partes divisi, ad Verbi ministros, de quo Lelandus cap. 433. Baleus VII 25.

JOANNES *de Linneriis* Æquatorium vidisse se Cantabrigiae, narrat idem Lelandus c. 370 supra *Jo. de Ligneriis.*

JOANNES *Linturius* qui Werneri Rolefinckii fasciculum temporum ab A. 1484. ad 1514 continuavit.

JOANNES Basileensis patria, *Lomberiensis* in Gallia Episcopus sub Archiepiscopo Tolosano ab A. 1389. ad A. 1416. Vide Sammarthanos tom. 2. pag. 677. et Trithemium de S. E. cap. 732 et de script. Germ. cap. 156 qui testatur scripsisse *in quatuor libros Sententiarum* commentarium et *Sermones* diversos.

JOANNES *Londinensis* Ord. Minor. Rogero Baconi familiaris, quem cum libris suis atque instrumentis mittens Romam ad Clementem IV. qui An. 1268. vivere desiit, commendavit his verbis: *non remansit unus Parisiis qui plus novit in Philosophiae radicibus, quamvis et fructus nondum produxerit propter juvenilem aetatem.* Vide Lelandum cap. 242. Baleum XIII 81 et Pitseum pag. 877 ubi pro Innocentio quarto reponendum nomen Clementis IV.

JOANNES *de Londino* sive *Londinensis*

junior, cujus *Chronicon Anglicum* Cangius memorat ex eodem Pitseo pag. 878 is est qui GERVASIUM Cantuariensem continuavit ab An. 1200 ad 1377 MS. Cantabrigiae in Bibl. Collegii SS. Trinitatis. Vide Oudinum tom. 3, pag. 1088. De Gervasio illo supra tom. 3, pag. 51.

JOANNES *Longudunus*, supra *Joannes Langton.*

JOANNES *Loney* sive *Lonejus*, Londinensis, Carmelita circa An. 1390. Scripsit *lecturas solennes* et *de Spiritus S. missione*, ut ex Thomae Waldeni Zizaniorum fasciculo Baleus XII 15 et Pitseus pag. 550.

JOANNES *Longiacus* Lemovicensis Aquitanus, cujus Orationem in laudem Clementis VII. (Papae ab An. 1525 ad 1534.) laudant Possevinus et Lud. Jacobus pag. 368 Bibl. Pontificiae, non diversus ut videtur a Joanne de Langenac, Episcopo Lemovicensi qui obiit An. 1541 ut notatum in Labbei tom. 2. Bibl. novae MSS. pag. 760 et Sammarthanorum Gallia Christiana t. 2. pag. 637 ubi hoc ejus affertur Epitaphium: *Exemplo tibi satis sim, quisquis es, si sapis, praesentibus necte futura. Natus quidem vixi, at hercle mori praestitit, ut plus magisque viverem.*

JOANNES *Longinus.* Supra DLUGOSSUS tom. 2, pag. 120.

JOANNES *Lossensis*, Coenobii S. Laurentii Leodiensis Abbas Ord. Bened. circa An. 1500. *Res Leodiciensium* ab An. 1449 ubi desiit JOANNES *Stabulanus*, ejusdem Coenobii monachus, continuavit describere usque ad sua tempora. Vide Sanderum p. 25. Bibl. MSS. Belgii.

JOANNES *de Lovanio* sive *Lovaniensis*, Carthusiae S. Catharinae prope Antwerpiam deinde Liram translatae professus, ac denique Sanctensis sive Xantensis Ecclesiae praepositus medio seculo XV. tempore Dionysii Rykelii, qui triennio post illius obitum traditur apud Petrum Orlandum VII. 22. Chronici Carthus. vidisse animam Joannis ob pluralitatem beneficiorum purgatoriis flammis ustulari. Ejus *Chronicon summorum Pontificum* laudant Arnoldus Bostius c. 24 Petrus Sutor p. 595. Theodorus Petraeus, Valerius Andreas, Vossius, Sweertius etc.

JOANNES *Lous* sive *Lovus*: Lelando *Lovaeus*, Vossio *Louve*, Vigorniensis Anglus, Augustinianus, Theologus Oxon. et ex Assaphensi Episcopus Roffensis, defunctus An. 1436 de quo Jo. Baleus VII. 94 Pitseus pag. 625 et Philippus Elssius pag. 385. seq. encomiastici Augustiniani, a quibus *Temporum suorum historias* scripsisse perhibetur, ac praeterea *Lecturas ordinarias*, *Disputationes Theologicas*, *Sermonesque* coram Rege Henrico VI. et per annum. Solarum *Homiliarum* meminit Lelandus cap. 579.

* Annum emortualem Roffensis huius ac Episcopi melius designasse P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis arbitror; notat enim ille non an. 1436 ut hic Fabricius sed an. 1467. et quidem in literis Eduardi IV. ap. Wilkins Concilior. Britan. 3. p. 583. datis an. 1462. *pro libertatibus* clericorum inter Episcopos Joannes Roffensis censetur.

JOANNES *Lucke* sive *Luccus*, Doctor Oxoniensis et Majoris Ecclesiae praepositus, atque ipse etiam XII. judicum unus, qui An. 1412 in Synodo Londinensi sub Thoma Arundelio, Archiepiscopo Cantuariensi memoriam *Wiclefi* librosque condemnavere. De eo Baleus VII. 61 et Pitseus pag. 607. Scripsit *Epistolas* et *dialogos* ad *THOMAM Waldensem*, qui eum Dominum ac Magistrum suum appellat: *Dissertationes veritatum*, *Quaestionum argumenta*, et librum *de ambiguis Scripturarum locis.*

JOANNES *Ludovicus Lambertacius*, JCtus ab An. 1384. Patavinus diem obiit Anno 1412. *Vir, ut ea tempora tulere, facundissimus reis patrocinium praestitit, egitque in foro causas feliciter. Summae fuit auctoritatis cum apud cives suos, tum apud Franciscum Carrariensem juniorem, et omnino princeps in Collegio Patavino*, cujus leges *recensuit*, *auxit*, *ordinavit*, Matriculas *sive* Alba Doctorum *annotationibus illustravit*, *quibus admodum, imo totum, quod attinet ad vetustatem sesquisaeculi integri, se debere asserit* a) *Porcellinus. Haec Legum recensio salva etiamnum est, peren-*

a) Praefat in not. Matric.

natque in relato Jurisconsultorum Collegio. Vidimus aliquot ejus Orationes *latinas, quarum pleraeque funebres sunt, et ut parum latinae sint, redundentque in exsucca loquacitate, Petrarchae tamen stylum referunt; ut verisimile sit, quod obiter ingerit Porcellinus, eum fuisse Petrarchae discipulum. Musarum quoque amicus* carmina *fecisse dicitur, delectatusque fuisse versibus Leoninis. Quin imo Porcellinus idem non dubitat, eum auctorem facere impositi Petrarchae cineribus epitaphii. Scripsit etiam* Responsa *plurima*, et interpretationes in Pandectas, et Codicem, *quarum lacinias aliquot extare Tomasinus* a) *tradit.* Haec de eo Nicolaus Comnenus in historia Gymnasii Patavini tom. 1. pag. 204.

JOANNES *de Lugduno* nominatissimus inter Catharos Waldenses Sec. XIII eorum *filius major et ordinatus episcopus* cui miros errores tribuunt REINERUS *Sachonus* aliique, sicut pauperibus de Lugduno, quibus a Waldone sive Waldo Lugdunensi nomen hoc haesit. Vide Reineri librum contra Waldenses a Gretsero, editum et recusum in tom. 25. Bibl. Patrum Lugd. pag. 269 seq.

JOANNES *de Lutria*, sive *de Lutravillula* Germanus, Theologiam docuit Erfordiae ac deinde praedicatoris officio functus est in Ecclesia Moguntina, obiitque Anno 1479. Vide Trithemium cap. 849 de S. E. et de scriptoribus Germ. cap. 244. qui refert eum scripsisse *super Sententias*, et *Quaestiones disputatas, sermonesque* varios et *quaedam in Philosophia.*

JOANNES *Lutterellus* Anglus, Philosophiae et Matheseos peritus, Cancellarius Oxoniensis circa An. 1340. Scripsit adversus Occamum *determinationes* quasdam et *ad quendam Romae disputantem* (Joannem Bacanthorpium de matrimonii negotio, ut suspicatur Baleus V. 56.) et *in Vesperiis* sive examinibus *Magistrorum*, et *Praelectiones Oxoniensis.* Addit Pitseus p. 448. *Epistolam de visione faciali* MS. Cantabrigiae in Bibl. publica.

JOANNES *Lyddensis* Episcopi Epistola ad Michaelem Patriarcham Hierosol. Anno 1194 edita a Baluzio tom. 2. Misc. p. 242.

JOANNES *de Lydgate*, supra *Joannes Goverus.*

JOANNES *Macrobii* deflorator *de differentiis et societatibus Graeci Latinique Verbi* prodiit Paris. 1586 8 deinde in Grammaticis Putschii pag. 1727 2770 et in melioribus Macrobii editionibus, ut dixi in Bibl. Latina III. 12. Ad calcem libri pag. 2770 edit. Putschianae: *Explicit defloratio de libris Ambrosii Macrobii Theodosii, quam JOANNES* (fortasse Erigena, de quo infra *Joannes Scotus*) *carpserat ad discendas Grammaticorum verborum regulas.*

JOANNES *Magdunensis* scriptor carminis obscoeni quod *Romantium de Rosa* nuncupatum est, cui scriptum opposuit Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis.

* Miror Joanni huic locum dari inter latinos Scriptores ex fabella inscripta *Le Romans de la Rosa.* Iste enim Gallicus est liber, quem late describunt plures, et diligentiorem disquisitionem de hoc ipso opere legi non sine approbatione a viro doctissimo Nicolao de Forlosia Bibl. Caesar. Vindobonensis custode adornata in suis additionibus, quas parat ad Commentarios Lambecii de Bibliotheca Vindobonensi, quod opus vigiliis doctissimi scriptoris elaboratum utinam cito prodeat, prout eruditorum omnium vota sollicitant. Primus author huius operis fuisse scribitur Guillelmus de Lorris, quod dein perfecit Joannes de Meum, quem Fabricius hic designat nomine Joannis Magdunensis.

JOANNES *Magnovillanus*, infra *Joannes Mandeville.*

JOANNES *Majoris*, Theologus Anglus quem Pitseus pag. 878 narrat Anno 1440. claruisse et scripsisse *in quatuor Evangelia scholasticam Postillam*, videtur confictus ex JOANNE *Majore* Scoto, de quo mox, cujus Commentaria in IV. Evangelia feruntur.

JOANNES *Major* sive *Mayr* Anno 1478 natus Hadingtoniae in Scotia Doctor Parisiensis, Standuccii discipulus, clarus circa An. 1520 reversusque in patriam ibi defunctus An. 1540 de quo Baleus XIV. 59 Lau-

a) In Athenis Patavinis.

nojus hist. Gymnasii Navarr. pag. 652 seq. Antonius Wood Athen. Oxon. t. 1, p. 44. Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 590 seq. Georgius Mackenzie tom. 2. de vitis illustrium Scotorum pag. 309 seq. et Wilhelmus Nicolson in Bibl. historica Scotica p. 101. Scripta ejus sunt:

Introductorium in Aristotelicam Dialecticem, a) totamque Logicam. Parisiis apud Joannem Lambert.

Quaestio de complexo significabili.

Primus liber terminorum cum figura.

Secundus liber terminorum.

Summulae cum figura quatuor propositionum et earum conversionum.

Praedicabilia cum arbore Porphyriana.

Praedicamenta cum sua figura.

Syllogismi.

Posteriora cum textu Aristotelis primi et secundi capitis libri primi

Tractatus de locis.

Tractatus elenchorum.

Tractatus consequentiarum.

Abbreviationes parvorum Logicalium.

Parva Logicalia.

Exponibilia.

Insolubilia.

Obligationes.

Argumenta Sophistica.

Propositum de infinito.

Dialogus inter duos Logicos et Magistrum.

Haec omnia simul edita sunt Lugduni MDXIV. apud Antonium Ryum. in fol.

Commentarius *in Physica Aristotelis*, Paris. 1526.

In quartum Sententiarum commentarius anno MDIX. apud Joannem Granionium Parisiis: anno MDXVI. ibidem recusus amplior apud Jodocum Badium Ascensium Ex hoc excerpta *disputatio de statu et potestate Ecclesiae* quae legitur inter Jo. Gersonis Opera tom. 2. edit. novae pag. 1121 1130 atque inter alia scripta eiusdem argumenti Paris. 1683 fol. in Defensione doctrinae Veterum Theologorum Facultatis Parisiensis. Adde Mackenzium p. 316 seq.

a) Haec puto vocari a Baleo *Sophisticalia Parisiensia*. Idem memorat hujus Majoris *Disputationes Sorbonicas, Placita Theologica* et *Sermones* per annum.

In primum et secundum Sententiarum totidem commentarii. Parisiis anno MDX. apud eundem. Commentarius in secundum anno MDXIX. prodiit auctor apud Joannem Granionium.

Commentarius *in tertium* A. MDXVII. ibidem apud eundem.

Literalis *in Matthaeum* expositio, una cum trecentis octo dubiis et difficultatibus ad eius elucidationem admodum conducentibus passim insertis, quibus perlectis, pervia erit quatuor Evangelistarum series. Parisiis anno MDXVIII. fol. apud Joannem Granionium. Ex hoc commentario depromta disputatio *de auctoritate Concilii supra Pontificem Maximum*, et altera *de potestate Papae in rebus temporalibus* quae ambae exstant in Defensione Facultatis Theolog. Paris. supra memorata, et inter Jo. Gersonis opera t. 2, p. 1131 1145.

De Historia gentis Scotorum libri sex, seu Historia maioris Britanniae, tam Angliae, quam Scotiae, ad Jacobum V. Scotorum Regem, e veterum monumentis A. 1518. Parisiis in Collegio montis acuti concinnata, et in nuptiis Jacobi III. a) sive in An. 1469 desinens, editaque Parisiis anno MDXXI. apud Jodocum Badium, in 4. Acerbe nimium in Maiorem, qui de poeta meritus erat non male, Georgius Buchananus, ingrati animi ideo notatus a Mackenzio pag. 342.

Cum scateat nugis solo cognomine Maior,
Nec sit in immenso pagina sana libro,
Non mirum titulis quod se veracibus ornat,
Nec semper mendax fingere Creta solet.

Joannes Baleus, qui *Caxtoni* Chronicon libris VII. a Maiore translatum ex Anglico scribit, idem ex Scotorum historia excerpit loca complura a) ex quibus ipsi locum inter testes veritatis conciliat. Sed Wilh. Caxtonus Lond. 1480. Historiam Angliae et Hiberniae quam sub titulo Chronici et fructus temporum libris VIII. Anglice edidit, ex HIGDENI Poly-

a) Non Henrici VIII. cum Catharina Aragonica, ut traditum Labbeo tom. 1. de S. E. pag. 591. et Vossio de hist. Lat. pag. 687. Miraeo pag. 100. auctarii de S. E,

a) Appendice ad Centur. XIV. c. 59.

chronico (de quo supra tom. 3. pag. 233) profitetur se profecisse. Caxtoni Chronico usum se testatur Maior libro IV cap. 13 et alibi, sed ita ut iudicio usus sit suo.

Catalogus Episcoporum Lucionensium, apud Antonium Democharem lib. 1. c. 26. tom. 2. propugnationis pro sacra Missa.

Luculentae *in quatuor Evangelia* expositiones et disputationes contra haereticos.

Ad calcem huiusce operis *quatuor quaestiones.*

Prima, utrum lex gratiae sit sola vera.

Secunda, quid sit veritas Catholica, et quot sint gradus eius.

Tertia de numero Evangelistarum.

Quarta de terrae promissionis situ.

Parisiis anno MDXXIX. apud eundem Badium fol.

Falluntur qui huic Maiori *Speculum exemplorum* tribuunt, ut fit in ephemeridibus eruditorum Paris. An. 1733 mense Aprili edit. Amst. pag. 443 vel qui *paraphrasin poëticam in Psalmos*, ut in Catalogo Bibl. Bodleianae. Nam haec Joannem Maiorem Professorem An. 1573. Wittebergensem auctorem habet, illud locupletatum debetur Joanni Maiori Jesuitae, qui Duaci An. 1608 diem obiit.

JOANNES, *Majoris Monasterii* Monachus in Gallia circa An. 1158 quo vivis excessit *Gaufredus Dux Normannorum et Comes Andegavorum: Turonum et Cenomanorum* cuius *historiam* libris II. condidit editam e Bibl. Laurentii Bochelli, Paris. 1610. Scripsit et *Chronicon Turonense MS.* in Bibl. Regis Christianissimi, quod edere voluit Labbeus, nactus exemplar continuatum usque ad An. 1227. Vide eius Bibliothecam MSS. pag. 362 et Longi Bibl. historicorum Galliae n. 14931 et 14662.

* Chronicon illud Turonense, quod Labbeus habere apud se perductum ad an. usque 1227 testatur idemque se evulgaturum spoponderat; ipsum est Turonense Chronicon, quod P. Martene Vet. Mon. tom. 5 p. 917 sub nomine chronici Turonensis authore anonymo produxit. Asserit ille habuisse se opus a Bibliotheca Regia; cum didicisset illud ipsum extare in Biblioth. PP. Soc. Jesu petisse se scribit ab illis, atque didicisse furtiva manu inde subiatum evanuisse. Quod vero chronicon illud Martenii idem sit cum nostro hoc praeter quam titulus indicat, demonstrat indicium anni, ad quem pertingit; utriusque enim idem est terminus annus scilicet. 1227. In Martene tamen codex est hiulcus, nec suppletur defectus, nisi ab excerptis nonnullis olim ex chronico ap. PP. Soc. Jesu deductis. Caret etiam auctoris nomine; quare num vere sit Joanni majoris Monasterii ambigendi locus datur. Utcumque tamen res habeat sese, profecto constat nullum aliud extitisse Turonense Chronicon, cuius edendi consilium Labbeus iniverat.

JOANNES *Malvernaeus* sive *Milvernaeus* Anglus, Monachus Vigorniensis, Ord. Bened. circa An. 1342 teste Pitseo pag. 878 Sed si Polychronicon HIGDENI (de quo supra tom. 3 pag. 237) continuavit, aetatem ejus ad A. 1382 proferre satius fuerit. Nam continuatio illa ab A. 1357 procedit ad A. 1377. Omitto visionum opus Anglice ab Malvernaeo compositum quod inscribitur: *Pierce Plowman.*

JOANNES Barbam *de Mandevilla*, Medicinae consultus et Astronomiae, scripsit *tabulas Astronomicas* et *de chorda recta, et umbra* et *de doctrina Theologica*. Vide Baleum V 70 et Pitseum pag. 455. Lelando cap. 405. *Magnovillanus*, Anglus miles de S. Albano a) Doctor Medicus, longis itineribus, in Asiam Africamque ab An. 1332 per annos XXIII susceptis clarissimus, et defunctus Leodii A. 1372 17. Nov. *Itinera* sua ipse descripsit Latine, Gallice et Anglice, vide Baleum VI 46. Pitseum p. 512. seq. et Vossium pag. 535. Itinerarius ejus a terra Angliae in partes Hierosolymitanas et ulteriores transmarinas Gallice Leodii conscriptus A. 1355 et postea Latine versus prodiit charactere typorum Gothico in 4 sine loco et anno, et Venet. sine anno in 4 *de diversis regionibus et insulis* etc. et Zwollis 1483 4. Epitome ejus a Baleo Gallice in Petri van der Aa sylloge, recueil de divers voyages curieux faites en Tartarie, Perse etc. Lugd. Bat. 1729 4. Germanice, *in dem Reise-Buch des Heil. Landes*

a) MSS. Cotton. pag. 74. b.

Frf. 1584 fol. vide Jac. Thomasium de Stoica Mundi exustione pag. 99. Exstat et Anglice, Italice, Belgice etc. Latino et Gallice MS. in Bibl. Leidensi. Non diversa fortasse scripta quae Mandevillio una cum libris de re Medica tribuuntur: *de situ terrae sanctae, de mirabilibus Mundi* et *descriptiones regionum.*

JOANNES *Mandwithus* Oxonii Martonensis Collegii alumnus circa Annum 1342 Medicinae consultus et Astronomiae, scripsit *tabulas Astronomicas* et *de chorda recta et umbra* et *de doctrina Theologica* Vide Baleum V 70 et Pitseum pag. 455.

JOANNES *de Mantua.* Ord. Praed. circa A. 1340. Ejus Epistola ad Albertinum Mussatum, Patavinum invectoria in poeticen, versibus hexametris. Incip. *Ad litem natam cur non mihi tacta poësis.* Exstat inter Mussati Opera edita Venetiis 1636 fol. Confer Jacobum Quetif tom. 1 pag. 511.

JOANNES *Marcanova,* Patavinus qui in Patria et Bononiae docuit Medicam artem, et Philosophiam cum studio Antiquitatum coniunxit, Cangio notante etiam Poëta, defunctus Patavii A. 1467. Scripsit *de dignitatibus Romanorum, de triumpho, de rebus militaribus.* Idem Bibliothecam Patavinam S. Joannis de Viridario, testo Laurentio Pignorio Epist. 3 instruxit Codicibus scriptis, veteribus numis et inscriptionibus antiquis. In eadem Biblioth. teste Tomasino pag. 31 servatur eius *repertorium Orationum* A. 1436 sed desideratur Volumen A. 1465 ab eo dedicatum Malatestae Novello, Caesenae Principi, de quo idem Pignorius, nec non Vossius pag. 578 et Nic. Comnenus tom. 2 historiae Gymnasii Patavini p. 166 et ex quo Scardeonius plagii postulari posse scripsit eos, qui nomine alieno de illis argumentis Marcanovae lucubrationes edidere. Confer Diarium eruditorum Italiae tom. XI pag. 301 seq. ubi notatur Codicem illum servari Venetiis in Bibl. illustriss. viri Laurentii Patarolii. Ut eidem Comneno traditum, *mira curationum facilitate morbos raro pharmacis adhibitis, quibus Pharmacopolarum fraudes ditescunt, compescere solebat: abstinentia una, quam Medici Dietam appellant: plerumque dicax in Medicos, quorum Philopharmaciam insectabatur syllogismo ex Hippocratis doctrina deducto. Nam hac dictante, tutissimum esse, in principiis morborum, si quid purgandum videatur, purgari oportere, dummodo materia turgeat. Atqui, addebeat, raro materia turget; ergo raro purgandum videatur, purgari oportere, dummodo materia turgeat; ergo raro purgandum etiam in morborum principiis. Parergon artis Jatricae sibi fecerat studium antiquitatis, et quidquid otii supererat a curationibus, huic utiliter impendebat.*

JOANNES *Marcheley*, *Markeley* sive *Marckelegus* (Lelando cap. 416 *Mardelegus*) Anglus, Waddingo *Marchelegus* Ord. Minor. Minister Provincialis defunctus Eboraci A. 1376 praeter *quaestionum variarum librum*, scripsit *de immaculata conceptione B. Mariae Virginis* adversus *Guilelmnm Jordanum* Dominicanum, de quo infra JOAR DANUS. Vide Baleum VI 60 Pitseum pag. 514. Waddingum pag. 214.

JOANNES *Marchinellus* Leodicensis, Carmelita, circa An. 1470 scripsit *ad omnes hominum status* libros III. *De pugna spirituali Quaestiones Theologicas. Sermones ad populum.* Ita Possevinus, Alegrius Valerius Andreas, Sweertius.

JOANNES *de Marcia,* cuius tractatum MS. *de intellectu et animo* et *in librum secundum Sententiarum* et *quaestiones super librum Aristotelis de anima* memorat Sanderus in Bibl Belgica parte 2 pag. 170.

JOANNES *Mardelegus* supra *Jo. Marchelegus.* Alius *Joannes Mardeley* junior circa A. 1550 de cuius scriptis Baleus ad calcem centuriae duodecimae p. 106 seq.

JOANNES *Maregus, de Mare,* infra *Jo. Maro,* sive *Marro.*

JOANNES *Marfeldus* sive *Marifeldus* Anglus Medicus circa A. 1490 scripsit *praxin* sive *de arte medendi,* in quo Gilberti Anglici industriam secutum laudant Lelandus c. 582 Baleus Centur. XI 64 Pitseus pag. 878.

JOANNES *Margarinus*, supra *Joannes Gerundensis* pag. 366.

JOANNES *B. Mariae* Glastoniensis Monachus, Anglus, circa A. 1400 cuius opus

de antiquitate Ecclesiae B. Mariae Glastoniae MS. in Bibl. Cottoniana. Vide Oudinum tom. 3 pag. 2228.

JOANNES *Maria Cataneus*. Supra CATANEUS tom. 1 pag. 334.

JOANNES *Maria de Polluciis* sive *Politianus*, Bononiensis, Carmelita circa An. 1490 scripsit vitam *B. Alberti Drepanensis* apud Surium 7 August. *Constitutiones Carmelitarum* Venet. 1499. *Vexillum* et *mare magnum Ordinis Carmelitici. Orationes Epistolas, Sermones Quadragesimales.* Vide Possevinum, et Alegrium pag. 374.

JOANNES *de Marienwerder* in Prussia, commentarius *in Symbolum Apostolicum* MS. in Bibl. Paulina, Lipsiensi. Vide Catalogum B. Joach. Felleri pag. 162.

JOANNES *Marius*, *(le Maire)* Valencenas Belga medio seculo XVI floruit et Gallice scripsit; a Vossio tamen p. 650 inter Latinos Historicos refertur propter librum tripartitum *de scematum* (lege *schismatum*) et *Conciliorum differentia* quem Latine vertit Simon Schardius et cum Theodorici de Niem libris Basil. 1566 edidit. De aliis eius lucubrationibus Valerius Andreas, Sweertius etc.

* Scribebat commentarium suum iste Belga sub Julio II Pontifice, ut ipse in eodem scripto indicat; quare vix credo pertingere usque ad medium seculum XVI potuisse.

JOANNES *Markelejus*. supra *Jo. Marcheley.*

JOANNES *Marletinus*, Mediolanensis, cuius *de Creatione*, MS. in Bibl. Patavina S. Joannis de Viridario. Vide Tomasinum pag. 39.

JOANNES *de Marliano* Mediolanensis, Medicus et Mathematicus, artem Medicam docuit Ticini, et in patria gravis annis diem obiit non A. 1430 vel 1438 sed A. 1483. a) De eo Trithemius c. 778 Bibliothecarum Medicarum scriptores, Bartholomaeus Curtius in Medicorum Mediolanensium historia p. 29 et Philippus Picinellus in Athenaeo eruditorum Mediolanensium. Scripta eius ex Curtio referre placet. *De proportione motuum in velocitate.* Papiae 1482. fol. *De reactione* adversus CAJETANUM *de Tienis* ibid. fol. opus primum auctoris et subtile. *Disputatio cum Magistro* JOANNE *de Arculis*, in diversis materiis ad Physicam et utramque Medicinae partem pertinentibus. *Disputationes cum* PHILIPPO *Adjuta* Veneto et JACOBO *Forliviensi.* ibid. fol. *Quaestio de caliditate corporum humanorum tempore hyemis et aestatis et de antiperistasi.* Venet. 1501 fol. *De febribus cognoscendis et curandis. De Minutiis. De Algebra,* MS.

* Alius ab isto est *Joan.* Franciscus *Marlianus* Mediolanensis, cuius legi orationem habitam coram Innocentio VIII Summo Pontifice, cum legationem gereret ad illum pro Antonio f. Joannis Galeacii Ducis Mediolanensis an. 1485. id est biennio post obitum Joannis Marliani medici Mediolanensis. Orationis huius editio est in 4 sine loci et anni adscriptione. Inter opera vero Joan. de Marliano, de quo hic Fabricius addendae sunt expositiones super XXII. Faen tertii Canonis Avicennae Mediol. 1594. fol.

JOANNES *Marro, Marrey, de Marre* Anglus ex pago Ducatus Eboracensis, Carmelita, Theologus defunctus A. 1407. 18. Mart. Lelando cap. 484. *Joannes Maregus* et *Marreius*: Trithemio in Bibl. Carmelit. et Alegrio p. 349. *Joannes Maronis.* Scripsit *determinationes contra Wiclefistas*; sive ut Lelandus vocat *Vicoclivianos*; Postillam *in Canticum Canticorum. In quatuor libros Sententiarum. Tabulam et compendium Originalium. Quaestiones. Sermones. In Valerium Martialem* Commentariolos. Confer Baleum VII. 32. Pitseum pag. 585.

JOANNES *Marsicanus* Cardinalis Episc. Tusculanus, Vastallensi Concilio interfuit A. 1106 et Romano A. 1121. Vide Ughellum tom. 1 pag. 230 et Baronium qui Orationem ejus et Epistolam affert ad A. 1111 n. 11 et 13.

JOANNES *de Matiscona* JCtus scriptor tractatus *de petitorio et possessorio.*

JOANNES *Mathias Tiberinus*, sive *Tubertinus*, Brixianus poëtica et oratoria fa-

a) Vide arithol. Curtium pag. 282. et 51.

cultate non minus quam medicinae peritia commendatus, ad Senatum populumque Brixianum scripsit A 1475 et separatim in 4 edidit. *Martyrium Simonis pueri, a Judaeis Tridenti crudeliter necati.* Exstat apud Bzovium ad A. 1475 n. 13. et apud Surium 24 Mart. et in Actis Sanctor tom. 3. Martii cum notis pag. 409. Vulgavit etiam separatim Zacharias Goetzius ὁ μακαρίτης, Osnabrug. 1715. 4 et Vir Clariss. Jo. Henricus van Seelen in selectis litterariis, Lubec. 1726 8 p. 635 seq. Conferendum Diarium Eruditorum Italiae tom. XIX pag. 380 seq. Jo. Jacobi Schudtii *Judische Merctwurdigkeiten* tom. 2 pag. 258 et Frid. Jac. Beyschlagius in sylloge pag. 934 937 ubi et *Elegia* hujus Joannis Matthiae in Simonis martyrium exstat ex edit. Augustae Vindel. A. 1511. Vide et infra UBERTINUS *Pusculus.*

JOANNES *Mattiotti* Confessarius *S. Franciscae Romanae,* cujus A. 1440 defunctae vitam scripsit, editam cum notis in Actis Sanctor. tom. 2 Maji 9 p. 92-176.

JOANNES *Mauburnus*, *Momburnus*, *Mamburnus*, a Bruxelia, Canonicus Regularis S. Augustini prope Zwollas, deinde Abbas S. Mariae Livriacensis prope Parisios, de quo Trithemius cap. 296 de illustribus scriptoribus Germaniae. et Vossius p. 646 qui *Joannem Temporalem* voluisse nuncupari annotat: Gabriel Pennottus p. 529. Valerius Andreas, Sweertius etc. Hujus *Compendium Venatorii Canonicorum Regularium* MS. Lovanii laudant Sanderus parte 2 Bibl. Belg. pag. 56 et Miraeus p. 100 auctarii. In hoc venatorio de viris illustribus sui ordinis, de se etiam lib. 2. cap. 125 disserit. Alia ipsius scripta: *Rosetum exercitiorum spiritualium et sacrarum meditationum.* Basil. 1491 Paris. 1510 et ex Basilii Serenii recensione Mediolan. 1603 Duaci 1620 fol. *Apologeticon Officii sui Ordinis,* MS.

JOANNES *Maxentius* Scythopolitanus, Nestorianorum adversarius circa A. C. 520 cujus scripta ex veteri versione Orthodoxographis et Bibliothecis Patrum leguntur, ipse Graece scripserat non Latine. De eo Labbeus tom. 1 pag. 593. Caveus, et quae notavi tom. IX Bibl. Gr. pag. 286. Videtur junior fuisse adeoque diversus *a Joanne*, ex Grammatico, *presbytero Antiocheno* de quo Marcellinus Comes ad A. 486 ex Gennadii cap. 93. Diversus etiam a *Maxentio recluso* de quo Gregorius Turon. II. 37. Hist.

JOANNES *Mearus*, Norvicensis, Ord. Bened. scripsit in *Magistrum Sententiarum* et *Conciones.* Vide Pitseum pag. 879.

JOANNES *Mechliniensis* Prior. Infra *Joannes de Schonhoven.*

JOANNES *de Mechlinia* Theologiam docuit Coloniae circa An. 1460 scripsit *in Psalterium,* a) et *super Sententias, Quaestionesque* varias, *Sermones* et *Collationes.* Vide Trithemium de S. E. cap. 819 et de scriptoris Germ. cap. 196.

JOANNES *Mechliniensis* supra pag. 140 *Joannes de Aquaveteri.*

JOANNES *Medicus,* discipulus Constantini Africani de quo supra tom. 1 p. 391 Monachus Cassinensis circa A. 1090. Ejus *Aphorismum* sive Aphorismorum librum *Physicis*, hoc est Medicis *satis necessarium* laudat Petrus Diaconus de viris illustris Casinensibus cap. 35.

JOANNES *Meder* Ord. Minor. apud Basileenses circa An. 1500. Ejus *Sermones* per annum ex *parabola de filio prodigo* doctrinam *de poenitentia* explicantes prodiere Basil. 1510 Paris. 1511. 8.

JOANNES *Meerhout*, Diestensis, Canonicus regularis Ord. S. Augustini in Corsendoncq circa An. 1444. Hujus plures MStas lucubrationes refert Sanderus Bibl. Belg. parte 2 pag. 56 seq *Expositionem Passionis Dominicae* et *in duo praecepta Decalogi. Gesta Pontificum Tungrensium, Trajectensium et Leodensium* usque ad Ludovicum de Bourbon: *Chronicon de mirabilibus eventibus. Vitam S. Rumoldi. Vitam Mariae de Lille* Beginae in Herenthal etc. *Canones Astronomicos ad inveniendum aureum numerum, Indictiones et bis sextum. Compendium Grammaticae, libris IV Etymologias variarum nominum. Artem memorativam.* Incip. Servius unus ex tribus commentatoribus.

a) *Super primam partem Psalterii* memorat MS. Sanderus parte 2. Bibl. Belg. X. 56.

JOANNES *de Meppis* Ord. S. Augustini, Laricensis Ecclesiae Episcopus suffraganeus Episcopi Monasteriensis, defunctus A. 1496 et sepultus in majori Ecclesia Monasteriensi. Scripsit *super Tobiam*, et *de S. Eucharistiae Sacramento. De oblationibus. De ideis. Sermones* ad clerum et ad populum. Vide Chronicon Comitum Oldenburg. apud Meibomium tom. 2 pag. 187.

JOANNES *de Meppis*, infra *Joannes Schipphover.*

JOANNES *Mercius* sive *Mercianus* clarus circa A. 1150 ad Eustachium Stephani Regis filium *de regibus Merciorum* sive mediterraneorum Anglorum accuratissime scripsit teste Lelando cap. 150. Ejus opere usum Joannem Rossum in opere de Episcopis Wicciorum sive Wigorniensibus testantur etiam Baleus II. 85 et Pitseus p. 213.

JOANNES *Miletus* Parisiensis, qui Praesul Svessionensis obiit circa A. 1502 Episcopatus 52 aetatis 88. de quo Sammarthani tom. 3. pag. 1054. et Launoius in historia Gymnasii Navarrei pag. 600-603. Ejus *Constitutiones Synodales* lucem viderunt Paris. 1503. Alius *Miletus* de quo infra, MELLITUS.

JOANNES *Militius* Archidiaconus Pragensis, A. 1374 defunctus. cujus sermonibus ductae mulieres meritoriae traduntur desertis lupanaribus castitatem et sanctimoniam coluisse, et lupanar Caroli IV. jussu conversum in Monasterium. Vita ejus apud BohuslaumBalbinum lib. IV 2. Miscell. Bohem. pag 43. Ex Balbino Rob. Gerius ad Caveum.

* Eius authoris conciones Quadragesimales enunciari credo in MS. Codice 890. Latino Biblioth. Universitatis Taurinensis. Vide Commentarios MStorum eiusd. Bibl. II 281. Titulus tamen ibi legendus nihil exprimit nisi in fine. *Explicit Quadragesimale Milicii.*

JOANNES *Milverodunus* sive *Mylverton* Anglus, Carmelita, Londini et Romae de non ferenda Episcoporum ambitione concionibus testatus et scriptis, in castello S. Angeli inclusus carceri, ex eo liberatus a Paulo II est post editum *Fidei suae Symbolum*, rediitque in patriam atque rebus humanis valedixit Londini A. 1486. Vide Lelandum cap. 574 et Baleum VIII 44 qui praeter ejus opus *de paupertate CHristi* atque *Epistolas, Lecturasque, Determinationes* et *Sermones* memorat ejus commentarium *super Augustinum de Civitate DEI.* Vide et Alegrium pag. 366 ac Pitseum pag. 674 qui addit Commentarios *in diversos S. Scripturae contextus*, et prolixum opus *contra Reginaldum Pecoccum.*

JOANNES *Minius* seu *de Muro vallium,* Picenus Ord. Minor. ab A. 1296. Minister Generalis, deinde Cardinalis Portuensis Episcopus defunctus Avenione, An. 1312. De illo Waddingus in secundo tertioque Annalium tomo et in Bibliotheca Franciscanor. p. 215 G. Josephus Eggs in purpura docta tom. 1 p. 268 sep. Ejus *Epistolam encyclicam de Ordinis pauperale retinenda* edidit Waddingus, ad A. 1302. qui et *Sermones* illius in solennioribus festivitatibus habitos commemorat.

JOANNES *Miraeus* qui et Lilleshullus a Monasterio quodam cujus Prior erat in Occidentalibus Angliae partibus sic cognominatus circa An. 1403. Scripsit *enchiridion* seu *Manuale Sacerdotis,* libris quinque. Vide Pitseum pag. 577.

JOANNES *Misthelburg* Sermones de tempore MStos memorat Bernhardus Pez tom. 3 anecdotor. parte 3 pag. 577.

JOANNES *Molines* de rebus aetate sua ab A. 1474 ad 1505 gestis MS. Bruxellis. Obiit A. 1507 vide Miraei auctarium cap. 452 et elogia Belgica: Sweertium p. 453. Valerium Andream pag. 544.

JOANNES *de Molinis* sive *Molinius* Armoricus Brito, Carmelita circa An. 1360. scripsit *speculum Ordinis Carmelitici,* laudatum Trithemio in Bibl. Carmelit. atque inde Gesnero, Vossio, Miraeo.

JOANNES *Monachus* dioecesis Ambianensis, inde Episcopus Meldensis et ab A. 1294 Cardinalis, fundator Collegii sui nominis Parisiis, le Moyne, obiit Avenione 1313 22. Aug. Scripsit commentaria *in VI. Decretalium.* Vide Sammarthanos 3.704.

* Commentarius Joannis Cardinalis in VI. Extrav. Bonifacii VIII. ex antiquiss. editione servatur in Bibl. Felini Cod. 310.

sed nec annus nec locus editioni signatur.

JOANNES *Monachus* scriptor *Chronici Besuensis Abbatiae* ab A. C. 600. ad A. 1119 in spicilegio Dacheriano tom. 1 pag. 489 (edit novae tom. 2 pag. 400-463.

JOANNES *Monachus* Casinensis. Supra *Joannes Medicus.*

JOANNES *Monachus* Ordinis Caelestinorum ac S. Petri Caelestini (de quo supra t. 1 p. 292 seq.) discipulus circa A. 1300.

JOANNES *Monachus* discipulus Petri Domiani, supra p. 374. *Joannes Laudensis.*

JOANNES Italus *Monachus* Cluniacensis, scriptor *Vitae S. Odonis*, de quo Vossius pag. 347. Vide supra pag. 353 seq.

JOANNES *Monachi* Cistercienses tres a Carolo de Visch. pag. 227 laudantur, quorum unus *Defensorium Juris* scripsit Coloniae editum in fol. alter *in Sententias*, tertius denique *de B. Virginis Matris laudibus.*

JOANNES *Monachus* cuius librum *de miraculis* MStum memorans Bernardus Pez tom. 3 anecdotorum parte 3 pag. 634 hoc initium adscribit prologi: *Saepe hortatus es nobilissime Consul, Domine* Pantalee, *me infirmum Joannem, omnium Monachorum Sacerdotumque ultimum ut aliqua quae in libris seu historiis Graecorum inveniuntur, quae in Latinis non sunt in Latinam converterem* linguam etc. Ex his verbis suspicor, ab hoc Joanne versum Latine Aristotelem vel alium Graecum scriptorem περὶ θαυμασίων.

JOANNES *Monachus* maioris monasterii infra, *Joannes Turonensis.*

JOANNES *Monstreletus* qui Miraeo dicitur, vero praenomine *Engueranti*, non Joannis usus est, historicus Gallus Froissardum continuavit ab A. 1400 ad 1467 Paris. 1512 fol. 3 Vol. et 1582 (exempla alia 1595 1603 praeferunt) 2 Vol. Vide Jac. Longi Bibl, historicorum Galliae n. 7416. Caeterum Gallice scripsit, non Latine.

JOANNES *de Monte Casale* Ord. Minor. Genuensis, Theologiae Magister circa An. 1300 scripsit *Quaestiones Philosophicas* et *Commentaria in Magistrum Sententiarum.*

JOANNES *de Monte* sive *Heydenberg.* Infra, *Joannes Trithemius.*

* Viri huius non ea sola laus fuit quod Joannem Trithemium lumen illud Germaniae filium tulerit; sed litteris et ipse claruit. In Codice enim MS. Theologico 327. Vindobonensi legisse mihi succurrit. *Sermonem factum coram Papa die Dominica prima Quadragesimae per Magistrum Joannem de Montem an. 1415* in illud: *Agite nunc dies salutis* 2. Cor. VI. Incipit: *Primo haec verba.*

JOANNES *de Monte nigro,* cuius Disputatio in Concilio Basileensi An. 1436 habita *de conceptione B. Virginis* MS. Basileae.

JOANNES *de Monte regio* infra *Joannes Regiomontanus.*

JOANNES *de Montesono* sive *Monzon,* ex Aragonia a) Hispanus Ord. Praed. Doctor Parisiensis, cuius *propositiones XIV.* condemnatae a Facultate Theologica Paris. A. 1387 exhibentur a Baluzio tom. 2 Papar. Avenionens. pag. 991 seq. et sententia excommunicationis adversus eum lata Avenione A. 1389 pag. 996 seq. Epistola Universitatis Parisiensis adversus easdem propositiones, inter Jo. Gersonis Opera t. 1. edit. novae pag. 694 Petri de Ailiaco sermo coram Clemente VII contra eius errores habitus pag. 697 et propositio ab eodem Petro facta in Consistorio p. 702. et eiusdem Apologiae Facultatis Theolog. Paris. circa damnationem Joannis de Montesono pag. 709. Conferendi etiam Bulaeus hist. Academ. Paris. tom. IV p. 718. Jacobus Quetif t. 1. de scriptoribus Dominican. pag. 694 seq. Jacobus Benignus Bossuet defensione declarationis Cleri Gallicani An. 1682 parte 2 lib. X. cap. 20. pag. 102 seqq. Natalis Alexander Sec. XIII et XIV. Tomo VII. edit. in fol. pag. 120 seq. Ex huius Joannis *Informatorio de schismate* pro Urbano VI contra Clementem VII et ex *Correptorio* eius *contra Epistolam fundamenti schismatis*, MSS. in Bibl. Vaticana, nonnulla profert Odoricus Raynaldus ad An. 1389 n. 15 seq. et 27 Ab his scriptis *Dialogus* quinque divisus libris inter Magistrum et discipulum de eodem schismate, ad Cardinalem Reatinum, ex quo idem Raynal-

a) Nic. Antonius tom. 2 Bibl. Hvet. ispan. p. 123. seq.

dus ad An. 1391 n. 24 Praeterea *Scopus LXXII. Conclusionum* ad peragrandam viam Ecclesiae a devio triviali ad Bonifacium Papam IX de quo scripto Jacobus Quetif tom. 1 p. 692 qui et tractatum *de Conceptione B. Virginis* et *Sermones* memorat.

JOANNES *Morlandinus*, (rectius *de Molinis* sive *de Molendinis*) Gallus Lemovicensis Aquitanus Ord. Praed. et ab An. 1350. Cardinalis defunctus Avenione An. 1353. de quo Baluzius tom. 1. Papar. Avenion. pag. 906. Ex scripsit ejus Jacobus Quetif tom. 1, pag. 628 tantum nominat tractatum *de reparatione hominis lapsi*, et *Sermones de tempore et de Sanctis*. Ejus *Epistolae* de congedis ex Papae Clementis VI. sententia ad palinodiam, qui Barcinone praedicassent Sanguinem CHristi in passione effusum, triduo illo non fuisse conjunctum Divinitati, ac proinde nec adorandum cultu latriae, meminit Henr. Spondanus ad An. 1352. n. 9. et Waddingus ad An. 1351 §. 13 ex qua Epistola praeter rem ut opinor G. Joseph Eggs in purpura docta tom. 1. pag. 383 exsculpit *tractatum insignem de Sanguine CHristi*, ubi etiam alium Morlandini tractatum *de Mundi contemtu*, aliumque *de disciplina Monastica*, et *Commentaria in libros Aristotelis* memorat.

JOANNEM *Moven* Episcopum Londinensem Cangius ex Pitseo inter scriptores suos refert qui pag. 880 nihil aliud ejus citat de nomine, quam *ad suos parochos librum unum*. Apud Franciscum Goodwinum et alios qui de Praesulibus Angliae scripsere, nullum ego Joannem Moven inter Episcopos Londinenses reperio.

JOANNES *de Muhlbach* sive *Mylbach* Erfordiae Theologiam docuit, superstes adhuc An. 1494. Vide Trithemium de S. E. cap. 906 et de script. Germ. cap. 236. Scripsit *in Epistolas Pauli*, *Quaestiones diversas*, *Laudes S. Hieronymi*, *Sermones*.

JOANNES *de Muhlberg*, cujus tractatus *contra statum Beginarum et Lollardorum* a) et *Processus altercationis inter Praedicatores et Minores Basileae degentes propter personas de tertia Regula S. Francisci*. in Bibl. Basileensi.

a) Ita legendum pro *Lothardorum*,

JOANNES *Multonus* Anglus Carmelita circa An. 1400 a Pitseo pag. 568. *Sermones XC. per annum*, eruditionis et eloquentiae suae testes reliquisse traditur. Eosdem se vidisse Latino sermone scriptos narrat Baleus XII. 40.

JOANNES *Muneratus*, de quo Launoius in historia Gymnasii Navarrei pag. 610. *Usuardi* Martyrologium edidit Coloniae 1490 4. sed ut eidem Launojo notatum, ad vetera exemplaria minime recognovit: subjecit tamen illi tractatum *de Divino officio celebrando ex decretis Concilii Basileensis*, itemque alium *de moderatione et concordia Grammaticae et Musicae in officio Ecclesiastico*. Edidit etiam tractatum *de dedicatione B. Martae Parisiensis*.

JOANNES *de Muris*, amicus Joannis de Ligneriis teste Trithemio cap. 580 adeoque clarus circa An. 1330. Mathematicus. Ejus scriptum *de Musica* in Codice Regio 384. evolvit Cangius, qui Anglum fuisse ex Pitseo annotat. Vellem locum addidisset. *Libros duos Arithmeticae speculativae*, Mogunt. 1538 8 editos Gesnerus monuit.

* Scripsit etiam libellum *de Regulis Calendarii*; quas regulas cum de anno emortuali Christi agitur, discutit Paulus Midelburgensis de Passione Domini Lib. 4. Hunc vero libellum vix alium credo a tractatu super reformatione antiqui Calendarii, quem in MS. Cod. Chartaceo servat Biblioth. Civica Vindobonensis, ut discimus ex editis Commentariis eiusd. Bibl. confectis a cl. Phil. Jac. Lambacher a secretis civit. Vindobonensis. In opere isto conficiendo adiutorem habuit Firminum de Bella Valle, cui utrique viro Clemens VI Papa (ut ex epistola operi praefixa patet) hanc Provinciam commisit. Cum vero absolutus sit liber, ut ibi scribitur, an. 1345. ex eo de anno quo author uterque vixit, reddimur certiores. Alterum ibi servatur opus eiusdem Joannis nempe: Tractatus de ann. *Nativitatis Christi, et eius passionis atque de terminis festi Paschalis*; et tractatus *de tempore celebrationis Paschalis* ad Innocentium VI. in cuius fine haec leguntur: *explicit tractatus de tempore celebrationis Paschalis a* F. *Joannes de Ther-*

mis Monacho editus et compilatus a Nativitate Domini 1354.

JOANNES *de Muro vallium*, supra *Joannes Minius.*

JOANNES *Murrhonus*, supra *Jo. Marro.*

JOANNIS *de Mussis* Chronicon *de rebus in Lombardia et speciatim Placentiae* ab A. 1222 ad 1402 *gestis* edidit laudatissimus Muratorius t. XVI. thesauri Script. Ital. p. 448 626.

JOANNES *Mylis* sive *Milonis* JCtus Anglus cujus *repertorium Canonici Juris* excusum Basil. 1488. Vide Baleum XI. 78 et Pitseum pag. 879.

JOANNES *Mylvertonus*, supra *Joannes Milverodunus.*

JOANNES *de Myza*, Pragensis Canonicus, et Decanus S. Galli scripsit librum *de bono Ordine moriendi* in tres partes divisum, ad Mag. Helmoldum de Slendenstede de Zoltwedel, Collegii Wenceslai Regis, Pragae Collegiatum. MS. Quedlimburgi teste Tobia Echardo pag. 21 qui ejusdem etiam pag. 23 putat magni Doctoris Pragensis An. 1377 scriptum librum *de poenitentia et ejus partibus* contritione, confessione et operum satisfatione.

JOANNES *a Naone* de familiis Patavinis laudatur a Felice Osio, ut a Cangio jam notatum.

JOANNES *Naso* Corleonensis Siculus, Praeceptor Lucii Marinei clarus circa An. 1470 scripsit *consuetudines felicis Urbis Panormi*, 1477 4. *Supplementum ad Christophorum Scobar de rebus praeclaris Syracusanis.* Venet. 1520 fol. ac praeterea heroico carmine, librum *de celebritate rerum* itidem Panormi editum. Vide Antonini Mongitoris Bibl. Siculam pag. 555. Thomas Fazellus Decad. 1. de rebus Siculis lib. 8. p. 171 hoc affert Joannis Nasi distichon:

Tacta fides sociam statuit sibi Roma Panormum,
Hinc Aquila et Praetor et decus Urbis adest.

De JOANNE *Nauclero*, nobili Svevo, primo Juris Canonici Professore, Cancellario et Rectore Academiae Tubingensis A. 1477 a Duce Wirtembergico Eberhardo conditae, haec Joach. Camerarius in vita Melanchthonis pag. 15. *Illis temporibus vir prudentia et Juris publici scientia celebris colligere coeperat historias, et exponere tempora rerum memorabilium, gestarum ab origine prima Mundi. Ei nomen fecerant* Naucleri, *quod in familiae nomine Germanico* nautae *significatio esset, qui sunt* Vergae. a) *Librum autem hunc exprimendum susceperat Thomas Anshelmus, qui typographicam officinam habebat Tubingae. A quo perfectum fuit, ut et illius scripti et aliorum quae a se ederentur, curam respectumque* Philippus *suspiceret, quo prodirent correctiora. Is tunc et in hoc opere* Naucleri, *partim disponendo partim augendo, partim etiam retexendo id praestitit, ut lectio libri istius a pluribus expeteretur, et fructu voluptateque non careret.* Hoc Naucleri *Chronicon* ab Orbe condito usque ad An. 1500 digestum per generationes unam et quinquaginta, prodiit cum *Jo. Reuchlini* praefatione, Tubing. 1515 fol. et cum auctario *Nicolai Baselii*, Monachi Hirsaugiensis ab An. 1501 ad 1514 ibid. et cum appendice nova ab A. 1515 ad 1544. Colon. 1544 1564 1579 fol. studio *Conradi Tigermanni* et *Bartholomaei Laurentis*: et sine supplementis Colon. 1614 fol. Denique *Laurentii Surii* commentarii rerum toto orbe gestarum, velut Naucleriani operis continuatio ad An. 1500 ad 1564 lucem vidit Colon. 1568 fol. et 1603 8. duobus Voluminibus. *Michaëlis ab Isselt* continuatio ab An. 1564 ad 1568 exstat in editione Colon. 1586 8. Eiusdem Naucleri *libros tres de Simonia* An. 1500 in 4 editos memorat Miraeus.

JOANNES *de Neapoli*, Ord. Praed. docuit Parisiis An. 1315 atque inde in patria. Fuit de primis propugnatoribus Thomae Aquinatis, superstes adhuc An. 1323. Vide Jacobum Quetif tom. 1. p. 567. Scripsit *Quaestiones varias XLII.* Parisiis di-

a) Vossio pag. 646. et Labbeo tom. 1 p. 595. *Vergehaus*, Melchiori Adamo in vitis Philosophor. rectius et D. Jo. Henr. Majo in vita Reuchlini p. 226. *Vergenhans*. Sane *Verge*, sive *ferge* nauta, qua voce usus etiam Lutherus Ezech. XXVII. 27. a verbo *ferien* sive *fahren*, unde *Fahre*, et Gallorum *fregate*. Vide Georgii Henischii thesaurum linguae Germanicae p. 1070. et Dieterici von Stade explicationem vocabulorum versionis Lutheri Biblicae pag. 109.

sputatas, editasque a Dominico Gravina, Neapoli 1618 fol. Commentaria *in IV libros Sententiarum. Quodlibeta XIII.* Tractatum *de paupertate Christi* contra argumenta VITALIS Ord. Minor. *Sermones* de tempore et de Sanctis, in quibus et duo *ad postulandam canonisationem F. Thomae de Aquino* et unos *in festo canonisationis S. Thomae.*

JOANNES Diaconus *Neapolitanus*, de quo supra pag. 355. ubi dictis adde quod ex eius Chronico Episcoporum Neapol. *Vita S. Athanasii* Confessoris et Episcopi Neapolitani XXXIV defuncti An. 872 exstat in Actis Sanctor. tom. 4. Julii XV. 75 et in Muratorii scriptoribus rerum Ital. tom. 2. parte 2. pag. 1042.

* JOANNES *Nesius* Florentinus philosophus Platonicus et Rhetor eximius claruit an. 1485 teste Poccianto in catalogo scriptorum Florentin. scripsit latine *oraculum de novo saeculo*; cuius meminit idem Pocciantus, idemque absolvit an. 1496 inscripsitque ad Joan. Franciscum Mirandulae comitem. Prodiit Florentiae an. seq. 1497 opera Laurentii de Morgianis in 4.

* Praeter oraculum de novo seculo in Biblioth. Riccardiana servatur eius *oratio quaedam funebris et epistola consolatoria ad Braccium Martellium* in obitu eius patris, et alia quaedam opuscula vernacule scripta. Vide Lamium in Catal. eiusd. Bibl.

(169 *De moribus* ad Petrum. Med. *Dialogi IV.* MS. membran. in 4. Ch. 172 cum icone Authoris apud Bandinium Catal. Bibl. Laurent. III. 144. Noscitur eius Testamentum anni 1506.

JOANNES *Nicolaus Buboicus* Vossii p. 605. nullus est, sed signare voluit NICOLAUM *Saguntinum* de quo infra. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XVIII. p. 419. et tom. XIV. pag. 384.

JOANNES *Nider* sive *Nyder* ex pago Sveviae, Ord. Praed. Prior Conventus Basileensis, etiam Concilio Basileensi praesens interfuit. Vitam ejus scripsit Georgius Colvenerius, praemissam formicario, et Jacobus Quetif tom. 1 pag. 792. seq. qui ait fuisse superstitem ultra An. 1440. quanquam alii Jo. Molanum secuti tradunt obiisse diem A. 1438. Scripta ejus haec sunt:

Myrmecia bonorum, sive *Formicarius* compositus ad exemplum scripti a Th. Cantipratano *apiarii* Dialogus inter Theologum et pigrum, conditionibus formicae et per varia exempla hominum, ad vitam Christianam incitativus, libris V. qui post duas editiones veteres sine loco et A. in fol. recensiti sunt a Jac. Wimphelingio Argent. 1517. 4. quem secuti Parisienses 1519. 4. His quatuor usus quintam adornavit Georgius Colvenerius, Theologus Duacensis, notisque eruditis illustratam edidit Duaci 1602. 8. Denique sub titulo librorum V. *de visionibus et revelationibus* hoc opus typis editum est curante V. C. Hermanno ab Hardt, Helmst. 1691. 8. Prodiit et Gallice, Vincentio Willart, Ord. Praed. interprete Bruxellis 1656. 4. Liber quintus *de maleficis et eorum deceptionibus* plus simplici vice etiam recusus in Malleo maleficarum, de quo dictum supra in HENRICO *Institore.*

Alphabetum Divini amoris de elevatione mentis in DEUM. Sub Jo. Gersonis nomine prodiit in 4. vetusta editio sine loco et anno, quae fuit in Bibl. Baluziana: Saepius etiam inter Gersonis opera et in novissima Dupiniana tom. 3 Sed Nidero restituit qui curavit editionem hujus libri Parisiensem 1516. 5. Certe Gerson in prooemio statim de nomine citatur.

Praeceptorium Divinae Legis, sive decem praeceptorum explanatio. Argent. 1476. Paris. 1482. 4. Noriberg. 1496. fol. Paris. 1507. 1515. 4. et Duaci curante Richardo Gibbono S. I. 1612. 8.

Consolatorium timoratae Conscientiae. Paris. 1487. 4. 1494. 8. Rom. 1604. 8.

De leprà morali in XIII. Levitici. Paris. 1473. fol. Lovan. 1475. 4. Paris. 1489. 4. 1495. 12. et 1514. 8.

Manuale Confessorum ad instructionem spiritualem Pastorum. Paris. 1473. fol. 1489. 4. 1513. 8.

Epistolae duae *ad Bohemos* scriptae Ao. 1432. et tertia *ad Patres Concilii Basileensis* editae cum Actis illius Concilii t. XII Labbei p. 848. 979. Harduin. t. VIII etc.

Librum *de modo bene vivendi* ad Sororem, sub BERNARDI nomine Paris. 1494.

Romae 1604. atque inter Bernardi opera tom. II. pag. 832. editum Nideri scriptis accenset H. Warthonus ad Caveum.

De reformatione Religiosorum sive status Coenobitici libri III. Paris. 1512. 8. Antwerp. 1611. 8.

Sermones in Epistolas Dominicarum per annum Argent. 1489.

Sermones de tempore, Quadragesimales et de Sanctis. Vetus editio sine loco et anno in fol. et Paris. 1500. 8.

De contractibus mercatorum Paris. 1514. 8. et in tractatu tractatuum Juris, Venet. 1584. fol. tom. VI pag. 279. et cum Benevenuti Stracchae aliorumque de mercatura Lugd. 1593. fol.

Dispositorium moriendi editum in 4.

Inedita apud Altamuram, Quetifum et Colvenerium haec commemorari video:

Speculum perfectionis a) *et de perfecta pauperate Secularium.*

De Canonicorum b) *secularium religionibus.*

De vera et falsa nobilitate.

De abstinentia esus carnium.

De vigore consuetudinis et dispensatione Canonica.

Commentaria in IV. libros Sententiarum.

Compendium Theologiae.

Librum *contra thesin Hussitarum in Bohemia degentium.*

Sermonem de visitatione B. M. Virginis.

JOANNES *Niem* ab Hallervordo traditur scripsisse Vitam Joannis XXIII Papae editam ab Henrico Meibomio: ac verum est nomen *Joannis Niem* praepositum editioni Meibomianae Francof. 1620. 4. sed in limine tomi primi scriptorum rerum Germanicarum, vulgatorum ab Henrico Meibomio nepote Helmst. 1688. f. recte restituta est THEODORICO *Niem*, de quo infra.

JOANNES *Nivicellensis*, supra *Joannes Abbas* pag. 334.

JOANNES *Noalius* Patavinus, scripsit librum *de constructione Urbis Patavinae et familiis ejus CXXV.* Fuit MStus apud Felicem Osium, ut notavit Vossius p. 818.

a) Memorat Trithemius de s. E. cap. 780. et de script. Germ. cap. 171.

b) Vitiose alii *Canonizatorum Scholarium.*

JOANNES *Noblet* Gallus, Carmelita Paris. circa A. 1430. Hussitarum in Concilio Basileensi adversarius, scripsit in *Evangelium Joannis, in Epistolas Canonicas* atque alios libros Biblicos multos. *super IV. libros Sententiarum. Centiloquium aenigmatum: et Sermones.* Vide Trithemium cap. 783. de S. E. et in Bibl. Carmelitar. Alegrium pag. 348. Antequam Carmelitis nomen daret, Medicae scientiae navavit operam, scripsitque libros III. *de pulsu, febri et urina.*

JOANNES *Nonantulanus*, sive Monachus Abbatiae Nonantulanae Ord. Bened. in agro Mutinensi, scripsit *vitam S. Fortunati*, Ecclesiae Fanensis in Umbria circa A. 620. Episcopi, editam ab Ughello tom. 1 Italiae sacrae pag. 658. et in Actis Sanctorum tom. 2 Junii 8. p. 106. Idem Joannes fortasse auctor opusculi *de fundatione Monasterii Nonantulani* sub novissimis Regibus Longobardicis circa A. 752. Edidit Mabillonius in Actis Sanctorum Ord. Bened. Seculo IV. et cum ejus notis Muratorius t. 1 thesauri rer. Ital. p. 2, pag. 185.

JOANNES *de Northamptona*, supra pag. 341. *Joannes Avonius.*

JOANNES *Norvicensis*, infra *Joannes de Oxonio.*

JOANNES, *Novariensis* ab A. 1402. ad 1413. Episcopus, interfuit Concilio Pisano A. 1409. Vide Ughellum tom. 4 p. 717. Ex ejus *Oratione* in illius Concilii sessione XIX. habita locum affert Hermannus ab Hardt tom. IV. Concilii Constantiensis pag. 1358 1360.

JOANNES *Novariensis* Augustinianus circa An. 1443 cujus *supplementum Chronicorum* Possevinus memorat,

JOANNES *Noviomagus*, sive *Neomagus*, Daventriae docuit post saeculi XVI. initia. Cuius *scholia in Bedam de rerum natura, de sex aetatibus Mundi, de temporibus et de loquela per gestum digitorum* dicata Guilelmo Duci Clivensi prodiere Colon. 1537 fol. et inter Bedae opera (ut alibi dixi) tom. 1, pag. 173. 174. Alia ejus scripta apud Valerium Andream pag. 468. Sweertium pag. 457 et Hendreichium pag. 744. *Scholia in dialecticam Trape-*

zuntii. Paris. Colon. et Lugd. 1537. 8. *De astrolabii compositione* Colon. 1533 8. *Logistice et theoremata numerorum* libris II. Paris. 1539. et Colon. Versio Geographiae Ptolemaei, quam memorant, et in Aristotelis libros quosdam commentaria lucem non viderunt quod sciam. Alium puto et juniorem Joannem Bronchorstium Noviomagum, qui Rostochii docuit, obiitque Anno 1570.

JOANNIS *Noviomensis* summam, nescio quam, in Bibliotheca Collegii Claromontani Parisiensis evolvit Cangius.

JOANNES Canonicus *de Novo Burgo* Anglus Historicus, defunctus An. 1257. supra pag. 175.

JOANNES *Nuenburgensis*, supra, *Joannes Bertram* pag. 345.

JOANNES *a Nusco*. *Nuscanus* sive *Nuscensis* Monachus Montis S. Virginis Ord. Bened. scripsit *Vitam* Magistri sui *S. Guilelmi*, Ordinis sui institutoris An. 1142. defuncti. Edidit Jo. Jacobus Jordanus Congregationis illius Abbas Anno 1643 inde cum Dan. Papebrochii notis exhibent Acta Sanctorum tom. V. Junii 25 p. 114 134.

JOANNIS *Occami* Quodlibeta memorat Jo. Lelandus cap. 326 ubi de *Guilelmo Occamo* disserit, de quo supra tom. 3, pag. 157.

JOANNES *Ockko*, *Ok* sive *Ocellus*, a) Ularsinius Bohemus, ex Olomucensi Episcopo secundus Archiepiscopus ab Anno 1364. Pragensis et An. 1379. Cardinalis defunctus An. 1381. De eo Ciacconius, tom. 1. de Vitis Cardinal. pag. 983. Bohuslaus Balbinus Miscellan. Bohem. Dec. I. lib. 6. parte 2. pag. 54 seq.

JOANNES Godfridi *de Odernhem* de quo Trithemius cap. 245 de scriptoribus Germ. supra pag. 367.

JOANNES *Otney* sive *Olnaeus*, vitiose *Olveius*, Anglus, Carthusianus circa A. 1350. Scripsit *Meditationes solitarias* et *de miraculis B. Virginis libros V.* Vide Theodorum Petrejum, Baleum V. 72. Pitseum pag. 474.

JOANNES *de S. Omero* Nordfolciensis Anglus circa Anno 1219 scripsit *Apologiam Nordfolciensium* carmine rhythmico quod incipit: *Edictum fingitur factum a Caesare*, adversus rhythmos Monachi Petroburgensis, quorum initium:

> Edictum exiit Augusto Caesare
> Qui mittens nuncios jussit describere
> Mundi provincias summo cum opere.

Vide Baleum III. 71. et Pitseum p. 294.

JOANNES *Ostrovodus*, supra *Joannes Æschendemus* pag. 335 idem enim Lelando cap. 350 qui Trithemio cap. 600 *Estuvide*, aliis *Eschwidi*.

JOANNES *Ovinhellus* Anglus, Carmelita, defunctus Caleti in Gallia An. 1438 Scripsit *Distinctiones rerum variarum*, libris VI. *Collectanea* sive *exempla sacrarum Scripturarum*, et *Sermones per annum.* Vide ex Lelando Baleum XIII 98. Pitseum pag. 627. Alegrium p. 342.

JOANNES *Oxfordius* sive *de Oxoneo*, ex Decano Sarisburiensi Episcopus Cicestriensis ac denique Norwicensis, diem obiit An. 1200 Scripsit *Historiam Regum Britanniae*, laudatam Hectori Boethio in praef. Hist. Scoticae. *De suo itinere in Siciliam*, cum ad Regem Guilelmum missus esset ob sponsalia Joannae Henrici II. Anglorum Regis filiae. a) *Pro Rege Henrico II. contra Thomam Becket*, Archiepiscopum Cantuariensem. *Orationes* et *Epistolas*. Vide Baleum III. 42 et Pitseum pag. 264. Diversus hic Joannes a *Joanne Fordun*, auctore *Scotochronici*, de quo supra pag. 362 seq. Aliud vero *Scalaecronicon*, in quo *Otterburnum* Minoritam allegari, Baleus annotavit.

JOANNES *Oxraccus* Anglus, Philosophus Oxoniensis, libros duos Aristotelis Analyticorum posteriorum commentario illustrasse traditur a Pitseo pag. 880.

JOANNES *Palaeonydorus* sive *Veteraquinas*, supra *Joannes de Aquaveteri* pag. 339 ubi dictis adde, *Fasciculum temporum* trimerestum sive tripartitum (non quadripartitum) prodiisse Moguntiae 1497 idemque opus recusum Venet. 1570 4. sub titulo: *Antiquitatis et sanctimoniae Eremi-*

a) Vide Gloriam Academiae Pragensis p. 93. seq.

a) Vossius Hist. Lat. pag. 449.

tarum Montis Carmeli. Ex huius lib. 3 c. 4. repetita Vita S. Cyrilli Carmelitae An. 1224 defuncti, in Actis Sanctorum tom. 1. Martii 6. pag. 500. Ejus *pro Trithemio adversus Wigandum* memorat Vossius p. 573 de Hist. Lat.

JOANNES *Palmerus* Anglus, Juris Canonici consultus, qui in Concilio Basileensi An. 1433 contra Hussitas decertavit, a Balco XIII. 97 traditur scripsisse *contra articulos Bohemorum.* Pitseus pag. 624. addit etiam librum *de peccato originali,* atque etiam *de adoratione imaginum.*

JOANNES *de Palomar*, infra, *Joannes Polemar.*

JOANNES *Parisiensis* Cancellarius. Supra GERSON, tom. 3. pag. 47 seq.

JOANNES *Parisiensis*, nomine gentilitio *pungens asinum* (poin l'ane) Ord. Praed. circa Anno 1248. Scripsit *in IV. libros Sententiarum*, et librum *de unitate formae*, aliumque *de principio individuationis.* Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 119 et Natalem Alexandrum Sec. XIII. et XIV. tom. 7. edit. in fol. pag. 150. Oudinum tom. 3, pag. 655 seq.

JOANNES *de Parisiis.* Ord. Praed. cognomento *Surdus* sive *Qui dort*, subtilis homo et expertus in multis scientiis et regens in Theologia, de nova sua circa S. Coenam sententia a) causam Romae dicturus obiit An. 1304. De eo Petrus Allixius in praef. ad librum mox commemorandum pag. 53. seq. Jacobus Quetif tom. 1. pag. 500. seq. Natalis Alex. tom. 7. pag. 149. seq. et Caveus. Scripsit *de potestate regum et papali*, tempore Bonifacii VIII. Papae et Philippi Franciae Regis. Paris. 1506 4. et in Goldasti Monarchia Imperii tom. 2. p. 108. 147. *Determinationem de modo existendi Corpus CHristi in sacramento altaris alio quam sit ille quem tenet Ecclesia.* Cum erudita Petrii Allixii praef. sive historia de dogmate transsubstantionis. Lond. 1686 8. *Correctorium corruptorii S. Thomae,* oppositum Guilelmo Lamarensi (de quo supra tom. 3. pag. 141) et sub *Ægidii Romani* editum nomine, Colon. 1516 fol. huic potius Joanni, a Quetifo p. 503. et Oudino vindicatur, licet alii *Richardo Clapoel* sive *Joanni Crapuelo* tribuant, atque Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 597 putat tres et forte plures contra corruptorium illud scripsisse, Ægidium Romanum, Richardum Klapoel Anglum, et Joannem Parisiensem. Caetera huius scripta inedita sunt: *Super primum Sententiarum* et *Lectura in universos quatuor libros. Quodlibeta. De CHristo et Anti-Christo* MS. in Bibl. Sangermanensi. *De unitate esse et essentiae in Trinitate. Determinatio de confessionibus Fratrum,* sive utrum rite Fratribus confessus, teneatur eadem peccata sua Parocho confiteri. *Contra Henricum de Gandavo. Sermones. De unitate formae. De iride. Liber meteororum.*

* *Tractatus de antichristo* una cum *tractatu* Telesphori Casentini de expositione in librum *S. Cyrilli de statu* Ecclesiae in Epitomen redacto a F. Rusticiano ord. Praedic. et Ubertini de Casali tractatu de de septem statibus Ecclesiae excusus est Venetiis an. 1516. 4.

JOANNES *Parisiensis* iunior, cuius *quaestiones super universam Philosophiam cum explanatione textus Aristotelis ad mentem Scoti*, prodiere Venet. 1487.

JOANNES *Parisiensis* Augustinianus, Launoio *Joannes Victorinus*, fuit enim Canonicus Regularis S. Victoris Paris. Augustinianus, gente Anglus scripsit *Memoriale Historiarum* ab O. C. ad A. C. 1322. MStum in Bibliothecis Angliae Galliaeque ut Caveo iam notatum et *Vossio* pag. 709. Hist. cuius *Joannes Paris sive Parisius* Anglus ubi eius memoriale Historiarum memorat, neutiquam ab hoc diversus est putandus. Excerpta ex eo de Gallia Franciaque et Origine Francorum, de Burgundionibus, Nortmannis, Flandria et Lotharingia, apud Andream du Chesne tom. 1. pag. 128 133. Vitae Clementis V. et Joannis XXII. apud Baluzium tom. 1. Paparum Avenionensium pag. 4. 113. Aubertus Miraeus cap. 403 auctarii notat non pauca se inde in Chronicon suum Belgicum transtulisse, testatus legisse se MStum *ab alio quopiam auctum*: Auctorem satis accuratum

a) Baluz. Pap. Avenionens. pag. 5. et 576. seq.

vocat H. Spondanus ad An. 1304 n. 14. Idem de eius diligentia iudicium Launoii §. XXIX. de causa secessus S. Brunonis.

JOAMNES Genesius Qualeus *de Parma*, Doctor Parisiensis. Ord. Minor. Minister Generalis A. 1249. ab Innocentio IV. missus Angelus pacis in Graeciam Ao. 1256. Generalatu sponte cessit et An. 1289. Camerini senex obiit. A Trithemio cap. 494. traditur scripsisse *in IV. libros Sententiarum*, et *de conversatione Religiosorum* libros II. Praeterea MStum in Bibliothecis Patavinis aliisque exstat ejus *Glossarium*. Sicuti *Sermones* servat Florentiae Bibliotheca magni Ducis. Liber *de Civitate CHristi et bona vita* prodiit Regii 1501. et Rom. 1523. teste Waddingo pag. 208. Bibl. qui laudat quoque ejus tractatum *de beneficiis Creatoris et Officium Passionis CHristi* quod incip. *Regem CHristum crucifixum*. Itemque libellum *de sacro commercio S. Francisci cum Domina paupertate et Rosarium in Genesin*. Qui *Evangelium aeternum* a) huic Joanni a Parma tribuunt, confutantur ab eodem Waddingo in Annalibus Ord. Minor. tom. 2 ad A. 1256. num. XI. et Oudino tom. 3 pag. 242. seq. qui Dominicanis potius cum Academia Parisiensi contendentibus illud deberi affirmant ex testimoniis Matthaei Paris ad A. 1256. Richerii Senonensis IV. 37. Chronici Senon. et Ægidii de Loris in poemate le Roman de la rose. Sed et Dominicani illud velut probrum a se removent libenter, ut videre est apud Natalem Alexandrum Sec. XIII. et XIV. tom. 7. edit. in fol. pag. 78. Et qui nolunt Joannem illum, Franciscanorum Generalem auctorem facere, alium JOANNEM *de Parma*, Monachum *Italum* inducunt, incertum cujus Ordinis, libri illius auctorem, plures enim hoc nomine illa aetate fuisse. Etiam Bonaventura Angelus Ferrariensis lib. 1. historiae Parmensis apud Waddingum pag. 217. Bibl. mentionem facit JOANNIS *Parmensis* Theologi et artis Medicae periti, cuius laudat Commentarios *in plerosque libros Veteris Testamenti*: Scriptum *de Incarnatione CHristi*. Libellum *de Medicinis* et alium *de consolatione Medicinarum*. Omitto eos qui *Joannem Genesium* vel *Joannem Paulinum de Quaya* tanquam diversum ponentes, scripta gestaque ad eum referunt Joannis de Parma Ord. Minor. Generalis. Confer supra in GENESIO t. 3 p. 29. (170 Affò (Ireneo) Vita del B. Giovanni da Parma, 1780. 4.

JOANNIS Abbatis circa A. 982. *Parmensis* Vita ab Anonymo synchrono scripta exstat in Actis Sanctorum t. V Maji 22. p. 179-184. cum notis Godfridi Henschenii.

JOANNES *Parvus*, Consiliarius Ducis Burgundiae, Doctor in Theologia et Canonicus Parisiensis, defunctus ante An. 1413 Hic post interfectum An. 1407 23. Nov. Ludovicum Ducem Aurelianensem, Caroli VI. Regis Galliae Fratrem edidit *Justificationem Ducis Burgundiae super illa caede*, quae exstat tom. V. Opp. Joannis Gersonii edit. Dupinianae pag. 16 42. In illa iustificatione docere instituit Tyrannum recte et licite interfici a quocunque: neque fidem ullam aut ius iurandum posse intercedere contra publicum ac manifestarium violatorem Divini omnis et humani Juris.

a) EVANGELIUM ÆTERNUM, titulus scripti sine nomine auctoris An. 1254. prodiit Parisiis, atque una cum Guilelmi de S. Amore libro de periculis novissimorum temporum, quod scripto illi opposuerat, flammis traditi jussit Alexandri IV. Anagniae An. 1456. condemnati etiam in Concilio Arelatensi An. 1460. In illo plurimum Joachimo tribuebatur Abbati, tum ex ejus etiam, vel Almarici, vel Cyrilli Carmelitae aut alterius Monachi visionibus docebatur in locum Veteris Test. atque Evangelii CHristi quod A. 1260. evacuandum esset. successurum Evangelium Regni sive Evangelium Spiritus S. Vide Nicolai Eymerici directorium Inquisitorum parte 2 quaest. 9. §. 4. Bzovium ad A. 1258. n. VIII. seq. Raynaldum ad A. 1256. n. 19. seq. Spondanum ad A. 1258. n. 3. Usserium de successione Ecclesiarum cap. 9. §. 20. p. 337. seq. Bulaeum hist. Academ. Paris. ad A. 1255. tom. 3 pag. 290. et 330. seq. Eduardum Stillingfleet de fanaticismo Ecclesiae Romanae cap. 4. p. 259. seq. Petrum Jurieu praejudicio decimo adversus Papismum: Joannem Henricum Heideggerum tom. IV diss. select. 7. §. 10. pag. 255. seqq. Guil. Caveum in conspectu Seculi XIII. Davidem Ancillonium in Ancillonianis, tom. 1 p. 117. seq. et Jo. Andream Schmidium diss. de pseud-Evangelio aeterno. Helmst. 1700. 1723. 4. De libro nostrorum temporum qui sub *Evangelii aeterni* nomine A. 1699. jactatus in Anglia, auctore foemina Joanne Leado, Origenianam de ἀποκαταστάσει πάντων sententiam commendat ac tuetur, dicere me memini in Codice Apocrypho Novi Test. t. 1 p. 338.

Acta in Concilio Parisiensi An. 1413. seq. et Constantiensi An. 1413 super damnatione harum propositionum Joannis Parvi, exstant in eodem tomo quinto Gersonii operum; cui iungendus Hermannus ab Hardt tomo tertio Historiae Concilii Constantiensis pag. 337. 354. 388. 396. 721. seq. 919 seq. Jacobus Lenfant hist. eiusdem Concilii pag. 237. seq. Bulaeus in hist. Universitatis Paris. tom. V. pag. 133. Jacobus Quetif de scriptoribus Dominicanis tom. 1. pag. 754 760 776 778 etc.

JOANNES *Paschallus* Lelando cap. 401. *Paschalis*, Anglus Suffolciensis, Carmelita, Theologus Cantabrigiensis, ex Scutasiensi Episcopus Landavensis (Tavensem Lelandus appellat) defunctus An. 1361. Eius scripta *Lectiones Scripturarum, Disputationes*, et *de CHristi-passione*, nec non *Homiliarum tres libri* quas selectas vertit ex Anglicis suis, LXVII de tempore, LXXX de Sanctis, et Conciones per annum. Vide Baleum V. 97 Pitseum pag. 497. Alegrium pag. 391.

JOANNES *de S. Paulo*. Infra, *Joannes Platearius*.

JOANNES *Peachamus*, *Peccamus* sive *Pechamus*, *Peckam*, *de Pechano*, Anglus, Ord. Minor. discipulus S. Bonaventurae a) docuit* Parisiis, Oxonii et Romae in Palatio Pontificis, inde Archiepisc. Cantuariensis ab A. 1278 ad 1292 b) Archiepiscopo debetur *Collectarium Divinarum sententiarum librorum Biblicorum* non contemnendum, c) ad certos redactarum titulos, editumque Parisiis 1513 in 4. Coloniae 1541 in 8. Distinctum est libris V. quorum 1. tractat locos de aversione peccatoris a DEO. 2 de revocatione peccatoris ad DEUM. 3. de conversione revocatorum. 4 de merito et Sacramentis et 5 de praemio bonorum, malorumque suppliciis *Officium SS. Trinitatis* ab eodem compositum et illustratum a Francisco Titelmanno, prodiit Antwerp. 1530. Alia ejus scripta apud Lelandum cap. 30 sunt: *Itinerarium. Constitutiones Provinciales. Quaestiones de Sacramento Eucharistiae. De vanitate rerum Mundanarum. Super sententias, libri IV. Quodlibetum. De mysterio Minorum. De paupertate. Haereseon a se damnatarum liber. De Sphaera. Perspectiva* illustrata a Luca Gaurico et Venetiis edita: *Epistolae.* Hisce Baleus IV 64 addit: *Statuta Synodalia*, diversa a Provincialibus Constitutionibus. Postillam *in Cantica Canticorum, in threnos Jeremiae et in Marcum*: *Lecturas Oxonienses. Contra insipientem. Contra Priorem Cisterciensium Contra Richardum Klapvoel. Pro S. Bonaventura. Psalterium meditationum Mariae. De ratione diei Dominicae. Speculum animae. Speculum Ecclesiae de Missa. Super Symbolo. De decem Praeceptis. De peccatis capitalibus. De passione Domini. Notabilia Metaphysices. Theoricam planetarum. Mathematica rudimenta. Apologeticon. Canticum pauperum. Dialogum Francisci et paupertatis. De perfectione Evangelica. Sermones Dominicales* XXV. *De confessione fratribus facta, et super Confessionibus fratrum. Carmina varia.* Eadem Pitseus pag. 380. nisi quod ab eo video adjungi MStas in Bibliothecis Angliae, *Meditationem de Corpore CHristi. Collationes de omnibus Dominicis per annum. Expositionem Regulae S. Francisci. Disceptationes Thomae et Peckami. Tractatum de numeris; mysticumque interpretationem numerorum in sacra Scriptura. Expositiones in Constitutiones Othonis et Othoboni*, MStas in Aula Pembrochiana. Idem notat statuta *Synodalia* a Joanne scripta maxime in Synodis, Radingi et Lambethi celebratis, subjungitque *titulos* eorum XXX. Apud Waddingum pag. 218 additur Opusculum inscriptum: *Verba dicta a CHristo*, MS. in Bibl. Vaticana: et *Formula confitendi*, MS. in Bibl. Convent. Mediolani.

* Constitutiones Synodales archiepiscopi huius Cantuariensis legendas offert Wilkins in Conciliis Britanniae t. II pag. 33. ordinationes eius in domibus religiosis p. 37. tum et alias eius constitutiones ibid. legere juvat. Demum pag. 51. sunt eius

a) Miraeus auctar. cap. 406. sed qui perperam ait obiisse A. 1200.

b) Henrici Warthoni Anglia sacra t. 1 p. 116.

c) Unschuldige Nachrichten von Alten und Neuen. A. 1725. pag. 547.

constitutiones editae in Conc. Lambetensi. Sunt etiam alia multa ad ipsum pertinentia, quae ibidem legi possunt ab eruditis.

* JOANNES *de Penna* eo vivebat tempore quo et Thomas de Garbo, scilicet circa ann. 1340. Scripsit autem tractatum, quo impugnare nitebatur tractatum alterum Magistri Francisci de Bononia sustinentis *Nullum semen formaliter animatum esse*. Porro Joannes iste Medicus diu floruit magna inter homines opinione celebris Neapoli. Scriptum istud integrum retulit in summam suam medicinalem Thomas de Garbo, cuius suo loco memini.

JOANNES *de Persico*, Cremonensis, Augustinianus, scriptor *Historiae Scholasticae* sive *Ecclesiasticae*, quam MS. laudat Vossius pag. 708 de Hist. Lat. Ejusdem *varias expositiones in libros Biblicos*, *Postillam ad totius anni Evangelia*. Librum *contra Judaeos atque rebelles Ecclesiae*. *In Dialecticam Petri Hispani et in librum S. Thomae de fallaciis* memorant Possevinus et Philippus Elssius p. 359. Idem fortasse Joannes Cremonensis qui Ao. 1275 interfuit Comitiis Centumcellensibus, de quibus Josephus Pamphilus Chronici Augustinianor. pag. 31 b. Vide Franciscum Arisium in Cremona litterata.

JOANNES *Perusinus* Monachus Ord. Bened. circa A. 1510 cujus *descriptio Terrae sanctae*, quam ipse invisit, et *index locorum ejus* celebrantur. Vide Vossium p. 709 de Hist. Lat. et Augustinum Oldoinum in Athenaeo Augusto p. 186.

JOANNES *Petriburgensis*, supra *Joannes Abbas* pag. 126.

* JOANNES *Petrus* Lucensis ortus Laventia nob. oppido nunc et arce in Liguria, olim ditionis Lucensis, unde viro Lucensis appellatio mansit, Graecis et Latinis litteris apprime doctus, qui nomine a Calfurnio in epistola praemissa problematibus Plutarchi commendatur. Amoenioribus docendis litteris pub. stipendio conductus fuit Venetiis, tum ad urbem patriam eidem implendo muneri transiit invitatus a Senatu, ampliorique stipendio illectus. Postquam ibi per annum docuisset peste tunc grassante correptus interiit An. 1457. die 3. Octobris. Elatus est superbo sumptuque pub. apparato funere, cui et decus addidit laurea corona, qua defuncti caput redimitum apparuit in argumentum poetici principatus. Sepulturae mandatus est in vestibulo majoris Ecclesiae Lucensis, eiusque insculpta marmoris imago appensa in exteriori fronte eiusdem Ecclesiae, pictis vero coloribus expressa visitur in Bibliotheca Capituli eiusdem Ecclesiae cum adiuncta epigraphe, *Jo Petrus Lucensis doctus Graece et Latine ingenio miti proboque.* Laudatorem autem habet Jo. Bapt. Egnatium qui sub eo praeceptore studuit et Robertellum qui ex versione Plutarchi ab eo adornata testimonium contra Sigonium urget. Vide Sigonii emend. lib. 2. mihi pag. 491. Vertit ex Graeco quaestiones centuriatas Graecas Romanasque Plutarchi, quam versionem a Typographis deformatam castigavit, iterumque edendam curasse in praemissa his epistola testatur Calphurnius in edit. Veneta an 1519. Problematum Aristotelis, quibus idem Plutarchi opusculum adiecit.

Scripsit etiam in Epistolas Fam. Ciceronis Commentarios, quos una cum commentariis Guarini Veronensis, Omniboni Vicentini, Huberti Crescentinatis opera eiusdem Huberti in unum corpus collecta vulgavit Bonaccursius Pisanus. Venet. 1488.

JOANNES *Peyligk*, Czizensis, artium liberalium Magister, cujus *Compendium Philosophiae Moralis* lucem vidit Lipsiae 1491 fol. typis Melchioris Lotter.

JOANNES *Pheffer* de Widenberg, Francus Orientalis, Heidelbergae et Friburgi docuit, obiitque A. 1493. Vide Trithemium c. 888 de S. E. et de script. Germ. cap. 235 qui laudat ejus *Commentarium in Epistolas Pauli* praelectum publice, et sub titulo *Directorii Sacerdotalis* ab auctore praenotatum.

Pro JOANNE *Philotechno* quem memorat Cangius, legendum JORDANUS de quo infra.

JOANNES *Phreas* sive *Freas*, (Free) Londinensis, Guarini discipulus, quem oratione funebri celebravit, utriusque lin-

guae peritus, atque Medicae artis consultus, ex qua ingentem aureorum numerum collegit et dives obiit An. 1464. *Scripsit,* inquit Lelandus cap. 576. *Epistolas elegantissimas et Carmina* (in quibus Petrarchae Epitaphium quod incipit: *Tuscia me genuit.*) *Legi ejus versus perfluenter in quibus Bacchus expostulat cum capro vitem arrodente, dedicatos vero Jo. Tipetoto Maecenati suo, cui et consecravit libellum* Synesii *de laude calvitii interpretatum, ut quidam affirmant majori Latine cum gratia quam Graece a Synesio scriptum. Transtulit in Latinum* Diodori Siculi Biblioth. Graecam, *quod opus Itali* Poggio *vanissime attribuunt Florentino. Vidi ego exemplar quod et archetypum fuisse certe puto, in cujus primi folii margine haec recentiori manu scripta reperi*: Paulus II Romanus Pontifex propter translationem sibi dedicatam Fream Episcopatu Bathoniae donaverat, quod cum accepisset, supervixit mensem unum, et obiit Romae nondum consecratus. *Sunt qui putent competitorem aliquem praesenti veneno clam dato Phream sustulisse.* Vertit et *Xenophontem de vita Cyri*, scripsitque *Cosmographiam Mundi,* Plinium maxime secutus, ut notavit Antonius Wood in Antiquitatt. Oxoniens. tom. 2 pag. 76 Confer Baleum VIII 38 et Pitseum pag. 655 seq.

De JOANNE *Pico* et JOANNE *Francisco Pico* Comitibus Mirandulanis audire juvabit Labbeum, cui observationes meas adjungam.

JOANNES *Picus,* Mirandulae Dominus, et Concordiae Comes ac Princeps, ingeniorum sui saeculi Phoenix merito ab eruditis nuncupatus, natus anno 1463 obiit magno omnium moerore Florentia, die XV Kalend. Decembris anni 1494. quo die Carolus VIII Francorum Rex eandem urbem ingressus est. Bibliothecam suam Praedicatoribus legavit teste Miraeo. Ætas ejus 32 duntaxat annorum fuit. Numum ejus inspiciendum praebet Jo. Dav. Koelerus in deliciis numismaticis tom. 6 pag. 153 iconem Jan. Jac. Boissardus tom. 1. imag. pag. 182. De eo plura Joannes Franciscus Picus eius ex fratre nepos, in vita, quae operibus ejusdem praemittitur, legiturque etiam inter Vitas selectas, editas a Guil Batesio Lond. 1658 1681 1704 4. pag. 90 Joannes Trithemius cap. 919 qui ejus adhuc viventis anno 1494 texebat elogium, cum de ejus morte nondum fuisset nunciatum; Paulus Iovius, Philippus Beroaldus, Angelus Politianus, Petrus Crinitus II 12 III 2 et V 1 de honesta disciplina: Joannes Jovianus Pontanus, Marsilius Ficinus, Lucas Gauricus, in tractatu Astrologico pag. 58 ubi thema ejus natalitium: Leander Albertus, Gesnerus, Possevinus, H. Warthonus ad Caveum, Henr. Spondanus, qui A. 1487 de damnata ab Innocentio VIII Papa nongentarum Conclusionum farragine pluribus agit, aliique recentiores qui laudantur à Colomesio in Italia Orientali p. 10 seq. et Reinh. Henrico Rollio in Bibl. nobilium Theolog. p. 53 seq. Sed fides nullatenus adhibenda est Hier. Cardano, num. 65 centum Geniturarum tom. V Opp. pag. 490.

Omnia Joannis Pici opera post editiones Venet. 1498 et Argentinensem 1504 fol. per Hieron. Emserum Basileae edita sunt in folio An. 1557 inde 1573 et 1601. in Officina Henricipetrina; Laudat H. Warthonus etiam Mirandulanam 1506 fol. Exstant autem hoc ordine:

Heptaplus, id est, de Dei Creatoris sex dierum opere libri septem, ad caput primum Geneseos. de septiformi sex dierum enarratione p. 1 ad Laurentium Medicem. Hujus commentarii nullam se rationem in sua ad Genesin catena habuisse Sixto Senensi affirmavit Aloysius Lippomannus; quoniam eos sequendos elegisset scriptores, qui sibi visi fuissent Mosis verba et cogitationes expositionibus suis explicare. *Proinde,* inquit, *cum animadvertissem Picum in hoc unum tantum incumbere, ut Platonicas cogitationes vel suas potius phantasias verbis ac dictis Mosaicis exprimeret, nihil me ejus opera indigere existimavi.*

Conclusiones nongentae, Romae publice ad disputandum propositae, a) cum

a) Secundum Albertum, XVII. secundum Thomam XLV. Franciscum VIII. Henricum Gandaven-

annos duntaxat 24. natus esset, praecipuos Theologiae locos, et pleraque, in quibus Philosophorum omnis labor et studium cernitur, continentes. p. 42. Rom. 1486. fol. Norimb. 1539. Colon. 1619. 8. Ex his *conclusiones Cabbalisticae LXXI.* illustratae ab *Archangelo de Burgo novo*, Ord. Minor. Basil. 1600. 8. qui Cabbalae etiam et Pici defensionem in se suscepit contra Petrum Garziam Episcopum Usselensem. *De LXX. libris Cabbalisticis* quos non mediocri impensa b) a Judaeo quodam Siculo sibi comparasse Picus in Apologia pag. 82. scripsit, sibique persuasit esse Efraiticos, vide Codicem pseudepigraphum Veteris Test. t. 1 pag. 1155. et librorum illorum Catalogum vulgatum a *Jacobo Gaffarello* Paris. 1651. 8. et nuper ad calcem tom. 1 Bibl. Hebraicae venerandi nostri Wolfii.

Apologia adversus eos, qui aliquot ejus propositiones Theologicas carpebant p. 76. ad Laurentium Medicem. In hac occurrunt Disputatio de descensu CHristi ad inferos, pag. 83. de poena peccati mortalis pag. 99. de adoratione Crucis p. 104. an a DEO suppositari possit natura irrationalis pag. 105. de Magia naturali et Cabbala pag 110 De Eucharistiae sacramento pag. 120. de salute Origenis p. 131. ubi inter alia pag. 147. *stultum est dicere quod Ecclesia determinaverit Origenis animam esse damnatam: quia non sicut consuevit Ecclesia canonizare aliquos, ita etiam damnare, id est sententialiter decernere, quod sint in inferno.* De libertate credendi pag. 148. de accidentibus in Sacramento pag. 151. de verbis Consecrationis, et de miraculis CHristi p. 153. an DEUS intelligat pag. 154. de abdita intelligentia animae pag. 155. Conclusiones XLV. in apologetico opere tanquam Catholicae defensae pag. 157.

De ente et uno opus, in quo plurimi loci in Moyse, Platone, et Aristotele explicantur: ad Angelum Politianum. pag. 159. cun responsione ad objectiones ANTONII Faventini.

De Hominis dignitate pag. 207. Oratio Basil. 1537. 8.

Regulae XII. sive praecepta ad Christianae vitae institutionem, et spiritualis pugnae arma XII. et XII. conditiones amantis, quibus adjutus homo possit vincere mundum et tentationes pag. 219.

Commentarius in Psalmum XV. (*XVI.*) Conserva me Domine pag. 221.

Elegia deprecatoria ad DEUM p. 224.

In Orationem Dominicam Expositio p. 225.

Epistolarum aurearum et familiarium liber unus, in quibus eminent, quae primo loco ponuntur ad Jo. Franciscum nepotem scriptae p. 231. seq. Prodierunt Pici Epistolae separatim Coloniae, et novissime etiam curante Christophoro Cellario Jen. 1682. 8. Viri docti, quorum Epistolae interspersae leguntur, sunt Alexander Cortesius, Angelus Politianus, Baccius Ugolinus, Baptista Carmelita, Baptista Guarinus, Bartholomaeus Fontius, Christophorus Landinus, Hermolaus Barbarus, Hieronymus Donatus, Hieronymus Emserus, Joannes Franciscus Picus, Junianus Majus Parthenopaeus, Marsilius Ficinus, Matthaeus Bossus, Philippus Beroaldus et Robertus Salviatus.

Contra Astrologos sive in Astrologiam divinatricem, Disputationum libri XII. p.

sem XIII. Ægidium Romanum XI. Averroëm XLI. Avicennam XII. Alpharabium XI. Isaac Narbonensem IV. Abumaron Babylonium IV. Mosen Ægyptium III. Mahumeth Toletinum V. Avempacem Arabem II. Theophrastum IV. Ammonium III. Simplicium IX. Alexandrum Aphrodiseum VIII. Themistium V. Plotinum XV. Adelandmu Arabem VIII. Porphyrium XII. Jamblichum IX. Proclum LV. secundum Mathematicam Pythagorae XIV. opinionem Chaldaeorum Theologorum VI. Mercurii Trismegisti X. Cabbalisticae XLVII. Conclusiones quingentae secundum opinionem propriam pag. 57. *in quibus omnibus nihil assertive vel probabiliter pono, nisi quatenus id vel verum vel probabile judicat SS. Romana Ecclesia, et caput ejus benemeritum summus Pontifex* Innocentius octavus, *cujus judicio qui mentis suae judicium non summittit, mentem non habet.*

b) Ric. Simon tom. 4. Epist. select. pag. 178. *c'est ainsi, que les Juifs, qui de leur naturel sont de grands imposteurs, abuserent de la trop grande credulité de ce jeune Seigneur* (le Comte de Mirandule) *qui étoit enteté de la Cabale jusqu'a la folie.* Vide et Seldenum lib. 2. de Synedriis cap. 16. §. 7. pag. 414. seq.

278. Contra Picum pro Astrologia scripsit *Lucius Bellantius*, Senensis, libro de Astrologica veritate, edito Florentiae 1498. fol. et Basil. 1554. fol. qui et mortem Pico ex coelesti thematetraditur praedixisse; Hunc tamen et ipsum in divinatione sua falsum fuisse Gassendus annotavit.

In Platonis Convivium, *libri tres* pag. 496. Italice non Latine) in *Hieronymi Benivenii*, Florentini Carmen de amore. (171 editum in Firenze Tubini 1500. fol. et in Lucca 1731. 8.)

Elegia ad Florentiam, in laudem *Hieronymi Benivenii*, Latine scripta, addita Metaphrasi Italica pag. 518. Haec Latina elegia exstat etiam in Gruteri deliciis Poetarum Italorum tom. 2 pag. 101. una cum ejus deprecatione ad DEUM, quam supra p. 339. memoravi. Alia in affectis Joannes Picus habuit, vel non absoluta ab eo, vel certe in lucem non data, ut librum *de veritate translationis Hieronymi* adversus Hebraeorum calumnias. *Defensionem versionem versionis Psalmorum quam LXX. debemus Interpretibus.* Libellum *de vera temporum supputatione.* Commentaria *in Novum Testamentum.* Opus *adversus septem Ecclesiae hostes*, Atheos, Ethnicos, Judaeos, Muhammedanos, haereticos, impios, et impios simul atque haereticos. *Ptolemaei Centiloquii versionem confutationemque. Contra omnes haereticos. De curatione morborum. De concordia Platonis et Aristotelis. Poemata, Latino et Hetrusco idiomate.*

* Petrus Garzias Episcopus Uffelensis quem carpsisse nonnullas sententias Pici hic Fabricius scribit, censuram hanc suam in librum apologeticum eiusd. Pici vulgavit justo opere in 4. edito Romae per Eucharium Silber alias Franck an. 1489.

JOANNES *Franciscus Picus*, Mirandulae Dominus et Concordiae Comes ac Princeps, Joannis Pici ex fratre Galeotto filius, a Galeotto fratris sui Ludovici filio capta nocturnis insidiis arce interfectus est, cum ad imaginem Christi cruci afflxi provolutus, ejus opem inclamaret die 20. mensis Octobris anni 1533. cum Alberto filio. De eo Jovius, Giraldus, Gesnerus, Possevinus, Nic. Comnenus Papadopoli hist. Gymnarii Patavini tom. 2 pag. 42. Colomesius Italiae Oriental. pag. 46. seq.

Ejus opera in unum collecta volumen fol. Argentor. 1508. sed emendatiora et cum ejus patrui operibus Basileae excusa sunt in eadem Henricpetrorum officina anno 1573. et 1601. fol.

De studio Divinae et humanae Philosophiae, libri duo ad Albertum Pium, Carporum Principem pag. 1. Hos separatim recudi fecit B. Jo. Franciscus Buddeus, Halae Sax. 1702. 8.

De morte CHristi et propria cogitanda, *libri tres*, ad Hieron. Savonarolam p. 29.

Defensio libri Joannis Pici *de Uno et Ente*, pag. 74. ad Jo. Franciscum Antonium, Comitem Faventinum, ad Antonium Faventinum Philosophum.

De Imaginatione, id est, de ea animae vi quam Graeci Φαντασίαν appellant, p. 90. ad Imp. Maximilianum.

Physici libri duo, alter de Appetitu materiae primae pag. 106. alter de Elementis pag. 115.

De imitatione ad Petrum Bembum, p. 123. ejusdemque Bembi responsum p. 129. et nova Pici epistola pag. 138. Prodierant Basil. 1518. 4.

Theoremata numero XXVI. de Fide et ordine credendi, ad Julium II. Pontificem Max. pag. 146

Declaratio Capitis, in Christo Pater, et Christus in nobis, *quod ex octavo de Trinitate libro sancti Hilarii sumptum est*, *et positum a Gratiano in Decretis de Consecratione, distinct.* 1. ad D. Cosmum Passetum. pag. 218.

Justini Philosophi et Martyris, *Admonitorius Gentium liber*, a Joanne Francisco Pico Latine redditus pag. 222.

Heroicum Carmen, *de mysteriis Dominicae Crucis* A. 1503. *in Germania delapsis*, ad Maximilianum Augustum Romanorum Regem scriptum, et Staurostichon inscriptum pag. 240.

De rerum Praenotione, *libri novem*, ad Albertum Pium, Carporum principem p. 248.

Examen vanitatis doctrinae Gentium, et veritatis Christianae disciplinae, distinctum in libros sex: quorum tres omnem Phi-

losophorum sectam universim pag. 473. Reliqui Aristoteleam armis Aristoteleis particulatim impugnant: pag. 657 ubique autem in illis asseritur et celebratur Christiana disciplina. Hoc opus prodierat Mirandulae 1520 fol.

Epistolarum libri quatur 815.

De reformandis moribus, ad Leonem X Pontificem, et Concilium Lateranense habita anno 1517 Oratio, pag. 885. Exstat etiam in Orthuini Gratii fasciculo rerum expetendarum fugiendarumque pag. 208. Compendium hujus Orationis in paralipomenis ad Chronicon Conradi Urspergensis ad A. 1517 et in Hottingeri hist. Eccles. Sec. XVI parte 2 pag. 46.

Càrmen heroicum *de expellendis Venere et Cupidine*, quod incipit, *Idalios ignes*, obvium in Gruteri deliciis poëtarum Italorum tom. 2 pag. 205 et *hymnus in Martyrem Laurentium* pag. 214.

Caetera quae in affectis habuisse se ipse fuit testatus, sunt *Historia suorum temporum. De Providentia* liber, *quam ab omni* inquit, *natione, atque ab iis ipsis qui creduntur a plerisque impii, Philosophis existimatam, monstrare consilium est, nedum sacris litteris narratam et nostrorum Theologorum validissimis rationibus assertam. De dialectica*, ad filium libri V. *Hymni* quibus universa fere et Divina et naturalia et moralia praecepta vel comprehenduntur vel insinuantur. *Dialogus de serena conscientia.*

* In MS. Cod. Latino Bibl. Taurinensis 1030 extat *Compendium rerum admirabilium caelicae virginis Catharinae de tertio habitu S. Dominici ab illustri V. Jo. Fr. Pico Mirandulae Concordiaeq. Dom. digestum atque ab humillimo in Christo servo Praed. Ord. alunno F. Petro Martyre Garresiensi non paucis adauctis absolutum.*

Liber eius de Providentia Dei contra Philosophastros inter editos, non vero affectos accensendus est indicante V. C. Lambacher in catalogo Bibl. antiq. civicae Vindobonensis, prodiit in suburbio Novi an. 1508. fol. dirigitur ad Card. Dom. Grimanum.

Jo. Francisci Pici *hymni heroici tres ad SS. Trinitatem, ad Christum, ad Virginem M. una cum eius commentariis* Argentinae 1511. fol. Viennae in Austria 1517. in 4. Est etiam editionis omnibus antiquior in Italia. vide Lambacher ibid. p. 265.

(171 Vidend. Bartoli (P. Ricardo) Elogio di Gio. Pico. Guastalla 1791. in 8. et Pozzetti Lettere Mirandolesi in ephem. cui tit. *l'Ape* Fir. 1806 in 8. et dein in Reggio 1835. in eiusd. P. Pozzetti vita in *Bibl. Modenese.*)

JOANNES *Picus* sive *Pyke,* Anglus, clarus circa An. 1145 quem Baleus II. 61. et Pitseus pag. 195 tradunt scripssise *de Regibus Anglo saxonum* et *de Danis in Anglia dominantibus*, eosque libros in compendium missos a GUILELMO Hormanno, Etonensis Collegii Praeposito.

JOANNES *Placentinus*, Carmelita: supra *Joannes Chrestonus* pag. 352.

JOANNES Leo *Placentinus*, Belga, Ord. Praed. scripsit *Catalogum antistitum Tungarorum sive Tungrensium, Trajectensium ac Leodiensium, et compendium rerum domi bellique gestarum*, ad Everardum de la Marck, Episcopum Leodiensem ab An. 1507. Prodiit Antwerp. 1529 8. atque inter Resp. Elzevirianas, in Boxhornii Rep. Leodiensi. Vide Vossium pag. 653 et Jacobum Echardum de scriptis Dominicanor. tom. 2 pag. 134. *Dialogos duos* carmine, quorum prior: *Clericus eques*: alter, *Luciani aulicus*. Antwerp. 1535. 8. *Pugna porcorum*, itidem carmine, quo singula a littera P incipiunt, quod Sandio visum impossibile: prodiit saepius, tum alibi tum una cum Hugbaldi laude calvitiei (de quo supra tom. 3 p. 266) et in amphitheatro Casparis Dornavii tom. 1 pag. 599. Laudantur etiam inedita ejusdem, *Chronicon* a temporibus Apostolorum ad An. 1408. *Antiquitates Tungrenses et Mosae Trajectenses, amplitudo civitatis Leodiensis, de reliquiis Trajecti asservatis* et alia plura similia carmine.

JOANNES *Plaeth* Heidelbergae cum magna laude docuit circa An. 1430 de quo Trithemius cap. 763 de S. E. et de scriptoribus Germ. cap. 164. Scripsit *super primum Decretalium* et *contra Bohemos*,

tum *Quaestiones varias* et *Quaestiones in libros Sententiarum*, *sermonesque* libros.

JOANNES *de Plano Carpini* Ord. Minor. discipulus S. Francisci, Papae vero Innocentii IV. nuncius ad populos Orientales scripsit *relationem de itinere suo* quod A. 1246 suscepit in Mongalos Tartarosque, et alias Asiae regiones una cum *Nicolao Ascelino* de quo supra tom. 1 pag. 135. Exstat ex Latino etiam versa *Gallice* a) Paris. 1634 8. in collectione Petri van der Aa de quo supra in *Guilelmo de Rubruc* tom. 3 pag. 154 nec non *Belgice*, in tomo primo sylloges eodem Petro curante vulgatae Lugd. Bat. 1706 seq. 8 de qua vide Acta Erud. 1708 pag. 102.

JOANNES *Poggius*, infra POGGIUS.

JOANNES *de Plode* Canonicus Senior Ecclesiae Hamelensis, cujus Chronicon Ecclesiae Hamelensis ab A. 712 ad 1383 vulgavit Meibomius tom. 2. pag. 511. Eidem debetur Historia Ecclesiae Hamelensis ad A. 1374 sine nomine auctoris vulgata a Jo. Petro de Ludwig in limine tomi decimi reliquiar. MSS. Perspicuum hoc est ex pag. 13 ad Annum Domini MCCCLXIV. Et sub Joannis de Polde nomine exstat etiam tom. 3 Menckenii pag. 819 subjuncta pag. 826 Gerardi Reichen, et pag. 820 Sebastiani Spilkeri additamentis.

JOANNES *de Polemar* sive *Polemarius*, aliis *Palomar*, vitiose *Pilombar*, Doctor Decretorum in Academia Viennensi, Archidiaconus Barcinonensis. et Eugenii IV Capellanus interfuit Concilio Basileensi ab A. 1433 per triduum contra Bohemos disputavit *de temporalitate Ecclesiae*, sive *quod liceat Ecclesiae habere temporalia*. Edidit Canisius tom. 4 parte 2. lect. Antiqu. pag. 229. (edit. novae Basnagianae tom. IV pag. 710) recusa in tomis Concilior. Labbei tom. XII Harduini tom. VIII et Coleti Veneta tom. XVII. Vide G. Colvenerii notas ad Jo. Nyderi formicarium pag. 33 Nic. Antonium tom. 2. Bibl. vet. Hispan. X 4 pag. 147 et Trithemium cap. 741 qui ejus tractatum *de abstinentia carnium*, et *Quaestiones* ac *Sermones* commemorat.

a) Oudin. Tom. 3. pag. 182

* Opusculum illud Jo. de Polemar a Trithemio laudatum extat MS. in Bibliotheca Vindobonensi Cod. 450 Theolog. Latino. In alio pariter Vindobonensi Codice, in quo Concilii Basileensis Decreta multa continentur legitur tractatus alius Jo. de Polemar ad Julianum S. Angeli Cardinalis et ab eo per literas ad authorem directas ibique legendas probatus; in quo celebria illa Basileensium asserta de authoritate Concilii refutantur. Orationem eius Basileaee coram PP. habitam die S. Michaelis extare in Cod. MS. Aquicinctensi lego in itiner literar t. II PP. Martene et Durand pag. 80. Alia est etiam ibidem dicta die S. Stephani.

* In recensione actor. Conc. Basileensis, quae in Codd. Reg. Galliae continentur vulgata a cl. Scoepflino in commentariis hist. crit. editis Basileae an. 1741. pag. 541 exhibetur. Jo. *de Palomar S. Palatii auditoris dialogus inter ipsum et Joan. discipulum in S. Concil. Basileensi an. 1433 de auctoritate Papae.*

JOANNES *Polestede* sive *Polostadius* Anglus, provincialis Carmelitarum defunctus Eboraci 1341. Scripsit *in IV libros Sententiarum* et *in Physica Aristotelis. Indices in Augustinum, Quaestiones, Epistolas, Conciones* per annum, *Sermones Visitationum.* Vide Lelandum cap. 386 Balei V. 46. Pitseum pag. 448 Alegrium pag. 289 etc.

JOANNES *de Polliaco* sive *Poliaco*, Doctor Parisiensis, de cujus propositionibus a Joanne XXII. an. 1321. damnatis vide Natalem Alexandrum Sec. XIII. et XIV. tom. 7 edit in fol. pag. 96. Joannis XXII. sententiam quae incipit: *Vas electionis*, editit Edmundus Martene tom. 1. anecdotor. pag. 1368.

JOANNES scriptor Chronici *Polonorum* circa an. 1359. editus a viro nobili Frid. Wilhelmo de Sommersberg inter scriptores rerum Silesiacarum, Lips. 1728. fol.

JOANNES *Pole* sive *Polus* Anglus, Coloniae Aggrippinae Canonicus defunctus circa an. 1430. de quo Baleus VII. 81. et Pitseus pag. 622. testati eum scripsisse *vitam et miracula S. Walburgae virginis* et Abbatissae Heidenheimensis circa an.

780. Sed. narrationes de vita Walburgis quae leguntur in antiquis Lect. Canisianis tom. IV 2. pag. 563. 605. 628. 720. (edit. novae tom. II 3. pag. 265. et tom. IV pag. 238.) et apud Surium tomo VII. editionis primae pag. 356. et edit. an. 1618. ad 1. Maj. et in Actis Sanctorum. tom. 3 Febr. 25. pag. 523. 542. 546. 551. 554. 563. auctores agnoscunt. ADELBERTUM Heidenheimensem, ADELBOLDUM Trajectinum. MEDIBARDUM, PHILIPPUM Aichstadianum et WOLFHARDUM Presbyterum.

JOANNES *Praedicator* super titulos Decretalium MS. memoratur a Sandero pag. 175 seq. Bibl. Belg.

JOANNES *Praemonstratensis* Abbas secundus, Doctor Theologus Paris. circa An. 1260 scripsit *summam Theologicam* scholastico more distinctam in libros, tractatus, capita et quaestiones. *Homilias* item in Evangelia et Epistolas quae Dominicis festisque diebus leguntur. Vide Joannis le Paige Bibliothecam Praemonstratensem p. 306 ubi etiam de *Joanne* Tungrio, Monasterii Viconiensis, *Praemonstratensis* Ordinis, Atrebatensis dioecesis Abbate decimo sexto et Doctore Theologo Paris. circa An. 1304 cuius sunt libri VI. in tres priores Petri Lombardi sententiarum libros, nec non Quaestiones Quodlibeticae, Ordinariae Quaestiones. Vide et infra mox in *Joanne Prichesio*.

JOANNES *Pragensis* Archiepiscopus, cuius Orationem in funere Caroli IV. Anno 1378 defuncti habitam edidit Reinerus Reineccius una cum Vecerio de vita Henrici VII. Helmst. 1585 4 et Freherus in rerum Bohemicarum scriptoribus, Hanov. 1602. fol. pag. 107 114. Non diversus hic a *Joanne Ocello* de quo supra.

JOANNES *de Praga* Episcopus Olomucensis, et Pragensis Ecclesiae administrator, Cardinalis a Martino V. creatus An. 1426 ob pugnas adversus Bohemos pro Catholica fide decertatas. Vide Raynaldum ad An. 1426 n. 26.

JOANNES *Prichesius* Viconiensis Ecclesiae, Praemonstratensis ordinis, Abbas decimus octavus, Doctor. et Professor Theologus Parisiensis circa An. 1300 cuius *Alphabetum vitae religiosae* sex libris constans laudatur a Joanne le Paige in Bibl. Praemonstratensi pag. 307.

JOANNES *Prior* S. Joannis de Vineis, cujus librum de claustro animae evolvit Cangius in Codice Regio Paris. 1630.

JOANNES *Prizbran* sive *Prizbrun*, Bohemus Hussita, Pastor S. Ægidii Pragae, defunctus A. 1448. de quo Odoricus Raynaldus ad A. 1429. n. 16. et Bzovius ad An. 1430. n. 11. seq. qui plura affert ex ejus libro *de veritate corporis et sanguinis CHristi* contra Thaboritas Wiclefistas et ex libro *de conditionibus justi belli*, iisdem Thaboritis opposito. De quo idem ad An. 1430. n. 13. ejus *Professionem fidei* capitibus LX. pag. 741-756.

JOANNES *Pyke*. Supra *Jo. Picus Anglus*.

JOANNES *de Qualea*, supra *Joannes de Parma*.

JOANNES *de Radice* non notus mihi nisi ex Vossio, qui pag. 818 ejus *annales de Patavinae Urbis festis*, *ludis*, *conviviis*, aliisque ejus generis celebrat auctore Pignorio data ad eum Epistola.

JOANNES e clara apud Illyricos Stoicorum stirpe *Ragusinus* Dalmata Ord. Praed. Procurator Generalis interfuit Concilio Basileensi, in eoque An. 1433 per octiduum contra Hussitas et speciatim contra Magistrum JOANNEM *de Rockizana* Bohemum disputavit *de communione sub utraque specie Laicis non concedenda*. Exstat disputatio in Antiquis Lectionibus Canisii tom. III. append. pag. 1. et in nova edit. Basnagiana tom. IV. pag. 467-565. et apud Bzovium ad An. 1433. n. 99. pag. 125. seq. atque in tomis Conciliorum Binii tom. VII. (sive tom. IV. parte 1.) Regia tom. XXXI. Labbei tom. XII. Coleti Veneta tom. XVII. in parte nona appendicis ad Acta Synodi Basileensis. In Bibl. Caesarea MS. exstat etiam Oratio ejus altera ejusdem argumenti et *de communione puerorum*, in qua respondit ad replicas M. JOANNIS *de Rockizana*. Missus etiam a Concilio ad Imperatorem et Patriarcham CPol. *de* qua *legatione* quaedam iisdem in Actis Concilii leguntur: sed *Relationem* pleniorem habuit Allatius, quam edere voluit libro συμμίκτων octavo.

Confer Jacobum Quetif tom. 1. pag. 798. seq. De *Concordantiis particularum indeclinabilium* in sacris litteris a Joanne Ragusino fieri curatis dixi supra t. 1 p. 382.

* Plena illa relatio legationis Cpolitanae, quam Joannes iste qui eam obivit, PP. Basileensibus exhibuit, et Allatius se evulgaturum spopondit, incidit in manus meas ex Cod. MS. Bibliothecae Caesareae Vindobonensis excripta. Hanc vero me dedisse in postrema appendice Conciliorum meor. laetum nuncium eruditis fero. Est etiam in eodem Vindobonensi codice *Votum Magistri Joannis de Ragusio Episcopi Argens.* (sic) *in Deputatione fidei super translatione Concilii Basileensis ad petitionem principum*, quam fieri posse negat. Huic titulo additur ex antiqua manu, sed a priori diversa. *Hic postea factus fuit per* SS. D. Felicem (Antipapam) Cardinalis *tit. S. Sisti*, *et fuit de ord. S. Dominici.* In MS. Cod Aquicinctensi inter multas orationes in Conc. Basileensi habitas occurrit etiam Dominica II. Adventus. Oratio per Magistr. Jo. de Ragusio Ord. Praed. Vide Itinerar. Literar. secundum PP. Martene et Durand pag. 80.

JOANNES *Raimundi* Gallus Convenensis sive Convenarum Comitis filius: ex Magalonensi Episcopo primus An. 1317. Archiepiscopus Tolosanus et An 1327. Cardinalis, defunctus An. 1348. De eo G. Josephus Eggs in purpura docta tom. 1. pag. 323. Petrus Frizonius in Gallia purpurata, aliique. Scripsit Commentarium *in Psalmum centesimum tertium. De passione Domini.* Commentaria *in Epistolas Legales* de variis Juris capitibus. *Sermones sacros diebus festis habitos.*

JOANNES *Ravennas* Historicus circa A. 1420. de cujus *natione familiae Carrariensis* ad Rudolfum Carrariensem, Francisci senioris F. *Historia Ragusii. Libro rerum memorandarum*, *Dramatologio de eligibili vitae genere*, et *Contentione inter podagram et araneam.* Videndus Vossius pag. 802.

JOANNES *Raulinus* Tullensis, Theologus Parisiensis et Monachus Cluniacensis, defunctus A. 1514. aet. 71. de cujus scriptis H. Warthonus ad Caveum, et diligentius Joan. Launojus in historia Gymnasii Navarrei pag. 617. seq. qui pag. 620. seq. etiam argumenta *LV. Epistolarum* ejus a Roberto Raulino Paris. 1520. 4. editarum persequitur. Utriusque observatis addere juvat, quod Oratio de reformatione religionum et bene vivendi instituto pridem edita Basileae 1498. legitur etiam ad calcem B. D. Io. Georgii Dorschei parallelorum Monastico Academicorum. Argentorat. 1644. 12.

JOANNES *Read* infra *Joannes Rufus.*

JOANNES *Redovallensis* infra *Joannes Ridevallensis.*

JOANNES scriptor *Reductorii moralis Biblici*, quod MS. Venetiis, memorat Tomasinus pag. 26.

JOANNES Mullerus sive Molitor, *Regiomontanus* Francus, Germanus, de quo Ricciolum in Almagesto a) audire juvat: *Joannes de Monte regio* (non Prussiae sed) *Franconiae*, *Germaniae decus et cognomento* Magnus, *natus est Anno 1436. Junii die 6. hor. 4. min. 40.* b) *post meridiem*, *Regiomonti*, *conjunctis platice Luna et Saturno in Geminis, quae conjunctio mirabilem ingenii acrimoniam decernit*, *sed in eodem signo conjunctis Luminaribus et Marte in domo* 8. *ac proinde a Marte afflictis et vitam haud longam significantibus. Fuit Viennae discipulus* Georgii Peurbachii, *qui illi* (A. 1461.) *suprema voluntate*, Almagesti epitomen *perficiendam injunxit. A Matthia Rege Hungariae, cui* tabulam primi mobilis *dicavit*, *aureis Hungaricis octingentis ac veste pretiosissima*, *deinde annuo stipendio ab ipso aliisque principibus viris*, *muneribus ditatus Norimbergam* (A. 1471.) *migrans et magno honore susceptus ob-*

a) Quae breviter hic a Ricciolo tanguntur, uberius tradita videri possunt a Gassendo in vita Regiomontani, Erasmo Reynholdo in Oratione quae inter Melanchthonis declamationes Tom. 3. legitur, praecipue a Jo. Gabriele Doppelmayero in limine praeclari operis Germanice editi de Mathematicis et Artificibus Norimbergensibus, Norimb. 1730. fol. pag. 123. Vide et Trithemium de scriptoribus German. cap. 213. et de S. E. cap. 844. Jo. Molleri homonymoscopiam pag. 933.

b) Confer thema natalitium Regiomontani in Lucae Gaurici tractatu Astrologico pag. 62. b.

servavit per aliquot annos sidera, et praesertim Solis declinationes. Romam demum (A. 1475.) *a Sixto IV. summo Pontifice* a), *qui absentem jam designarat in Episcopum Ratisponensem, ad Kalendarii correctionem evocatus est: sed rebus infectis, pestilenti febre, vel, ut alii suspicati sunt, veneno a Georgii Trapezuntii filiis ob invidiam interemtus obiit An. 1476.* (6. Jul.) *annorum 41. sepultusque in Pantheone. Incredibile est quantum huic viro vere Magno debeat universa Mathesis, sed praecipue Astronomia: Itaque merito Petrus Ramus libro 2. scholarum Mathematicarum dixit Norimbergam justius Regiomontano gloriari posse, quam Tarentum Archyta, Syracusas Archimede, Byzantium Proclo, Alexandriam Ctesibio: qua occasione addit, Norimbergenses Archytae columbam aemulatos*, muscam ferream *fabricatos esse quae ex artificis manu egressa et circumvolitans convivas, revolabat in domimi manu: et aquilam, quae Imperatori* (Maximiliano A. 1470. 7. Jun. Noribergam) *adventanti, longissime obviam in sublimi aëre procedebat* b) *et ad Urbis portam comitabatur.* Sed jam scripta Regiomontani referenda sunt ac primum memorandi veteres scriptores quos vel editos vel illustratos ejus studio habemus, vel quos in lucem daturus erat si suppetisset vita.

Epitome et illustratio Almagesti *Ptolemaei,* libris XII. coepta a Georgio Peurbachio, et a Regiomontano absoluta, dicataque Bessarioni Cardinali, Venet. 1496 Basil. 1543. Norimb. 1550 fol.

Ptolemaei quadripartitum et Centiloquium Venet. 1484. cum Regiomontani Ephemeridibus et 1493. cum tractatibus Astronomicis *Hermetis*, *Almansoris*, *Zabel*, *Messala*.

Problemata Astronomica ad Almagestum spectantia. Norimb. 1541.

Annotationes in Latinam versionem Geographiae *Ptolomaei* factam a Jo. Angelo. Argent. 1525. 1528. fol. cum VIII. libris a Bilibaldo Pirckaimero versis integris.

Manilii Astronomicon libri V. Norimb. 1473. 4,

Oratio in praelectionem *Alfragani* introductoria in scientias Mathematicas, cum introductione in elementa *Euclidis* et ratione seu apodixi XII. domorum Coelestium. Norimb. 1537. 4.

In affectis praeterea habuit, notante p. 12. Clariss. Doppelmeiero, versionem novam Cosnographiae *Ptolomaei*, Quadripartiti, Magnae compositionis sive Almagesti; et *Theonis* in illud commentariorum: *Theodosii* Sphaericae, et de habitationibus, nec non de diebus ac noctibus. *Diophanti* librorum VI. quos MStos Venetiis acceperat. *Procli* sufformationum sive hypotyposeon Astronomicarum: et recensionem librorum *Julii Firmici*, Perspectivae et Musicae *Ptolemaei*, Perspectivae *Vitellionis*, *Euclidis* elementorum cum anaphoricis *Hypsiclis*, evulsis ex editione Campani Novariensis mendis: et operum *Archimedis* atque *Eutocii*, versione Jacobi Cremonensis emendata; *Menelai* sphaericae, Conicorum *Apollonii*, *Sereni* cylindricorum, *Heronis* inventorum spiritalium, problematum mechanicorum *Aristotelis*, et *Hygini* Astronomiae, cum deformatione imaginum coelestium: JORDANI elementorum, Datorumque arithmeticorum et quadripartiti numerorum. Denique LEOPOLDI de Austria, ANTONII de Montulmo', aliorumque Praedictorum Astrologicorum. Quae vero ipse ex ingenio suo scripsit Regimontanus, haec sunt.

Theoricae Planetarum novae Georgii Peurbachii. Norimb. 1473. et cum sphaera Joannis de Sacro Bosco, Theoricis Gerhardi Crem. aliisque Venet. 1531. fol.

Tabulae primi mobilis cum canonibus problematibusque suis, et expositionibus. Norimb. deinde Witeb. 1585.

a) In libro Gabrielis Naudaei, cui titulus: considerations politiques sur les coups d'etat pag. 358. pro Sixto IV. perperam nominatur Gregorius XII.

Non volitasse muscam, sed in mensa circumambulasse, quod mechanico rotularum artificio fieri potest: nec volitasse aquilam, sed super porta, Urbem intrante Imperatore, expandisse alas atque inclinatione corporis eum salutasse docet Jo. Guil. Baierus singulari diss. edita Altdorf 1709. Mem. de Trevoux 1710. Juillet pag. 1283. seq.

Fundamenta eorum quae fiunt *per tabulam generalem*, seu demonstrationes eorum quae in *Tabulis primi mobilis* cum tabulis Eclipsium Peurbachii praecepit. Neoburg. 1577. fol.

Ephemerides ab A. 1474. ad 1506. Norimb. et Venet. 1484. 4. 1498. 4. et *Canon in Ephemerides*.

Calendarium ad A. 1476. editum in 4. deinde recusum Venet. in fol. etiam Germanice in 4. Norimbergae.

Disputationes contra GERHARDI *Cremonensis* in Planetarum theoricas deliramenta. Norimb. 1474. fol. Venet. 1482. 1488. 1508. Basil. 1569. Venet. 1591. et cum Peurbachii Theoricis Basil. 1573. 8. et cum Sphaera Jo. de Sacrobosco 1531. fol.

Tabulae revolutionum in 4. sine loco et anno.

Ludus Pannoniensis, sive *Tabulae Directionum* profectionumque, cum Sinuum Canone ad radium 60000. Norimb. 1475. Tubing. 1550. 1559. 4. Augustae Vindel. 1551. 4. Witteb. 1584. et cum tabulis sinuum, tabulisque obliquarum adscensionum Erasmi Reinholdi. Witteb. 1606. 4. De Lucae Gaurici editione Venet. 1524. 4. videndus Gesnerus in Bibl.

Tabula sinuum. Norimb. 1541. fol. Basil. 1561. et cum *doctrina triangulorum planorum et sphaericorum*, et Danielis Santbech problematibus Astronom. et Geometricis Basil. 1561. fol.

De triangulis omnimodis liber scriptus A. 1464. et contra *Nic CUSANUM de quadratura Circuli*. Norimb. 1533. fol.

De torqueto, astrolabio armillari, Regula magna Ptolemaica, baculo astronomico et observationibus Commentarius cum Jo. Schoneri additionibus. Norimb. 1544. 4.

Libellus de Cometa post edit. 1531. prodiit etiam Basil. 1588. et cum Jac. Ziegleri commentario in Genesin et Exodum ibid. 1540. 1548. fol.

Saphaeae instrumenti Canones. 1534. sine loco. 4.

Epistola *ad Bessarionem* Cardinalem *de compositione Meteoroscopi*. 4. sine loco et anno: et Ingolstad. 1533. in Petri Apiani libro instrumentorum, fol. cujus ope Ptolemaeus longitudinum latitudinumque numeros in Geographia sua elicuit. Marpurg. 1537. 4.

De influentiis stellarum, Argent. 1528.

Regiomontani et Bern. Waltheri *Observationes Noribergicae* edente Schonero Anno 1544. et cum Wilebrordi Snellii Hassiacis et Tychonis Bohemicis Observationibus Lugd. Bat. 1618. 4.

De ponderibus et aquaeductibus cum figurationibus *Instrumentorum* ad eas res necessariorum: Et *de speculis ustoriis* a) atque aliis multorum generum. Marpurg. 1537. vide Vossium de scientiis Math. cap. XLVIII. 30. pag. 296.

Commentaria in Cosmographiam *Ptolemaei*: et *Theonis* contra *Gregorium Trapezuntium* defensio sex Voluminibus. *De quinque corporibus aequilateris* regularibus, contra *Averroëm*. Commentaria in libros *Archimedis*, qui Eutocii expositione carent. *De directionibus* contra Archidiaconum Parmensem. *De distinctione domorum Coeli* contra *Campanum* Novariensem et *Joannem Gazulum* Ragusinum, cujus et alia de horis temporalibus decreta ibidem retractantur. *De motu octavae sphaerae* contra *Thebit*. *De instauratione Calendarii Ecclesiae*. Problemata Geometrica omnimoda.

JOANNES *de Regno*, Gallus, Carmelita Tolosanus circa A. 1330. (non 1340. ut persuasum Alegrio pag. 391.) Scripsit *in Evangelium Matthaei, et super Sententias*: tum *Quadragesimale* et *Sermones de tempore ac de Sanctis*. Vide Trithemium cap. 572.

JOANNES *Repingalus* Lincolniensis Anglus, Carmelita, Theologiae Doctor Cantabrigiensis, defunctus Stanfordiae circa A. 1350. Hujus scripta apud Baleum V. 676. nulla alia sunt nisi *Sermones* LXXXIII. *Dominicales, XLII. de Sanctis, Conciones Synodales et in visitationibus* Episcopi Lincolniensis Joannis, cui a sacris confessio-

a) Jo. Regiomontanus Epist. ad M. Christianum: *Habeo speculum Archimedis annulare, ex portione parabolica factum, cujus margo circularis major quinque pedes continet, minor autem tres, profunditas vero speculi est bipedalis.*

nibus erat, *habitae* ex quibus librum de visitationibus Episcopi faciunt Pitseus p. 471. et Alegrius pag. 207.

JOANNES *Reuchlinus*, *infra*, REUCHLINUS.

JOANNES *Rhode*, Abbas S. Matthiae, infra *Joannes Rode.*

JOANNES *Rhode* Archiepiscopus ab An. 1493. ad 1511. Bremensis, ex cujus *Chronico* sive *Registro bonorum et jurium Ecclesiae Bremensis* excerpta edidit illustris Leibnitius tom. 2 scriptorum Brunsvicens. pag. 253-272. qui de hoc opere consulendus in prolegomenis ad illum tomum, sect. XXIII.

JOANNES *Ridevallus*, Lelando *Redovallensis*, Anglus Franciscanus (Gangio Josephum Pamphilum ac Pitseum secuto Augustinianus) circa A. 1330. Scripsit *Lecturas Scripturarum*, Commentarios *in Psalmos Davidis, Cantica Canticorum, Evangelium Joannis et Epistolas Pauli : Sermones per annum.* Commentarios *in Augustinum de Civitate DEI*, *in Valerium ad Rufinum de non ducenda uxore* (inter S. Hieronymi opera) Moralem expositionem. *In Metamorphosin Ovidii*, *et Quaestiones VIII. Ordinarias.* Vide Lelandum c. 282. Baleum V. 37. Pitseum pag. 425. Josephum Pamphilum p. 47. Chron. Ord. Augustiniani.

* Codex 994 latinus Biblioth. S Marci fert *F. Joannis de Rideblast Ord. Minor. in Fabii Fulgentii Placiadis Mithologiam.* Persimile opus in Bibliotheca pub. Cantabrigiensi servari Waddingus testatur.

JOANNES *Rigaldus* Ord. Minor. circa A. 1320. ad Bernardum Narbonensem Episcopum scripsit *Compendium Pauperum*, quod incipit: *Veteris ac novae Legis*, in quo pleraque mutuatus ex *Compendio Theologicae Veritatis*, de quo dixi supra in *HUGONE Argentinensi*, tom. 3 p. 844. Meminit hujus Joannis Waddingus p. 224. qui Episcopum Draconensem (in regno Neapol.) appellat.

JOANNES *Rigaudus* Ord. Minor. Poenitentiarius Clementis V. circa An. 1310. scriptor *summae Confessariorum.*

Anonymus de origine et Abbatibus Coenobii JOANNIS *de Ringavia* Ord. Bened. editus a praeclaro Viro Jo. Friderico Schannato in vindemiis litterariis pag. 154-159. Fuldae 1723. fol.

JOANNES *Robinus* Anglus, Astrologus, cujus librum *de portentosis Cometis* in Bibliotheca Regi Eduardi sexti vidisse se refert Baleus XII. 28. Nec plura apud Pitseum pag. 880.

JOANNES *de Rocha*, infra, ROCHA.

JOANNES *Rochefordus*, nobilis Anglus et Eques auratus circa An. 1406. scripsit flores historiarum ex Matthaeo Westmonasteriensi. Epitomen Antiquitatum Judaicarum Flavii Josephi, et ex Ranulphi Higdeni Polychronico a) compendium. Vide Baleum VII. 41. Pitseum pag. 581. et Vossium pag. 545. seq.

JOANNES *Rode*, Archiepisc. Bremensis. Supra *Joannes Rhode.*

JOANNES *Rode*, Abbas Ord. Bened. Monasterii S. Matthiae Apostoli extra muros Treverenses, defunctus, An. 1439. de quo Trithemius cap. 806. de S. E. et II. 140. illustr. Benedictin. et de scriptoribus German. cap. 187. et in Chronico Hirsaugiensi ad An. 1429. tom. 2. pag. 375. seq. Scripsit *Constitutiones* reformando Monasterio suo, et librum *de vita ac bono regimine Abbatis*, quem primus edidit V. C. Bernardus Pez tomo primo Bibl. Asceticae pag. 159-204. Ratisbonae 1723. 8. Idem in praefatione *Opus imperfectum* hujus Joannis *in Genesin* memorat, ex Gabrielis Bucelini Germaniae sacrae parte 2. pag. 225.

JOANNES *de Rodinko* sive *Rodingtonus* Anglus, Lincolniensis, Ord. Minor. Provincialis, defunctus Bedfordiae An. 1348. Ejus scripta : *Lecturae in IV. libros Sententiarum*, et *Quodlibeta majora et minora* MSS. in Bibliothecis Belgii, teste Sandero pag. 168. *Quaestiones* disputatae, ordinariae: *Replicationes* Scholasticae et *Determinationes* Theologiae. Vide Baleum VI. 27. et Pitseum pag. 462.

JOANNIS Fischerus *Roffensis* in Anglia Episcopus, et Cardinalis, VIII. Regis fervidus adversus Lutherum propugnator, deinde ejusdem Regis jussu cui imperium

a) De hoc supra Tom. 5. pag. 253.

Papae in Britannia abroganti, repudiantique Catharinam conjugem obstitit, capite plexus An. 1535. 5. Jul. Opera ejus junctim edita Wirceburgi 1557. 1597. fol. quae diligenter recensentur a Labbeo tom. 1. de S. E. pag. 602. seq. Vide etiam Baleum VIII. 68. Pitseum pag. 715.

JOANNES *Romanus* Diaconus. De eo supra pag. 357.

JOANNES *Rowse (Rosse) Rossus* sive *Rufus* Warvicensis Anglus defunctus An. 1491. de quo Lelandus cap. 585. Baleus VIII. 53. et Pitseus pag. 682. Scripsit *Chronicon Warwicense* et *de Comitibus Warwicensibus* ac *de antiquitate Verovicensis* sive *Warwicensis Urbis. De antiquitate clivi Guidonici. De Episcopis Vigorniensibus. Contra pseudohistoriam Antiquitatis Grantanae* sive *Cantabrigiensis. De antiquitate Academiarum Britannicarum*, opus imperfectum, quod etiam *de regibus* inscriptum notat Brianus Twynus apud Vossium pag. 637. de Hist. Lat.

JOANNES *Rufus* (Read) Anglus Cornubiensis Ord. Praed. circa An. 1284. scripsit praeter *Cornubienses Annales*, *Chronicon Pontificum et Imperatorum Romanorum* quod MS. fuisse apud Carmelitas Ventae Icenorum sive Nordovici, ex Lelandi cap. 400. tradidere Vossius pag. 495. Jacobus Quetif tom. 1. pag. 396. Baleus IV. 70. Pitseus pag. 365. etc.

JOANNES *de Rupella* Gallus, Ord. Minor. Theologus Paris. qui *Regulam Franciscanorum* exposuit, una cum aliis tribus auctor *declarationis quatuor Magistrorum* missae An. 1242. ad Capitulum generale Bononiense, una cum Epistola quae exstat etiam in Waddingi Annalibus ad illum annum n. 2. Caetera ejus scripta a Trithemio cap. 459. laudata sunt: *In libro Sententiarum, summa Virtutum ac Vitiorum*, *et de anima*. His pag. 225. Bibliothecae Waddingus addit *Postillam super Danielem* MStam in Vaticana, *Commentarium in Evangelium Matthaei*, *Pauli Epistolas et Apocalypsin*: nec non *Sermones Dominicales*. Oudinus tom. 3. pag. 160. *De divisione Gratiae et linea Justitiae*.

* In Cod. MS. Latino Bibl. Univers. Taurinensis est liber *Summa articulorum* F. Joannis de Rupella.

JOANNES *de Rupescissa* (Froissardo *Rochetaillade*) a) Ord. Minor. provinciae Aquitaniae: Custos Ruthenensis et Causidicus Aureliacus, de quo Waddingus in Annalibus tom. IV. ad An. 1357. n. XV. et Baelius in Lexico, *Roquetaillade*. A Clemente VI. An. 1345. Avenione et deinde ab Innocentio VI. conjectus est in carcerem, quod vitia illius temporis paullo acrius perstringeret, et imminentia vindictae Divinae supplicia vehementius pronunciaret. *In carcerem trusus multa de futuris tanquam Propheta scribere praesumsit, videlicet de duobus Antichristis, et de Ecclesiae conciliatione, et de conversione omnium ad Fidem CHristi, et alia multa quae in januis adesse affirmabat, et haec a Domino JEsu CHristo sibi revelata fuisse contestabatur, quae non modo non evenere, sed oppositum in omnibus fuisse constat. Hujusmodi autem pronosticatores multi ab initio decepti fuere: quibus satius fuisset silere quam talia temere loqui.* Haec de eo Bergomensis lib. XIV. Chronici pag. 350. b. Ejus *Epistola ad* Guilelmum Curtum, Presb. *Cardinalem* de suis revelationibus et tribulationibus, memorata Trithemio cap. 611 de qua Baluzius tom. 1. Pap. Avenion. pag. 942. sive ejus *Prophetia* et quem vocat *librunculus*, *Vade mecum in tribulatione*: prodiit in Eduardi Brown appendice ad Orthuini Gratii fasciculum rerum expetendarum et fugiendarum Lond. 1690. fol. Vide Acta Erud. 1691. pag. 139. et Jo. Clerici Bibl. universalem tom. 19. pag. 348. *Vaticinium* editum ab Odorico Raynaldo ad An. 1379. n. XII cum quo Confer Baluzii Papas Aven. tom. 1. pag. 1161. qui pag. 942. etiam LUCÆ *de Molendinis* Doctoris in Theologia, extracta ex Joannis visionibus memorat, et librum Joannis de Rupescissa *de familiatu Philosophiae* MStum in Bibl. Regis Christianissimi Cod. 5977. Praeter haec scripsit etiam *Commentarium in Oraculum Cyrilli* eremitae presbyteri quarun-

a) Alius Joannes e Rupescissa Archiepiscopus Rothomagensis, et A. 1426. Cardinalis.

dam praedictionum MS. in Bibl. Reg. Paris. Cod. 5695. de quo idem Baluzius pag. 1459. et *Commentarium in IV. libros Sententiarum*. Feruntur praeterea ejus libri duo *de consideratione quintae essentiae omnium rerum*, Basileae 1561. fol. 1597. in 8. atque in theatro chymico edito Ursellis, 1602. et Argentor. 1613. 1659. 8. et Gallice versi ab Antonio Molinaeo Lugd. 1549. 8. *De tribus oleis antimonii*, *liber lucis* et *de confectione Lapidis Philosophorum* inter scriptores de arte Alchemiae et *Secreta naturae* MSS. in Bibl. Leidensi inter libros Vossianos. Adde Conringium de Medicina Hermetica cap. XV. pag. 417. seq.

JOANNES *Ruysbrockius* Germanus, Prior Canonicorum regularium viridis vallis in Brabantia, Cameracensis dioecesis, *Doctor Divinus et Doctor Ecstaticus*, atque a Dionysio Carthus. *alter Dionysius Areopagita* appellatus, diem obiit Ao. 1381. 2. Dec. aetatis 88. Vide Trithemium cap. 672. de S. E. et Chron. Hirshaug. ad A. 1393. tom. 2. pag. 296. et de scriptoribus Germ. c. 131. Vita ejus scripta a Canonico regulari Anonymo, Operibus praemittitur, et Germanice etiam legitur inter Vitas Patrum a Godfrido Arnoldo editas, parte secunda. Scripta multa a Ruysbrochio sermone Teutonico sive Belgico: ex Belgica lingua Latine quaedam verterunt Gerardus Magnus, Guil. Jordanus, caetera Laurentius Surius, qui collecta undique junctim edidit Colon. 1552. fol. recusa inde ibid. 1609. 4. et 1692. fol. Recensentur illa a Labbeo tom. 1 pag. 604. Warthono ad Caveum ad A. 1360. Godfrido Arnoldo in historia Theologiae Mysticae pag. 306. seq. Igitur liceat modo monere *Speculum salutis aeternae* Italice etiam versum vidisse lucem Venetiis 1565. forma minore, Mambrino Roseo interprete. Et a Gerardo Magno esse Latinam versionem libri *de septem gradibus Amoris*: a Guilelmo Jordano autem *commentariorum in tabernaculum Mosis et ad illud pertinentia*, et librorum III. *de nuptiis spiritualibus*, nec non tractatus *de calculo* sive *perfectione filiorum DEI*. Neque a Rusbrochio diversus habendus *Joannes Rusberus*, cujus libros tres de ornatu spiritualium nuptiarum Simlerus notat excusos Parisiis apud Simonem Colineum, quorum primus de ornatu vitae moralis et activae, secundus de ornatu vitae spiritualis et affectivae, et tertius de ornatu vitae superessentialis et contemplativae. Editi iidem etiam sub *Rusberi* nomine fuerant ab Henrico Stephano Paris. 1512. quos Ruysbrockii esse jam pridem notavit Valerius Andreas p. 556. Bibl. Belgicae. Sed et perspicuum est Opera *Joannis Rusbachii* quae idem Simlerus tradit Coloniae edita Ao. 1552. non alia esse a Ruysbrochii operibus per Surium vulgatis, ut mirum sit aliud videri potuisse Morlierio Doctori Sorbonico, in libro Gallice edito Paris. et Hagae 1702. 12. Essais de litterature pour la connoissance des livres, Mois d'Août p. 119.

A Valerio Andrea, Sweertioque memoratur etiam liber *de XII. Beghinis seu virginibus DEO devotis*, tractans de duplici vita hominis, contemplativa et activa.

Antequam ad Viridem vallem, tertio fere lapide a Bruxella sitam se conferret, Bruxellae prius Presbyteris templi maioris adscriptus nefandam ac veneream mulieris cujusdam, cognomento *Blomardinae* haeresin jugulasse ac velut in herba oppressisse traditur a Miraeo in auctario.

Ex Surii Latinis *Germanice* versa Ruysbrokii opera, interprete G. I. C. editaque a Godfrido Arnoldo Offenbaci ad Moenum 1701. 4. Confer Jo. Georgii Eccardi diarium, Monathliche Auszuge, An. 1701. mense Novembri pag. 35. seq.

Ruysbrochius in libro tertio de ornatu spiritualium Nuptiarum visus erat docuisse *Animam perfecta contemplatione DEI non solum videre eum per claritatem quae est Divina essentia, sed quodam modo unum cum ea fieri et abire in ipsam claritatem Divinam, ab ejusque abysso absorberi*. Hoc oppugnandum sibi sumsit Joannes Gerson: a Joanne de Schoenhavia tamen deinde monitus, in altera responsione sua fatetur Ruysbrochium diserte alibi ponere *quod creatura nullo modo perdit esse suum quod habet in proprio genere*. Caeterum, sicut notat Gersonius, ex carentia

pii affectus et magis ex infectione ejus per vitia, errare non nunquam peritissimos in litteris sacris viros: excoecavit enim eos malitia eorum, et dati sunt in reprobum sensum: ita vicissim optat animas pias humiliter sapere et intra metas suae cognitionis se contrahere, nec committere ut amore zeli, qui secundum scientiam non est, in graves errores prolabantur.

Joannis de Schoenhavia sive *de Schonhaven* defensio Jo. Ruysbrochii subjicitur *Jo. Gersonis* Epistolae ad Bartholomaeum Carthusiensem, tom. 1 Operum Gersonis edit. novae pag. 59. et 63. Defensionem deinde pag. 78-82. altera sequitur Gersonis Epistola ad eam respondens. Confer *Dionysium Carthus.* III. de contemplatione c. ult. et Natalem Alex. t. VII hist. Eccles. Sec. XIII. et XIV. pag. 160.

Plura de actis vitae Ruysbrochii et miraculis, tradidere Valerio Andrea laudante, *Henricus a Pomerio*, *Marcus Mastelinus*, viridis vallis Religiosus in suo Necrologio illius Abbatiae lib. 2. c. 1. seq. Descripsit et acta vitae ejus *Thomas a Jesu*, Carmelita excalceatus, Gregorio XV. pro obtinenda illius beatificatione praesentata: Neque dubito laudes ejus amplificandas, a viris doctis qui Acta Sanctorum colligunt, cum perventuri sunt ad diem Decembris secundum.

JOANNES *Sabinensis* Episcopus, Legatus Pontificius, cujus Constitutio A. 1229. facta de numero quadragenario et officiis Canonicorum Ecclesiae Barcinonensis cum confirmatione Gregorii IX. Papae exstat in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1317.

JOANNES *Sacroboscus* sive *de Sacrobosco*, a patria, oppido Eboracensi *Holywood* a) (hodie *Holyfax*, Baleo *Halifax*) Philosophus et Mathematicus insignis, Lelando et Baleo b) Pitseoque recte Anglus: Dempstero licet c) Scotus, Stanihursto d) et aliis Hibernus, claruit circa A. 1231. docuit et diem obiit Parisiis An. 1256. e) sepultusque in fano Maturini, insculpta saxo sepulchrali ejus figura astrolabii, sicut tumulo Archimedis olim Syracusis impositam figuram sphaerae cum cylindro refert Tullius lib. V. Tusc. quaest. cap. 23. Innotuit potissimum Sacroboscus libro decantatissimo *de sphaera Mundi*, quem praelectum in Scholis per quadringentos amplius annos universa legit et trivit tironum Astronomiae natio: et quem jam A. 1337. illustrandum sibi sumsit *HUGO de Castello*, Ord. Praed. teste Jacobo Quetif t. 1 pag. 593. Prodiit Sphaera Joannis Venet. 1488. fol. tum 1531. fol. cum Theoricis planetarum Gerardi Cremonensis, novisque Georg. Purbachii: Jo. Regiomontani contra Gerardum et commentariis Prosdocimi de Beldomando, Jo. Baptistae Capuani, Mich. Scoti expositione et quaestionibus, Jac. Fabri Stapulensis paraphrasi et annotatt. Campani compendio, Petri de Alliaco quaestionibus et Barthol. Vespucii glossulis in Sphaeram: Lucae Gaurici castigationibus et figuris Campani de modo fabricandi sphaeram solidam: Roberti Lincolniensis de Sphaera, Barth. Vespucii Oratione de laudibus Astrologiae, Lucae Gaurici de inventori-

a) Vide Voss. de scientiis Math. pag. 179. 396. et Georg. Mackenzie tom. 1. de vitis scriptorum nationis Scoticae pag. 161. *Holy*, Anglis, *sacrum* Vocabulum *vood* sylvam significát, sive *boscum*, cui respondet Germanorum Busch. Adde Cangium in *boscus*, et Speelmanni glossar. in *boscagium*, Menagii origines Gallicas in *bois*. Patet hinc falli eos qui *Joannem* non *de Sacrobosco* sed. *de Sacrobusto* appellant.

b) Leland. cap. 376. Baleus VI. 93. et Pitseus pag. 334.

c) Lib. XVI. Hist. Eccles. scot. n. 1038.

d) Apud Jac. Waraeum de scriptoribus Hibern. lib. 1. cap. 8. pag. 59.

e) Ita Pitseus pag. 334. et Vossius pag. 179. Videat autem Lector, notetur ne potius Annus 1244. quam 1256. In verso epitaphii qui ita se habet: *M. Christi bis C. quarto deno quater anno.* Viris doctis, *quater quartus denus* facit annum 56. Sed videtur mihi per *quater denum* quadragesimus denotari, cui additus *quartus* edit numerum 44. Certe eos constat errasse qui Sacroboscí obitum apud Waraeum retulere ad A. 1235. Epitaphium apud Ricciolum in Alamagesto et Germ. Briccum in descriptione Paris. Tom. 1. pag. 105. ita se habet.

De Sacro Bosco qui Computista Joannes.
Tempora discrevit, jacet hic a tempore raptus.
Tempora qui sequeris memor esto quod morieris.
Si miser es, plora: miserans pro me, precor, ora.

bus et laudibus, et num sub aequatore sit habitatio. Alpetragii Arabis Theorica Planetarum.

Parisiis 1532. Venetiis 1561. in 8.

Cum adjunctis Theoricis Georgii Purbachii, et Jo. Regimontani disputationibus adversus deliramenta Cremonensis 1482. 4.

Et cum Commentariis Paris. 1516. addito Boneti de Latis sive Latensis, Judaei anulo Astronomico, Euclidis etc.

Cum Erasmi Oswaldi Schrockemfuchsii commentar. Basil. 1553. 1596.

Cum Petri de Alliaco XIV. quaestionibus et commentariis Petri Cirvelli, Mathematici Complut. Paris. 1498.

Cum quaestionibus novis Arielis Bicardi, Paris. 1556. 8.

Ex recensione Franconis Burgersdicii. Lugd. Bat. 1626. 8.

Cum commentariis Cichi Esculani, Francisci Capuani de Manfredonia et Jac. Fabri. Venet. 1499.

Christophori Clavii. Lugd. 1594. et San Gervas. 1602. 4. atque inter Clavii Opera Mogunt. 1612. fol.

Wenceslai Fabri 4. sine loco et anno.

Francisci Junctini, Florentini. Lugd. 1578. in 8.

Cum Praefatione Melanchthonis, diserta in Sacrobosci laudem, cujus etiam liber *de anni ratione* sive *de computo Ecclesiastico* adjunctus est. Paris. 1550. 8.

Cum Commentario Bernardi Morisinii. Francof. 1625. 8.

Petri Nonii, Colon. 1601.

Bartholomaei Vespuccii, Florentini et Joh. Bapt. Capuani. Venet. 1508.

Eliae Vineti, Venet. 1562 8. addito Pierii Valeriani compendio et Paris. 1577. 8. cum Petri Nonii, Salaciensis demonstrationibus.

Italice, interprete Mauro Florentino. Florent. 1550. et Francisco Piffaro Mon. Camald. Senis 1601. 4.

Errores LXXXIV. a Sacrobosco admissos notavit Franciscus Barocius in limine Cosmographiae.

In Sacrobosci sphaeram scripsisse dixi etiam CICHUM *Æsculanum* de quo haec Naudaeus in apologia pro viris doctis Magiae accusatis p. 271. *Le seul Commentaire que nous avons de luy sur la Sphere de Sacrobosco monstre assez qu'il n'estoit pas seulment superstitieux, comme l'appelle Delrio,* a) *mais qu'il avoit aussi la teste mal timbrée, s'estant estudié d'observer trois choses en iceluy qui ne peuvent moins faire que de descouvrir sa folie, la premiere d'interpreter le livre de Sacrobosco suivant le sens des Astrologues Necromantiens et Chiroscopistes: la seconde de citer un grand nombre d'Autheurs falsifiez et remplis de vieux contes et badineries, comme pour exemple Salomon* de umbris idearum, *Hipparchus* de vinculo spiritus, de ministerio naturae, de Hierarchiis spirituum; *Apollonius* de Arte magica, *Zoroaster* de dominio quartarum octavae sphaerae, *Hippocrates* de stellarum aspectibus secundum lunam, *Astafon* de mineralibus constellati, et *beaucoup d'autres semblables: et la troisieme de se servir* b) *fort souvent de Revelationes d'un Esprit nommé Floron, qu'il disoit estre de l'ordre des Cherubins, et qu'estant une fois entre autres interrogé ce que c'estoit que les taches de la Lune, il respondit briefvement,* ut terra terra est *Mais outre qu'il ne s'attribue cet Esprit en aucun endroit du dit Commentaire; il est encore facile de juger que cette narration est semblable a ce que dit Pline* c) *du Grammairien Appion qui evoqua le Diable pour scavoir de quel pays estoit Homere. Et a ce qui est rapporté par Bodin* d) *de Hermolaus Barbarus qui fit le mesme pour scavoir ce qu'Aristote avoit voulu signifier par son Entelechie, ou finalement a ce que Nyphus dit* e) *avoir entendu d'un certain homme de son temps qui vid le moyen de faire la pierre pilosophale escrit dans un morceau de papier qui luy fut monstré par un Demon barbu.*

Caetera Sacrobosci scripta sunt·

a) Disquisit. Magic. lib. 1. cap. 3.
b) C. 3. Sph.
c) Lib. 2. cap. 30.
d) In Daemonomania.
e) Comment. in disp. 5. destruct. quaest. an Necromantia sit vera Lib. 1.

De Astrolobio, MS. in Bibl. Bodlei.

De Algorythmo ibid.

Et *De anni ratione* sive *de computo Ecclesiastico*, quem editum jam dixi cum libro *de* Sphaera, Paris. 1550. 8. atque Antwerp. 1566. 8.

His apud Baleum aliosque adjungitur nescio quod *Breviarium Juris.*

JOANNES *Salentinus* Siculus, Ord. Augustiniani Magister Generalis circa Annum 1430. Ita Cangius, aliis, de eo silentibus.

JOANNES *Sanctafidensis* sive *de Sancta Fide* Anglus, Theologus, Carmelitarum Prior Burnhumensis, defunctus 18. Sept. Ao. 1359. Scripsit *Elenchos praedictorum. Loca contrarietatum quae esse videntur. Collationes seu Collectiones et Lecturas Scripturarum. Commentarios in Evangelium Mattaei. In Joannis Evangelium et Canonicam Epistolam. Joannis magnalia atque encomium. Quaestiones disputatas. Concordantias S. Thomae. Sermones de Sanctis et LXIII. de tempore. Tabulam Juris. In Aristotelem de Coelo et Mundo.* Vide Lelandum cap. 398. Baleum V. 90. Pitseum p. 482. seq. et Alegrium p. 310.

JOANNES *Sarracenus* sive *Sarrazinus* circa A. 1118. Latine vertit Hierarchiam *Dionysii Areopagitae.* Vide Joannis Sarisberiensis Epistolam CLXXXIV ad eum scriptam tom. 23. Bibl. Patrum Lugd. p. 479. Ejus glossae super Coelestem Hierarchiam, MStae memorantur a Sandero Bibl. Belg. pag. 164. Viderit Gesnerus qui in Bibliotheca sna ait Sarracenum transtulisse omnes Areopagitae libros, excusosque esse cum Dionysii Carthusiani commentariis, Coloniae A. 1536. Prologus ad Odonem S. Dionysii Abbatem cum versionem Hierarchiae utriusque, libri de Divinis nominibus, Mysticae Theologiae et Epistolarum Dionysii MStus in Bibl. Bodlei. n. 3614.

JOANNES *Sarrazinus* Ord. Praed. septem articulos, Conciliorum auctoritati in Pisana et Constantiensi Synodo stabilitae opposuit, quos A. 1428 confutavit Facultas Theologica Parisiensis. Vide Jac. Benigni Bossueti defensionem declarationis Cleri Gallicani de potestate Ecclesiastica, Luxemb. 1730. 4. Tom. 2. pag. 104. seq.

JOANNES Petitus, sive Parvus a), a patria *Sarisberiensis*, natus in provincia Angliae Sarisberia, quae ab Imp. Severo b) *Severia* etiam dicta, unde pro Sarisberiensi apud Lelandum cap. 176. appellatur idemque est *Joannes Sevesianus* ad quem Petri Blaesensis extant Epistolae, et ad quem MORSUS Ravennatensis scripsit librum de interpretatione Graecarum dictionum. De studiis ejus videndus Bulaeus tom. 2. hist. Academ. Paris pag. 750. seq. Utriusque linguae peritum et in optimorum scriptorum subactum lectione, ingenium et facundiam carmine conspicuam ac prosa, lucubrationes ejus testantur. Auctoritatis, sive ut ipse appellat majestatis Pontificiae ac Sacerdotalis propugnator acerrimus, et propterea a Rege Angliae pulsus in exilium, idem vitia et abusus aularum et cleri atque ipsorum Pontificum et pulchre perspexit, et libere notavit, ipse familiaris Archiepiscoporum Cantuariensium Theobaldi et Thomae, et apud Pontifices Eugenium III. Adrianum IV. atque Alexandrum III. gratiosus, *Carnotensis* denique ab A. 1172. Episcopus c) interfuit Concilio Lateranensi A. 1179. atque diem obiit An. 1182. successorem nactus Petrum Cellensem d) Ejus scripta:

Policraticus sive *de Nugis curialium et vestigiis Philosophorum* libri VIII. ad Thomam tunc adhuc Cancellarium Angliae e) postea ab An. 1162. ad An. 1171. Archiepiscopum Cantuariensem. Opus varium jucundumque lectu, et in quo centone multos pannos purpurae et fragmenta melioris aevi agnovit Lipsius ad Taciti XII. 63. quod perspicuum etiam ex indice scriptorum, quem

a) Menagius. pag. 259 ad Laertium. apud eundem pag. 100. *Joannes Sarisberiensis sive Jo. Pareus*, lege *Joannes Parvus.*

b) Huc refer quod Joannes Sarisberiensis VIII. 19. policratici pag. 647. *in catalogo Imperatorum ille, a quo genti meae nomen est, Severus.*

c) Valde exultat de illa electione Petrus Cellensis VII. 8. Epist. ad. Guilelmum Remensem Archiep. vide et Petri Blaesensis Epist. 114.

d) Sammarthani tom. 2. Galliae Christianae tom. 2. pag. 401. Oudinus tom. 2. pag. 1504.

e) Albericus Chronico ad A. 1157. pag. 329.

pleniorem et accuratiorem dare est animus in nova editione Biblioth. Latinae IV 3. Ipse in Epistola LXXX. ad Petrum Cellensem: *Edidi librum* de Curialium nugis et vestigiis Philosophorum, *qui mihi a vestro placebit aut displicebit arbitrio. Incultus est, et ex edicto meo a vobis, amicis desiderat emendari. Ad illustrem virum, Regis Anglorum Cancellarium properabat, sed eum, nisi processus expedierit, cohibete. Garrulus enim est et qui vix amicum habebit in Curia. Nollem tamen quod nos Curialibus faceret inimicum. Precor ut eum incunctanter erudiatis, eumque expectanti amico remittite castigatum. Non equidem ut fur ille Cantuariensis* Brito *de cujus manibus avelli non potuit antequam totus depingeretur, forte ut facilius possit argui hostium oculis ingerendus.*

Prodierunt hi libri Paris. 1513. 4. inde Lugd. Bat. 1595. 8. et Paris. 1610. 8. et emendatiores, subjuncto Metalogico. Lugd. Bat. 1639. 8. Amst. 1664. 8. et una cum Epistolis in Bibl. Patrum supplemento Coloniensi A. 1622. et in t. XXIII. Bibl. Patrum Lugd. Antiqua versio Gallica fuit in Bibl. Menarsiana, pag. 35. *Policraticon des traces des Philosophes, et des truffes et vanitez de ceux qui suivent les Cours des Princes.*

Entheticon metricum quod vidisse se negat Labbeus, est comtum illud nutheticum elegiacum versuum 306. Policratico praemissum, quod incipit: *Si mihi credideris, linguam cohibebis.* etc. et ad Thomam pertinet quem celebrat versu 27.

Quaesitus regni tibi Cancellarius Angli etc. Neque aliud est *carmen adversus barbariem* quod Nigello Wireckero praeter rem tribuerunt Baleus III. 50. et Pitseus p. 270. ut probe notatum Jac. Thomasio diss. de Nigello §. 51. seq. qui etiam §. 56. recte notat a Pitseo p. 248. et 246. perperam distingui tanquam duo diversa Joannis Sarisberiensis scripta, *Eutheticon metricum*, et *Eutheticum in Policraticum.* Non omittendum autem quod Andreas Rivinus Lipsiae 1655. 8. edidit duum veterum Carnotensium Episcoporum, Fulberti et Joannis de Sarisberia scripta metrica, in quibus hoc carmen eutheticum exhibetur cum editoris notis, eique subjicitur Carmen alterum itidem elegiacum, versuum 200. a) *de membris conspirantibus*, quod incipit: *Concilium celebrant humani corporis artus.* Totam illam Menenii Agrippae fabulam etiam prosario sermone exposuerat Sarisberiensis libro sexto policratici cap. 24. pag. 389.

Metalogici libri IV. unde *Mythologicon* perperam effictum est apud Lelandum cap. 176. Baleum III. 1. et Jo. Pitseum p. 248. Continent autem Apologiam libro primo quidem Grammaticae ac philologiae, libro II. III. et IV. Logicae peripateticae contra nescio quem Cornificium suum, quem IV. 25. *Logicae criminatorem, philosophantium scurram* appellat; cujusque etiam meminit in prologo Policratici pag. 5. *quoniam et ego meum Cornificium habeo et Lanuvium.* Prodiere hi libri Paris. 1610. 8. separato volumine et subiecti Policratico Lugd. 1639. 8. Scripti sunt post policraticum cujus meminit lib. 1. cap. 4. et 10. etiam post A. 1156. defunctum Adrianum IV. sed superstite adhuc Theobaldo Archiepiscopo Cantuariensi, qui diem obiit An. 1161. Utrumque constat ex libri quarti capite ultimo.

Epistolae CCCII. quas ab A. 1155. ad 1180. scripsit, editae primum e Papyrii Massonii Bibliotheca, una cum vita Thomae Cantuar. et nonnullis Gerberti sive Sylvestri II. ac Stephani Tornacensis, Paris. 1611. 4. Eaedem sunt quas ad calcem Policratici recusas esse dixi, in Bibliothecae Patrum supplemento Coloniensi An. 1622 et in tom. XXIII editionis Lugdunensis. Pleraeque etiam eaedem ex illis XCIII. quae inter Epistolas Archiepiscopi Cantuariensis vulgatae sunt a Christiano Lupo. Bruxell. 1682. 4. de quibus infra in THOMA.

Interim ecce tibi infra indicem illarum quas dixi CCCII. quarum meliorem editionem promisit Steph. Baluzius b) ex

a) Vide infra ad hujus Voluminis calcem.

b) Baluzius Epist. ad Hieron. Ambrosium Langenmantelium data Paris. Calend. Maj. 1686. et

quibus etiam petitae Epistolae septem historicae, 128. 159. 167. 195. 214. 234. 268. quas ex MS. Regio Parisiensi emendatas exhibet Andreas du Chesne tom. IV rer. Francor. pag. 465. seq.

Vitae S. Thomae Cantuariensis Archiep. edita Paris. 1611. 4. una cum Sarisberiensis Epistolis. Laudat Petrus Blaesensis Epistola 114. idem qui Epist. 21. Sarisberiensem Thomae vivo *oculum et manum* fuisse testatur. Ea usi Stephanus Laugtonus in quadrilogo a) praemisso Thomae Epistolis, et Guilelmus Stephanides in Thomae vita edita a Josepho Sparkio in scriptoribus Historiae Anglicanae b) Lond. 1723. fol.

Vita S. Anselmi Cantuariensis Archiep. ex *Eadmero* contracta in gratiam Thomae qui eam Alexandro III. offerre, atque Anselmum Sanctis ut adscriberet commendatum volebat. Edidit cum praemisso XVIII capitum indice Henricus Warthonus tom. 2. Angliae sacrae p. 151-176. subjuncta pag. 177. Alexandri III. bulla de Anselmi canonisatione. Lond. 1691. fol.

Poenitentiale laudant Trithemius cap. 394. Lelandus, aliique, nondum quod sciam editum, quemadmodum nec lucem viderunt libellus *de malo exitu tyrannorum*, quem composuisse se testatur Sarisberiensis VIII. 20. Policratici: nec liber *de statu Romanae curiae. De mathematica duplici. De Musica amoris. Speculum rationis: Speculam stultitiae* ad Nigellum Wirekerum, carmine, et *super speculo Nigelli: Ermonevticon. Sermones.* Carmina diversi generis, atque in his Eutheticon *de dogmate Philosophorum* quod incipit: *Dogmata discutiens veterum*, MS. in Bibl. Academiae Cantabrig. *Objurgatorium Cleri* sive *Clericorum*, ex quo Flacius in Catalogo testium Veritatis, Jo. Wolfius t. 1 lection. memorabil. p. 456. etc.

Commentarium *in Epistolas Pauli universas* memorant Baleus III. 1. et Pitseus p. 249. atque editum Amst. 1846. 4 notant Lipenius, Caveus, Oudinus, Jac. Longus: ego nunquam videre me memini. *In Epistolam ad Colossenses* est vulgatus Cantabrigae 1627. teste Guil. Crovaeo. In Bibliotheca Morgenweegiana exstabat editus Cantabrigiae in fol. et praeferebat Annum 1630.

vulgata a W. Tentzelio An. 1692. dialogorum menstruorum pag. 675. *Post absolutam editionem Marcae Hispanicae, statim me accingam ad romum secundum meae collectionis Conciliorum, in quo multa eaque magni momenti dabuntur, quae nuspiam hactenus in lucem prodierut: interim efficiam ut* Epistolae Joannis Sarisberiensis, *quas habemus ex editione* Papyrii Massoni *innumeris mendis conspurcatas, meliore luce donentur ope veterum exemplarium Manuscriptorum, tum eorum quibus usus est idem Massonus, tum etiam aliorum.*

a) Vide supra, *Alanus Albretus.*

b) Acta Erud. 1725. pag. 490.

INDEX

eorum ad quos JOANNIS *Sarisberiensis Epistolae.*

Petro Scriptori. 241. 264.
Domino Pictaviensi. 165. 174. 182. 192. 214. 224. supra Joanni.
Ad populum, Pastore destitutum. 52.
R. Constantiensi Episcopo. 199.
R. Abbati Persorensi. 208.
Radulpho de Arundel, Monacho Cantuariensi. 237.
Radulpho de Bello Monte. 190.
Magistro Radulpho Lexoviensi. 244.
Radulpho Priori Wigorniensi 205.
Radulpho de Wingram. 246.
Magistro Raimundo 175. 215. Pictaviensis. Ecclesiae Cancellario. 183. 225.
Regi Anglorum. 24. 44. 61. 62. 63. 64. 70.
Reginaldo Saresberiensi Archidiacono. 198.
Abbas S. Remigii, Abbati S. Amandi. 149.
De Richardi fratris electione in Priorem Exoniensem. 79.
Richardo Archidiacono 71. Magistro Richardo Episcopo, Constantiensi Archidiacono. 202.
Richardo Cancellario. 103.
R. fratri suo. 141. 1gg' 170.
Richardo Diacono Pictaviensi. 153.
Richardo Priori de Donura. 239.
Roberto filio Ægidiae. 14g. 158. 221. 236.
Roberto Decano Eboracensi. 288.
Roberto Archidiacono de Surr. 228. 249.
Roberto vice Archidiacono Cantuariensi 240.
Roberto de Limescia. 248.
Roberto Sacristae. 276. 279.
Magistro Rodulfo Nigro. 171. 173.
Rogerus Archiepiscopus Eboracensis Hugoni Dunelmensi Episcopo, Roberto Decano et universo capitulo Eboracensi. 288.
Rogerus Wigorniensis Alexandro Papae. 291.
Rogero de Sidelberia 142.
Domino Saresberiensi 200. supra Josselino.
M. Simoni Lupello 206.
Simoni Priori de Monte Dei et Ilgeberto de valle S. Petri. 269.
Magistro Sylvestro, Thesaurario Lexoviensi. 203.
Theobaldi, Cantuariensis Archiepiscopi testamentum. 57. Hoc edidit etiam ex Archivis Cantuariensis Ecclesiae H. Wartbonus praef. ad tom. 2. Angliae sacrae pag. XI. atque inde Oudinus tom. 2. p. 1506.
Theodino, supra, Alberto.
Thesaurario Remensi. 168.
Thomae Cantuariensi Archiepiscopo, a Carnoto. 278.
Thomas Cantuariensis, Regi Anglorum. 48. 49. 54.
Thomae Praeposito Cellensi. 116. 133.
Turstino de Ascolt. 255.
Magistro Vinifrido Boni. 200.
Walcamo, Norwicensi Archidiacono. 254.
Waltero, Rofensi Episcopo. 55.
Abbatibus universae Vuauliae. 75.
Domino Wigorniensi 204.
Wintoniensi Episcopo. 98. 99. 101,

JOANNES *de Saxonia*, Ord. Minor. circa An. 1340. cujus *Summam* Confessorum sive *de casibus conscientiae* laudat Trithemius cap. 609. de S. E. et de script. Germanis cap. CXI. ubi addit *sermones de tempore* et *de sanctis.* Ab illa summa de Casibus diversam *Summam Juris, et glossas super Consuetudines Turonenses* video memorari a Waddingo pag. 226. Non diversus hic ut videtur a JOANNE *de Erfordia*, de quo supra p. 360. et cujus *tabulas Juris Canonici et Civilis* MStas memorat Sanderus Bibl. Belg. pag. 178. Confer Oudinum tom. 3 pag. 971.

JOANNES *Saxonius* Servita circa An. 1412. scripsit *in Esaiam*, atque homilias *in aliquot Psalmos*, teste Possevino. Etiam *Germaniae historiam* ei tribui in Chronicis Ordinis Servitarum, notavit Vossius pag. 548.

JOANNES *de Saxonia* Mathematicus. De hoc supra, DANCK, tom. 2, pag. 428. Ejus Canones Eclipsales MStos memorat Sanderus pag. 200. Bibl. Belgic.

JOANNES *Schadlandt* Germanus Ord. Praed. An. 1359. Episcopus Culmensis (non Coloniensis) inde Hildesheimensis, mox Wormatiensis ac denique An. 1369. Augustanus, defunctus An. 1373. Scripsit tractatum *de S. Trinitate. De statu et potestate Episcoporum*, *Sermones* inque his

plures *de Beata Virgine.* Denique tractatum *de Virtutibus Cardinalibus* cujus prologum edidit Jacobus Quetif t. 1 p. 673.

JOANNES *Scipphoverus* de Meppis Patre Gerhardo Consule natus An. 1454. Ord. Eremitar. S. Augustini, cujus *Chronicon Archi Comitum Oldenburgensium* in An. 1505. desinens exstat tom. 2 Meibomii p. 121-191. In eo de viris doctis sui Ordinis praeclara quaedam annotat, et de vitiis officialium et cleri, graves passim miscet querelas. Ipse de se p. 162. ad A. 1374. et pag. 181. ad An. 1463. et pag. 160. ad An. 1370. ubi patriam suam, villam sive civitatem Meppem celebrat : tum pag. 186. seq. ad An. 1481. ubi memorat conclusiones suas *de praedestinatione et praescientia*, pag. 188. ad An. 1494. et 1497. et p. 189. seq. et pag. 190. ad An. 1504. ubi tractatum suum *de paupertate CHristi* memorat quem opposuit HERMANNO de Riswick de Geldria, qui armis Guilelmi Occami, Richardi Armachani, Guilelmi de S. Amore et Felicis Haemmerlin, mendicantes fratres oppugnaverat. Tractatum suum *de conceptione immaculatae Virginis* citat pag. 176. et Sermonem *de Ordinibus*, quem ex diversis Chronicis ad An. 1500. collegerit, pag. 166. Ex Chronico RASTEDENSI quaedam affert p. 169.

* Opportunum esse judico ad lucem historiae literariae afferre hic animadversionem eruditissimi P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis. Admonet ille p. 224. geminos extitisse eiusdem nominis, patriae et coenobii scriptores. Alterius nomen fuisse Joannem Wenekerum de Meppis, alterius Schipphoverum. Posterioris huius scripta diligenter hic Fabricius adnotat; prioris vero teste Schipphovero in chronico Oldemburgensi sunt de Eucharistiae Sacramento Lib. I. De ideis Lib. I. De Oblationibus Lib. I. Sermones ad clerum et populum, et super Tobiam. Laricensis Ecclesiae episcopum suffraganeum egit Henrico Svartzborg Archiepiscopo Bremensi, et Episcopo Monasteriensi. Obiit an. 1496. Schipphoveri annus emortualis latet in obscuro; quamquam an. 1508 adhuc mortales annos spirasse constat.

JOANNES *Schodehoven* vitiose pro *Schonhoven* Carmelita, Prior Conventus Mechliniensis circa An. 1390. a) scripsit *de virtutibus et vitiis* omnique materia praedicabili, secundum ordinem alphabeti libros duos, inscripsitque *Polypodion*: et *Sermones* de tempore et Sanctis. Vide Trithemium de S. E. cap. 673. et de scriptor. Germ. cap. 133. et in Chronico Hirsaugiensi ad An. 1393. t. 2 p. 297. seq.

JOANNES *de Schonhavia,* sive *Schoenhoven* Canonicus regularis Ord. Augustiniani, in viridi Valle prope Bruxellam, defunctus An. 1431. Scripsit *Apologiam pro Jo. Ruybrockio* editam inter Jo. Gersonis opera, de qua supra in Jo. Ruysbrokio pag. 411. dixi. Deinde *Chronicon Ordinis Canonicorum Regularium*, laudatum Vossio pag. 548. cum *sermone* ejus An. 1413. habito in Capitulo Windeshemensi, cum ei Monasteria Regularium Brabantiae unirentur. Caetera apud Trithemium cap. 790. de S. E. et de script. Germ. c. 174. sunt: *Exhortatorium spirituale* ad nepotem suum. *De cursu Monachi. - De profectu Monachi. Sermones* varii et *Epistolae.*

JOANNES *Schoovendieke* Ord. Praed. circa An. 1410. de cujus Chronico Flandriae MS. Vide Jacobum Quetif. t. 1 p. 752.

JOANNES genere *Scotus* sive *Scotigena* ex opido *Aire* a), unde *Erigena* aliis appellatur, quanquam Erinigenam Hibernum quidam faciunt ab *Eri* sive *Erin* b) quod Hiberniae nomen olim fuit: sicut Hiberniam, Scotiae c) etiam appellatione pridem frequentatam esse constat. Aliis Wallus habitus est et Eriugena ex Ergene d) in confiniis Walliae, in Comitatu Angliae Herefordensi oriundus. Guil. Ma-

a) Non 1507. ut Alegrius pag. 380.

a) Georg. Mackentzie in vitis scriptorum illustrium Scotorum, editis Anglice Edinburg. 1708. fol. tom. 1. pag. 49. seq.

b) Jac. Waraeus lib. 1. de scriptoribus Hiberniae pag. 43. Lambecius in diario sacri itineris Cellensis pag. 57. edit. a me curatae, et Bibliotb. Vindob. tom. VIII. pag. 185. 186.

c) Vide Cambdeni Epistolas pag. 360. seq.

d) Caveus in hist lit. scriptor. Eccles. ad A. 858. Tho. Galeus praef. ad libros de divisione Naturae.

mesburiensem a) si audimus *Heruligena* sive *Herulus* Joannes fuerit, atque Herulos olim inter Hibernenses consedisse, a B. Rhenano et Wolfg. Lazio ex veterum testimoniis notatum. Ut patriam, ita perinde tempus quo vixit, et annum quo mortuus est Joannes hic Sophista sive Sapiens, incertum faciunt scriptorum dis sidia. In hoc consentire omnes video, Angliam primum, deinde Galliam ingenio suo illustrasse, charum Carolo Calvo, qui regnavit ab An. 840. ad 877. Qui in Angliam An. 882. reducem ajunt gratiosum fuisse apud Ælfridum Regem, aetatem ejus longius proferunt: alii non dubitant diem obiisse A. 875. quoniam Anastasius Bibliothecarius de eo tanquam mortuo videtur loqui in Epistola illo anno ad Carolum Calvum scripta X. Cal. April. quod tamen non adeo firmiter inde colligi docet Oudinus tom. 2 pag. 244. De mortis genere etiam non una est sententia, nam Martyrem faciunt alii, trucidatum a Monachis scribunt, communior sententia est a pueris quos docebat apud Malmesburiense monasterium, graphiis confossum occubuisse. Vide Jo. Lelandi collectanea a Thoma Hearne edita tom. 2 p. 181. 238. P. Crinitum de honesta disciplina XXIV. II.

Jam scripta hujus *perspicacis ingenii ac mellitae facundiae* Philosophi b) referamus:

Versiones Latinas librorum *Dionysii Areopagitae* de coelesti Hierarchia, de Ecclesiastica Hierarchia, de Divinis nominibus, et de mystica Theologia ad Carolum Calvum, MStas vidisse se testatur Galeus in Codicibus non junioribus saeculo quo Joannes vixit. Exstant etiam in Bibl. Caesarea, ut monuit Lambecius locis p. 397. in margine notatis: et teste Labbeo, in Bibl. Jesuitarum Bituricensium. *Coelestis Hierarchia* cum commentario Hugonis de S. Victore prodiit An. 1502. atque in tom. 1 Hugonis Operum pag. 473. Prodiit etiam cum Dionysii Carthusiani Commentario, Colon. 1536. fol. Epistolam duplicem qua Carolo Calvo hanc versionem suam dicat, edidit Usserius pag. 57. seq. Epistolarum Hibernicarum. Harum altera versibus scripta sic incipit:

Hanc libam (λοιβὴν) sacro Graecorum nectare fartam
Advena Joannes spendo a) (σπένδω) meo Carolo.
Maxime Francigenum etc.

Versio expositionis *S. Maximi*, Abbatis Chrysopolitani locorum aliquot difficilium in *Dionysio* Areopagita et in Orationibus quibusdam *Gregorii Nazianzeni*. Partem saltim vulgavit Thomas Galeus Oxon. 1681. fol. De illo S. Maximi opere dixi tom. 8. Bibl. Graecae pag. 763. seq. Versionem ejusdem Caroli Calvi jussu suscepisse se Joannes in Epistola ad eum praemissa profitetur.

De praedestinatione DEI, contra Gotheschalcum *Capitula XIX*. rogantibus Hincmaro Remensi et Pardulo Laudunensi Episcopo, libri II inter scriptores Sec. IX. editi Paris. 1650. 4. in Gilberti Manguini Vindiciis Praedestinationis et Gratiae tom. 1 p. 103. Adversarii ejus FLORUS Lugdunensis et PRUDENTIUS Tricassinus, de quibus suo loco. Conferenda Vossii historia Pelagiana lib. VII. parte 4. tom. 6. Opp. pag. 815. et Natalis Alex. Sec. IX. et X. diss. 14. §. 4. qui observat hoc opus Scoti damnatum in Concilio Valentino III. Can. 4. et 6. et in Lingonensi Can. 4.

Epistola ANASTASII Bibliothecarii vitae Dionysii praemissa, qua Joannis versionem laudat, legitur apud Surium IX. Octobr. aliosque ut dixi tom. 1 p. 83.

Librum *de visione DEI*, qui incipit: *Om-*

a) Epistola ad Petrum quendam, quem fratrem amantissimum appellat. *Joannes cognomento Scotus, opinantes quod ejus gentis fuerit indigena, erroris ipse arguit, qui se* Herul genam *in titulo Hierarchiae scribit: fuit autem gens* Herulorum *quondam potentissima in Pannonia, quam a Longobardis paene deletam, eorundem prodit historia.* Hoc testimonium secutus Joannem Herulum natione fuisse non dubitabat Thom. Galeus notis ad Jamblichum de Mysteriis Ægyptiorum A. 1678. editis p. 242. b. Sed ad testimonia praemissa libris quinque Joannis Scoti de divisione Naturae, quos A. 1681. vulgavit, notat illam sententiam minus jam sibi placere.

b) Ita vocatur apud Joannem Fordun IV. 19. pag. 669. Apud Honorium III. 2. de S. E. etiam *Chrysostomus*.

a) Affine Germanorum *spendiren*.

nes sensus corporei ex conjunctione nascuntur animae et corporis, in MS. Codice Claromariscensi prope Audomaropolin reperit Mabillonius, refertque idem in eo argumentum tractari de quo Lupus Ferrariensis Epistola xxx. ad Gotheschalcum Monachum Orbacensem.

Dialogus de divisione Naturae in creantem et increatam, creantem et creatam, non creantem et creatam, ac denique nec creatam nec creantem. Libri V. eruditi et subtiles a) MSti in Bibl. Corbejensis Monasterii, et S. Germani de Pratis, aliisque etiam Angliae, e quibus in lucem dati sunt a laudato Galeo Oxoniae 1681. fol. praemissis de Joanne Scoto veterum testimoniis, et praeclara de eodem, scriptis que illius notitia. De hoc opere accipienda Honorii III. bulla apud Albericum in Chronic. ad Annum 1225. p. 514. *HONORIUS Episcopus, servus servorum Dei, Archiepiscopis Episcopis etc. Inimicus homo zizania bono semini superseminare non cessat etc. Nuper siquidem sicut nobis significavit venerabilis frater noster Parisiensis Episcopus, est quidam liber qui* Perifisis b) *titulatur, inventus tot scatens vermibus haereticae pravitatis, unde a venerabili fratre nostro Archiepiscopo Senonensi et suffraganeis ejus in provinciali Concilio congregatis justo est Dei judicio reprobatus. Quia igitur liber, sicut recipimus, in nonnullis Monasteriis et aliis locis habetur, et claustrales nonnulli et viri Scholastici novi tamen forte plus quam expediat amatores se studiosius lectione occupant dicti libri, gloriosum reputantes ignotas proferre sententias, cum Apostolus prophanas novitates doceat vitare; Nos juxta pastoralis sollicitudinis debitum, corruptelae, quam posset ingerere liber hujusmodi, occurrere satagentes, vobis universis et singulis in virtute sancti Spiritus districte praecipiendo mandamus, quatenus libellum istum sollicite perquiratis, et ubicunque ipsum vel partem ejus inveniri contigerit, ad nos, si secure fieri possit, sine dilatione mittatis solenniter comburendum, alioquin vos ipsi publice comburatis eundem, subditis vestris expresse injungentes, ut quicunque ipsorum habent vel habere possunt in toto vel in parte exemplaria dicti libri, ea nobis differant resignare, in omnes qui ultra quindecim dies, postquam hujusmodi mandatum seu denunciatio ad notitiam eorum pervenerit, librum ipsum totum aut partem scienter retinere praesumserit, excommunicationis sententiam incurrisse, notamque pravitatis haereticae non evadent. Datum Laterani decimo Calendas Februarii etc.* Vero addit Albericus: *verba bene forsitan suo tempore prolata et antiquis simpliciter intellecta* post trecentos amplius annos damnationem incurrisse, *propter novos Albigenses, qui ea male intelligendo perverterint, et ad suam haeresin confirmarint.* Indicem scriptorum in his libris allegatorum dedi tom. VIII Bibl. Graecae pag. 765 seq.

Liber de corpore et sanguine Domini scriptus circa an. 859. quem itidem Carolo Calvo rogante scripsit, non hodie extat sub BERTRAMI nomine, quod viris quibusdam doctis persuasum fuisse monui supra tom. 1. pag. 224. sed jam pridem intercidit, ut probe notatum Dallaeo de usu Patrum pag. 101. et Mabillonio in praef. ad Sec. IV. Benedictin. §. 132. seq quanquam eadem cum Bertramo sive Ratramo sensisse et cum Berengario Joannem, ex veterum testimoniis constat: quamobrem et oppugnatus est ab ADREVALDO Floriacensi, HINCMARO Remensi et PASCHASIO *Radberto*, de quibus suis locis, et liber ejus flammis addictus in Synodo Vercellensi et Parisiensi an. 1050. et Romana 1059. atque de libro hoc accipiendum quod legas in veteri Chronico ad an. 1044. apud Andream du Chesne tom. IV. rer. Francor. pag. 87 de Berengario: *Joannem Scotum igni comburens, cujus lectione ad hanc nefariam devolutus fuerat sectam.*

Epistolas Erigenae, et *versus* Baleus commemorat. *Epistolae* praeter eas quas libris ipsius praemissas memoravi, nullae exstant.

a) Vide Anselmi Parisii diss. de Joanne Scoto ad calcem tom. 3 de perpetuitate Fidei, articolo 1. et tom. 4. parte 2. pag. 229. seqq. Lud. Ellies du Pin tom. 7 Bibl. Eccles. pag. 79. Acta. Erud. 1635. pag. 190. et Aug. Christoph. Heumanni Acta Philosophor. parte XVIII. pag. 858. seq.

b) Περὶ φύσεως μερισμοῦ.

Versus quidam leguntur in calce Epistolae ad librum de praedestinatione: alii Areopagiticis praemissi et publicati ab Usserio in Epistolis Hibernicis pag. 57. Alii denique Graeci et Latini in laudem Caroli Regis et Hincmari, ex Codice Sangermanensi vulgati a Cangio praef. ad glossaria Caroli Labbei edita Paris. 1679. fol.

Excerpta *de differentiis et societatibus Graeci Latinique Verbi*, quae in recentioribus MACROBII editionibus, ex Macrobii scriptis deflorata leguntur, Joanni Erigenae deberi, versimilis est conjectura P. Pithoei et Usserii, quibus Cangius assentitur.

Ab hoc Joanne Scoto, JOANNEM Presbyterum et *monacham e Saxonia oriundum* Æthelingiae Abbatem e Saxonibus Occidentalibus A. 895 a Monachis trucidatum diserte distinguit Lelandus refertque inter viros doctos Plegmundum, Werefridum, Asserium Menevensem et Grimbaldum, quos in pretio habuit et familiaritate Ælfridus Rex. *Joannem Eald*: *Saxonem* vocat Asserius et Ingulfus, Guilelmus Malmesbur. Westmonaster. Rogerus Hoveden, Simeon Dunelmensis et Florentius Worcestriensis. Itaque non ausim assentire Oudino, qui tom. 2. pag. 237. operosus in eo est, ut ambos unum eundemque faciat. Potius accedo sententiae Joannis Mabillonii Annalium Benedictin. tom. 3. pag. 68. et praef. in Sec. IV. Benedictin. §. 136. et in elogio Joannis, Æthelingiae Abbatis. et Anselmi Parisii a), Canonici Reg. Congregationis Gallicanae in diss. de Joanne Scoto Gallice edita ad calcem tomi tertii Operis de perpetuitate Fidei artic. V. et in responsione ad Petrum Allixium, Bertrami editorem in tomo quarto ejusdem operis parte 2. pag. 180 seq. cum quibus faciunt Georgius Mackenzie tom. 1. vit. illustrium Scotorum pag. 56 seq. Jacobus Dalrymple in parte 2. collectionis Anglice editae Edimburgi An. 1705. de rebus ad Scoticam hist. pertinentibus, Natalis Alex. Sec. IX et X. diss. 14. tom. V. pag. 359 seq. Jacobus Basnage Hist. de l'Eglise XVI. 7. 7. tom. 3. pag. 935 seq.

Diversus quoque JOANNES Mailrosius, natione *Scotus*, discipulus Bedae, Alcuini socius in condenda Academia Parisiensi, et a Carolo M. praefectus Academiae Ticinensi circa An. 792. Ejus *Carmen de laudibus JEsu CHristi* ad Carolum M. quod MS. fuerit apud Dresserum, memorat Bulaeus, quem vide tom. 1. hist. Academiae Paris. pag. 610.

Omitto tanquam incerta vel alii tribuenda Joanni, *libellum de disciplina Scholarium*, *disputationem cum Theodoro Studita*, *Commentarios in Martianum Capellam*, *Versionem Moralium Aristotelis*, *et Libri de regimine Principum*, cujus interpretem Galeus testatur JOANNEM Patricium Hispaniensem in MS. Codicibus appellari, *Commentarios in Matthaeum*, *Commentarios in Hierarchiam et Theol. Mysticam Dionysii* Areopag. *In praedicamenta Aristotelis. De Fide, contra Barbaros. Dogmata Philosophorum. Homilias.* Denique librum de immaculatis mysteriis non diversum puto a libro de Corpore et Sanguine Domini, de quo supra pag. 421.

JOANNES Dunstonensis Anglus a), a patria, *Duns*, quod vocabulum Graecis σκότος, *Scotus* communiter appellatus, non ut Sixto Senensi visum, veluti σκοτεινὸς ob profundissimam obscuritatem: Discipulus Alexandri Halensis Anglici b) et Guilelmi Veri sive Guarronis, praeceptor Occami et ab eo oppugnatus, ipse Ord. Minor. docuit Oxoniae primum, deinde ab An. 1304. Parisiis, inter Scholasticos *Doctor subtilis*, ac *Realium* sectae fax et tu-

a) Hic artic. VI. et VII. p 22. seq. et t. IV parte 2. p. 188. seq. distinguit etiam ab Erigena Joannem Martyrem, cuius martyrium praeter rem ad Erigenam Guilelmus Malmesburiensis atque inde alii retulerint, cum eo die An. 1060. martyrium obierit Joannes in Scotia ordinatus Scotorum deinde Slavorum Episcopus teste Adamo Bremens. cap. 296. cujus 4. Id. Nov. memoriam Angli coluere, atque exstat in Martyrologio Rom. 1580. Antwerp. 1586.

a) Vide H. Warthonum ad Caveum: Lelandum cap. 515. cui *Joannes Dunostenus* appellatur. Baleum IV. 82. Pitseum pag. 390. seq. Georgium Mackenzie in vitis Scotorum scriptorum tom. 1. pag. 215. seq.

b) Trithemius cap. 516. Lelandus etc. Alexander de Hales obiit A. 1245. et falluntur qui Scotum tantum 34. vel. 45. annos ajunt in vita exegisse.

ba, auctor scholae *Scotisturum* c) et dogmatis de immaculata conceptione B. Virginis propugnator fervidus d): Denique Coloniam An. 1308. aetatis LXIII. cum venisset et apoplexia eum corripuisset, festinato funere elatus esse vivus traditur apud Bernardinum Senensem, Franc. Gonzagam, Jovium, Bzovium, Nic. Jansenium cap. 10. aliosque, unde Jacobus Duportus Anglus pag. 203 stromatum poëticorum hoc ei scripsit epitaphium:

Hic jacet ambigua et subtili morte peremtus
Doctor subtilis, qui, proh dolor! ante sepultus
Quam defunctus erat, triste et miserabile dictu!
Quas, quot et ille scholas rexit! dubiumque reliquit
Prima an Aquinati jam concedenda Cathedra,
Laurea et Angelico sit debita summa Magistro.
Cudere quas formas sollers! quas haecceitates!
Inter resque modosque o quam distinxit acute!
Qui tamen ipse adeo distinguere novit, amici
Morbum a morte ejus nondum distinguere norant,

Pro fabula tamen id habet Miraeus in auctario, quod nulla sit ejus rei Coloniae memoria: et Waddingus tom. 3 Annal. Ord. Minor. ad A. 1308. et in Bibliotheca pag. 204. et in vita Scoti operibus praefixa, quae Waddingo curante tomis XII lucem viderunt auspiciis Ministri generalis Ordinis, Jo. Baptistae a Campanea, Lugd. 1639. f. et recensentur a Labbeo t. 1. p. 559.

Tom. 1 *Grammatica speculativa*, sive *tractatus de modo significandi*, Scoto rectius tribuendus quam *Alberto de Saxonia*, Augustiniano, de quo supra t. 1. 47.

In Logicam universam, quaestiones, cum *Mauricii a Portu*, Hibernici, Archiepiscopi Tuamensis expositione, ex edit. Venet. 1504. 1512. 1597. 1600.

II. Commentaria Joannis Scoti, sive alterius potius, Waddingo judice, *in VIII. libros Physicorum* Aristotelis, ex edit. Venet. 1504. 4. 1597. cum annotationibus *Francisci a Pitigianis*, Minoritae Aretini ad quaestiones Scoti in Porphyrium de quinque vocibus.

Quaestiones *in libro de anima*, imperfectae, cum scholiis et supplemento *Hugonis Cavelli*, Archiep. Armachani.

III. *Tractatus de rerum principio*, cum Waddingi scholiis.

De primo principio: et *tractatus Theorematum XXIII.* cum scholiis *Cavelli* et *Mauritii a Portu* adnotationibus.

Collationes XXXV. Physico Theologicae cum Scholiis *Cavelli*, et Collationes noviter additae IV. cum Waddingi scholiis notisque. Cavellus Quaestionibus reportatis et Quodlibeticis subjunxerat, Antwerp. 1620. Colon. 1635. fol.

Tractatus *de cognitione DEI* laudatus etiam Trithemio, seq. imperfectus, cum scholiis Waddingi.

Quaestiones miscellaneae de Formalitatibus, imperfectae, ex edit. Venet. 1514. Paris. 1584. 8.

Meteorologicorum libri IV. cum Waddingi scholiis et notis. In his ut Labbeo jam notatum, citatur Thomas Bradwardinus, qui. An. 1308. quo Scotus obiit, adhuc puer erat.

Tom. IV Expositio in *Metaphysicam Aristotelis* ab aliis praeter rem relata ad Antonium Andream, Aragonium: cum notis Hugonis Cavelli. Prodierat separatim Paris. 1520 et cum notis Mauritii Hibernici, Venet. 1501.

Conclusiones Metaphysicae, cum ejusdem Cavelli annotationibus.

Quaestiones in Metaphysicam, cum notis Mauritii a Portu et Cavelli ex edit, Venet. 1497. 1501.

Tom. V. VI. VII. *in tres primos libros et in quartum Sententiarum* tom. VIII. IX. X. *Quodlibeta et Commentaria* cum commentariis *Francisci Lycheti*, in tres priores libros ex edit. Brixiensi 1517. supplemento *Joannis Poncii*, ad eosdem Commentarios, scholiis et notis *Cavelli*, et Commentariis ejusdem *Poncii* Corcagiensis in postremas a trigesima quarta libri tertii distinctiones et *Antonii Hiquaei* in librum quartum. Hoc est quod opus *Anglicanum* et *Oxoniense* vulgo dictum est, quoniam Oxonii illud Scotus composuit. Prodierat ex *Thomae Penketh* Anglici, Ord. Eremitar. et Professoris Patavini recensione Venet. 1483. et 1490 fol. et 1516.

c) Vide Pagium ad A. C. 1190. n. 11. Stephani Penton apparatum ad Theologiam pag. 67.

d) Conferenda tamen quae monet Natalis Alex. Sec. XIII. et XIV. tom. 7 p. 150. seq. edit. in fol.

Tom. XI. *Opus Parisiense* sive *Questiones reportatae* (repetitae) in IV. libros Sententiarum, cum scholiis et notis Cavelli et Waddingi. Prodierant sine notis Paris. 1518 edente Joanne Majoris: deinde Venet. 1597. Paris. 1600. et cum Hugonis Cavelli scholiis et apologia pro Joanne Scoto ejusque doctrina adversus Abr. Bzovium, Antwerp. 1620. fol. et cum Hugonis Magnesii apologia pro Scoto et Cavello. (adversus Nicolaum Jansenium Dominicanum, qui illos singulari scripto Bzovium defensurus prosciderat.) Colon. 1635. fol. Jansenii scriptum appendicis loco subjicitur t. XV. Bzovii Annalium.

Tomo XII. *Quaestiones Quodlibeticae* XXI editae pridem Paris. 1519. et cum Cavelli notis et conciliatione locorum Quodlibetalium Scoti cum aliis ejusdem Doctoris locis, Antw: 1620. et Colon. 1635. fol. Waddingus praeter notas Cavelli etiam Lycheri commentaria adjunxit ex edit. Venet. 1520. et 1589. et solutiones objectionum *Guidi Bartolucii*, Assisiatis, qui CCXLIII. contradictiones in Scoti operibus visus est sibi observasse.

Inedita Scoti scripta memorantur: Lectura *in Genesin*, ad litteram Commentarii *in IV. Evangelia. In Epistolas Pauli. Sermones* de tempore et Sanctis. Tractatus *de statuum perfectione*.

De Hieronymi de Monte Fortino, Ord. Minor. summa Theologica ex Scoti operibus, quae sex Voluminibus in folio ante annos ita multos prodiit. vide Memorias litterarias Trevoltinas A. 1724. pag. 1135.

Mathurini le Bret, Ord. Minor. Lectura In libros Sententiarum, dicta *Scotellus* sive *parvus Scotus* Lavallensis, prodiit Andegavi 1528. 4.

Alius et antiquior, de quo Sigebertus Gemblacensis cap. 65. de S. E. JOANNES *Scotus*, *in exponendis Divinis et humanis Scripturis satis idoneus, fecit tractatus* in Matthaeum. *Scripsit librum* de Officiis humanis, *et alia quae ab aliis habentur*. Diversus hic etiam a Joanne Erigena, de quo idem Sigebertus cap. 94. quanquam confundit Trithemius cap. 262. non modo cum Joanne Erigena (de quo tamen iterum cap. 272.) sed etiam cum Bedae discipulo.

* Juvat hic afferre versus quosdam olim a me lectos in MS. Cod. Biblioth. Malatestarum Caesenatensis Plut. 17. scripto quantum coniicio Saec. XIV. ferentes *librum quaestionum Scoti*. Haec igitur ibi

Scotia plange quia periit tua gloria rara
Funde precem, confunde necem tibi cum sit amara
Quam fera, quam nequam sit mors tribuens tibi legem
Cum reliquis aequam rapiens ex ordine regem
Coelum terra mare nequeunt simil.m reparare
Si quaeras quia; probet hoc editio clare
Troja luit florem de viribus Hectora fisum
Sic luo doctorem juvenili flore recisum
Ergo lugens plora, quia non huic sufficit hora
Sed ruit absque mora, pro quo lector, precor, ora.

Valent haec ad refutandam magis magisque fabellam de illato in sepulchrum eius cadavere, antequam obiisset. Falli vero hic Bibliothecarium nostrum constat dum Scotum Alexandri Alesii discipulum statuit. Etsi enim Scotum ad annum aetatis 63 pertigerit; cum tamen an. 1308. Coloniae obierit Alesius vero Parisiis extinctus sit an. 1245. nempe ante Scotum annis 63 sequitur inde eodem anno et Alesium decessisse et Scotum agere inter mortales coepisse. Ita Lambak. Bibl. Vindob. Civ. t. 1151.

JOANNES *Scotus* Episcopus S. Andreae Dunkeldensis in Scotia, vergente saeculo XII. cujus *Epistolas* ad Pontifices Alexandrum III. Lucium III. Urbanum III. Gregorium VIII. et Clementem III. Dempsterus memorat, nec non scripta *de Jure Ecclesiastico, submissionem causae suae*, et *appellationem ab interdicto*. Vide Georgii Mackenzie vitas scriptorum Scotorum t. 1. pag. 387 seq.

JOANNES *Segobiensis* sive *de Segovio* Hispanus a), ex Gymnasio Salamantino sive Salmanticensi Theologus, cujus nomine, et jussu Joannis II. Regis b) missus

a) Distinguendus a Joanne Segobiensi, Ord. Praed. longe juniore et defuncto A. 1594. cujus libri IV. de praedicatione Evangelica prodiere Compluti 1575. Brixiae 1586. 4. Vide Nic. Antonium tom. 1 Bibl. Hspan. novae pag. 596. et Jac. Echardum tom. 2 de scriptoribus Dominicanis pag. 311. seq.

b) Nic. Antonius tom 2 Bibl. vet. Hispan. pag. 148.

in Concilium Basileense An. 1431. in illo habuit *Orationem*, quam exhibet Æneas Sylvius, postea Papa Pius II. libro primo de gestis Concilii Basil. pag. 34-36. Idem Æneas in Europa cap. 42. pag. 440. Opp. *Joannes Segobiensis, homo Hispanus, moribus et doctrina illustris, qui cum summos Theologiae praeceptores doctrina aequaret, ab Amadeo, dum se Papam dixit,* (Felicem VI. c) An. 1440.) *Cardinalatus eminentiam acceperat, et deinde unioni consentiens, a Nicolao,* (V. ab An. 1447.) *Pontifice maximo, Cardinalatus dimisso titulo, Caesariensi Ecclesiae praefectus fuerat, in altissimis reconditus montibus, parvo Monasterio contentus, vocatis ex Hispania legis Arabicae Magistris, librum, quem vocant* Alchoranum, *et in quo Mahumetus* ψευδοπροφήτης *non tam mysteria quam deliramenta continentur, in nostram linguam* d) *de novo convertit, et ineptias ejus veris ac vivis rationibus* e) *et argumentis explosit.* Ex ejus vasto opere *de Ecclesiastica potestate*, sive *de inseparabili sanctitate Ecclesiae et suprema Generalis Concilii auctoritate*, locum affert clariss. Hardtius prolegom. ad tom. VI. Concilii Constantiensis pag. 7. et ex alio non minori opere *de admissione Presidentium Papae*, pag. 8 seq. et ex tertio opere non minoris molis quod idem in eodem Concilio Basileensi composuit, *De justificatione sacri Basileensis Concilii et sententiae ipsius, contra Gabrielem olim Eugenium latae et in justificatione ipsius Gabrielis* (Eugenii IV.) *et sibi adhaerentium, et a sacro Concilio se qualitercunque abstrahentium* pag. 14 seq. Tres hi libri pars ut videtur duorum magnorum voluminum *de Actis Concilii Basileensis*, quae scripta ab hoc Joanne et Basileae servari manu exarata notavit Colomesius pag. 216. Hispaniae Orientalis. Ex iis suam Basileensis Concilii historiam abbreviasse se profitetur *Augustinus Patricius* Canonicus Senensis, capite 144. Legitur illa post Acta Florentini Concilii in tomo XIII. Labbei, Harduini IX. et XVIII. Veneta Coleti.

c) Hujus Felicis Oratori, misso ad diaetam Bituricensem, Joanni Æneas Sylvius dicavit scriptum de coronatione Felicis in Synodo Basileensi, quod inter Opera Æneae pag. 61. legitur.

d) Non *Latinam* modo sed *Hispanam* quoque. Vide Nic. Antonium tom v. Bibl. vet. Hispan. pag. 156. n. 257.

e) Titulus operis est: *de mittendo gladio Spiritus in Saracenos*, constat capitibus sive considerationibus XXXVIII. quorum argumenta exhibet idem Antonius pag. 152. seq. qui pag. 154. non diversum putat quem alibi memorat librum *de pace Fidei habenda cum Judaeis, Saracenis, Arabibus, Persis, Armenis et multis aliis discedentibus a Christianae religionis cultu.*

Praeterea collegit *concordantias partium Orationis indeclinabilium* in Bibliis, quae separatim primum Basil. 1476. cum praef. Sebastiani Brandt, deinde cum majoribus Concordantiis saepius impressae habentur de quibus supra tom. 1 p. 377.

Avisamenta septem de conceptione B. Virginis Mariae, oblata deputatis in Synodo Basileensi An. 1438. MSta Lipsiae in Bibl. Paulina teste Fellero pag. 336. Catalogi, et sine nomine auctoris pag. 305. ut ab Oudino tom. 3 pag. 2433. probe observatum, ac plane eadem sunt quae a Petro de Alva et Astorga in lucem edita prodiere Bruxell. 1664. fol. sed is ex Codice Hispanensi etiam addidit *septem allegationes* ejusdem Joannis, oppositas assertionibus JOANNIS *de Monte nigro*: sicut contra Segobiensem de veritate conceptionis B. Virginis scripsit JOANNES *de Turrecremata.* Vide Nic. Antonium t. 2 Bibl. vet. Hispanae pag. 150. Omitto quae in Synodo Basileensi adversus Graecos disputasse Segobiensis perhibetur *de processione Spiritus S. ex Filio*: et contra Bohemos *de communione sub utraque.*

JOANNES *Segnardus* sive *Seguardus* Anglus, Rhetor ac poëta circa An. 1420. cujus *poemata* MSta fuere apud Henricum Langley Equitem de Comitatu Salopiensi. Apud Baleum VII. 56. memoratur *Metrices enchiridion* ad Richardum Courteney, Episcopum Nordwicensem quod incipit: *Conspicui meriti vir, honesti fortior.* Nec non *Catametron,* hoc initio: *Praesumtuosos et errantes in metris.* Ad diversos *Epistolae. Decretum Apollinis. De hominis miseria,* His Pitseus p. 606. addit *De laudibus Regis Angliae Henrici V.* carmine.

JOANNES *Semeca* Teutonicus, JCtus, discipulus Azonis, Praepositus S. Stephani Halberstadiensis, obiit An. 1243. (non 1267. vel 1269) *In Decretum Gratiani glossas* sive scripsit primus, sive Laurentii Cremensis, Vicentii Castellionei et Hugonis Vercellensis glossis suas addidit, cum Decreto saepius editas et a Bartholomaeo Brixiensi aliisque deinde auctas. De quibus Burch. Gotthelf Struvius in Bibl. Juris selecta XIII. 12. et Hist. Juris cap. VII. §. 21. Nic. Hieron. Gundlingius tom. 2 historiae eruditionis p 1785. seq. De Semeca ipso diligentius Henricus Meibomius in Chronico suo Marienthalensi, tom. 3 scriptor. Germ. pag. 261. et Jo. Andreas Schmidius in triumviris Halberstadiensibus, Helmst. 171. S. 4. pag. 24. seq. Epitaphium ejus qood Halberstadii memini me videre, etiam hic spero cum pace legetur Lectoris.

Est, erit, atque fuit, qui desiit esse Joannes;
Dogma viget, viguit, florebit et omnibus annis:
Lux Decretorum, Dux Doctorum, via morum,
Hic jacet, et placet ut vacet a poenis miserorum.

JOANNES *Semur*, infra *Joannes Somarius.*

Magister JOANNES *Serlo* Anglus, Grammaticus, Rhetor, Poëta, ex Eboracensi Canonico Abbas Fontanus Ord. Cisterc. circa An. 1160. a Serlone Normanno et Presbytero distinguendus, scripsit varia carmina, ex quibus illud *contra Monachos*, *atque aliud de contemtu et instabilitate Mundi* MStum in variis Angliae et Galliae Bibliothecis. Vide Leyseri historiam poëseos medii aevi pag. 429. *De bello inter Scotiae Regem et Barones Angliae*, carmine rhythmico, cujus initium: *David ille manu fortis. De morte Sumerledi Regis Manniae.* Incip. *David Rege mortis lege. Res gestas monasterii sui Fontani* ad Hugonem de Kirkestede. Monachum *Originem et incrementum Bernardinae sectae in Anglia.* Vide Vossium pag. 422. *Commentarium in Pentateuchum. In Orationem Dominicam*, quod scriptum Serloni Normanno tribuit Bostonus Buriensis et Baleus XIII. 15. Libellum *de proverbiis. De differentiis verborum. De dictionibus disyllabis.* Incip. *Dactyle conveniens digitis. De univocis et de aequivocis dictionibus.* Vide Lelandum cap. 121. Baleum II. 91. Carolum Visch p. 230. Pitseum p. 223. seq.

JOANNES *Sernogacii*, al. de *Spernegasse*, *Sterngasse*, vel vitiose etiam *Sterlingatius*, Teuto: Ord. Praed. circa A. 1390 cujus memorantur Commentarii *in Psalmos* et *Sapientiam*: *in IV. libros Sententiarum*, *Quaestiones in totam Philosophiam naturalem* et *in librum de bona fortuna*: *Sermones de tempore et de sanctis.* Vide Jacobum Quetif tom. 1 p. 700.

JOANNES *Setonus* Oxoniensis Philosophus Anglus qui a Pitseo pag. 881. *Aristotelis Metaphysicam* traditur illustrasse, *senior* appellatur, quoniam fuit et alius Jo. Setonus *junior* Cantabrigensis circa A. 1553. de quo ex Lelando Baleus IX. 58. et Pitseus pag. 750. laudantes ejus *Dialecticam*, et Carmina *de S. Eucharistia*, et *In coronationem Reginae Mariae, panegyricosque*, Papismi instaurationem gratulantes.

JOANNES *Severianus*, supra *Joannes Sarisberiensis.*

JOANNES *Severle* sive *Severlaeus* Anglus, utriusque Juris Professor Oxoniensis, cujus *Lecturas Ordinarias*, et *Lecturas Ordinarias*, et *Lecturam extraordinariam* memorat Baleus XII. 54. ex Baleo Pitseus pag. 881.

JOANNES *Sharpe*, *Sharpus* sive *Sharpaeus* Philosophus et Theologus Anglus, circa An. 1390. cujus se *Universalia et quaestiones super libros Physicorum Aristotelis* et *Determinationem de Sacramento Altaris* contra Wiclefistas vidisse se testatur Lelandus cap. 443. Laudat et Bzovius ad A. 1415. n. LVIII. Addit Baleus VI. 100. *Ordinarias lectiones*. *Quodlibeta diversa*, *in Quodlibeta* Scoti, *Abstractum* a Burley *sive Compendium* Burlaei *super Ethica*: Librum *de incarnatione Verbi*, *de potestate Sacerdotii. De orationibus Sanctorum*, *de suffragiis Viatorum. Questiones de anima De pluralitate Beneficiorum. De peregrinatione*, *de adoratione imaginum.* Apud Pitseum pag. 546. adjungi video *Declarationes nominum*, *Urbium et Civitatum quae*

habentur in sacris Bibliis. Abbreviationes inContonum (puto legi debere *Scotum*) *super quatuor libros Sententiarum.*

JOANNES *Siculus*, Astronomus qui in Tabulas Toletanas scripsit et in Canones Arzachnlis, MS. Venet. teste Tomasino p. 5.

JOANNES Aurispa, non Venetus ut Crucimanio visum pag. 450. Bibl. Gallicae sed *Siculus*, Sacerdos Netinus, Graece et Latine doctus, Poëta et Orator, atque apud Ferrarienses Duces et Papam Nicolaum V. gratiosus, Praeceptor Laurentii Vallae obiit Romae nonagenario propior An. 1459. Vide diarium eruditorum Italiae tom. XIII. pag. 262. et Antonium Mongitorem Bibl. Siculae tom. 1. pag. 322. Vertit Latine *Philisci Consolatoriam ad Ciceronem* in Macedonia exulantem, e Graeco Dionis Cassii lib. XXXVIII. Historiae Rom. pag. 70-78. Prodiit Paris. 1510. 8. *Hieroclis* commentarios in aurea carmina Pythagorae, ad Nicolaum V. editos Patavi 1474. 4. a) Rom. 1475. 4. Lugd. 12. et ex Udalrici Zasii JCti recensione, Basil. 1543. 8. *Luciani Dialogum de praecedentia Hannibalis, Alexandri et Scipionis* coram Minoë judice: ad Baptistam Senatorii Ordinis, Civem Romanum. MS. in Bibl. Gallis, Venetisque, etiam in Caesarea teste Lambecio tom. 2. pag. 934. Traditur etiam *Archimedis opera* transtulisse et *Homeri vitam*: et scripsisse *Epigrammata* atque insignes *Epistolas*. Plura in ejus laudem in Francisci Philelphi Epistolis, et in Epistolis Antonii Panormitae. Carmina ejus nescio quid Sicularum gerrarum habere Gyraldo visa sunt lib. 1. de poëtis sui temporis pag. 23.

JOANNEM *Signinum* sive *Signiensem* Episcopum, sine temporis nota Cangius inter scriptores suos referens Lectorem remittit ad Ughelli tomum 1. Italiae sacrae. In hoc de Signiensibus disseritur Episcopis, atque inter illos pag. 1235. seq. Joannes plures numerantur: unus qui Romanis Conciliis an. 721. et 743. interfuit, alter qui An. 869. subscripsit condemnationi Synodi Photianae An. 861. habitae: sed respicit tertium Joannem Signinum Episcopum, qui adhuc Diaconus scripsit *Vitam S. Berardi*, Episcopi Marsorum An. 1130. defuncti ad Joannem Furatum Presbyterum, editam ab eodem Ughelio pag. 893-901. Fuit et quartus Episcopus Signiensis Joannes qui Casinensibus Monachis reliquias S. Brunonis concessit circa A. 1173. et quintus ad quem Gregorii X. Epistolae circa A. 1270.

JOANNES *Simonetta* Calaber, Secretarius Ducalis scripsit, Jul. Caesarem imitatus, libros XXXI. *de rebus gestis Francisci Sfortiae* Ducis Mediolanensium ab A. 1421. ad 1466. quos disertissimos vocat Franciscus Philelphus in Epistola ad eum scripta An. 1479. sinceritatem ac fidem celebrat Jo. Matthaeus Toscanus in peplo Italiae lib. 1. n. XXIII. Vide Vossium pag. 625. Jovii elogia pag. 200 et Diarium eruditorum Italiae tom. X. pag. 289. Prodierunt Mediolani, editi ab Antonio Zarotto, 1479. atque inde ibid. 1486 et novissime tom XXI. thesauri rerum Italicarum Muratoriani. a) Mediolan. 1732. fol. Italica versio Christophori Landini, Florentini lucem vidit Mediolan. 1490. fol. Venet. 1544. et altera Seb. Fausti, a Longiano ibid. 1543. 8.

JOANNES *Sinthemius*, Congregationis S. Hieronymi Daventriae, praeceptor Erasmi, inter Grammaticos nomen aetate sua consecutus commentariis in *Doctrinale* ALEXANDRI de Villa Dei, de quo supra tom. 1 pag. 63. Commentarii illi prodiere Parisiis apud Badium Ascensium 1504. Vide Valerium Andream pag. 563

JOANNES Monachus *Sithivensis* sive *Sythiensis*, S. Bertini in Belgio qui ad fratres in Ecclesia Audomari sub Canonica professione degentes scripsit *Vitam S. Erkembodonis* Episcopi Ternanensis et Abbatis Sithuensis, defuncti A. 742. editam cum Henschenii notis in Actis Sanctorum tom. 2 April. pag. 93. sed. atque suspicatur Henschenius Joannem hunc non diversum esse a *Joanne Iperio* defuncto An. 1387. de quo supra in Joanne Bertiniano pag. 158. et in Joanne Iprensi pag. 373.

a) Lambecius tom. VII. pag. 133. Mich. Maittaire annal. typograph. pag 106. 113.

a) Acta Erud. 1733. p. 444. Journal des Sav. 1733. pag 369.

JOANNES *Smera Polovecius*, Bulgarus, Medicus Regis Kioviae Ulodomiri circa An. 980 ab eo missus CPolin, Latine quidem non scripsit, sed inter scriptores Ecclesiasticos locus ei datus est a Colomesio, Caveo aliisque propter *Epistolam* ejus ad dictum Regem datam Alexandria, qua in Graecorum mores et instituta, quae Rex susceperat, acerrime invehitur scriptam Bulgarica lingua, ex qua in Russicum et Polonicum idioma translata est, ex Polonico Latine versam a Benedicto Wissowatio, edidit Christoph. Sandiùs appendice ad Hist. Eccles. pag. 62-64. et ex eo Andreas Wengerschius sive qui sub eo latet nomine Adrianus Regenvolscius libro IV. hist. Eccles. Slavonicarum provinciarum pag. 500.

JOANNES *Smoritius,* Valerio Andreae pag. 563. et Vossio pag. 709. *Smoutius* Presbyter et Sacellanus Brugensis ad S. Donatianum, in Flandria, scripsit *de* ejusdem *Donatiani miraculis*, Episcopi Remensis, de quo Surius: et ad Usuardum JO. Molanus ac 14. Octobr. et Samarthani tom. 1. Galliae Christianae p. 476. Leyserus 1152.

JOANNES *Sommer, Semur, Somer, Summer*, Lelando *Somarius*, Anglus, Ord. Minor. in Coenobio Somersetensi circa An. 1390. De quo Lelandus cap. 516. Baleus VII. 8. Pitseus pag. 545. Astronomicarum rerum peritus ad Richardum II. Regem scripsit *Calendarii castigationes*, *Tertium Calendarii. Astrorum Canones*, *De quantitate anni*, *et De facultate metrica*, quod de metiendo potius et computando interpretor quam de poëtica, ut video accepisse Leyserum in historia poëseos medii aevi pag. 2052.

(172 *Libanii* Epistolas e Graeco vertit. Vide Zaccaria *St. Letteraria* X. 357. et Fabricii *Bibl. Graecam.*

JOANNES *Somereton* sive *Sommertonus* Anglus Ord. Praed. in Coenobio Norvicensi. Ejus nihil nisi *sermones per annum* laudant Baleus XII. 58. et ex Simlero Possevinus, Pitseus pag. 882. Altamura pag. 308. et Jacobus Quetif. tom 1. p. 728.

JOANNES *Sorethus* Normannus, Carmelitarum Prior generalis ac Reformator, defunctus Andegavis an. 1471. Vide Bergomensem ad an. 1483. Trithemium cap. 847. et Alegrium pag. 351. seq. Recensuit *Constitutiones, et Regulam* Ordinis sui an. 1455. commentario duplici illustravit, edito Paris. 1625. 4. Praterea scripsit *in IV. libros Sententiarum et Sermones.*

JOANNES Dominicus *Spazzarinus*, infra, SPAZZARINUS.

JOANNES Wischler, cognomento *de Spira*, natus an. 1383. Freinshemi in Palatinatu inferiori. Relicta patria in Austriam an. 1418 ad Monasterium Mellicense se contulit, in eoque circa an. 1430. Prior Ord. Bened. diem obiit circa an. 1456. De eo diligenter Bernardus Pez prolegomenis ad tom. 2 anecdotor. p. XXXIV. seq. et in praef. tomi quarti Bibl. Asceticae, in quo pag. 113-256. vulgavit ejus libellum *de studio lectionis regularis spiritualis*, *ejusque impedimentis*: sicut tom. 2 anecdotorum parte 2. pag. 567-608. tractatum *de esu carnium coenobitis infirmis Ord. Benedict. licito*, cum ipse hydrope laboraret. In laudatis prolegomenis Clariss. Pezius nonnullas refert ex ejus *Epistolis* et ex *lectionibus de perpetua Continentia et Castitate*, et ex *Informatione de infirmitate sua* ad Medicum suum, Magistrum Marcum de Cottuis, Bohemum. Memorat et *Interrogationes ac Praeceptiones* editas a P. Schrambio in Chronico Mellicensi p. 359. In Coenobii sui usus, ingentem Codicum multitudinem manu sua exarasse, nonnulla etiam ex Latinis vertisse Germanice, ut Fratris DAVIDIS de Augusta *de exterioris hominis compositione.* Subjungit deinde pag. XXXXV. seq. notitiam scriptorum ejus ineditorum, quae sunt: *Expositio Epistolae S. Pauli ad Romanos* a versu 6. Capitis VIII. ad Cap. XIII. v. 10. *In Regulae S. Benedicti* Prologum, et Cap. I. II. VII. XXXIII. XXXIV. LXVIII. cum variis tractatibus *de vitio proprietatis Monachorum* et *de communitate bonorum Monasterii*: et *de illicito esu carnium Monachis sanis et fortibus.* Tractatus Epistolaris, *num liceat Abbati non exemto absolvere suos Monachos ab excommunicatione majori, in casibus Papae non re-*

servatis, adversus JOANNEM *de Campidona*, Monachum Mariaecellensem. Ad monachum fugitivum *de vera Monastica humilitate ac in bono perseverantia. De necessitate boni exempli in Superiore, ac austeritatis in Ordinibus Monasticis: et Sermones* XIII. Omitto scripta Germanice, ut tractatus de Oratione, de divisionibus proprietatis Monachorum, et de tribus essentialibus punctis perfectionis status Monastici.

JOANNES *Stabulanus* ad S. Laurentium juxta muros urbis Leodicensis Monachus Benedictinus scripsit *Chronicon Leodiense* a S. Materno ad sua usque tempora: continuatum inde a JOANNE *Lossensi*, ejusdem Coenobii Monacho. Abbreviator horum Chronicorum adhuc ineditorum ad An. 1449. *Eodem anno in crastino Calixti* (14 Octobr.) *obiit in Monasterio S. Laurentii Nonnus Joannes de Stabulaus, monachus professus, qui multas Chronicas scripsit et compilavit, ex quibus juxta praecedentia excepta sunt.* Vide Valerium Andream pag. 481. Bibl. Belgicae. Chronicon Stabulani editum esse a Jo. Chapeavillio scribunt Sweertius, Vossius, Miraeus: sed in Chapeavillii tribus tomis gesta Pontificum Leodiensium complexis, qui lucem viderunt Leodii 1613. 3. frustra Stabulanum, Lossensemque quaesiveris.

JOANNES *Staffortus* Anglus, Ord. Minor. circa A. 1380. scripsit *Historiam Anglorum*, qua usus Joannes Rossus de quo supra. Vide Lelandum cap. 479. Baleum VI. 42. Pitseum pag. 523. Waddingum p. 226. etc. Alius JOANNES *Stafford*, ex Wellensi Episcopo Archiepiscopus Cantuariensis ab An. 1443. ad 1452. Vide Warthoni Angliam sacram tom 1 p. 122.

JOANNES *Stanberius* et *Stambrigius*, infra *Jo. Stenobrigus*.

JOANNES *Stella* sacerdos Venetus scripsit *librum Augustalem* de Imperatoribus Romanis usque ad Maximilianum I. Venet. 1503. et *de Vita ac moribus Pontificum Romanorum* usque ad annum 1503. dicatum Antonio Suriano, Patriarchae Aquileiensi et Rom. Ecclesiae S. Marci Presbytero Cardinali. Venet. 1507. et Basil. 1570. Locum de Silvestro Papa daemonem consulente exhibet Orthuinus Gratius p. 44. b. fasciculi rerum expetendarum fugiendarumque. Vita S. Gregorii M. ejus operibus praemittitur in edit. Basil. 1551. fol.

JOANNES *Stenobrigus* Anglus, Carmelita, Baleo *Stambery*, Theologus Oxoniensis et ex Bangorensi Episcopus Herefordensis apud Henricum VI. Regem gratiosus, defunctus An. 1474. Ejus scripta apud Lelandum c. 572. *Expositio in Symbolum Fidei. De praemio Christianis promisso. De vario S. Scripturae sensu. De casu et fortuna. De dote Ecclesiae. De vigore Decretorum. De sanctionibus Ecclesiasticis. Quaestiones Theologicae.* Longe plura addunt Baleus VIII. 34. et Pitseus pag. 665. cui ille *Joannes Stanberius* appellatur, *De vigore S. Scripturae. De praerogativa Ecclesiastica. De potestate Pontificia. De discrimine Jurisdictionum. Super Magistrum Sententiarum. De laboris universi praemio. Sermones* coram Rege, ad Clerum et ad Populum. *De regimine celebrantium. De quatuor minimis. Lecturas Oxonienses. De fato et fortuito. Commentarios et auctarium* RICHARDI *Ulerstoni. Indices* in scripta quaedam *S. Chrysostomi, Augustini, in Gregorii* M. homilias etc.

JOANNES *Stenobrigus*, *Stenoburgus*, aliis *Stanbrigius*, Anglus, Grammaticus circa an. 1510. Scripsit *Vocabularium* versibus hexametris, quorum initium: *Sinciput et vertex, caput, occiput. Parvulorum institutiones. De ordine constructionum et Vulgaria Stanbrigiana.* Vide Baleum XI. 88. et Pitseum pag. 689.

JOANNES *Stochus*, *Stoccus* sive *Stockesius* Anglus Dominicanus circa an. 1374. contra quem scripsit *Joannes Horneby* de quo supra pag. 243. Ipsius lucubrationes sunt *determinationum Volumen* pro Ordinis Praedicatorum dignitate adversus Fratres Carmelitas: *et Responsiones ad rationes F. Joannis Hornebii* seu *Cornuti*, Carmelitae Vide Jacobum Qvetif t. 1. pag. 674. Meminit et Lelandus cap. 277. Baleus VI. 49.

JOANNES *Stonus* sive *Stonaeus* Anglus,

Monachus Benedictinus apud Cantabrigienses circa an. 1467. Scripsit de obitibus et aliis memorabilibus Coenobii sui. Decreta quaedam. Speculativas Sanctorum Patrum sententias de Fide, Spe et Charitate. Vide Pitseum pag. 657. Vossium pag. 634.

JOANNES *Stowe* sive *Stovus* Anglus, Monachus Ord. Bened. Nordwicensis clarus circa an. 1440. Interfuit Concilio *Basileensi*, ejusque *acta*, teste Roberto Talboto conscripsit, ac praeterea *Disputationes solennes, et Collectiones* varias, in quibus etiam recitantur acta et scripta quaedam ADAMI *Estoni* Cardinalis. Vide Baleum XI. 44. et Pitseum pag. 628.

JOANNES *Stratfordus* ex Episcopo Wintoniensi Archiepiscopus Cantuariensis ab an. 1333. ad 1348. Vide H. Warthoni Angliam sacram tom. 1. pag. 118. Scripta ejus ex Thoma Walsinghamo et Gvilelmo Linwodo colligens Pitseus p. 460. praeter *controversias cum Rege* Eduardo III. memorat *Decreta synodalia* 1. de constitutionibus; 2. de judiciis, 3. de foro competenti, 4. de sequestratione possessionum, 5. de vita et honestate Clericorum, 6. de Clericis non residentibus, 7. de institutionibus, 8. de concessione praebendarum, 9. de locato et ducto, 10. de donationibus, 11. de testamentis, 12. de sepulturis, 13 de decimis, 14. de celebratione missarum, 15. de Ecclesiis aedificandis, 16. de immunitate Ecclesiae, 17. de clandestina desponsatione, 18 de purgatione Canonica, 19, de poenis, 20. de sententia excommunicationis, et 21. de verborum significationibus.

* Archiepiscopi huius Cantuariensis scripta plura legenda occurrunt apud Wilkins Concilior. Britanniae t. 2 Cum enim Regem Eduardum III. offendisset quod exactiones quasdam graviores clero imponenti restitisset: ideo scribenda illi fuit pro se apologia ad eumdem legenda ibid. p. 663. cui scripto praecedunt itidem literae Joannis eiusdem ad Episcopum Exoniensem mandantes ut regi graviorum illor. tributorum exactores coerceantur censuris. Datae sunt an. 1340. quibus literae eiusdem aliae *contra exactiones laicorum* subiunguntur. Succedunt *constitutiones* Joannis Stratford. in Conc. Cantuariensi editae an. 1341. quae in Spelmanni pariter collectione concilior. Anglicanorum leguntur: sed mendo Codicis MS. Wattero Rainold viginti annor. anachronismo tribuuntur cum in ipsis Concilii actis Simon Archiepiscopus Cantuariensis *praedecessor* illius, qui constitutiones illas dedit, scribatur. Id vero nonnisi Joanni nostro congruit. Ad eumdem an. 1341. leguntur excommunicationes latae contra nonnullos rer. sacrarum violatores in Ecclesia Cantuariensi. An. 1342 exhibentur *statuta* et *ordinationes Joannis Stratford pro bono regimine curiae suae Cantuariensis de arcubus vocatae editae ap. Lambethe 5. id. Maii.* Demum eodem An. 1342. assignantur constitutiones provinciales eiusdem Archiepiscopi editae in Conc. Provinciali Cantuariensi. Porro istae omnes Constitutiones multo diversae sunt ab iis, quas ex Pitseo Fabricius hic indicat.

JOANNES *Stringarius* Augustinianus qui an. 1434. Concilio Florentino interfuit, scripsit *in IV. libros Sententiarum*, neque quicquam ejus praeterea refertur a Philippo Elssio in encomiastico Augustiniano pag. 401.

JOANNES *Stukey* sive *Stucchejus* Anglus, Norvicensis, Ord. Bened. cujus *Lecturam Sententiarum, Commentarios Scripturae, et Sermones per annum*, memorant Baleus XII. 99. et Pitseus pag. 882.

JOANNES *Subdiaconus* Romanus, Sigeberto cap. 126. de S. E. teste transtulit de Graeco in Latinum *de vita et doctrina Patrum librum unum.* Is nempe sextus est ex illis decem ab Heriberto Rosweydo editis Antwerp. 1615. Lugd. 1619. et Antwerp. 1628. fol. De caeteris dixi t. IX. Bibl. Graecae pag. 28. seq. Joannem istum a Joanne Diacono, a quo vitam Gregori 1. scriptam dixi pag. 356. Sigebertus cap. 106. distinguit: Alii viri docti non improbabili conjectura habent pro illo qui deinde inter Episcopos Romanos Joannes III. an. 572. diem obiit. De eo supra pag. 331.

JOANNES *Sulmonensis*, Augustinianus scriptor Commentariorum *in Cantica Can-*

ticorum et in Apocalypsin, quae MSta Possevinus testatur fuisse Ferrariae in Bibliotheca S. Andreae ejusdem Ordinis.

JOANNES *Suttonus* sive *Suthodunus* Anglus, Carmelita circa an. 1473. cujus *Quodlibeta et Ordinarias Quaestiones* vidisse se testatur Lelandus cap. 805. Nec plura Baleus XII. 96. vel Pitseus pag. 664.

JOANNES *Swafhamus* Anglus, Carmelita, Episcopus a Gregorio XI. a) (qui an. 1378. obiit) creatus Bangorensis. Ejus librum contra Wiclefitas et alium sacrarum Concionum laudat Lelandus cap. 445. Eadem Baleus VII. 11. Pitseus ad an. 1394. pag. 559. et Alegrius pag. 321.

JOANNES Cagnazzo *sive* Cagnatius *Tabiensis*, a patria Tabia Liguriae oppido, Ord. Praed. Theologus Bononiensis defunctus an. 1521. scriptor *summae* casuum Conscientiae quae ab eo *Tabiena* dicitur, *et summae summarum*, ad Thomam de Vio, Cardinalem, Bonon. 1517. 4. 1520. 4. Venet 1569. 4. 1580. 4. 1602. 4. Vide Echardum de scriptoribus Dominicanis t. 2 p. 247.

JONNES *Tacesphalus* Anglus, Carmelita Norvicensis circa an. 1420. Scripsit teste Trithemio cap. 631. *In Apocalypsin Ioannis*, *ac super IV. libros Sententiarum et Sermones* de tempore ac de Sanctis. Nec alia Alegrius pag. 333. Idem hic est qui Lelando cap. 393. *Titelesalus*, Baleo IV. 83. *Tytleshale*, Pitseo pag. 480. *Titleshalus* qui eum omnes ad an. 1354. referunt. Lelandus praeterea testatur scripsisse *Determinationes*. Baleus addit *Praelectiones Bibliorum et in plures libros sacros Commentaria*. Pitseus denique *JOANNIS Didueshali Quaestiones de anima*, quem Didueshalum neutiquam a Titleshalo diversum existimo.

JOANNES *Tamajus de Salazar* hoc loco memorandus propter edita in Martyrologio Hispano varia vetera monumenta, quale est ex MS. Legendario Austuricensi ab eo prodita *vita S. Beati presbyteri* Vallis Cavae in Austuria Hispaniae an. 1298. quae exstat in Actis Sanctorum tom. 3 Febr. 19 pag. 146. 147. Recens caeteroqui Tamajus ipse, qui an. 1662. diem obiit. Martyrologium illud in lucem editum Lugd. 1651. ad 1659. fol. sex voluminibus, in quo operé nimium tribuisse commentitiis nulliusque fidei scriptoribus queritur Nic. Antonius t. 1 Bibl. Hispanae pag. 602. ubi etiam monet suppositum ab eo quod Madriti 1648. 4. cum notis edidit AULI HALI Burdigalensis, Poetae Toletani Carmen heoroicum *de adventu D. Iacobi in Hispanias*. Totum consutum ex Alvari Gomezii Talichristia, edita Compluti 1522. 4. quo CHristi triumphum religionisque Christianae mysteria carmine heroico libris XXV. celebravit. id. pag. 48.

JOANNES *de Tambaco*, sive *Tambacho* Teutonicus Ord. Praed. SS. Theologiae Professor apud Pragenses in Bohemia. Scripsit *Speculum patientiae* sive *libros XV. de consolatione Theologiae* qui ab eo consummati An. 1366. a) saepius viderunt lucem, primum sine loco et anno deinde Paris. 1509. Praeterea *librum de sensibilibus deliciis Paradisi*, et *Sermones* memorat Trithemius c. 644. de S. E. et de script. Germ. cap. 121. De aliis ejus scriptis supra in *Joonne e Cambico* pag. 349. *Regimen Ecclesiae* una cum libris de Consolatione MStum memorat Sanderus in Bibl. Belgica pag. 247.

JOANNES *Tarentinus* ab A. 1421. Archiepiscopus, et An. 1437. Cardinalis, Presbyter et An. 1443. Episcopus Praenestinus, defunctus a) An. 1449. Ejus Oratio pro Eugenio IV. habita in Synodo Basileensi exstat apud Bzovium ad An. 1432. §. 51-70 et in Conciliorum tomis sessione. 1. Synodi Basileensis.

JOANNES *Tartay* sive *Tartajus* Magister Oxoniensis, cujus *summulae Logicales* et *Quaestiones naturales* memorantur a Baleo XII. et Pitseo pag. 883.

JOANNES *Taulaugerus* Anglus Monachus Ord. Bened. Wigorniensis circa an. 1448. scriptor commentariorum in quatuor

a) Franciscus Godwin de praesulibus Angliae pag. 648.

a) Non 1386. ut Miraeus. Vide Tob. Eckardi Codices MSS. Quedlimb. pag. 52.

a) Vide Ughellum tom. 1 Italiae S. pag. 227. seq. et tom. 9. pag 14.

libros Sententiarum, quos memorat Lelandus cap. 556. Baleus XI. 50. et Pitseus pag. 640. apud quem vitiose *Talangernus.*

JOANNES *Taulerus* sive *Thaulerus* Germanus Ord Praed. Conventus Argentoratensis, defunctus Argent. A. 1361. a) *Theologus illuminatus*, cujus scriptis lectis Lutherus noster Epist. 23. fassus est *se neque in Latina neque in Germanica lingua vidisse Theologiam salubriorem et cum Evangelio consonantiorem.* Sed haec ipsa Lutheri, Melanchthonis aliorumque nostratium b) praeclara de Taulero sententia effecit c) ut Joanni Eckio aliisque adversariis Lutheri reprehendendus Taulerus et somniatoribus ac visionariis adscribendus videretur. Defensores tamen in ipsa Romana Ecclesia habuit Dionysium Carthusianum, Sixtum Senensem, Ludovicum Blosium, Possevinum, Labbeum, Bossuetum, Natalem Alex. aliosque, d) Laurentium Surium praecipue, Carthusianum clarissimum, qui pleraque ejus scripta ex Germanicis Latine versa edidit Coloniae 1548. fol. recusa Maceratae sine anno in 4. curante Bonifacio a Frazzinone, Provinciali Capucinorum. Colon. 1572. 1603. 1615. 4. Paris. 1623. 4. hoc ordine.

a) Non ut alii Coloniae 1355. nec A. 1379. ut Jacobus Quetif tom. 1. de scriptoribus Dominicanis pag. 678. Vide epitaphium apud Jo. Schilterum ad Chronicon Koenighofenii pag. 1119. et in Diario Theolog Unschuldige Nachrichten An. 1714. post pag. 572. et A. 1715. pag. 1114. Acta Erud. 1720. pag. 449.

b) Vide B. Varenii Apologiam Germanice editam pro Joanne Arndio p. 80. seq. 68. seq. Ahasveri Fritschii Pietatem Taulerianam. Matthiae Lauterbachii judicium de Tauleri revelationibus An. 1555. 8. Petri Glasseri, Dresdae 1583. Mich. Neandri Theologiam Bernhardi et Tauleri, Witeb. 1588. B. D. Jo. Diecmanni deutsche Schrifdten parte 2. p. 175. et Georg. Frid. Heupelii memoriam Jo. Tauleri instauratam Witteb. 1688. 4. §. XII.

c) Adrianus Baillet in judiciis eruditorum Gallice editis tom. 1 p. 212. *Parce que Taulere eut le malheur de plaire a Luther, et d' etre loué par sa bouche comme un Docteur veritablemeat illuminè d' enhaut, Echius et quelques autres Catholiques ont cru devoir en tirer de mauvaises consequences contre les ouvrages de cet auteur.* etc.

d) Vide Heupelium . X. Baelium in Lexico, nota C. Godfridi Arnoldi hist. haeresium XIV. 3. 11. p. 394. et hist. Theol. Mysticae p. 290. seq.

Historia et enarratio vitae sublimis ac conversionis Jo. Tauleri, in qua narrat se, qui magnus Doctor et Theologus sibi visus esset, a Laico quodam monitum quam frigide concionaretur, et illius secutum consilium, biennii spacio intra cellam suam assiduis jejuniis et precibus vacasse, atque in Spiritus S. schola eruditum tam fervidas et vivas conciones habere potuisse, ut se et auditores suos commoveret. a)

Sermones de Dominicis et festis Sanctorum per annum. Prodierunt iterum seorsim Lugd. 1558. 8. Venet. 1556. 8.

Divinae institutiones, ut per spirituales exercitationes virtutesque ad amabilem DEI unionem pertingatur. Ex variis Tauleri scriptis et meditationibus digestae. Seorsim etiam lucem viderunt Coloniae 1587. et Italice Serafino Razzi interprete Florent. 1568. 8. et Gallice saepius, praecipue Paris. 1665. 8. et Germanice, Medulla animae Von der Wollkommenheit aller Zugenden. Francof. 1672. 8. et Belgice.

Epistolae devotionem Divinumque amorem spirantes.

Vaticinia de plagis et calamitatibus nostri temporis.

Cantica spiritualia animae DEUM impendio amantis.

De novem rupibus, statibus, sive gradibus salutis ad proficiendum continue per veram sui abnegationem:

Speculum lucidissimum et exemplar Domini nostri JEsu Christi, subjuncta *brevi instructione.*

Convivium Magistri Aicardi a) sive *Eckardi* jucundum et pium.

Colloquium Theologi et Mendici.

Sermo seu exhortatio fidelis *de praeparatione ad mortem*, et *de diversis judiciis DEI super filios hominum.*

Quatuor notabiles praeparationes ad felicem mortem, et quomodo tempus deperditum recuperetur.

Alia notabilis *ad felicem mortem praeparatio.*

De decem coecitatibus et quatuordecim

a) Adde Martini Ruari Epistolas tom. 1. p. 10. seq. 12. 18. 25. 43. 62.

radicibus amoris Divini, et *de triplici exercitio, gaudiisque regni Coelestis.*

Separatim edita Colon. 1548. 8. eodem Surio interprete, *pia de Vita et passione CHristi exercitia*, a quibus Taulerus conversionem suam est exorsus, et una cum exercitiis Nicolai Eschii: 1607. 12 Prodiere etiam Lugd. 1572. forma minore, Argent. 1572. 12. Antw. 1565. 8. Colon. 1625. 1706. 12. et Italice interprete Alexandro Strozzi, Episcopo Volaterrano, Fir. Giunti 1561. 8 Venet. 1584. 12. et Berg. 1757. 12. et Gallice ex veteri editione, et Jacobo Talono, Oratorii Presbytero interprete, Paris. 1669. 12. et Germanice *Nachfolgung des armen Lebens Christi.* Francof. 1621. 1670. 12. 1703. 4. et Belgice.

Optandum esse ait Jacobus Quetif tom. 1 p. 679. *ut nova operum Tauleri, qualia ab ipso Germanice prodierunt, editio cuderetur, addita e regione, sincera versione Latina: sic enim quid Tauleri genuinum, quid a Surio insertum, agnosceretur.* Ecce tibi vero syllabum editionum *Germanicarum*, quas comperire potui, ac primum dialecto inferioris Saxoniae, quas rarius obvias notavit Petrus Poiret Epistola de Mysticis scriptoribus pag. 13. *uth Hoch-dudescher Tungen in Sassyssche Sprate gheruandelt.*

Halberstadii 1523. fol. Vita et Sermones.

Dialecto Franconica et superioris Saxoniae: Lipsiae 1498. in 4. Vita et Sermones. Augustae 1508. Basileae 1521. 1522. fol.

Scripta omnia ad ordinem editionis Surianae Hamb. 1621. fol. Francof. 1621. 4. 1681. 4. et cum praef. B. D. Philippi Jacobi Speneri, Norimb. 1688. 4. Francof. 1692. 4.

Erfurti et Lips. 1703. 4.

Scripta quaedam cum Christiani Hohburgii praefatione, Francof. 1644.

Italicam versionem a Caspare Scotto Placentino adornatam, editamque Placentiae 1568. memorat Celsus Rosinus in Lyceo Lateranensi pag. 367.

Editiones Operum Tauleri Amstelodamenses An. 1588. et 1647. fol. Godfridus Arnoldus memorat, quas non memini me videre, ut nequeam dicere Latinae ne illae sint an Belgicae.

De *Belgica* versione Petrus Poiret in laudata Epistola: *Les Flamans en ont fait de meme, mais la vielle edition Flamende de Francfort de 1565. est alterée, de meme aussi que celle que M. Serrarius publia a Hoorn il y a environ 40. ans, quoique d'ailleurs celle-ci contienne plux d'ouvrages de l'autheur qu'aucune des autres. La meilleure est celle d'Anvers 1685. il y manque pourtant ses Institutions, ses lettres, et ses exercices sur la Passion.*

Vita Tauleri edita Germanice, Luneb. 1689. 4.

Theologiae Germanicae, libelli insignis saepiusque Germanice, etiam cum Lutheri nostri praefatione, ac deinde ab aliis editi, in alias quoque linguas traslati auctorem Taulerum non esse constat, atque ostenderunt Jac. Thomasius in schediasmate historico pag. 63. et laudatus Heupelius in memoria Tauleri § IX. Fridericus Lindenbrogius Codici suo adscripserat nomem auctoris EBLENDUM Historicum.

JOANNES *Temporalis* supra *Joannes Mauburnus.*

JOANNES *de Teneramunda* Carthusiensis in domo Siligniaci in Sabaudia circa An. 1420. Scripsit *de notitia, amore et honore DEI. De fide Christina. De Sanctiss. Altaris Sacramento. De conceptione B. Virginis. De hominis natura, lapsu, reparatione lapsi et gaudio.* Vide Petrum Sutorem de Vita Carthusiana lib. 2. 590.

JOANNES *Teutonicus* Ord. Praed. auctor *summae Confessorum* a) *Joanninae* quae laudatur ab Antonio Florentino in Chron. tit. 23. cap. XI. §. 2. tom. 3 p. 681 est *Joannes Friburgensis*, de quo supra pag. 217. et Oudinus tom. 3 pag. 732. Alii duo Ioannes Dominicani, dicti ambo Teutonici: unus Bossinensis in Hungaria Episco-

a) Hic Aicardus Saxo, junior cujus etiam Epistola XXV. inter Taulerianas legitur, et de quo Jacobus Quetif tom. 1 p. 593. Godfridus Arnold histor. Theolog. Myst. p. 505. seq.

a) Prodiit Reutlingae 1487. et Lugd. 1518. MStam non modo summam hanc IV. constantem libris sed et summam eandem abbreviatam memorat Sanderus pag. 172.

pus de quo dixi pag. 167. et alter, de quo paullo ante, Joannes de Tambaco.

* Praeter summam indicatam ab hoc ipso authore prodiisse haec lego in adnotatione MS. adiecta codici MS. eiusdem summae, quem in Bibl. Malatestarum Caesenae offendi. Tabulam super summam Raymundi, et eius. apparatum, justificationem plurium quaestionum in ipsa summa et glossam ipsius (cuiusnam? Raymundi an suam Joannis?) Libellum specialem de quaestionibus casualibus.

JOANNES *Teuxburiensis* a patria Teuxbery sive Teukesbery pago ad Sabrinum fluvium in dioecesi Wigorniensi Pihilosophus Anglus circa An. 1350. Scripsit de alterationibus, de raritate et densitate, Suppositionum librum, et de elenchis sophismatum ac de chiromantia. Vide Baleum V. 86 et Pitseum pag. 478.

JOANNES *Thanatensis* a Patria Cantiorum insula Thaneta, Baleo V. 27. *Tanetos* Anglus, monachus Benedictinus et Ecclesiae Cantuariensis ad fanum Servatoris, praecentor, circa An. 1330. scripsisse traditur *de Officiis Cantuariensis Ecclesiae* et *de quorundam Sanctorum vitis*. Vide Pitseum pag. 423 seq. Vossium pag. 515.

JOANNES *Thaulerus* supra *Jo. Taulerus*.

JOANNES *Thoresby* sive *Thoresbejus*, Godwino *Thursby*, *Thursbaeus*, Anglus, ex Episcopo Menevensi Wigorniensis Episcopus et Cancellarius Angliae, denique ab An. 1352. Archiepiscopus Eboracensis defunctus An. 1373. Vide Roberti Gerii appendicem ad Caveum An. 1347. Scripsit Latine *processum contra Monachos mendicantes*. Alia Anglice, *Pastorale* sive *injunctiones ad Clericos* Provinciae Eboracensis, in quibus Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum et Decalogum luculenter explicavit teste H. Warthono qui MStum Codicem evolvit in Bibl. Lambethana, p. 430 ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis. *Pro docendis Laicis* scriptum, quod a priore diversum memorat Baleus VI. 75. (Pitseus p. 513. *doctrinae Christianae Catechismum* appellat) Godwinus de praesulibus Angliae parte 2. pag. 54. MStum se habere referens, *de vulgi institutione*, ait etiam in illo Dominicam Orationem, Decalogum et articulos Fidei exponi.

JOANNES *Thorpe* sive *Torpe* Anglus, Carmelita Norwicensis, defunctus A. 1440. Ejus scripta: *Lectura in Apocalypsin*, *Consequentiarum regulae*, *Sophismatum labyrinthi*. Vide Baleum VII. 100. Nec plura Pitseus pag. 627 seq.

JOANNES *de Thuroz*, infra *Jo. Turocius*.

JOANNES *Tiberinus* sive *Tiburtinus*, supra *Joannes Matthias* pag. 296.

JOANNES *Tilberius* seu *Tilleberiensis* Anglus, Theologus et Concionator Oxoniensis circa Annum 1190 a Pitseo p. 258. praeter *Conciones* traditur scripsisse *Historiam gentis Anglorum*. De GERVASIO Tilberiensi, Historico dixi supra t. 3. p. 52.

JOANNES *Tillonegus*, Baleo *Tylney*, Pitseo *Tilnaeus* Anglus Carmelita Nordvolciensis circa An. 1430. Scripsit *in Apocalypsin*, *Compendium Sententiarum*, *Lecturas Scholasticas et Conciones XLIV*. Vide Lelandum cap. 540. Baleum VII. 89. Pitseum p. 620.

JOANNES *Tinmouthensis*, sive *Tinnemuthensis*, Anglus Monachus ad S. Albanum Ord. Bened. circa An. 1360. Scripsit *Historiam auream*, tribus grandibus Voluminibus MS. Londini in Bibl. Lambethana, et *Sanctilogium Britanniae*, MS. cum supplemento in Bibl. Collegii Corporis CHristi apud Cantabrigienses et in Cottoniana. Proniorem ad fabulas notavit Guil. Nicholsonus in Bibl. scriptorum Angliae p. 98. Ex eo ut multa alia ita *Vitam S. Paterni*, Venetensis in Britannia Armorica circa An. 560. Episcopi desumsit in Legenda sua Jo. Capgravius, et ex Capgravio Henschenius additis notis, in Actis Sanctor. tom. 2 April. 15. p. 379-382. *S. Bregwini* Archiepiscopi Cantuariensis An. 762. defuncti vitam in eodem Sanctilogio reperit, atque ex Eadmero decerptam notat H. Warthonus praef. ad tom. 2 Angliae S. p. x. et xiv. Ea ipsa est quam fatetur se conjectura incerta ductum t. 2 p. 75-77. sub OSBERNI nomine vulgavisse.

JOANNES *Tipetotus*, Anglus nobilis, sub Eduardo IV. cujus partibus visus adversari, securi percussus An. 1471. In ejus laudibus multus est Lelandus cap.

586. praecipue eloquentiam ejus praedicans quam in *Oratione ad Pium II.* Papam demonstravit. Alias quoque ejus *Orationes ad Purpuratos Patres* et *ad Patavienses* Baleus VIII. 46. memorat, sicut *Epistolas* quoque, et Anglice ab eo versa Ciceronis Catonem ac Laelium nec non P. Cornelii et Caji Flaminii Orationes de vera Nobilitate. Eadem narrat Pitseus p. 664.

JOANNES *Tissinghtonus,* Lelando c. 455. *Tissendunus*, Anglus, Ord. Minor. Theologus Oxon. defunctus An. 1395. Scripsit *contra confessionem Wiclefi*, *scutum pro Eucharistiae defensione* et *pro Confessione auriculari*, *de Sacramentis*, *certamina scholastica.* Vide Baleum VII. 13. Pitseum p. 560. Bzovium ad A. 1415 n. 58. p. 489.

JOANNES *Titleshalus*, Lelando c. 393. *Titelesaulus*, supra p. 431. Tacesphalus.

JOANNES *Tompson* sive *Tomsonus*, Lelando *Thomaesonus* idem quem ex Trithemio supra pag. 349. *Joannem Campsenum* appellavi, Anglus, Carmelita circa An. 1340. scripsit praeter *Sermones* ad Clerum, de tempore, de Sanctis et Quadragesimale, teste Lelando cap. 465. *Moralia S. Scripturae*, Commentarios *in Ecclesiasticum* et *in Evangelium Joannis. In IV. libros Sententiarum. In Mythologias Fulgentii* (ex Joanne Riedevallo de quo supra p. 409.) His Baleus VI. 66. adjungit: Ex Nic. Trivetho de transformatis, sive *in transformationes Ovidii. De mirabilibus Mundi. Abbreviationes Doctorum.* Eadem Pitseus pag. 526.

JOANNES *Torpe,* supra p. 434. *Thorpe.*

JOANNES *Tortellius* Aretinus, Caroli Aretini (de quo supra tom. 1 pag. 326.) non frater a) sed conterraneus, litterarum Graecarum addiscendarum causa profectus in Graeciam, hinc Archipresbyter Aretinus, postea cum An. 1445. Romam se contulisset, in aula Eugenii IV. primum, deinde apud Nicolaum V. gratiosus, diem obiit Anno 1466. Huic Tortellio sex libros elegantiarum et librum de reciprocatione *sui* et *suus* dicavit Laurentius Valla: ipse scripsit Commentarios Grammaticos *de potestate literarum et de orthographia dictionum e Graecis tractatum*, editos Rom. 1471. Vincentiae 1479. Venetiis 1495. Non aliud Tortelli opus esse *Lexicon* quod ab Hieronymo Magio II. 14. Miscellan. tom. 2 thesauri Critici Gruteriani pag. 1339. memoratur, ac contra Galeotum Marcium defenditur, bene monuit Baelium Bernardus Moneta: pars enim posterior prolixiorque operis, ordine alphabetico digesta vocum origines et orthographiam explicat, sicuti prior ac brevior disputat de literarum inventione, numero, figura, pronunciatione et compositione. *Vita S. Athanasii* praefixa legitur opusculis Athanasianis editis Paris. 1520. apud Jo. Parvum: et in vitis Sanctorum Aloysii Lipomanni tom. III atque in hagiologio Georgii Wicelii, Mogunt. 1541. fol. *Vitam Zenobii* Episcopi Florentini scriptam circa A. 1438. edidit Surius 25. Maji, in Actis Sanctorum illa omissa est, quae si placet vide tom. VI. Maji pag. 57. Versio *Appiani* Historici quam laudant Bergomensis in Chron. ad An. 1449. Trithemius c. 751. et Jo. Matthaeus Toscanus in peplo Italiae lib. 1. cap. 12. lucem nunquam vidit, uti nec ***liber de Medicina et Medicis*** ad Simonem Romanum Medicum, de quo Diarium eruditorum Italiae tom. XI pag. 312. neque *Epistolae* memoratae eidem Trithemio, nec *Dialectica.*

* In MS. Cod. Laurentiano n. XXVI. ap. Montfaucon Bibliotheca MSS. p. 282. extat Jo. Chrysostomi homilia in Ps. *Miserere mei Deus* interprete Jo. Tortellio Aretino ad excellentiss. virum Cosmum Medicem. An. libri de Orthographia editio prior Romae an. 1471 adornata sit, ignoro; mihi sane olim obvia fuit Caesenae in Bibliotheca Malatestarum editio eius operis Veneta in membrana excusa an. cod. 1471. per Nic. Jenson.

JOANNES *Trevisa* Cornubiensis Anglus circa A. 1342. Sacerdos et vicarius, apud Dominum suum Thomam de Barkeley gratiosus circa An. 1399. nescio an multa Latine scripserit, certe aliqua, longe plu-

a) Vide Baelii Lex. in *Aretin,* et Diarium erudítor. Italiae t. XI p. 305. ubi Vossii et Tomasini error notatur.

ra autem ex Latino vertit in linguam Anglicanam, ut *Polychronicon* Ranulphi HIGDENI, quod usque ad A. 1397. continuavit, adjuncto etiam de translatione illa Dialogo. Tum Anglice vertit *sacra Biblia* Veteris et Novi Test. absolvitque illam interpretationem An. 1357. Vide de illa Jacobi Longi Bibliothecam sacram p. 315. edit. Lips. Vertit praeterea BARTHOLOMÆUM *De Glanvilla* (de quo supra tom. 1 pag. 167.) *de proprietatibus rerum*. Caetera ipsius scripta a Baleo VII. 18. et Pitseo p. 567. memorata sunt: Gesta Regis Arthuri. Descriptio Britanniae, Hiberniae descriptio et de memorabilibus temporum.

JOANNES *Triclous*, patria lingua *de Trikelove*, Anglus, cujus *Chronica de rebus Anglicis* memorat Pitseus pag. 883. *Annales Eduardi II.* innuens, quos cum Henrici Blancfordi Chronico edendos jam An. 1729. in se suscepit V. C. Thomas Hearne. Praefuit Eduardus II. Rex ab A. 1308 ad 1326.

Non indictus mihi inter tot Joannes praetereundus est JOANNES TRITHEMIUS, cui mecum tam multa debent et debebunt, quotquot Historiam litterariam post eum tractare vel aggredientur vel aggressi sunt. Ille nobis Gesnerum dedit, cujus Bibliothecae, liber Trithemii de Scriptoribus Ecclesiasticis totus insertus, primas lineas duxisse merito est existimandus. Ejus Viri tot sunt etiam in Historiam Civilem et Ecclesiasticam, Germaniae praesertim nostrae merita, ut grati hoc eum animi officium praestare velim libenter, scriptorumque ejus notitiam plenius atque accuratius tradere. Nomen ei a villa *Trittenheim*, Trevirensis dioecesis ad Mosellam fluvium, in qua, patre Joanne de Monte (Eidenberg sive Heidenberg) natus fuit An. 1462. Cal. Febr. Inde Monachus Ord. Bened. et mox A. 1483. Abbas S. Martini Spanhemensis, dioecesis Moguntinae, denique postremis decem annis Abbas S. Jacobi apud Herbipolim diem obiit An. 1516. De vita et actis ejus, Chronicon Spanhemense ad An. 1483, p. 394. et ad annos sequentes XXIII. Vir eximiae staturae et valde humanus dicitur a Melchiore Adami in Vita Conr. Pellicani. in scrutandis priscis scriptoribus diligentissimum merito vocat Labbeus tom. 1. de S. E. pag. 223. Iconem ejus descriptam aere, et elogium exhibet Laurentius Crassus t. 2, pag. 18. ne referam quae in ejus laudem congessere Bzovius ad An. 1483. n. 22. Arnoldus Wion tom. 2. ligni Vitae p. 784. Thomas Pope Blount in Censura scriptorum pag. 503. Hieron. Ghilinus tom. 1. theatri virorum eruditor. pag. 91. Henricus Warthonus ad Caveum de S. E. aliique. A Magiae crimine, quod ei Bovillus, Wierus, Bodinus et Adam Tannerus impingere sunt visi, facile eum defendunt quae Gabriel Naudaeus in apologia pro viris doctis Magiae accusatis monuit, et quae ipse pro se in *nepiacho* pag. 1820 et in *vindicatione adversus Car. Bovillum*, in anthologia Epistolica clarissimi Viri Jo. Christophori Coleri pag. 41 seq. Lipsiae 1725, 8. Circa antiquiora tempora sane honor apud Trithemium quoque pro captu illius aetatis non raro est fabulis, unde acrior censura C. S. Schurzfleischii Epist. 95 et 212. *Uno omnes calopodio calceare*, hoc est iisdem aequare laudibus quos laudat, video moneri in eponymologico critico Tobiae Magiri, poteratque addi semper laudare Trithemium libenter, et commendare studium scriptorum quos refert: id quod longe mihi videtur aequius et praestare ignavo ingratoque silentio, vel acerbis et inhumanis indignisque aliorum censuris atque invectivis in eos qui pro virili sua conati sunt aliquid conferre in communes usus lectorum, et prodesse aliis sine cujusquam injuria. Corrumpendo nomine, quoties de Britannis scriptoribus mentionem facit, toties fere peccare arguitur a Lelando cap. 340. quo Viro nescio an quisquam frequentior est in transformandis locorum hominumque nominibus. An. 1505 ad Joannem Nutium lib. 1. Epist. 32. Trithemius: *Amplius quam duo millia voluminum* (cum vix XLVI reperisset) Latinorum, Graecorum, Hebraicorum; Vide Chronicon Sphanhemense pag. 395. 416. *non vulgarium nec impressorum tantum, sed rarissimorum, ut scis et manifestum est, atque scriptorum calamo cum maxi-*

ma diligentia et gravissimis impensis in Bibliothecam Spanhemensem comportavi, quibus legendis et studiosissime per annos ferme XXIII. revolvendis, quid profecerim, hoc tempus expostulat declarandum. Adde quae in nepiacho pag. 1828.

Scriptorum Trithemii elenchus datus est a multis, ut a Gesnero ejusque continuatoribus et a Possevino qui et *Joannis Duraclusii* et Arnoldi Wion catalogos adjunxit: nec indiligenter a Labbeo et ab H. Warthono ad Caveum. Cum autem Trithemius ipse eorum catalogum texuerit in libro de scriptoribus Ecclesiasticis capite ultimo, et in Catalogo scriptorum illustrium Germaniae cap. 304. nec non in libro quarto de illustribus Benedictinis: ampliorem etiam ad calcem Annalium Hirsaugiensium An. 1698. in lucem productorum e Bibl. Sangallensi, t. 2 p. 692. seq. et in Epistola ad Rogerium Sicambrium scripta A. 1507. lib. 2. Epist. 51. ac denique in *nepiacho* a) sive libello de studiis et scriptis suis a pueritia repetitis, quem edidit V. C. Joannes Georgius Eccardus tom. 2 Corporis scriptorum medii aevi p. 1825. 1844. Ex his, quemadmodum ex collatis editionibus plerisque ipsis operum Trithemii: ecce hic mihi prodiit Syllabus, editorum primum, deinde etiam ineditorum.

EDITA.

Opera historica *Marquardo Frehero* curante, Francof. 1601. fol.

Prima Parte continentur.

Chronologia Mystica de secundeis, sive Intelligentiis orbes post Deum moventibus, ad Maximilanum, Romanorum Imp. Aug. prodierat An. 1545 et Colon. 1565, 8. et cum libris Polygraphiae Argentor. 1600, 8.

Compendium, sive, *Breviarium primi Voluminis Chronicorum de Origine gentis et Regum Francorum per annos 1189. a Marcomiro usque ad Pipinum Regem*, ad Laurentium Episcop. Wirtzpurgensem, Orientalis Franciae Ducem. Verum ut recte Labbeus, haec ferme omnia falsa, et ex mendacibus nugis Scriptorum nullius bonae frugis collecta Vide supra in HUNIBALDO tom. 3, pag. 285. ubi de editione Simonis Schardii, nec non infra in WASTALDO. Prodierat primum Mogunt. 1515. fol. adde Jac. Longi Bibl. historicorum Galliae num. 6448.

De origine gentis Francorum, ex ὑποβολιμαίῳ HUNIBALDO decerptum: in quo etiam Praesulum Wirtzburgensium enumeratio prodierat Paris. apud Wechel. 1539 fol. atque iterum exstat in Jo. Petr. Ludewig scriptoribus Wirtzburgensibus pag. 1011-1046. Halae Sax. 1713. fol. Vide B. Hubneri nostri Biblioth. historicam Hamburgensem tom. 2, pag. 301.

Cronicon successionis Ducum Bavariae et Comitum Palatinorum, usque ad An. 1475. ad Philippum Palatinum Comitem, Principem Electorem. Lucem viderat Francofurti 1544. 1549. 4. Exstat etiam Germanica versio Philippi Ernesti Voegelini Frf. 1616, 4.

De luminaribus Germaniae, sive, *Catalogus illustrium virorum Germaniam suis ingeniis et lucubrationibus omnifariam exornantium*, ad Jacobum Wimphelingum Slestadium Theologum, cum ejusdem prosthesi, sive additamento, ex edit. Mogunt. 1495.

Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum, ad Jo. Dalbergium, Episcop. Wormatiensem, An. 1494. scriptus, eodemque excusus Moguntiae 4, apud Petrum Fridbertum Basil. 1494. fol. deinde Parisiis anno 1512, 4. apud Bertoldum Reubolt et Jo. Paruum, cum quibusdam Scriptoribus ad calcem editi ab Anonymo, ac postea cum accessione longe uberiori studio a) *Balthasaris Werlini* Dominicani Colmariensis, annis 1531, 4. et 1546, 4. Coloniae ex officina Petri Quentel. Ad editionem An. 1531. notae Latini Latinii in ejus Bibl. sacro profana pag. 77-82. Quae vero in posteriore illa Coloniensi editione textui inserta sunt, facile discernuntur apposito †

a) Diversus ne ille ab itinerario Vitae suae, quod duobus libris scriptum a Trithemio, Labbeus notat in Bibl. Bibliothecarum?

a) Vide Jacob. Echardum tom. 2 p. 126.

signo. De Joannis Busaei editione Moguntinensi 1602 et 1606 cum appendice, mentio in Bibl. Jesuitica. Atque, ut Labbeo observatum, *Freherus* in collectione sua videtur sequutus duntaxat editionem Parisiensem, non autem Coloniensem vel Busaei: Freherianam secutus ego in Bibl. Ecclesiastica, Hamb. 1718, fol. additis capitum numeris et notulis quibusdam adspersis. De autographo Trithemii, quod venit ad illustrem *Boineburgium*, ac deinde in Bibl. Erfurtensem, vide Frid. Jac. Beyschlagii syllogen pag. 917. De *Gesneri* Bibliotheca cui hic Catalogus totus insertus est, jam supra dicere memini.

In secunda Parte continentur:

Chronicon Coenobii Hirsaugiensis, dioecesis Spirensis, ab anno Christi Domini 830. usque ad annum 1370. emendatum et auctum collatione M. S. archetypi ipsius auctoris, post edit. Basil. 1559. fol. Illos vero Annales postea copiose auxit Trithemius anno 1214. ex quibus non modo historiam belli Bavarici a Ruperto Philippi Palatini F. cum Alberto IV. Bavariae Duce an. 1504. gesti Freherus publicavit tom. 5. scriptorum rerum Germanicar. pag. 97 (113.) *et vitam Friderici Comitis Palatini*, Victoriosi dicti, usque ad an. 1477. quo obiit. Francof. 1602. 4. sed typis Monasterii S. Galli an. 1690. fol. etiam Annales prodiere integri, secundo tomo ab an. 830. producti usque ad an. 1513. hoc titulo: *Annalium Hirsaugiensium tomi II. complectentes historiam Franciae et Germaniae, Gesta Imperatorum, Regum, Principum, Episcoporum, Abbatum et illustrium virorum.* Vide Jo. Georg. Schelhornii amoenitates literar. tom. 7. pag. 123. seq. Acta Erud. tom. 2. supplementi pag. 83: seq. et B. Jo. Hubneri nostri Bibliothecam Hist. Hamb. tom. 2 pag. 308 seq.

Chronicon Monasterii Spanheimensis S. Martino Episcopo consecrati in dioecesi Moguntina, ab anno Christi 1124. usque ad an. 1511. a Frehero primum e tenebris erutum, et in lucem editum, cum nescio cujus continuatione ad an. 1526.

Epistolae Trithemii familiares, a) ab excessu ejus Spanheimensi Monasterio, ad Principes, Clarosque Viros scriptae, atque historiis ejus aevi refertae. Liber primus Epistolas continet 79. secundus tantum 61. Prodierant Haganoae 1536. 4. Epistolam ad Petrum, Abbatem Monasterii Amorbach, quae in his desideratur, edidit Lambecius t. 3. p 342. Longe plures non modo scripserat Trithemius sed etiam collegerat, qui ipse Epistolarum in Spamheim scriptarum libros IV. et in Abbatia Herbipolensi libros VI. memorat t. 2 Chron. Hirsaug. p. 693.

Opuscula Pia ejusdem Trithemii

Joannes Busaeus Belga Soc. JEsu Theologus, spiritualia Trithemij opera, quotquot reperiri potuerunt, uno inclusit volumine anno 1604. Moguntiae fol. apud Joannem Albinum, hoc ordine:

Chronicon Monasterii S. Jacobi Majoris in suburbio Herbipolitano, ex codice manu ipsius Trithemii an. 1509. exarato, et per alium ad an. 1585. continuato, tunc primum editum, et postea in Joannis Petri Ludewig scriptoribus Wirtzburgensibus recusum pag. 993-1004.

De Viris Illustribus Ordinis sancti Benedicti libri quator. Prodierant Coloniae impressi in quarto apud Gervinum Calevium anno 1575. cum Regula S. Benedicti atque in eam expositionibus Joannis de Turrecremata, et Smaragdi Abbatis: Regulaque SS. Augustini et Francisci.

Cammentariorum in Regulam S. Benedicti liber. I. Valencenis 1607. nam II. et III. desideratur.

Sermonum, vel Exhortationum ad Monachos libri duo. Argent. 1486. fol. et apud Jo. Knoblouch 1516. fol. Vide Jo. Georgii Schelhornii amoenitates literar. t. 7. pag. 282. seq. Antwerp. 1574. 8 Mediolan. 1644. 4 Habebat Labbeus prae manibus excusos eosdem in quarto Florentiae anno 1577. in Officina Georgii Marescotti cum libro Penthico. Belgice MSS. an. 1559. exstant inter Codices Is. Vossii in Bibl. Leidensi.

De triplici regione Claustralium libri III. de Monachis incipientibus, proficientibus et perfectis

Modus et forma quotidiani spiritualis exercitii Monachorum.

a) Vide Rich. Simonis Epistolas selectas Gallice editas tom. 4 p. 131. seq.

Compendium spiritualis exercitii

De Religiosorum sive claustralium tentationibus libri duo, ad instantiam B. Damii Curtensii *Agrippanis, tunc, servitoris sui.*

De vitio proprietatis Monachorum, liber unus, ex veteri edit. 8.

De laude Scriptorum manualium, ad Gerlacum, Abbatem Tuitiensem.

De vitae Sacerdotalis institutione.

De vanitate et miseria ac brevitate humane vitae.

Liber Penthicus, seu lugubris, de statu et ruina Ordinis S. Benedicti, ad Blasium Hirsaugiensem. Florent. 1577. 4. cum sermonibus, de quibus supra.

Orationes in annuo Abbatum Burffeldensis Congregationis conventu habitae.

Epistolarum ad familiares liber unus.

De visitatione Monachorum, liber unus.

Modus et forma celebrandi Capitulum Provinciale in Provincia Moguntina.

Constitutiones Provincialium Capitulorum per provinciam Moguntinam, et dioecesim Bambergensem celebratorum.

De miraculis B. Mariae Virginis in Ecclesia nova prope Dittelbach, Franciae Orientalis oppidum, factis libri duo:

De miraculis in Urticeto juxta Heilbrunnam Wirtzburgensis dioecesis oppidum, ad invocationem Beatiss. Virg. Mariae factis libri tres.

In Paralipomenis an. 1605. in eadem urbe Moguntina excusis in octavo studio ejusdem *Joannis Busaei*, recusisque Colon. 1624. 8.

Post Petri Blesensis quaedam opuscula, et ante Hincmari Epistolas duas ejusdem Joannis Trithemii, repraesentantur:

I. Antipalus maleficiorum, quatuor libris comprehensus, ad Joachimum Marchionem Brandenburg. ex edit. Ingolstad. 1555. 4.

II. *Curiositas Regia* sive *Liber octo Quaestionum*, duas illi dissolvendas proposuit Maximilianus I. Caesar an. 1508. Prodierat Oppenheimi 1515. 4. Frf. 1610. 8. Duaci 1621. 3. 1) *de Fide et intellectu.* 2) *de Fide necessaria ad Salutem.* 3) *de Miraculis infidelium.* 4) *de Scriptura sacra.* 5) *de reprobis ac maleficis, ubi de variis Daemonum generibus.* 7) *de permissione Divina et* 8) *de providentia DEI.* Ex his quaestio quinta et sexta recusae etiam Ingolstad. 1616. 4. cum Vindiciis Steganographiae de quibus infra. *De providentia DEI*, separatim Altdorf, 1411. 8. *De reprobis et maleficis* in Malleo maleficarum etc.

III. *De laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum, sive de ortu ejus atque progressu liber primus*, secundus enim Catalogum Virorum Illustrium ejusdem Ordinis repraesentat. Lucem viderat uterque Florentiae 1593. 4. cum Petri Lucii notis: et sine illis inter Jo. Baptistae Mantuani Opp. tom. IV pag. 250. seq. Antwerp. 1570. 8. Primus liber exstat etiam editus Colon. 1614. 8. et in Alegrii Paradiso Carmelitici decoris pag. 657. Prodiere etiam Lugd. 1639. Colon. 1643. 8. cum Auberti Miraei et Joannis Carthagenae scriptis ejusdem argumenti.

IV. *De laudibus S. Annae, Matris B. Mariae Virginis*, liber divisus in capita XVI. ad Rumoldum Laupach. Priorem Carmelitarum Francofortensium, cum *Jodoci* BEISSELII, Patricii Aquensis *Rosario de S. Anna*, et variorum Auctorum Carminibus de ejusdem S. Annae laudibus ex edit. Lipsiensi apud Melchiorem Lotterum 1494. 4. et addita *Legenda S. Annae* 1512. 4.

V. *Cursus* septem *Horarum* Canonicarum *Officiique Divini, pro festo S. Annae, et S. Joachim* Deinde variae Orationes et Sequentiae in honorem CHristi et Sanctorum, Hildegardis, Ruperti Ducis Bingionum etc.

VI *Catalogus Graecorum Codicum in Bibliotheca Trithemiana Spanheimensi.*

Praeter enumerata opera a Frehero ac Busaeo edita, extant ejusdem quoque Trithemii lucubrationes aliae typis commissae.

Vita S. Rabani Mauri libris III. ad Albertum Archiep. Moguntinum, cum Bollandi notis in Actis Sanctor. tom. 1 Febr. 4. pag. 522-538.

Vitam S. Maximini Archiepis. Trevirensis, quam memorant Labbeus et Warthonus legi apud Laur. Surium 16. Novembr. non reperio. Exstat vero *Vita S Maximi* Moguntini Episcopi apud eundem Surium

18. Nov. De Maximino illo, infra, LUPUS

Polygraphiae libri sex, ad Maximilianum Caesarem, cum clave sive enucleatorio, in quibus plures scribendi modos aperit, et libro sexto alphabeta Francorum veterum, Germanorum, Normannorum etc. excusi sunt in parvo folio An. 1518. a Joanne Haselbergo de Aia a) dioecesis Constantiensis, qui etiam excudit Clavem expositionis ejusdem Polygraphiae. Vide Gesneri Bibl. pag. 459. Cum Adolphi a Glauburg. explicationibus. Colon. 1564. 1571. 8. Deinde cum libello *de septem Secundeis sive Intelligentiis, Spiritibus Orbes post DEUM moventibus* ad Maximilianum, cum praefat. Georgii Pflueggeri, Germani. Argentorat. 1600. 8. Libellus iste prodierat Ao. 1545. et Colon. 1567. 8. atque inter opera a Frehero edita in tomi primi statim limine: et Germanice Norimb. 1522. 4.

Steganographia, sive de ratione occulte scribendi: in gratiam Joachimi Electoris Brandenburgici. Adversus illam et pro illa multi hactenus scripserunt, aliis Magiae prohibitae nomine damnantibus et flammae addicentibus, Vide laudati Schelhornii amoenitates tom. 7. pag. 125. et F. I. Beyschlagii syllogen p. 915. aliis benignius interpretantibus. et ab omni labe mala purgantibus. Non universi octo sed. *tres libri* tantum cum *clave* per Trithemium addita, et Philippo Bavariae Duci inscripta lucem viderunt Francof. 1606. 4. Darmstad. 1621. 4. *Sigismondi* Abbatis Monasterii Seon in Bavaria, Trithemius sui ipsius vindex. Ingolstad. 1616. 4. *Jo. Caramuelis a Lobkowitz* vindiciae, Colon. 1635. 4. *Gustavi Seleni* sive Serenissimi Brunsvicensium Ducis *Augusti* enodatio, Luneburg. 1624. fol. *Gasparis Schotti* schola steganographica Norimb. 1666. 4. *Wolfg. Ernesti Heidel*, Wormatiensis Steganographia Trithemii vindicata, reserata et illustrata. Mogunt. 1646. 4. etc.

Veterum sophorum sigilla et imaginationes Magicae e Trithemii MSto erutae 1612. 8.

Philosophia Naturalis ed Geomantia, Argent. 1509. 8.

a) De Angia.

Tractatus Chymicus, 1611. 8. tomo quarto theatri Chymici et 1595. 8. cum Georgii Riplaei axiomatibus Philosoph. etc Idem liber XVIII. constans capitibus Germanice inter libros Is. Vossii MS. in Bibl. Leidensi.

Liber *de veneficis*, Germanice Ingolstad. 1555. 4. Vide supra

INEDITA Trithemii quae ipse commemorat, haec. sunt:

Summa de vitiis et virtutibus ex dictis Sanctorum Patrum, libris II.

Statuta annalia Capituli, et de modo celebrandi annale Capitulum.

De computo Ecclesiastico.

Libri posteriores commentariorum in Regulam S. Benedicti.

Posteriores libri Steganographiae, et aliud quod ipse vocat opus mirabile et laboriosum γλωττευφορια sive *Linguae fertilitas*, cujus adminiculo homo Latinae Linguae penitus ignarus, modo litteras formare sciat, in una hora cum Deo et bona conscientia discet unum occultum modum quo Latine congrue et ornate poterit scribere, quicquid voluerit, in quocunque negotio Mundi. Hoc, inquit, *opus adhuc nulli communicavi, nisi Maximiliano Regi, Eurypono*, et *adelpho* sive fratri Jacobo Trithemio.

De certis quaestionibus Graecis in Evangelio Joannis, vitio scriptorum depravatis ad Udalricum Kreidwyss de Eslingen, D. Theol. et Canonicum majoris Ecclesiae Coloniensis. Incip. *Crebris amicorum precibus pulsor.*

De quibusdam Psalterii dubiis, ad eundem.

Liber quaestionum solutarum, ad Rutgerum Sicambrum.

De institutione Virginitatis. De continentia viduali. De institutione vitae conjugalis.

De Crucibus quae in lineis vestibus hominum nostro apparuerunt tempore in diversis locis, ad Bertoldum Archiepiscopum Moguntinum.

De miseria Praelatorum Claustralium ad Macarium Abbatem Limburgensem.

Orationes in Capitulis Ordinis Provincialibus et annalibus, aliisque in locis recitatae, inter quas una prolixior in Rei-

nartzbon habita *de duodecim excidiis sanctae Religionis.*

Laudes quorundam Sanctorum.

De laudibus divi Joseph, liber in XX. distinctus capitula, ad Christoph. Frid. de Reddwiz, Bambergensis Ecclesiae Canonicum, et *Orationes supplicatoriae tres, Officium Missae* et *Sequentia* in eundem.

Contra Simoniam, et peculium quarundam Monialium, ad Burckardum de Horneck, Medicinae Doctorem.

Vita S. Irminae Virginis, Dagoberti Regis filiae, primae Abbatissae in Horreo Trevirensi.

Laudes S. Andreae Apostoli, S. Benedicti Abbatis, vitae Monasticae, verae patientiae.

Laudes et utilitates studii et lectionis Scripturae S.

Monologion hominis devoti ad animam suam.

Naturalium quaestionum ad Joachimum Marchionem Brandenburgensem *libri XX.*

Itinerarium vitae suae ad Jacobum Trithemium fratrem suum, libris II.

Epistolae longe plures editis.

Officium Missae *de compassione B. Mariae Virginis.*

De Angelo proprio, Missa et Rosarium. Similiter *de S. Maria Magdalena, de S. Petro* Apostolo, *de B. Virgine, de S. Joanne* Evangelista et *de S. Andrea* Apostolo.

Exercitium totius Vitae, Actionis et Passionis Domini nostri IEsu CHristi, per modum Orationis et gratiarum actionis.

* In Catalogo opp. Germani huius doctissimi amisit Fabricius *translationem* ab ipso adornatam Theologiae misticae S. Dionysii, cuius Trithemius ipse meminit in epist. ad Matthaeum Hibernum Lib. 1 Epist. 14. edit Freher. Libri πενθικον inscripti editionem Moguntinam ipse in eadem epistola data anno 1507 commemorat; in epist. 51 Lib. 2. epistolarum. Librum de laudibus Ord. carmelitar. prodiisse primum Moguntiae ex eodem Trithemio ibidem intelligimus. Ibi pariter libellum de laudibus S. Annae, quem Rosarium appellat, divisisse se ait in articulos quinquaginta. Denique inter scriptas a se elucubrationes confert *Rosaria* multa de diversis SS. Patribus Petro, Paulo, M. Magdalena et aliis. Quem librum titulo *Naturalium quaestionum* Fabricius hic adnotavit, hunc credo a Trithemio ibidem designatum sub epigraphe *Panalethias;* eundemque in libros tantum XIV. non XX ut hic Fabricius distinctum affirmat. In regulam S. Benedicti non tres, sed geminos tantum libros dedisse sese, idem Trithemius tum in eadem epistola, cum in Nepiacho testatur. Hoc vero opus mancum esse duobus libris ipse Trithemius in Nepiacho addit.

Vitae S. Maximi praefixit Trithemius epistolam ad Albertum è Marchionibus Brandeburgensibus Archiepiscopum Moguntinum et S. R. E. Cardinalem, cuius epistolae fragmenta quaedam retulit Surius in praefatione sua ad vitam S. Maximi ad diem 18. Nov. integram vero dat Latomus in catalogo Archiepiscopor. Moguntinorum quod opus legitur in Menken. Rer. Germanicar. t. III. p. 439.

Inter opera inedita viri huius docti accensenda est etiam *collatio de Republica ecclesiae et Monachor. Ord. D. Benedicti habitae Coloniae idib. Sept.* 1493. quam ex MS. Cod. Abbatiae Marchianensis indicant PP. Martene et Durand in Itin. Litter. II. p. 98. Additur ibi et libellus *de cura pastorali* eiusdem Authoris.

JOANNES *Tucherius* Norimbergensis a Vossio pag. 569. inter historicos Latinos memoratur quoniam ejus *iter Hierosolymitanum atque Ægyptium*, quod descripsit An. 1479. Germanice, postea etiam Latine vidit lucem.

JOANNES *Tungrius*, de quo supra in Joanne Praemonstratensi p. 405.

JOANNES *Turocius*, de Thwrocz, Turoczi, Hungarus scripsit *Chronicae Hungarorum* libros V. quorum primus qui in Attilae obitu desinit, dicatus est Thomae de Drag, Regis Matthiae Cancellario: secundus procedit usque ad necem Regis Caroli, interfecti An. 1342. Tertius totus est de rebus Ludovici Regis qui Caroli successor diem obiit An. 1382. Quartus

ab electione Regis Caroli cognomento parvi, usque ad eum non diu post coronationem nequiter interemtum. Quintus denique a Sigismundi coronatione A. 1386. facta progreditur ad Matthiam coronatum An. 1464. In. libro primo et secundo secutus est Turocius a) *Chronicon picturatum* quod An. 1358. exaratum manu servatur in Bibliotheca Caesarea Vindobonensi. In libro tertio JOANNEM de Kikellew *Archidiaconum*, de quo supra p. 340. In libro quarto LAURENTIUM *de Monachis*, Venetum qui lugubrem exitum Caroli parvi scripserat carmine. In quinto denique a *Michaële Orzaag* Palatino, ex registro temporum Caesaris Sigismundi edoctum se profitetur. Prodidit Turocii opus Augustae Vindel. (non 1482. ut Czwittingerus. sed 1488. fol.) apud Erhardum Radholt. Ejusdem Czwittingeri fide editionem Venetam 1488 4. typis Gothicis descriptam refero. Familiam ducit hoc Chronicon in Jacobi Bongarsii scriptoribus rerum Hungaricarum, Francof. 1600. fol. *Soliloquium* Turocii, quod vidisse se Czwittingerus negat, nec mihi usquam sese offerre memini.

IOANNES Monachus circa an. 1156. *Turonensis* historiam *Goffredi* Plantagenistae, Comitis Andegavorum, Turonum, Cenomanorumque et Ducis Normannorum scripsit libris II. edidit Laurentius Bouchel. Paris. 1610. 8. *Gesta Consulum Andegavensium* ad Henricum II. Anglorum Regem in t. X. spiciliegii Dacheriani pag. 399-509 (edit. novae tom. 3 pag. 234.) Ejusdem est liber *de compositione Castri Ambasiae et ipsius Dominorum gestis*, editus ibid. t. X. p. 511. (edit. novae t. 3. p. 266-286.) Confer Oudinum tom. 2. pag. 1421. seq.

JOANNES *Turpinus*, *Tulpinus*, *Tilpinus*, ex Monacho S. Dionysii Archiepiscopus an. 773. Remensis per annos amplius quadraginta b) ad quem Epistolae Stephani III. et Hadriani I. Pontificum Maximorum. a) *Eidem Turpino adscribitur vulgo, etiam a Trithemio* c. 275. liber de gestis Caroli Magni ac Rolandi: *et jam olim ab scriptore Hierarchiae subcoelestis lib. IV. cap. 9. conjungitur cum Gregorio Turonensi, Richardo Cluniacensi atque aliis, quos vocat nobiles Galliarum historiographos.* b) *Multi praeterea cum in aliis tum in Hispaniae rebus tam futilis scriptoris auctoritate utuntur.* c) Quid quod *Calixtus II.* Papa, teste auctore magni Chronici Belgici ad an. 1122. pag. 150. statuit *historiam S. Caroli descriptam a B. Turpino Remensi Archiepiscopo esse authenticam*: quam auctoritatem non mirum est deinceps secutos Siffridum Misnensem, Gobelinum Personam, Vincentium Belloyacensem, innumerosque alios et in Codicibus MSS. constanter nomen Turpini Archiepiscopi praefigi. d) At enim non Eginhardus, non Hincmarus, Lupus, Flodoardus, vel ex tot aliis ejus ac sequentis aetatis scriptoribus, illarum ullus quisquiliarum naeniarumque mentionem facit. e) Et fabulosum esse hunc scriptorem f) pluribus demonstravit Jo. Gryphiander de Weichbildis Saxonicis cap. XIII. XIV. XV. et Petrus Mantuanus Secretarius lib. IV. Animadversorum cap. 2. Quam diu aetatem Calixti II. praecesserit fabulosus hic scriptor, accurate dici nequit, verisimilis tamen est conjectura V. C. Joannis Hermanni Schminckii pag. 81. ad Eginhardum hariolantis circa an. 1100. pseudo Turpinum prodisse, quo tempore expeditiones cruciatae in Palaestinam institui coeperant, ut sub gravis auctoris nomine propinaretur vulgo fabula de Carolo M. Dominicum sepulchrum visitante, quae exstant apud hunc scriptorem cap. 20. Nec abludit ab hac conjectura Gvilelmus Allardus, qui in

a) Daniel Nessel in sciagraphia corporis historici pag. 29. David Czwittinger specimine Hungariae litteratae pag. 339. seq

a) Hincmarus Remensis in epitaphio Tilpini apud Flodoardum:

Quem pascens quadragenis est amplius annis
Veste senectutis despoliatus obit.

a) Sammarthani tom. 1 Galliae Christianae pag. 480. seq.

b) Voss. pag. 298. hist Lat.

c) Id. artis historicae pag. 48.

d) Jo. Frid. Besselius in limine notar. ad Eginhardum.

e) Voss. pag. 299. de Hist. Lat.

f) Bellus. l. c. Christoph Harthnoch Ut und. Heu Bresseu pag. 248. W. E. Tenyelii curiense Bibliothae A. 1704. pag. 487.

Bibliotheca Delphinatus pag. 224. auctorem facit Monachum S. Andreae Viennensis an. 1092. Nam post annum a CHristo nato millesimum esse ab imperito aliquo suppositum, non dubitabat etiam vir doctus Ludovicus du Four de Longverue Abbas Jardonensis, ut notatum Jacobo Longo in Bibliotheca Historicorum Galliae n. 6671. Edidit seminarium hoc infinitarum naeniarum a) cum praemissa auctoris Epistola, ad Leobrandum Decanum Aquisgranensem, primus Simon Schardius et primo loco inter Chronographos quatuor, cum Reginone, Sigeberto et Lamberto Schafnabrugensi, Francof. 1566. fol. Deinde Justus Reuberus in veteribus scriptoribus, Francof. 1584. Hanov. 1619. fol. Gallica Roberti Gagvini versio, jussu Caroli VIII. Regis adornata prodiit Paris. 1527. 4. Lugd. 1583. 8. De Codicibus MSS. Latinis, versionisque vetustioris Gallicae laudatum Longum adire juvabit, de Latinis etiam Lambecium tom. 2. pag. 333. seq. et Vossium qui notat in suo Codice quem cum editis contulerit, ante c. XXXII. quod de morte Caroli M. est, addita quaedam de pictura septem liberalium artium. nonnulla item de miraculo quodam ob preces Rolandi praestito, et de Turpino ipso atque alia. Eadem sunt quae ex Codice Caesareo Lambecius laudato loco publicavit.

(174 De Vita Caroli M. Vide supra t. 1. pag. 320.)

JOANNES *de Turrecremata* (Torquemada) Hispanus Ord. Praed. Theologus et JCtus celebratissimus, apud Eugenium IV. an. 1431. Magister S. Palatii et ab an. 1439. Cardinalis et Episcopus Sabinensis defunctus Romae 1468. aetatis 80. de quo praeter editores operum et Ciacconium, Eggium, aliosque qui de Cardinalibus scripsere, Nic. Antonius tom. 2. Bibl. veteris Hispanae pag. 187. seq. Jacobus Quetif. de scriptis Dominicanorum tom. 1. pag. 837. Oudinus tom. 3. pag. 277. Henricus Wharthonus ad Caveum, aliique. Interfuit Conciliis Constantiensi, Basileensi, deinde Florentino, in quo adversus Marcum Ephesium disputavit de igne purgatorio. Vide Allatium contra Creyghtonum pag. 81. Scripta ejus haec sunt:

Expositio brevis et utilis super toto Psalterio. Rom. 1470. 1476. fol Augustae 1472. Moguntiae 1474. 1476. Burgi 1480. fol. et per Joannem Fabri, Lingonensem, 1482. fol. et Caesaraugustae 1482. fol. Argentor. 1485. fol. Venet 1485. fol. et 1513. 1524. 8. Paris. sine anno 8. et Rothomagi, 8. apud Petrum Olivier. Duas quoque veteres editiones sine loco et anno, Labbeus commemorat.

Meditationes in vitam CHristi, Colon. et praefixa a Francisco Sweertio auctoris vita, Antwerp. 1607. 12.

Sermones de tempore et de Sancti Lugd. 1509. 4. *Quaestiones* spiritualis Convivii delicias praeferentes super Evangeliis tam de tempore quam de Sanctis. Noriberg. 1477. fol. Brixiae 1498. 4. Lugd. 1500. 8. 1508. 8. Paris. 1510. 8. *Flos Theologiae* pro Sermonibus applicabilis circa textum *Epistolarum atque Evangeliorum* tam de tempore quam de Sanctis et Festis totius anni Basil. 1481. fol. 1484.

Expositio omnium S. Pauli Epistolarum. Basil. 1495. teste Beughemio.

Turris Aurea Decretorum, sive *Commentaria in Decretum Gratiani*, absoluta Romae 1451. et Nicolao V. dicata, partes, V. Lugd. 1519. fol. Rom. 1555. Venet. 1578. fol. quatuor Volum.

Summa 1. de Ecclesia Universali, 2. de Ecclesia Romana et Pontificis ejus primatu. 3. de universalibus Conciliis et 4. de schismaticis atque haereticis. Rom. 1489. fol. Lugd. 1496. fol. Venet. 1561. 4. et Salmanticae 1560. fol. Pars. secunda et tertia exstat quoque in Jo. Thomae Rocaberti Bibliotheca maxima Pontificia, tomo XIII. Rom. 1697. fol.

De Pontificis maximi Conciliique generalis auctoritate ad Basileensem Oratorem responsio coram Eugenio IV. et Cardinalibus in Concilio Florentino viva voce exhibita. Colon. 1480. fol. Venet. 1563. 4. Lovan. 1688. 4. et in tomis Concilior. et

a) Ita vocat Barthius pag. 562. ad Guil. Britonem: *Turpiculum fabulatorem* Besselius l. c. Dousa apud Voss. *mendaciorum monstris refertissimum.*

in laudata Bibl. maxima Pontificia t. XIII.

Flores sententiarum D. Thomae Aquinatis de auctoritate summi Pontificis, collecti in Concilio Basileensi A. 1437. ad Cardinalem Julianum. Augustae et Lugd. 1496. ad calcem summae de Ecclesia et Venet. 1562. 4. cum scriptis similis argumenti, et novissime Neapoli 1715. 8. Giornale de letterati d'Italia t. 30. p. 419.

Commentaria in Regulam S. BENEDICTI ad Arsenium Monachum Florentinum. 1491. fol. Paris. 1494. et 1514. 4. cum Regulis SS. Basilii, Augustini et Francisci et Venet. 1500. 4. Rothomagi 1510. 4. et cum Smaragdi expositione in eandem Regulam, Colon. 1575. fol. Addendus tractatus *de reformatione* seu *decisiones in Regulam Benedicti pro conscientia Praelatorum et subditorum.* Venet. 1618 8. in Miscellaneis Bernardini Gauslini.

De veritate Conceptionis B. Virginis, tractatus in XIII. partes divisus, scriptus que mandato Patrum Concilii Basileensis An. 1437. contra JOANNIS. *Segobiensis* avisamenta et allegationes de quibus supra p. 417. Prodiit Romae. 1547. 4. neque audiendi qui majorem ejus partem Bartholomaeo Spinae vel Alberto Duimio tribuendam esse dictitant. Vide Nic. Antonium tom. 2. pag. 190.

De efficacia Aquae benedictae contra PETRUM *Anglicum* in Bohemia, tractatus editus sine loco et anno in 4. tum Romae. 1524. et 1559. 8.

De Corpore CHristi adversus Bohemos, An. 1437. Basileae et Delphis sine anno in 4. et Lugd. 1578. forma minore. Videtur idem Commentarius de Eucharistiae Sacramento, de quo Raynaldus ad A. 1437. n. 21.

Contra principales errores Mahometis et Turcorum sive Saracenorum. ad Pium II. An. 1459. in procinctu Dietae in civitate Mantuana celebrandae in 4. absque anno et loco, et Rom. 1606. 8.

Apparatus *super Eugenii IV. Decreto* promulgato in Concilio Florentino. Prodiit cum summa de Ecclesia, Venet. 1561. 4. *Orationes duae* seu *dissertationes in eodem Concilio habitae* An. 1439. et in Actis illius Concilii obviae, una pro azymo in S. Coena, et altera, transsubstantiationem effici per Verba Salvatoris.

Meditationes positae et depictae in Ecclesiae ambitu S. Mariae de Minerva, *Romae.* prodiere Ibid. 1498. 4. atque si Beughemio fides, jam 1467. 1473. fol.

Salus animae, *seu stabilimentum Fidei Catholicae.* Lond. 1509. Incip. *Docet nos Divina Scriptura.*

Revelationes B. BIRGITIÆ ex mandato Concilii Basil. A. 1435. recognitae et approbatae, cum Epistola pro iis Apologetica An. 1446. Prodiere Lubecae 1592. fol. atque deinde variis in locis ut dixi supra tom. 1 pag. 258. seq.

Quodlibetica cum tractatibus et sermonibus Petrii de Alliaco. Argentorat. 1590. teste Beughemio.

INEDITA haec memorarii reperio: *De pontificatu S. Petri. Concionem* ad Patres Concilii Basileensi A. 1532 *in Evangelium* 2. Advent. *Et erunt signa in Sole et Luna.*

Impugnationes quarundum popositionum, quas Magister Alphonsus de Madrigal, TOSTATUS vulgo dictus asseruit in disputatione publica in Romana curia An. 1443. 21. Jun.

Symbolum *quinquaginta veritatum Fidei* contra quinquaginta errores Manichaeorum An. 1561. pro legatis a Rege Bosniae ad Pium II.

Contemplationes MStae in Cod. Vaticano 973.

Disputatio An. 1459. praesente Pio II. habita cum F. Francisco de Savona sive Rovere, postea Papa Sixto IV. *de veritate et adoratione sanguinis CHristi* qui *Mantuae* servari in Ecclesia S. Andreae traditur.

Quaestiones de DEO et Angelis.

Contra certos haereticos noviter impugnantes paupertatem CHristi ejusque Apostolorum.

Libellus pro defensione Romani Imperii. Alius *de nuptiis spiritualibus.*

Reprobationes XXXVIII. articulorum Hussitarum An. 1552.

Tractatus *contra Avisamentum Basile-*

ensium quod non liceat appellare a Concilio ad Papam: *Votum super avisamento quod Papa debeat jurare servare decreta de Conciliis generalibus continuandis et electionibus confirmandis, alias cadat a jure Papatus. Responsio in invectivam ad canonem condemnationis Congregationis Basileensium.*

Collecta tempore Eugenii IV. super petitione Regis Franciae *ut aliud tertium celebraretur generale Concilium.*

Propositio, cum esset Orator Eugenii IV. ad dietam Moguntinam, *super justitia translationis Concilii de Basilea Ferrariam, et tandem de Ferraria in Florentiam.*

Tractatus contra Madianitas et Ismaëlitas adversarios et detrectatores Judaeorum, ab Ecclesiarum collegiis arcentes progeniem omnem ex stirpe populi Israëlitici descendentem.

Repetitiones super quibusdam AUGUSTINI *de Roma propositionibus.*

* Tractatus *de aqua benedicta* editio prima absoluta est An. 1475. absque nomine loci, sed ex nomine impressoris intelligimus prodiisse Romae; est enim ille *Magister Bartholomaeus Guldinbek de Sultz regnante Sixto IV. Pont. max. an. eius V.*

Tractatum *contra avisamentum Basileensium, quod non liceat appellare de Concilio ad Papam*, ex MS. Lucensi Cod. ego in meo Conciliorum supplemento t. IV. evulgavi cum sequentibus. *Votum super avisamento* (vel melius dixeris contra avisamentum) *quod Papa debeat jurare servare decreta de Conciliis generalibus continuandis, et electionibus confirmandis alias caderet a jure* Papatus pag. 799. *Tractatus in favorem Eugenii IV Contra decreta Concilii Constantiensis, et Contra gesta in Conc. Basileensi ad versus Eugenium* pag. 746. *Defensiones quorundam articulor. Revelationum S. Birgittae ab* obtrectatoribus quibusdam ad Conc. Basileense delatis. pag. 911. Porro defensiones istae a me primum datae sunt cum inter opera S. Birgittae nonnisi priora capita Apologiae huius lucem viderint. *Repetitiones quaedam Card. de Turrecremata, cum esset* in minoribus constitutus *Basileae super quibusdam propositionibus Augustini de Roma* pag. 1203. *Oratio in Moguntino conventu habita, cum esset missus orator per SS. D. N. Eugenium Papa* t. 5 pag. 64. 65. *Responsio in blasphemam et sacrilegam invectivam ad SS. Canonem justissimae condemnationis damnatissimae congregationis Basileensis collecta per D. Card. S. Sixti tempore SS. D. N. Eugenii Papae IV. Super petitione Dom. Regis Franciae, ut aliud tertium celebraretur universale Concilium.* p. 235.

In Bibl. Vaticana extare *epistolam Card. S. Sixti ad Eugenium IV excortatoriam super dissolutione Conc. Basileensis* notat P. Montfaucon in Biblioth. MSS. p. 114.

In Codice MS. Bibliothecae Canonicor. major. Eccl. Lucensis „unde caetera Turrecrematae erui, extat insuper *Responsio eiusdem ad quaestionem sibi factam per FF. Ord. S. Birgittae*, num scilicet fratres qui in diaconatus officio recepti sunt, debeant locum tenere inter sacerdotes tredecim juxta regulam destinatos; vel infra alios sacerdotes praeter praedictos Sacerdotes tredecim secundum Ordinem temporis, quo recepti sunt in Monasterio. *

JOANNES *de Valeis* Anglus ord. Minor. non diversus a Joanne Galensi sive Gvallensi de quo supra 363. et t. 3. p. 103.

JOANNES. *de Varcennis* Doctor Paris. Pastor in monte. S. Leti in diocesi Remensi Bonifacii IX. Papae Cappellanus et Palatii Apostolici Auditor, cujus *responsiones ad capita XLVII. accusationum* Guidonis de Roya Archiepis. Remensis A. 1396. scripta in Carcere, leguntur inter Joannis Opera tom. 1 edit. novae pag. 905-944. *Epistolae V. ad Benedictum XIII. de tollendo schismate*, cum Benedicti responsionibus id. tom. 2 pag. 851. 855. 856. 855. 859. et sexta ad Cardinales pag. 860. Vitae sanctissimae Vir, doctrina et prudentia insignis vocatur apud Froissardum IV. 58.

JOANNES *Vataeus* sive *Wate*, Anglus, Mathematicus cujus *Tabulam in aequationes Domorum*, eique praefixum *Canonem* laudat Lelandus cap. 512. et ex eo Baleus XI 27. Pitseus pag. 883.

JOANNES *Venetus* Carthusiensis circa An. 1480. de cujus libris III. *Nosce te*, jam dixi supra p. 351. Alia ejus scripta apud Trithemium cap. 905. sunt: *De patientia et humilitate. Speculum morientium. Corona Senum. Sermones. Epistolae.* Eadem laudat Bergomensis ad An. 1489.

JOANNES *de Veris*, Monachus circa A. 1463. scriptor *Chronodromi* sive *Cursus temporum* ab Orbe condito ad CHristi Natalem. MS. in Abbatia S. Petri Aldenburgensis Ord. Bened. teste Sandero p. 224. Bibl. Belg.

JOANNES *Verrochius* Florentinus Ord. Minor. apud Cangium lege JULIANUS.

JOANNES *de Vesalia*, infra *Joannes de Wesalia.*

JOANNES *Victorinus* sive *de S. Victore.* Supra *Joannes Parisiensis* An. 1322.

JOANNES *Villanus* Florentinus dignitate florens et meritis, scripsit libris XII. *Chronicon Florentinum* sive universali potius ab ultimis Nemrodi temporibus ad An. 1348. quo diem obiisse traditur, prodiit cum fratris continuatione Florent. 1537. 1581. 6. *Chronicon Neapolitanum* Neapoli 1526. *vitam Muhamedis* ad calcem Chronici Florentini: non Latine autem scripsit sed Italice, de quo sicut de fratre ejus Matthaeo, qui Chronicon Florentinum ad An. 1363. continuavit, plura exspectare jussi sumus a Raphaële Triquetio Fresneo in tractatu de Historicis Italiae, qui cum lucem non viderit, adeundus Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. p. 295. 407.

* JOANNES *Villanus* qui Neapolitanam Historiam scripsit, seu chronicon Neapolitanum alter fuit Jo Villanus longe a Florentino diversus. Dedit illud Italice; editio vero anni 1526 secunda est, non prior eiusdem Operis, ut colligo ex Toppio Biblioth. Neapolitana t. 1. pag. 123.

(175 Prima Villani huius prodiit editio in 4. Sine loco et anno (Neap. Riessinger) V. Panzer et Dibdin. Magni nominis et aestimationis chronicon *Jo. Villani* Florentini prodiit primum non Florentiae, sed Venetiis cur. A. Brucioli 1537. in fol. additiones Florentiae 1552. 8. totum vero Venet. 1559. Florentiae 1587. 4. cur. Baccio Valori et inde Mediolani inter Script. Rer. Italicar. Ibid. 1802. in 8. Florentiae 1823 cur. I. Moutier et Joac. Antonelli in 8. Ibid. 1843. in 8. Cum notis F. Dragomanni, una cum continuat. Matthaei Fratris et Phil. neptis jam editas primum Venetiis 1562. in 4 Florentiae 1581. (Philippi tantum Ibid. 1577. 1596. 4) quae continuationes in secunda Mediolanensi non prodierunt.)

JOANNES *de Villario* sive Abbas Villariensis in Brabantia Ord. Cisterc. Doctor Theologus cujus *Sermones* MSti laudantur a Sandero pag. 181. Bibl. Belgic. et a Carolo Vischio pag. 232. qui patria Bruxellensem fuisse testatur.

JOANNES Abbas *Vincellensis* et Decretorum Doctor, cujus *Vademecum de collationibus Dominicis et Festivis* editum sine loco et anno sub typographiae nascentis initia.

JOANNES *Vicentinus* Ord. Praed. circa An. 1240. de quo Gerardus Mauritius in historia dissidiorum Marchionis Estensis cum Eccelino Romano t. 2 Leibnitii Brunsvic. pag. 40. mira refert, eumque non tantum Paduae sed et in aliis Italiae civitatibus tantum valuisse eloquentia testatur, ut ad pacem componendam innumeros permoverit, et *in omni Civitate, statutis ipsarum acceptis suo emendaverit arbitrio, addendo et detrahendo.* Sed Vicentiae Dux et Comes illius Civitatis cum vellet esse, et alia ac majora cuperet, magnis ausis excidit.

* Muratorius in IV vol. Antiquit. M. Aevi pag. 641. evulgavit. *Laudum pacis stabilitae a F. Joanne Vicentino ord. praed. inter cives Veronenses Ghibellinos et Guelphos.* In eo vero suo nomine Vincentius mandat, eaque statuit quae servanda sint; *et authoritate SS. Apostolor. Petri et Pauli excommunicat, maledicit, anathematizat et tradit Satanae* omnes eiusdem pacis a se constitutae violatores. Has autem tabulas Muratorius semel in IV. Vol. p. 641 vulgatas iterum in fine eiusdem vol. p. 1172. oscitantius recudit. *

JOANNES *S. Vincentii* ad fontes Vulturni Campaniae Monachus circa An. 1470.

scripsit Chronicon Coenobii sui, quod MS. charactere Longobardo evolvit Baronius atque ex eo nonnulla refert ad An. 892. n. 2. A. 963 n. 41. Vide Vossium p. 773.

JOANNES *de Vineta* Brito Aremoricus, Carmelitarum Provincialis in Gallia, circa An. 1348. Hic *Chronicon* breve condidit *sui Ordinis*. Praeterea *Vitas trium Mariarum. Determinationes. De officiis Divinis. Conciones Synodales.* Vide Alegrium pag. 295. Non diversus ab hoc (licet apud Cangium distinguitur) JOANNES *Vinetus* de quo Miraeus pag. 90. auctarii, neque hic ab eo traditur An. 1238. floruisse, nam tantum quaedam refert quae ille sub finem Chronici scripsit Anno. 1238. et 1240. accidisse.

JOANNES *Vitalis a Furno* Vasatensis, Ord. Minor. Theologiae Doctor, atque Ordinis sui in Aquitania Minister Provincialis: inde Rom. Eccl. Cardinalis ab an. 1312. et Episcopus Albanensis ab an. 1320. ad 1327. quo diem obiit Avenione 16. August ut constat ex ejus epitaphio apud G. Josephum Eggs tom. 1. purpurae doctae pag. 305. Waddingum pag. 331. aliosque. De eo Baluzius notis ad Papas Avenionenses tom. 1. pag. 676. seq. Scripta ejus sunt: *Speculum morale totius S. Scripturae* compositum an. 1305. editumque Lugd. 1513. 4. Venet. 1594. et 1600. Commentaria *in Proverbia Salomonis. In IV. Evangelia. In Apocalypsin. De conceptione B. Marie Virginis. De paupertate CHristi et Apostolorum* scriptum editum ab Odorico Raynaldo ad an. 1322. §. 67. *Quodlibeta Theologica. Concionatorii Commentarii, et Sermones.* Examen errorum Minoritae PETRI *Joannis Olivi* et BERNARDI *Delitiosi*, de quibus Baluzius, qui pag. 679. notat librum *de tuenda valetudine* Moguntiae 1531. editum antiquioris esse scriptoris, qui fuerit tempore Belae Regis Hungariae defuncti an. 1275.

JOANNES *Vitoduranus* natus in oppido Helvetiae, pagi Tigurini, Vitoduro sive Wintertur, et in Coenobio S. Montis prope Vitodurum Monachus Ordinis Minor. circa an. 1350. Scripsit *historiam* ab an. 1215. sive ab Innocentio III. Papa et Friderico II. Imperatore usque ad sua tempora sive ad an. 1348. Priorem partem, desinentem in obitu Rudolphi Habsburgici sive in an. 1292. vulgavit illustris Leibnitius in accessionum historicarum tomo priore Lips. 1698. 4. Integram ex Codice S. Galli Jo. Georgius Eccardus, in tomo priore Corporis scriptorum medii aevi pag. 1733. 1348. Lips. 1723. fol. *Opus egregium et eo majoris aestimandum quod auctor priora ex Chronicis variis nondum vulgatis et relatione hominum fidorum: posteriora visu proprio et auditu vel communi voce et fama celebri accepta, distincte in litteras retulerit, Ab Anno praesertim 1330. se sibi ipsi nota scribere affirmat.* Haec Laudatus Eccardus.

JOANNES *Ultricuria*, qui est apud Cangium ex Possevino et Pitseo, idem rectius M. *Nicolaus de Ultricuria* apud Bulaeum tom. 4. hist. Academiae Paris. pag. 308. nam ita etiam in Bibliothecis Patrum tom. 4. Paris tom. 14. Colon. et tom. 26. Lugd. pag. 483. ubi perinde ut apud Bulaeum extant *Articuli LXI.* quos in Universitate Parisiensi coactus est revocare an. 1348. Praecesserant in iisdem Patrum Bibliothecis Articuli XXXIX. quos similiter ejurare Parisiis an. 1347. jussus fuerat JOANNES *de Mercuria*, Ord. Cisterc. quos exhibet etiam Bulaeus pag. 297. Quae veró Joanni de Ultricuria apud Pitseum pag. 556. et praeterea apud Possevinum tribuuntur, ea non dubito ad alium Theologum Oxoniensem pertinere, qui an. 1392. magno Regis Concilio Stransfordiae cum aliis Theologis interfuit, in quo *Henricus Crompius* propugnator Wiclefianarum partium ejurare est decem capitula coactus ut notavit Antonius Wood in historia et antiquitatibus Academiae Oxon. pag. 197. Scripsisse nimirum a Possevino traditur: *adversus septem peccata mortalia. Librum de SS. Eucharistiae Sacramento. Lecturam in IV. libros Sententiarum. Itinerarium Salutis. Determinationes Oxonienses, Sermones XII. et Conciones ad Clerum, Populumque.* Vide infra *Ioannes Waldeby.*

JOANNES *Uptonus*, Lelando cap. 536. *Uppodunus*, Anglus Lincolniensis Carme-

lita defunctus Coventriae 1532. propinquus Nicolai Uptoni, Canonici Sarisberiensis et Welliensis, cujus libri quatuor de re atque officio militari, in quorum primo exponit insigna Nobilium Angliae, editi ab Edvardo Bissaeo Lond. 1654. fol. una cum Joannis de Bado aureo, tractatu de armis et H. Speelmanni aspilogia. Joannis Uptoni *sermones* extare notavit Baleus XII. 65. nec plura Pitseus p. 636. nec Alegrius p. 355.

JOANNES *Canonicus Urbevetanus*, (Orvieto in Hetruria) circa an. 1200. scripsit vitam *S. Petri Parentii* an. 1199. occisi, editam ex vetusto Legendario illius Ecclesiae cum Papebrochii notis in Actis Sanctor. tom. V. Maji 21. pag. 86-99. Confer si placet, Oudinum tom. 2. pag. 1720. In illo Legendario scriptor hic Magister Joannes appellatur *fons scientiae litterarum.*

JOANNES *Ursinus* Romanus ab an. 1328. ad 1358. Archiepiscopus Neapolitanus de quo Ughellus tom. 6. Italiae sacrae pag. 125. seq. et prosper Mandosius tom. 1. Bibl. Romanae pag. 21. Praeter *Constitutiones Synodales* composuit *Inventarium* seu *registrum honorum Ecclesiarum omnium Civitatis Neapolis, ejusque Dioecesis, in quo jura et reditus, privilegia ac fundationes, quo tempore et a quibus erectae, recensebantur.*

De *Nicolao* III. Papa, qui antea JOANNES Cajetanus *Ursinus* vocabatur, vide Bzovium et alios ad An. 1277. seq. et infra in NICOLAO.

JOANNES *Waldebius*, *Waldeby*, Anglus Eboracensis, Augustinianus, quem Baleus VI. 87. notat An. 1392. interfuisse magno Regis Concilio Stanfordiensi contra Wiclesistas, de quo paullo ante in Joanne Ultricuria dixi, scripsisseque multa tam Latino quam patrio sermone, ex quibus nominat: *in Symbolum Apostolorum*, moralem expositionem ad Thomam, fani S. Albani Abbatem. *In Orationem Dominicam. In Angelicam Salutationem. Contra septem peccata De sacramento Eucharistiae; Lecturam Theologiae; Itinerarium Salutis. Determinationes Oxonienses, Sermones* XII. et *Conciones* ad utrumque statum, Clerum Populumque. Mirum est eadem hic sub Waldebio pag. 558. apud Pitseum repeti quae pag. 556. per errorem Joanni de Ultricuria tribuerat. Addit autem *Homilias quinque super totidem verba Salutationis Evangelicae. Lecturas sacrarum Scripturarum. Placita Theologica. Quaestiones Ordinarias. Super Magistrum Sententiarum.* Ex Pitseo eadem Philippus Elssius p. 408. Encomiastici Augustiniani.

JOANNES *Wallingfordus* Anglus *Magister de Cella* dictus, ex Priore Wallingfordiae Abbas XXII S. Albani defunctus An. 1214. de quo Matthaeus Paris p. 67. *Hic in juventute scholarum Parisiensium frequentator assiduus, ad electorum consortium Magistrorum meruit attingere, unde cum virilis esset aetatis, in Grammatica Priscianus, in Metrica Ovidius. in Physica censeri potuerit Galenus.* Ejus *Chronica* brevia ab A. C. 446. ad 1026. edita a Thoma Galeo in scriptoribus quindecim historiae Britannicae, Saxonicae, Anglo Danicae. Oxon. 1651. fol. pag. 525-550. Notat laudatus Galeus in Bibl. Cottoniana huic historiae jungi alteram partem a Conquaestu, sive A. C. 1066. anno primo Guilelmi Conquaestoris usque ad A. 1216. Henrici III. tertium, quam putat continuatam a RADULPHO *Wendover.* Monet idem in Wallingfordo multa haberi ex reconditioribus Historicis, praecipue de rebus Danicis Normannicisque. Vitas Sanctorum non diffitetur se aliquas data opera abbreviasse. *Valuit*, inquit, *Joannes noster et carmine pangendo. Et videtur Historiam vel historias memorabiles, versu tradidisse posteris. Certe apud multos qui aut post eum scripserunt, aut veteres ante eum Historicos auxerunt et recensuerunt, multa ejus citari carmina mihi satis constat.*

JOANNES *Walsinghamus* Anglus Nordvolciensis, Parisiis et postea Oxonii docuit, Carmelitarum in Anglia Provincialis clarus circa An. 1330. Scripsit *in Proverbia Salomonis. Pro cursu Scripturae Sacrae. In Sententias Lombardi. Determinationes Theologiae, Quodlibeta, Conclusiones disputabiles, Lecturas in Theologia.* De *Ecclesiastica potestate* contra *Occamum. Sermones LX.* Vide Baleum IV. 97. Pitseum pag. 523 Trithemium cap. 625. cui vitiose *Wal-*

sgramm dicitur: Possevinum, Alegrium pag. 286. etc.

JOANNES *Walterus* Anglus, Mathematicus Wintoniensis circa an. 1512. scripsit *Tabulas aequationis Domorum et tabulas adscensionum universalium.* Vide ex Lelando Baleum VII. 58, Pitseum pag. 594.

JOANNES *Wanifletus*, *Waynflete*, Anglus, Carmelita Lincolniensis, circa an. 1418. Hujus *commentarios S. Scripturae, Determinationes Theologicas et sacras Conciones* memorat ex Lelando Baleus XII. 50. Pitseus pag. 599. Bzovius ad an. 1419. n. ult. et Alegrius pag. 331. qui praeter rem ni fallor, *Determinationes Logicales* pro Theologicis appellat.

JOANNES *de Wellis* Anglus, Monachus Ramesiensis Ord. Bened. congregationis Cluniacensis, circa An. 1382. Scripsit contra Wiclefistas *de S. Eucharistia. Contra Nicolaum Herfordum. De socii sui ingratitudine De Cleri praerogativa. Pro religione privata. Epistolas ad diversos.* Vide Baleum VI. 82. Bzovium ad An. 1413. n. 58. Pitseum pag. 540.

JOANNES *de Welmig* Abbas Mellicensis In Austria circa A. 1460. Hujus *Epistolas VI.* de restituenda in Ordine S. Benedicti Monastica disciplina publicavit Bernardus Pez tom. 8 Ascet. pag. 581. 583. 585. 603. 618. 621.

JOANNES *ex Werdea* Sveviae oppido: supra *Joannes* FABRI tom. 2 pag. 544. Non diversum suspicatur Leyserus ὁ μακαρίτης a) JOANNEM *de Bardea* cujus carmen de fine poëseos, MS. Lipsiae in Bibl. Paulina, teste B. Fellero pag. 391. Hujus etiam non dubito esse carmen elegiacum *an scire malum, sit malum* quod in eadem Bibl. pag. 390.

JOANNES *de Wardea* qui HIERONYMI nomen postea praetulit, de quo t. 3 p. 233.

JOANNES *de Werdena*, Teutonicus Ord. Minor. Coloniensis dioecesis, circa An. 1400. cujus *Sermones* duplices de tempore, et de Sanctis duplices et Quadragesimales memorat Trithemius de S. E. c. 693. et de script. Germ. c. 143. Waddingus pag. 228. affirmans floruisse An. 1330.

a) Hist. poeseos medii aevi pag. 2070.

JOANNES Ruchard *Wesalia* sive *de Vesalia* Theol. D. et Concionator Wormatiensis, cujus paradoxa per M. Gerardum Elten de Colonia et M. Jacobum Sprenger damnata prodiere Moguntiae 1479. et in fasciculo a) rerum expetendarum p. CLXIII. seq Ipse propter dogmata, etiamsi publice revocata, scriptis ejus ipso inspectante crematis relegatus in Conventum Augustiniensium, ubi moerore consumtus brevi post obiit, ut refert Trithemius in Chronico Spanhemensi pag. 391. capita sive articulos condemnatos referens. Vide etiam Bzovium ad An. 1479. n. 8. pag. 158 seq. et ad An. 1482. n 6. pag. 228. Hottingerum Sec. XV. pag. 54. seq. Oudinum tom. 3. pag. 2715. Casibus ejus condolere se testati sunt Wesselus pag. 920. Opusc. et Lutherus noster tom. 7. Altenburg. pag. 273. Testibus veritatis accensetur a Matthia Flacio, Joanne Wolfio etc.

M. JOANNES b) *Wesselus* sive Basilius, Hermanni Gansfortius, Groeningensis, Theologiam docuit Coloniae, Heidelbergae, Parisiis et Groeningae, ubi septuagenario major diem obiit supremum An. 1489. Vir singularis pro illa aetate: Orator, Poëta, Philosophus, Theologus Latine Graece et Hebraice peritus, et ob pietatem ac doctrinam *Lux Mundi* nuncupatus. Ejus, atque amici illius Rodolphi Agricolae, vitam scripsisse se testatur *Regnerus Praedinius* in cap. 7. Lucae: scripsit et *Albertus Hardenbergius*, quae opusculis Wesselii Amst. 1617. 4. curante Jo. Lydio praemittitur: *Ubbo Emmius* qui vitas Professorum Groningensium An. 1654. fol. edidit pag. 12. seq. Oudinus tom. 3. pag. 2707 seq. Hic post alios narrat eum a malevolis dictum *Magistrum contradictionum*, quod erroribus scilicet et superstitionibus publicis illorum temporum fortiter auderet contradicere. Denique ut Melchiorem Adamum in

a) Orthuini Gratii. Colon. 1535. fol. Lond. 1690. fol. Bibl. universelle tom. XIX. pag. 325. seq.

b) Gesnerus monet praenomen *Joannis* Wesselo non recte tribui: tribuitur tamen a tam multis, ut sequi eos maluerim.

vitis Philosophor. Suffridum Petri VIII. 2. de scriptoribus Frisiae, Valerium Andream, Koenigium in Gansfortio, aliosque praetcream. D. Georgii Henrici Goezii, Superintendentis Lubecensis, τȣ μακαρίτȣ commentatio historico Theologica de Joanne Wesselo lucem vidit Lubecae 1718. 4. Mihi scripta illius referre satis fuerit: quae sunt:

Farrago rerum Theologicarum cum praefatione Lutheri et Jo. Arnoldi Bergellani Witebergae 1522. atque Basileae 1523. 4. et curante Theodoro Starckio, Marpurg. 1617. 4. Lutheri praefatio etiam legitur inter ejus Epistolas tom. 2. pag. 89 et Germanice inter Opera tom. 2. Isleb. pag. 109. tom. 2. Altenburg. pag. 206. In illa farragine continentur:

Dei DEI providentia.

De causis, mysteriis et effectibus Dominicae incarnationis et passionis.

De dignitate et potestate Ecclesiastica. De vera obedientia, et quantum obligent mandata et statuta Praelatorum. Habet etiam Goldastus tom. 1. de Monarchia Imperii pag. 563. Et Germanicae versionis meminit Flacius in Catalogo testium veritatis.

De Sacramento poenitentiae, et quae sint claves Ecclesiae. De potestate ligandi et solvendi.

Quae sit vera communio Sanctorum.

De thesauro Ecclesiae: de participatione et dispensatione hujus thesauri. Habet etiam Goldastus tom. 1. de monarchia Imperii pag. 573. 576. *De fraternitatibus* etc.

De purgatorio, quis et qualis sit ignis purgatorius. De statu et profectu animarum post hanc vitam.

Epistolae aliquot ejusdem argumenti, de purgatorio maxime atque indulgentiis. Excerpta ex hac farragine leguntur in Jo. Wolfii memorabilibus tom. 1. pag. 835. seq. in D. Jo. Henrici Maji vita Reuchlini pag. 156. seq. et ampliora in Seckendorfii commentariis de Lutheranismo tom. 1. pag. 227. seq.

Praeter hanc farraginem, in Operibus Wesselii curante Petro Pappo a Tratzberg editis Groeningae 1614. 4. et Joan. Lydii studio; additis quibusdam Jacobi de Paradiso, Carthusiani tractatibus Amst. 1617. 4. continentur tractatus:

De oratione et modo orandi, cum luculenta *Orationis Dominicae explanatione ex veteri edit. in 4.*

De cohibendis cogitationibus, et *Scala meditationis* sive *de modo constituendarum meditationum*, ad fratres in monte D. Agnetis prope Swollam ex MS.

Libri duo *de causis Incarnationis ac de magnitudine et amaritudine passionis Dominicae*, capitibus XC. ex edit. Antwerp. 8.

De sacramento Eucharistiae et audienda Missa ad Gertrudem sacram Sanctimonialem, ex veteri edit. in 4.

Desideratur in his collectionibus liber *de moribus veterum haereticorum* quem Gesnerus testatur editum Lipsiae 1537. 8. Nec non liber *de justificatione per CHristum* itemque alius *de futuro seculo*: atque *Opus quadripartitum* de Indulgentiis, Sacramentis, Purgatorio et auctoritate Ecclesiae. *Notularum liber* de sacris Scripturis, de Angelis, de Daemonibus ac de Anima: itemque alius pro Nominalibus adversus Realium Formaliumque defensores, atque ex parte contra Rodolphum Agricolam, quem postremum librum agnosco magis sapere auctorem Joannem de Wesalia, Wormatiensem, addictum Nominalibus, quam amicum Agricolae, Groningensem Wesselum, cujus scripta in scriniis reperta, ejus post obitum, omnia Zelotarum furore exusta Hardenbergius testatur.

Habeo etiam editam in 4. parvam Wesseli lucubrationum syllogem sine loco et anno, in qua a) ejus *Epistola ad M. Engelbertum Leidensem* de potestate ligandi et solvendi. 2) JACOBI *Hoeck* sive *Angularis*, Decani Naeldvicensis ad Wesselum cum Wesseli responsione, de indulgentiis et purgatorio. 3) Wesseli *ad virginem Gertrudem Reyneri* Santimonialem in Claris aquis. 4) Ex Epistola JOANNIS *Aemstelredamensis* ad *Bernardum Meppis*, Procuratorem Ziloe, de suffragiis pro vivis et defunctis. 5) Wesseli ad Magistrum Ludolphum de Veno, Decanum Trajectensem. His in exemplo meo adjunctum ANTONII *de Castro*, Ord. Praed. impugnatorium adversus

Wesselum de indulgentiis, quas auctoritate Ecclesiae canonisatas, disputat a Wesselo temere in dubium vocari.

* Farrago rerum Theologicarum multo ante prodivit, quam a Fabricio hic indicetur; nam Lambakerus in sua Bibl. Civica Vindobonensi pag. 272. testatur habere se in eadem Biblioth. opus illud in 4. impressum absque loco et anno quod ex ipsa typorum figura multo antiquius esse dignoscitur, nec continet epistolas de indulgentiis quae in edit. Basileensi Lutheri an. 1522 (quam primam notat Fabricius) sexto loco leguntur.

JOANNIS *de Westphalia* Legenda de S. Thoma Aquinate MS. Lipsiae in Bibl. Paulina.

JOANNES *Whetamstedus*, supra *Joannes Frumentarius* pag. 363.

JOANNES *Wiccamus* Anglus Theologiae Doctor Oxoniensis libros XII. Concordiae Evangelicae uberiores *Guilelmi Nottinghami* in quatuor Evangelia Commentarios in compendium misit teste Pitseo pag. 884. Obiit Nottinghamus an. 1336. de quo supra tom. 3. pag. 147.

JOANNES *Wiclefus*, infra WICLEFUS.

JOANNES *Wichingamus* Anglus, Ordin. Min. Claruit Cantabrigiae circa an. 1362. Ejus *Sermones de tempore et Disputationes* laudant Baleus XI. 16. et Pitseus p. 498.

JOANNES *de Widenbrugge* Augustinianus quem ad an. 1446. tom. 2. Meibom. pag. 172. laudat auctor Chronici Comitum Oldenburgensium, testaturque praeter Sermones multos ad Clerum, populumque scripsisse *Vaniloquium* hoc est *Commentarium in Ecclesiastem*, duabus divisum partibus.

JOANNES *Wiltonus* Anglus, Augustinianus docuit Parisiis atque inde Oxoniae, clarus circa an. 1310. Ejus scripta, commentarii *in Analytica* utraque, atque *in Ethica Aristotelis*. *Determinationes in Theologia*, *Quaestiones et Lecturae*, *Lecturae in libros Sententiarum*. *Sermones* hyemales, per Quadragesimam et Sermones aestivales. Vide Baleum IV. 84. Pitseum pag. 395. seq. Josephum Pamphilum pag. 45. b. Chronici Augustiniani: et Philippi Elssii encomiasticum pag. 409. Possevinum etc.

JOANNES *Wiltonus*, junior, Anglus et ipse Monachus Westmonasteriensis Ordin. Benedict. circa an. 1360. praeter *homilias* scripsit *Horologium Sapientiae* libris VII. quod magnis laudibus, qui legerunt efferunt, et cum veterum scriptis prope conferendum judicant teste Baleo VI. 17. Praeterea vario rythmorum genere ex *S. Bernardo* expressit Meditationes *de beneficiis DEI* Incip. *JEsu CHristi celeri meditatione et Stimulum compassionis* cujus initium: *jam nunc Matri Virgini anima*. Eadem Pitseus pag. 495. seq.

JOANNES *Winchelsaeus* sive *Winchelsea* Anglus Doctor Oxoniensis, denique senex Monachus Ord. Minor. Sarisburiae obiit an. 1326. Vide Baleum Centur. V. cap. XI. Waddingum pag. 228. et Pitseum pag. 417. qui ejus *Lecturas Scholasticas* memorant et *Quodlibeta Theologica*, *Sermonesque festivales*, *et super Logicam Aristotelis*. Idem qui Possevino *Joannes Winchelsen*.

JOANNES *Wirtzburgensis* Presbyter, cujus *Descriptionem terrae Sanctae* ad dilectum suum socium et domesticum Dietericum non diu post an. 1100. compositam edidit V. C. Bernardus Pez tom. 1 Anecdotorum parte 3. pag. 485-534. Inter alia pag. 530. ubi de Ecclesia Sancti Sepulchri, *sciendum*, inquit, *quod ibi sint Graeci, Latini, Alemanni, Hungari, Scoti, Navarri, Britones, Angli, Rutheni, Bohemi, Georgiani, Armeni, Suriani Jacobitae, Syri Nestoriani, Indi, Ægypti, Cophti, Capheturici* etc. Confer Eugenium Rogerium de XIV. differentibus nationibus terram sanctam incolentibus, in ejus descriptione Palaestinae, Gallice edita Paris. 1664. 4.

JOANNES *de Witlich*, opidulo Trevirensis diocesis, docuit circa an. 1400. Coloniae, scripsitque Lecturam *in Epistolas Pauli*, et commentarium *in IV. libros Sententiarum*. Vide Trithemium de scriptoribus Germ. cap. 137.

JOANNES *Wratingus* Anglus, Canonicus Walthamensis, quem ex Pitsei pag. 884. inter scriptores suos refert Cangius, nihil aliud ex ejus testimonio reliquisse cognoscitur, nisi *tabulam super glossam Epistolarum Pauli*.

JOANNES *Wrotharius* Anglus, Carmelitarum Provincialis diem obiit Caleti sive in portu Iccio, ut cap. 490. notat Lelandus, an. 1407. Ejus scripta, Commentarius *in Canticum Canticorum*: *in IV. libros Sententiarum*, et sacrarum Concionum libri IV. *Sermones* hyemales, aestivales, Quadragesimales XXI. et de B. Virgine XII. Confer Baleum VII. 37. Pitseum pag. 584. et Alegrium pag. 345. qui alios etiam *in Scripturas* sive *in varios S. Scripturae textus* commentarios scripsisse testantur.

JOANNES *Wyrici* de Nussia oppido Coloniensis dioecesis, Carmelita, superstes adhuc an. 1495. cujus *Sermones* et Volumen insigne *super Sententias* laudat Trithemius de Scriptoribus Germ. cap. 248.

JOANNES *de Ymenhusen* Teutonicus, Doctor Parisiensis a Bergomensi ad an. 1355. traditur scripsisse *in IV. libros Sententiarum*, *et Sermones*. His Trithemius de scriptoribus Germ. cap. 120. addit varias *quaestiones Scripturarum*, *et in quosdam Bibliorum libros*, *Commentarios*.

JOANNES *Zachariae* Erfordiensis, de conventu Eschwegensi Augustinianus Saxoniae Provincialis, Hussomastix, ex cujus *Oratione* quam senex an. 1415. *in Concilio Constantiensi* habuit, specimen profert Henricus ab Hardt in prolegomenis ad tomum V. pag. 25. Ejus Volumina duo *in Apocalypsin* et Commentarius *in Magistrum Sententiarum* laudatur a Jo. Schiphovero in Chronico Archi Comitum Oldenburgensium tom. 2. Meibom. pag. 170. His Trithemius cap. 733. de S. E. et cap. 158. de script. Germ. addit commentarios *in Genesin*, *in Exodum*, *in Leviticum*, *in Epistolas Pauli*, *et Sermones* varios. Pro Sermonibus, *Determinationes varias* habet Philippus Elssius p. 418. Encomiastici Augustiniani, sed idem fallitur, cum Joannem hunc Helvetium facit, aitque vitam produxisse usque ad An. 1488.

* *Joan. Zacchariae* Sermonem alterum in Constantiensi Concilio habitum servat MS. Cod. Theologicus n. 527. Bibl. Caesareae Vindobon. hoc titulo *Sermo praedicatus in Conc. Constantiensi in die S. Michaelis per F. Jo. Zacchariae S. Theologiae professorem Ord. Eremitar.* S. Augustini *an. 1416 in illud gratia vobis et pax.* Incipit: *Hoc thema est valde authenticum.*

JOANNINA pariter dicitur *Repetitio* nescio quae a Raynaldo quodam compilata: cuius hoc est exordium: *Joannina haec dicitur Repetitio a nomine infantulae meae primogenitae illustris D. Joannis Andreae fretus exemplo, qui compilationem Decretalium Novellam ex nomine filiae suae appellare instituit.* Servatur in MS. Cod. Felini 368. exarato An. 1473.

JOANNINÆ *Summae* auctor *Joannes Teutonicus* de quo supra pag. 433.

JOANNINUS *de Mantua* Ord. Praed. circa An. 1310. in titulo Epistolae ad Albertinum Mussatum vocatur *vir suo tempore praestantissimus in Theologia et Philosophia naturali et morali* De illa Epistola dixi supra in *Joanne de Mantua* pag. 386.

JOCELINUS *Braclandus* sive *de Brakelunde*, Anglus, Monachus Buriensis, (S. Edmunsbury) Ord. Bened. circa Annum 1214. scripsit *Chronicon Coenobii Buriensis* MS. in Bibl. Cottoniana p. 94. et *super electione Hugonis* Abbatis A. 1214. facta, et *Vitam Roberti Martyris*. Vide Baleum III. 68. et Pitseum pag. 286. Oudinum t. 3 pag. 17.

JOCELINUS *Joscelinus*, *Josselinus de Furnesio*, Monachus Cisterciensis coenobii Furnessensis apud Lancastrienses in Anglia a) scripsit teste Pricaeo pag. 884. libros *de Britonum Episcopis*, quod opus adhuc exstare docet Usserius de antiquitatibus Ecclesiae Britannicae pag. 36. non antiquioribus autem memoriis usum notat Wilh. Nicholsonus b) quam missis in literas post Wilhelmi Conquaestoris tempora. Ipse vixisse se innuit extremis Henrici II Regis Angliae qui An. 1189. obiit, temporibus, *Vitam* enim *S. Patricii* c) Hiberno-

a) Jac. Waraeus praef. ad. S. Patricii opuscula edita Lond. 1656. 8.

b) Bibliotheca historicorum Angliae pag. 122.

c) Auctores quibus usus fuit, capite 286. laudat his verbis. *De his quae mirifice gessit in Mundo S. Patricius, libelli vel tractatus referuntur conscripti sexaginta sex numero, quorum pars plurima principantibus Gurmundo et*

rum Apostoli ait se scripsisse suasionibus Thomae Conner, Archiepiscopi Armachani, Malachiae III. Episcopi Dunensis, et Joannis de Curci, Vlidiae Principis. Prodiit vita illa in Thomae Messinghami florilegio Sanctorum Hiberniae, Paris. 1624. fol. statim in limine, in Joannis Colgani triade thaumaturga, Patricio, Columba et Brigida, Lovan. 1647. fol. et in Actis Sanctorum tom. 2 Martii 17. pag. 540-580. cum notis. *Vitam B. Walleni* cujus memoria 3. August. colitur, Abbatis Melrosensis in Scotia compositam jussu Patricii Melrosensis Abbatis, dicavit Wilhelmo Regi Scotiae, et Alexandro filio ejus ac Comiti Davidi, Walleni propinquis. Vide Carolum Visch Bibl. Cisterc. pag. 234.

JOCUNDUS *Presbyter* circa An. 1088. scripsit *Miracula S. Servatii*, ex quibus pleraque referuntur in Actis Sanctor. tom. 3. Maji 13 et *Vitam S. Monulphi* Episcopi Trajectensis ad Mosam, t. IV. Julii 16. p. 158.

Joannes JOCUNDUS Veronensis merito suo inter artium instauratores ac litterarum celebrandus, vir Graece Latineque doctissimus, idemque peritus, Antiquitatis, ac Guil. Budaeo judice, quem perinde ut Jul. Caesarem Scaligerum etiam erudiit, *antiquariorum diligentissimus*: Mathematicus, Architectus, et Pictor, nam *Scoticae sectae summum Theologum* fuisse, quod addit Julius Scaliger contra Cardanum Exerc. 329. in dubium vocari video a Bernardo Moneta, qui de Jocundo hoc erudite disserit tom. 4 Menagianorum pag. 266. seq. De eodem conferendus Jacobus Echardus de scriptis Dominicanorum, (Dominicanis enim non Franciscanis, nomen cum junior dedisset, vestem postea vir exuit) tom. 2. pag. 36. seq. Niceronus in limine tomi XXX. memoriarum de viris eruditis: et qui vitas pictorum scripsere, G. Vasarus, Felibienius et alii, atque illustris Scipio Maffeus in tomo secundo Veronae illustratae. Ejus collectio bis mille amplius *Inscriptionum veterum* ad Laur. Medicem, quam laudat Onufrius Panvinius lib. 6. antiquitat. Veronens. pag. 167. atque Politianus cap. 77. Misc. nondum vidit lucem. Exstant autem suppletae ab eo *Plinii* junioris Epistolae, et recensiti *Caesar*, *Vitruvius*, *Cato* caeterique *Frontini* atque *Aurelius Victor*, de quibus singulis in Bibl. Latina.

JODOCUS *Badius* natus An. 1462. Ascae, (Assen) agri Bruxellensis municipio Ascensius a) discipulus Guarini, etiam ipse egregie promeritus per annos XL. amplius de bonis studiis in illo diluculo nascentium litterarum, Lugduni et Parisiis tam docendo et scribendo quam imprimendo, recensendo, illustrando insignium scriptorum monumenta, Librarius Academiae Parisiensis juratus b) diem obiit An. 1535. aet. 73. tribus filiabus nuptis ternioni celebratissimorum typographorum, c) Mich. Vascosano, et incomparabili viro Rob. Stephano, ac Joanni de Revigny. Cum An. 1505. ederet *Laur. Vallae* d) notas in Nov. Test. oravit Lectorem ut Chalcographorum erratis, praesertim in accentibus Graecanicis ob penuriam characterum, humaniter ignosceretur. Scripta ejus, et ab eo impressa referrem, nisi viderem hoc sibi jam sumsisse Valerium Andream, Sweertium, Henreichium: *Sylvae morales* cum

Turgesio consumta periit incendio. Quatuor tamen Codices de virtutibus et miraculis ejus partim Latine et partim Hibernice conscripti reperiuntur, quos diversis temporibus quatuor discipuli ejus, videlicet B. BENIGNUS successor illius, et Sanctus MEL Episcopus, et S. LUMANUS Pontifex, nepos ejus, et S. PATRICIUS filiolus ejus, qui post decessum patrui sui Britanniam remeans in fata decessit, in Glasconiensi Ecclesia sepultus est honorifice, conscripsisse referuntur. Sanctus nihilominus EVINUS simili modo Actus S. Patricii in unum Codicem compilavit, quem partim Latino sermone, partim Hibernico composuit. De quibus omnibus quaecunque fide digna reperire potui, in hoc opus collecta communicare notitiae posterorum gratum duxi.

a) Bergomensi ad An. 149·. et Trithemio c. 938. de S. E. et c. 271. de scriptoribus Germ. *Gandensis* sive *ex Gandavo* quoniam educatus apud Gandavenses; confer Hendreichium p. 382. pandect. Brandburg.

b) Mich. Maittaire Annal. typographic. tom. 2. pag 8. seq. ubi et ejus Epitaphia scripta ab H. Stephano.

c) Baelii Lexicon, *Badius*, nota I.

d) Mich. Maittaire pag. 95.

Badii interpretatione, ex Virgilio, Horatio, Persio, Juvenale, Ennio, Mantuano, Sulpitio, Catone, et Alani Parabolis, prodiere Lugd. 1492. 4. VINCENTIUS contra quem scripsisse Ascensium notat quoque Trithemius, est *Vincentius de Castro novo*, Ord. Praed. de quo suo loco.

JODOCUS *Beysselius*, Patricius et decus Urbis Aquensis sive Aquisgranensis, Philosophus, JCtus et SS. Scripturarum studiosus carmine pollens et prosa circa A. 1494. de quo Bergomensis ad An. 1498. pag. 447. b. Trithemius cap. 941. de S. E. et script. Germ. c. 270. Praeter *Carmina et Epigrammata* multa, *Dialogum* ad Hermolaum Barbarum, *Orationes et Epistolas*, scripsit *Gesta Flandrensium; De seditione Gandensi* ad Carolum virulum. *Rosarium de S. Anna* a) et *De rosacea S. Mariae corona*, *Rosarium metricum*, *de mysteriis Rosarii*, *Rosarium de sacramento Altaris*, *De Christiano ambitu*, *epitomem stimuli amoris et de optimo genere Musicorum.* Vide Possevinum, Valerium Andream, Sweertium, Hendreichium in Beisselio pag. 483.

JODOCUS *Clichtoveus*, Neoportuensis Flander, Jac. Fabri Stapulensis discipulus, Theologus Paris. et Canonicus Carnotensis, defunctus An. 1543. scripsit *De Maria Magdalena* contra Marcum Grandivallem Paris. 1519. 4. Supplementum Commentariorum quae in *Cyrillo Alex. ad Evangelium S. Joannis* lib. V. VI. VII. et VIII. desideratur, vide t. VIII. Bibl. Graecae pag. 561. seq. *Elucidatorium Ecclesiasticum*, b) sive explanationem in hymnos et cantica Ecclesiastica, Officium et Prosas, Basil. 1517. Paris. 1556. fol. Commentarium in *Joannis Damasceni* libros de orthodoxa Fide. Paris. 1507. 1512. 1529. c) De ejus *Anti Luthero* et *apologia Concilii Paris*. A. 1528. vide Dupinii Bibl. Eccles. tom. 14 p. 162. seq edit. Amst. et Bailletum de antiscriptoribus tom. 2 pag. 388. Caetera dabunt appendix Trithemii de S. E. cap. 21. Valerius Andreas, Sweertius, Dupinius. De *Hieronymo Clicthoveo* qui An. 1513. patrui sui Jodoci libro *de monasticae Religionis laudibus* dodecastichon praefixit, videndus Launojus hist. Gymnasii Navarrei Paris. p. 987.

JODOCUS *Eichmann de Calve*, vico Sveviae, Theologiam Heidelbergae cum laude docuit, obiitque An. 1491. Vide Trithemium de S. E. cap. 872. et de luminaribus Germaniae cap. 227. Scripta ejus praeter *Sermones* varios, *Orationes* variae ad Patres, et *vocabularius Praedicantium.* Ejus Quadragesimale prodiit Argent. 1488. et Sermones thesauri novi de tempore. 1489.

JODOCUS *de Heidelberg*, idem cum superiore.

JODOCUS *Metzlerus*, infra METZLERUS.

JOEL Monachus S. Petri ad Culturam apud Cenomanos, cujus scriptum *de miraculis S. Nicolai* ad Natalem Abbatem S. Nicolai Andegavensem evolvit Cangius in Bibl. Sangermanensi Cod. 470. 636. Obiit An. 1097. die 2. Junii.

Joannes de JOINVILLA, supra JOANNES pag. 373.

JONAS *Abbas*, S. Columbani et discipulorum ejus a) Attalae et Eustasii discipulus. idem qui *Hibernus* ab aliis vel *Scotus*, *Italusve*, aut *Bobiensis*, *Lirinensis* vel *Luxoviensis* appellatur, clarus circa An. 664. Scripsit:

Vitam S. Columbani, quae interpolata apud Surium 21. Novembr. sincerior tom. 3 Opp. Bedae pag. 199. et in Vincentii Barralis Chronologia Sanctorum Lirinensium p. 83. emendatior denique in Mabillonii Sec. 2. Benedictin. p. 5. Gallice quoque in Arnaldi Andillii Vitis Sanctor. p. 296.

Vitam S. Attalae Abbatis, quae itidem edita inter Bedae Opera tom. 3 pag. 222. et apud Surium 10. Martii, Barralimque pag. 97. et in Actis Sanctorum t. 2 Martii, p. 43. sincerior ex IV. MSS. et apud Mabillonium Sec. 2. Benedictin. p. 160.

Vitam S. EUSTASII Abbatis Luxoviensis An. 627. defuncti ex ipsiusmet *itine-*

a) Supra in Jo. Trithemio p. 463.
b) *Unschuldig Nachrichten* An. 1722. pag. 872. Theophili Sinceri *von alten raren Buchern.*
c) Bibl. Graec. tom. 8. pag. 781.

a) Vide Vossium pag. 296. de Hist. Lat.

rario, itidem inter Bedae Opera tom. 3 pag. 243. et apud Surium, 29. Mart. Mabillonium Sec. 2. Benedictin. pag. 115. et in Actis Sanctor. tom. 3 Martii pag. 786. cum. Henschenii notis.

Vitam Bertulphi Abbatis obviam apud Surium 19. August. Mabillonium Sec. 2. Benedictin. pag. 160. et inter Bedae Opera tom. 3 pag. 248.

Vitam S. Farae, sive *Burgundofarae* Abbatissae primae Eboriacensis in dioecesi Galliae Meldensi, defunctae An. 657. Exstat apud Surium 3. April. et inter Bedae Opera tom. 3 pag. 258. et in Mabillonii Sec. 2. Benedictin. p. 439. Qui autem Acta Sanctorum curant Antwerpiae, promiserunt eam se daturos 7. Decembr.

Libros II. *de vita et miraculis S. Joannis Abbatis Reomaënsis* ad Hunnam Abbatem, fratresque Remoaënses: Priore libro Vitam ab antiquiore Monacho Reomaensi scriptam et apud Mabillonium obviam interpolavit: posterior de miraculis, exstat in laudati Mabillonii Sec. 1. Benedictin. p. 637. Utrumque cum notis edidit Petrus Roverius in historia Monasterii et Abbatum Reomaensium ab An. 425. ad sua usque tempora, Paris. 1637. 4. Adde Caroli Cointii Annales Francorum t. 1 p. 121. seq. 234. 235. 310. seq. et tom. 3 p. 461. seq.

JONAS Episcopus ab An. 821. a) post Theodulphum, usque ad An. 843. *Aurelianensis*, variis Conciliis et Parisiensi A. 824. interfuit, et An. 840. Carolo Regi, Ludovici F. obtulit *libros III.* adversus CLAUDII Episcopi *Taurinensis*, jam defuncti b) opus *cultui imaginum* oppositum, excerpta ejus tantum vidisse se testatus. Lupi Ferrariensis censurae opus suum submisit Jonas, qui nihil in illo mutandum esse duxit. Vide Pagium ad An. 825. n. 16. et Baluzium notis ad Lupum pag. 355. ubi refert manibus se suis tractasse vetustissimum et elegantissimum librorum Jonae exemplar, illud ipsum nimirum, quod Carolo Calvo a Jona oblatum est. Haec autem Jonae est sententia, c) non idololatras habendos cultores qualecunque imaginum d) nam et se illas adorare more Ecclesiastico, e) hoc est salutare: aliquem enim honorem et cultum Sanctis, eorumque memoriae ac reliquiis deferendum: f) neutiquam tamen eas se adorare ut Dominum g) sed superstitiosam ac perniciosam imaginum adorationem h) emendatione utique indigere: Nec adorare se Mariam i) sed congruo honore venerari, ejusque intercessionem apud DEUM flagitare, quae uti aliorum Sanctorum nec neganda k) nec parvipendenda l) sit: nec imagines eorum ejiciendas templis m) sed ad ornatum ac memoriam et eruditionem fidelium servandas. Prodiere hi libri primum Colon. 1554. deinde in Orthodoxographis utrisque Basil. 1555. pag. 1199. et A. 1569. p. 1526. tum Antwerpiae 1565. 12. emendatiores apud Christoph. Plantinum: deinde in editionibus Bibliothecae Patrum omnibus, Parisiensibus, Coloniensi, t. IX etiam novissima Lugdunensi tom. XIV p. 167. De aliis duobus Claudii Taurinensis adversariis DUNGALO et THEODOMIRO Abbate, sicut de CLAUDIO ipso quoque, dictum suo loco.

Libri III. *de institutione Laicorum* ad Matfredum, Aurelianensem Comitem vulgati ex MS. Corbejensi a Dacherio tom. 1 spicilegii p. 1-203. (edit. novae t. 1 p. 258.)

De institutione regia, ad Pipinum Regem liber, cujus magna pars repetitur in Concilio sexto Parisiensi A. 829. Integer primum luci datus ab eodem laudatissimo Dacherio tom. V spicileg. pag. 57. (edit. novae tom. 1. pag. 324-335.) Etiam carmine valuisse Jonam patet ex dodecasti-

a) Albericus ad illum Annum, pag. 167. Andreae Saussay Annales Ecclesiae Aurel. pag. 315. Carolus Cointe tom. VIII. annal. Francor. pag. 613. seq. Sammarthani tom. 2 pag. 259.

b) Vide Orthodoxographa pag. 1199. edit primae.

c) Confer Dallaeum de imaginibus IV. 5. Frider. Spanhemii Opera tom. 2. pag. 863.

d) Pag. 1212.

e) Pag. 1229.

f) Pag. 1202. 1207. seq. 1215. 1243. 1245.

g) Pag. 1222. 1228. 1205. 1206. 1214.

h) Pag. 1202. 1211.

i) Pag. 1250.

k) Pag. 1247. seq. 1251.

l) Pag. 1239.

m) Pag. 1207.

cho, institutioni huic praemisso. in quo inter alia.

Qui quondam metricis ludebam promtus in odis,
Corpore nuc quasso nil nisi flere lubet.

Sed oda sapphica sub Jonae nomine edita a Canisio, atque inde per Andream Rivinum Lips. 1652. 8. cum Drepanii Flori et aliorum carminibus, quae incipit: *En adest Caesar pius et benignus*, quamque illustrat Barthius XIX. 17. Adversar. THEODULFUM Aurelianensem auctorem habet, atque consecrata ab eo est adventui Ludovici Augusti Aurelianos, Vide Canisii antiquas lectiones edit. novissimae Basnagianae, T. II. parte 2. pag. pag. 75.

Non diversus a Jona nostro est JONAS qui *Uberti* Leodiensis Episcopi translationem scripto consignavit, de quo infra.

JONAS *Bobiensis*, supra *Jonas Abbas.*

JONAS Diaconus, *Caroli Calvi* Regis notarius circa A. 844. Vide Dacherii spicileg. tom. IV pag. 496. (tom 2. edit. novae pag. 314.)

JONAS *Fontanellensis* Monachus Ord. Bened. in dioecesi Rothomagensi circa A. 729. scripsit jussu Baini, Abbatis sui *vitam S. Wulfrani*, Episcopi Senonensis defuncti A. 720. Exstat interpolata apud Surium, 20. Martii, et sincerior in Actis Sanctor. tom. 3. Martii pag. 145. et apud Mabillonum Sec. 3. Benedictin. ad A. 704. tom. 4. Annal. Francorum pag. 419-433. ubi triplex hujus vitae editio, Suriana, Henschenii, et tertia emendatior.

* In Historia litteraria Gallica t. IV. p. 57. ambigunt authores illi doctissimi num Jonae huic adscribenda sit pariter vita S. *Condedi* quam Bollandistae ad diem IX Februarii Aigrado cuidam adscribunt. Inclinant tamen illi in contrariam a Bollando sententiam maluntque ex styli similitudine Jonae tribuere.

JONAS *Hibernus*, supra, *Jonas Abbas.*

JONAS qui scripsit *S. Huberti*, Episcopi Leodiensis A. 727. defuncti *translationem* in Audainum Monasterium factam per Vulcandium Episcopum Leodiensem An. 825. 21. sept. Edidit Joannes Robertus, Arduennas S. I. Huberti historia excusa Luxemb. 1621. 4. atque inde Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte 1. pag. 293. Non diversus hic Jonas Caveo videtur a JONA *Aurelianensi*, de quo supra: Eadem Pagii sententia ad A. 825. num. 27. et *Vitam S. Huberti* ad Walcandum, Leodiensem Episcopum, scriptam esse a Jona Aurelianensi, diserte testatur Albericus in Chronico ad Annum 821.

JONAS *Italus*, *Lirinensis*, *Luxoviensis*, *Scotus*, unus idemque de quo supra, *Jonas Abbas.*

JORDANES, infra, JORNANDES.

JORDANUS *Argentinensis* circa an. 1410. Augustinianus laudatus Trithemio cap. 154. de luminaribus Germaniae, sed ubi eadem illi tribuit quae alibi Jordano de Quedlimburg. Ad illum quoque *Sermones* in Bibl. Caesarea MStos refert Lambecius II. pag. 774. De ejus Sermonibus 261. de Sanctis, qui MSti in Bibl. Petrina hujus Urbis Hamb. videndus B. Staphorstius, tom. 3. hist. Eccles. Hamb. pag. 234.

JORDANUS *Augustinianus*, defunctus Viennae an. 1380. diversus ut videtur et ipse a Jordano Quedlimburgensi de quo infra, et cum quo eundem facit Ph. Elssius in encomiastico Augustiniano p. 412.

JORDANUS *ex Bortergo* dioeceseos Moguntinae, vide infra, *Jo. de Saxonia, Ord. Praed.*

JORDANUS *Bricius*, *Bricii* Miles nescio unde Hendreichio *Brixius*, Juris Professor et Concistorialis Advocatus, Provinciae Galliarum Judex Major, cujus tractatum *pro Eugenio IV.* adversus Cardinalem Dominicum de Capranica, qui ad ejus electionem, licet designatus a Martino V. non fuerat adhibitus a Cardinalibus, scriptum an. 1433. jussu Petri Cardinalis Fuxensis, vulgavit Baluzius tom. 3. Misc. pag. 303-350.

Guido JORDANUS. Supra t. 3 pag. 125.

Guil. JORDANUS Augustinianus defunctus an. 1382. scriptor Rhythmi *de conflictu vitiorum cum virtutibus.* Vide Valer. Andream pag. 321.

JORDANUS *Magister*, cognomento Teutonicus ante an. 1291. scripsit *Chronica qualiter Romanum Imperium translatum sit ad Germanos*, vulgatum a Schardio in sylloge de jurisdictione et auctoritate Im-

periali, aliisque, de cujus libri editionibus Vossius p. 788. et Oudinus t. 3. p. 626.

JORDANUS scriptor *Vitae Martini V.* Pontificis, editae a Papebrochio in propylaeo ad Acta Sanctor. Maji, II. pag. 61. *Vitam Nicolai V.* citat Odoricus Raynaldus.. Alius JORDANUS frater Nicolai IV. Cardinalis, sed ante eum electnm defunctus.

JORDANUS Ord. Praed. Missionarius in Oriente An. 1321 scripsit Epistolas de martyrio quatuor Fratrum Ord. Minorum editas a Waddingo tom. 3. Annal. pag. 255. et a Jacobo Quetif. tom. 1. pag. 549 seq.

JORDANUS *Nemorarius* Mathematicus celebris circa An. 1235. Ejus *Arithmeticorum elementorum* libri X. illustrati a Jacobo Fabro Stapulensi prodiere Paris. 1496. De ejusdem *datis Arithmeticis*, *demonstratione astrolabii*, *planisphaerio*, *demonstratione propositionum ac ponderibus*: libris tribus *de Geometria*, et commentario *de natura speculorum* videndus Vossius libro de scientiis Mathematicis.

JORDANUS *Philotechnus*, idem fortasse cum Nemorario, cujus librum de triangulis, demonstrationem in algorythmo, et algorythmum proportionum, et quaedam circa scientiam perspectivam MSS. memorat Sanderus pag. 200. Bibl. Belgicae.

JORDANUS *de Quedlingborg* Augustinianus, Saxo, S. Theologiae Lector Magdeburgensis: non An. 1444. ut est apud Sanderum Bibl. Belg. II. pag. 56. sed circa An. 1325. ut ex Chronico Magdeburgensi MS. docet V. C. Urbanus Gottofredus Siberus de illustribus Alemannis pag. 115. seq. et confirmat Cronicon Comitum Oldenburgensium tom. 2. Meibomii pag. 162. ubi multarum Antiquitatum indagator celebratur. Ibidem traditur scripsisse diffusam *Apologiam Ordinis sui*, diversam ut videtur a *Speculo Augustinianorum* collecto ex S. Augustini operibus, de quo Caveus, atque Oudinus tom. 3. pag. 1132. Etiam *Vitas fratrum sui Ordinis* libris IV. Romae An. 1587. excusas Vossius pag. 458. et Miraeus 87. auctarii memorat. Augustini Sabbothii notis in edit. Leod. 1625. 8. additas, Valerius Andreas pag. 95. Bibl. Belg. *Opus sermonum de tempore et Sanctis* prodiit 1509. 8. et Paris. 1521. 4. cum opere de quatuor communionibus locali, spirituali, temporali et portionali, quae sunt necessariae ad vitam Monasticam: *Postillae* et *Sermones in Evangelia Dominicalia*, Argentor. 1483. Caetera ejus sunt memorata etiam Trithemio cap. 719. de S. E. Commentarius *in Apocalypsin*. *In Pater noster et Ave Maria*. *Quadragesimale*. *Articuli passionis Domini* sive *meditationes*, memoratae Sandero II. pag. 82. *Vitam S. Augustini* a) ab eo scriptam edidit Jacobus Hommey, spicilegii Patrum pag. 569. adde pag. 638. 644. *Pars aestivalis postillae Evangeliorum Dominicalium* circa An. 1365. MS. in Bibl. S. Petri, hujus Urbis. Vide Staphorsti hist. Eccles. Hamburg. t. 3. p. 244.

Raymundus JORDANI, Praepositus An. 1381. Uticensis sive Uzeciensis in Gallia, deinde Abbas de Cellis, Bituricensis dioecesis, auctor *contemplationum*, atque tractatus *de oculo spirituali* et librorum trium *de statu religioso*, quae scripta Jordano huic ex fide MSti Codicis Turonensis restituta sunt a Theophilo RaynaudoParis. 1654. 4. et tomo XI. Raynaudi Operum junctim editorum Lugdni in fol. Confer Oudinum t. 3. pag. 1180. seq.

JORDANUS *Rufus* Calator miles sive Eques Mareschallus Imperatoris, *de Medicina equorum* ex Bibliotheca Thuana laudatur a Cangio: sic et Labbeus pag. 59. qui et Gallice eundem librum pag. 216 memorat et pag. 301. Italice. *Bologna* 1561. 4. *Ven.* 1563. 8.

JORDANUS *Saxo*, Augustinianus, supra *Jordanus Quedlimbuurgensis*.

JORDANUS *de Saxonia* Ord. Praed. Magister post Dominicum generalis defunctus An. 1237. de quo G. Henschenius in Actis Sanctorum tom 2. Febr. 14. pag. 720. seq. et Jacobus Quetif tom. 1. de scriptis Dominicanor. pag. 93 seq. ubi ex ejus *de principiis Ordinis Praedicatorum libello*

a) *Vitam S. Monicae* editam a Bollando 4. Martii scribit Caveus: sed. vita S. Monicae Matris Augustini vulgata ab Henschenio 4. Maji tom. 1. pag. 474. non Joannem de Quedlimburg auctorem habet, sed. *Waltherum*, Canonicum regularem, de quo suo loco.

quaedam referuntur, sicut et pag. 99. prologus. Liber integer cum Antonii Maffaei notis prodiit Rom. 1587. 4. Caetera scripta sunt: *Super Priscianum* minorem et majorem, glossae. *De ponderibus. De lineis datis.* Postilla *super Lucam. Super Apocalypsin. Corona B. Virginis*, sive hymnus Ave maris stella, et quinque Psalmi, licet Coronam illam Placentiae 1599, 12. editam junioris esse scriptoris contendit Oudinus tom. 3. pag. 86. *Oratio ad B. Virginem. Oratio ad B. Dominicum* edita in breviario Dominicanorum Venet. 1492. *Litterae encyclicae* et *speciales* ad certos conventus certaque monasteria. *Vita S. Dominici* MS. Lipsiae in Paulina, teste B. Fellero pag. 159. 160. *Epistola encyclica de actis in translatione corporis B. Dominici*, edita a Bzovio ad An. 1233. n. 5. Epistolas exhortatorias plures et sermones ad populum laudat Trithemius cap. 436.

(176. Ab hoc plane diversus habendus auctor libri seq. ab Argelato relati *Del viver de' Frati del B.* *Giordano di Sassonia dell' ord. eremitano di S. Agostino Libri IV. tradotti dalla l. latina in vulgare* (da F. Agostino Fivizani) Pio P. V. *Roma Martinelli.* 1585. 4.)

JORDANUS *Teutonicus*, supra *Jordanus Magister.*

JORNANDES, qui Sigeberto c. 35. Anonymo Mellicensi cap. 22. aliisque etiam in Chronico Leodiensi apud Labbeum tom. 1. Bibl. novae MSS. ad A. C. 533. et Trithemio cap. 204. JORDANES Gothus ex notario Regis Alanorum Episcopus ab A. 552. Ravennas, scripsit Castalioque dedicavit amico suo librum *de rebus Geticis* contractum ex CASSIODORI libris XII. Gothicae historiae, pridem deperditis, quem in A. C. 551. desinere jam olim monuit Albericus pag. 42. Chronici, et An. 552. esse scriptum notavit Vossius II. 20. pag. 241. Nolo repetere quae de hac lectu digna lucubratione, et de altero Jornandis libro ad Vigilium *de origine Mundi et actibus Romanorum caeterarumque gentium*, et de utriusque editionibus dixi in Bibl. Latina III. 17. tantum addo utrumque ab eo tempore recensitum a celebratissimo *Muratorio* tom. 1. thesauri scriptorum Italiae p. 187 et 222. Svecicamque libelli de rebus Geticis versionem Clariss. Viri *Jo. Friderici Peringskioeld* lucem vidisse Holmiae 1719. 4. ei Gallicam Droueti de Maupertuy, Parisiis. Novae vero editionis spem, quam ad MSS. Codices Vaticanos et Cardinalis Ottoboni collatam a *Leonardo Adami* exspectare jussi sumus, preclaro illo Viro jam An. 1719. in flore aetatis defuncto decollasse. Hoc igitur superest, ut, quod futurum confidimus, illustri Lincopensium Episcopo *Erico Benzelio* Jornandem accurato studio expolitum inter Svecicos, quos parat scriptores, in acceptis relaturi simus. *Annales* quos in vergente seculo VI. desinentes habuit MStos *Joannes Cuspinianus*, ex quibus subinde affert quaedam in notis ad Consules Cassiodori, auctorem ne habeant cui a Cuspiniano tribuuntur Iornandem, viderint quibus illos datur Annales evolvere. * Cave credas Jornandem Episcopatum Ravennatensem tenuisse cum in serie Ravennatensium Archiepiscopor. Ab Agnello vetusto scriptore, de quo suo loco est actum, non contineatur. Sunt qui Ravennae agentem Gothorum Episcopum renunciatum dicant. De Ravennatensi mora nihil lego; sed forte vere dictum; de Episcopatu Gothorum nihil me scire profiteor cum ipse se nunquam Episcopum dicat, quamvis Episcopum appellat Sigebertus in chronico ex quo caeteri omnes acceperunt; cl. Muratorius in praefatione ad hoc ipsum opus Jornandis visus est addubitasse. Profecto non dubitans Jornandi monasticam professionem asseruit, quam exprimit e verbis illis historiae cap. 50. *Ego ante conversionem meam notarius fui.* Vox enim *conversio* apud mediae latinitatis scriptores monasticam professionem designat. Vide Muratorium ibid. *

JOSEPHUS *Alcuini* discipulus, cujus versus quosdam *in laudem S. Ludgeri* Browerus praefixit sideribus illustrium et Sanctorum Virorum Germaniae, integrum elogium servavit Alfridus lib. 1. vitae S. Ludgeri cap. 2. in Actis Sanctor. tom. 3. Martii 26. pag. 646. in Leibnitii tom. 1. scriptor. Brunsvic. pag. 89. et apud Ma-

billonium Act. SS. Benedict. Sec. IV. parte 2. pag. 24. ita se habet:

Frater, amore DEI cognato dulcior omni,
Et consanguineis merito pretiosior ipsis,
LUDGER amate mihi, CHRISTI te Gratia salvet,
Vive tuae gentis Fresonum clara columna
Presbyter occiduis laudabilis Orbis in oris,
Doctus et eloquio prudens et mente profundus,
Ipse gradum meritis ornas et moribus almis,
Ut puer in senibus humili de corde ministras
Ut germanus agis cunctis aequalibus aevo,
Utque parens pueris vitae documenta rependis
In melius crescendo: mei memor esto Sacerdos,
In precibusque tuis commendas quaeso Tonanti
His brevibus Vatem qui te laudavit in odis,
Cui teretis baculi a) pro tali carmine donum
Munificus tribuas: Fors haec mercedula Vati
Concordat modico. Felix sine fine valeto.

Idem Mabillonius dedit etiam versus ab hoc Josepho praemissos subjunctosque compendio Commentariorum S. Hieronymi in Esaiam, Sec. IV. parte 1. pag. 181.

JOSEPHUS sive *Josaphas Barbarus*, supra tom. 1. pag. 165.

JOSEPHUS *Iscanus* Devonius Excestrensis, non sane a) Archiepiscopus Burdegalensis, ut Pitseo et aliis traditum, sed Monachus Anglus, poëtarum sui temporis, Lelando judice, facile primus ad Thomam Balduinum Archiep. Cantuariensem, scripsit, atque ipso Tyri an. 1191. defuncto recognovit *de bello Troyano* libros sex, quos paraphrasi heroica expressos dedit ex pseudo *Darete*: nec repetam quae de utrisque notavi lib. 1. Bibl. Graecae cap. 5. et Bibl. Latinae lib. 1. cap. 6. et quae Polycarpus Leyserus Hist. poëtarum medii aevi pag. 772. seq. Caetera adhuc inedita hujus Josephi scripta apud Lelandum cap. 217. Baleum III. 60. et Pitseum ad an. 1210. pag. 276. et Balaeum tom. 2. hist. Academiae Paris. pag. 751. sunt Libri *Antiocheidos* sive de bello Antiocheno, et rebus in illo a Richardo I. Anglorum Rege praeclare gestis, cujus magni operis fragmentum tantum reperisse se Lelandus queritur, ex quo videntur repetita quae affert in Britannia sua Gvil. Cambdenus. *De instilutione Cyri. Panegyricus* ad Henricum III. Regem. *Epigrammata* et *carmina diversi generis*. Ac denique quae *nugarum amatoriarum* nomine veniunt apud Lelandum atque inde apud alios. Thomam vero Dempsterum, qui apparatu ad Hist. Scoticam cap. 6. pag. 98. libros de bello Trojano ad auctorem refert Joannem Hautvillensem, non magis idoneis rationibus hoc facere existimo quam eos qui architrenium eripere Hautvillensi et Joanni Sarisberiensi tribuere instistuerunt.

JOSEPHUS *Sacerdos*, cujus *Historia translationis Corporum SS. Ragnoberti et Zenonis* A. C. 846. factae in lucem data a Dacherio tom. 12. spicilegii p. 600. (edit. novae iu fol. tom. 2. pag. 127 133.)

* Eamdem historiam *translationis corporum* etc. ex duplici MS. Cod. dederunt PP. Bollandistae t. 14. pag. 618. sed passim ab alio interpolatam. Opinantur vero illi authorem eiusdem historiae, non quidem Josephum extitisse sed Erveum cuius saepe in eadem historia nunquam sine laude fit mentio. Scriptores tamen historiae litterariae Gallicae eidem Josepho merito vindicant. Vide eamd. hist. t. V p. 91.

JOSLENUS ex Bituricensi Archidiacono et Magistro Parisiensi Svessionensis ab an. 1129. ad 1151. Episcopus et Consiliarius Regis Galliae Ludovici VII. de quo Sammarthani tom. 3. Galliae Christianae pag. 1050. Scripsit *Expositionem Symboli* atque *Orationis Dominicae* editam Paris. 1733. fol. ab Edmundo Martene in tomo nono monumentorum veterum pag. 1101. et 1111-1120. Ad hunc Joslenum plures exstant Eugenii III. Sugerii, et S. Bernardi Epistolae.

JOSCELINUS, *Josselinus*, supra JOCELINUS.

JOSSELINUS *de Cassanis*, supra tom. 1 pag. 328.

JOTSALDUS Monachus Ord. Bened. *de vita et virtutibus S. Odilonis Abbatis*, libri III. ad Stephanum Episcopum ejus nepotem, MSti in Lectionario Ecclesiae Lugd. in Codice Bibl. Thuanae. Eam in epitomen coëgisse se jussu Hugonis Abbatis Cluniacensis profitetur Petrus Damiani (qui An. 1072. diem obiit) tom. 2 Opp. pag. 179.

a) Abbatiam.

a) Vide Sarmarthanos tom 1. Galliae Christianae pag. 215. et Bernardum Monetam ad anti Bailletum Menagii cap. CXLV.

quanquam auctorem non nominat. Laudat Hadrianus Valesius ad Adalberonem pag. 276. 280. etc. Ejus planctus *de transitu* ejusdem *Odilonis*, versu hexametro, in Andreae du Chesne Bibl. Cluniacensi pag. 329. Adde Casp. Barthii notas IV. 19. Adversariorum, cui *Jotsaldi* nomen ad sonum molliorem idiotismi Gallici corruptum idem est cum *Gotschalco*. * *Jotsaldus* Saec. XI. scriptor qui obiit an. 1099. Scripsit vitam S. Odilonis; quam vulgavit Mabillonius in saeculis Benedictinis t. VIII. p. 879. scripsit etiam carmina quaedam exametra de prioribus abbatis Cluniacensibus, quorum specimen superest ap. Vincentium Bellovacensem lib. 27. cap. 29. Scripsisse etiam in haeresim Berengarii discimus ex veteri catalogo libror. Biblioth. Cluniacensis. Apud eumdem Mabillonium ibidem. Vide Histor. litter. Gall. t. 7 pag. 489. etc. *

JOVINIANUS Monachus circa A. C. 390. Romae libros duos edidit, quibus conjugium aequavit coelibi continentiae, et frugalem sobriamque vitam abstinentiae ac jejuniis. Argumentum librorum et fragmenta quaedam servavit S. Hieronymus, cujus libri duo adversus Jovinianum saepius sunt editi inter S. Hieronymi Opera. Joviniano tribuit Erasmus scriptum de diversis generibus leprarum quod exstat tom. V. Opp. S. Hieronymi edit. Marcianaei p. 212. De Joviniano ipso, condemnato per Siricium Papam, et in Concilio Mediolanensi An. 391. pluribus disserit Tillemontius in S. Ambrosii vita tom. X memoriar. p. 224. et in vita S. Hieronymi tom. XII. p. 143. seq. Ex solis tamen hostium et adversariorum testimoniis videtur facere Jovinianum Epicureum et Joviniano ipso Jovinianiorem. Julianus Eclanensis in libello Fidei pag. 22. Jovinianistas arguit quod doceant hominem post baptismum nullo modo posse peccare. Quo sensu Pelagium Joviniani filium dixerit Orosius, disquiritur a Vossio libro V. hist. Pelag. parte 1. antithesi 7. Jovinianum etiam oppugnavit Hildefonsus Toletanus libro de illibata Virginitate B. Mariae, de quo supra tom. 3 p. 241. confer Petavium de Incarnat. Verbi XIV. 3. 5. et 6. 8. De Jovinianistis in Aruernia circa An. 700. vide Carolum le Cointe ad illum annum tom. 4 Annal. Francorum pag. 372. Pro Joviniano et secundis nuptiis adversus Hieronymum acriter decertat Theodorus Beza libro de polygamia t. 2 Opp. pag. 11. seq.

JOVINIANUS Archidiaconus atque inde Episcopus Aquilejensis, cujus et S. Hieronymi mutuae Epistolae circa A. 374. scriptae inter S. Hieronymi Opera leguntur.

S. IRENÆUS *Lugdunensis* post Pothinum A. C. 178. Episcopus, et Martyr Christi, non Latine quidem scripsit ut visum Latino Latinio pag. 183. Bibliothecae sacro profanae, neque dubitandi de eo est locus cum Erasmo, Cangioque Graecisne an Latinis sit scriptoribus annumerandus: At Latinam quam hodie habemus versionem non multo juniorem esse Irenaeo, et iam Tertulliano usurpatam, disputat post Grabium et alios Dominicus de Colonia tom. 1 hist. literariae Lugd. parte 2. pag. 69. Graecismos quosdam illius interpretis persequitur Jacobus Billius lib. 1. Obs. sacr. pag. 33. et Salmasio observante pag. 213. funeris linguae Hellenisticae, *ubique graecissat prae imperitia nimirum Latini sermonis: forsan et Graeci, nam Graeca saepe male interpretatus est.* Quod autem Petrus Halloixius instituit Irenaeum e Latino Graecum reddere, id merito parum utile visum Richardo Simoni et Dupinio. De Irenaeo ipso et eius scriptis atque editionibus non est hic repetendi locus quae jam lib. V. Bibl. Graecae cap. 1. attuli, et quae a Viris eruditis multis plena manu sunt exposita, editoribus praesertim et Tillemontio t. 3 memoriar. et novissime a Viris egregiis qui industriae Tillemontianae imitatores strenuos se gerunt, in Historia Galliae litteraria Gallice edi coepta Paris. 1733. 4. p. 334. seq.

IRENÆS junior ad quem S. Ambrosii Epistolae, vide notas Benedictinor. tom. 2. pag. 897.

IRENÆI Sirmiensis Martyrium in Ruinarti Actis Martyrum selectis pag. 432.

IRENÆUS Comes et postea Episcopus *Tyrius*, qui Synodo Ephesinae Anno 431.

Nestorio favens interfuit, Graece etiam ipse, non Latine scripsit syllogen Actorum Synodalium in illo Concilio atque in Oriente per xv. fere annos gestarum: sed ex illa habemus a veteri interprete compositam versionem Latinam multarum *Epistolarum Ephesinarum* editarum a Christiano Lupo, Steph. Baluzio et Joanne Garnerio, de quibus dixi tom. 7. Bibl. Graecae p. 442. De iisdem adeundus Tillemontius tom. 14. memor. pag. 613. seq.

IRENÆUS Episcopus *Barcinonensis* circa A. 461. de quo in Hilarii Papae Epistolis, id. tom. 16. pag. 45. seq.

Franciscus IRENICUS (Friedlib) Ettelingiacensis in Marchionatu Badensi, Collegii S. Catharinae Heidelbergensis moderator, scripsit *Germaniae esegesin* sive descriptionem non contemnendam veteris, medii ac recentis aevi, libris XII. edititque Haganoae 1518. fol. cum *Oratione protreptica in amorem Germaniae*, atque superioris operis excusatione Exegeseos libri deinde recusi Basileae 1567. f. curante *Paulo Irenico* filio, Pastore Ecclesiae Ilfeldensis. Minus integra editio Francofurtensis a) 1570. fol. Melior nova Joannis Adami Bernardi, scholae Hanov. Rectoris, restitutis tabulis Genealogicis, et notis etiam illustrata Hanov. 1728. fol. b) Simlerus etiam *Grammaticam* Francisci Irenici memorat, editam Francof. 1569. 8. Omitto quod sub adscito *Francisci Irenici* nomine quasdam. lucubrationes suas An. 1670. vulgare plaucuit *Philippo Andreae Oldenburgero.*

IRIMBERTUS Abbas Admontensis in Stiria, Ord. Bened. denique An. 1160. S. Michaelis Bambergensis, defunctus An. 1162. Ejus scripta quaedam edidit V. C. Bernardus Pez tom. 2 thesauri anecdotorum: Librum *de X. oneribus*, *in quaedam capita Esaiae*, pag. 427. Commentarium allegoricum *in quaedam Capita Cantici Canticorum* pag. 369. Libros II. *in librum Judicum* dedit idem tom. IV. pag. 129. *in Ruth* pag. 443. Idem promisit *in VI. libros Regum*: *et Homiliarum* in selecta S. Scripturae loca, et diversorum *sermonum* de festis amplissimum Volumen.

IRNERIUS, *Hirnerius, Yrnerius, Hyrnerius, Gvarnerius, Gvernerius, Warnerus, Wernerus, Wernherus, Whernerus, Wernerus, Vernerus, Vernerius*, a) et corrupte *Ireneus* Germanus, ut vel ex nomine Teutonico *Warner* b) colligitur, licet Florentinum alii, alii Mediolanensem fuisse contendant. Juris doctrina ita suo tempore exsplenduit, ut *Lucerna Juris* c) sive *Legum lumen* d) diceretur: Hunc Romae, hunc Pisis docuisse sunt qui referant: de Bononiensi cathedra, in qua urbe etiam diem obiit, consentiunt omnes. Diem obiit medio seculo XIII. e) quanquam Cangius cum Fichardo, Pancirollo et aliis ad A. 1190. vitam affirmat produxisse. Primus Jus Civile Romanum, Digestum Vetus nimirum et Codicem *glossulis* exposuit, quae cum Martini Gossiae, Bulgari, Placentini, Pylei et aliorum inter Accursianas leguntur. Deinde primus composuit *Formularium*, sive formulam Instrumentorum quorum in foro usus: a multis auctam deinde, et Florentiae, Romae, Venetiis atque alibi in lucem editum. Praecipua vero Irnerii laus, quod cum ante illud tempus per Italiam alii Longobardica, alii Salica, alii Romana lege uterentur, f) ille *Mathildi* Comitissae g) quae An. 1115. mo-

a) Christian Gottlieb Buder Bibl. scriptorum Germ. pag. 17.

b) Acta Erud 1728. 411.

a) Cornelius van Bynkershoek praef. de auctore authenticarum. Josephus Aurelius de Januario, in Republica JCtorum pag. 54. edit. Lips.

b) Henricus Brenemann In historia Pandectarum Florentinor. lib. 1. cap. 5. pag. 50.

c) Trithemius cap. 417. de S. E. Odofredus JCtus apud Ericum Mauritium pag. 116. diss. Ondinus tom. 2 pag. 877. Jo. Fichardus in limine vitar. JCtor. et Catellanus Cotta in recensione Juris interpretum, pag. 520. sed. qui falso ita dictum ait, *cum legum tenebrae potius ab eo initium sumserint.*

d) Gvido Pancirollus II. 4. de Legum interpretibus.

e) Conrig. cap 25. de orig. Juris Germanici.

f) Sigonius de regno Italiae lib. XI ad A. 1137.

g) Conradus Urspergensis ad A. 1237. pag. 278. ait Wernerium libros legum dudum neglectos, *ad petitionem Mathildae Comitissae* renovasse.

ritura Lombardiae Tusciaeque ditionem testamento S. Petro donavit h) vel *Lothario secundo* i), Imperatori quem An. 1137. obiisse constat, fuisse auctor traditur, ut imposterum ex uno jure Civili Romano, caeteris abrogatis, judicia fierent, unde Jus civile in publicis Italiae Gymnasiis majore celebrari studio et diligentiore coli opera coepit, Irnerio ipso, et ejus discipulis Joanne, Bulgaro, Azone, Joanne Placentino, aliisque ingenium et industriam conferentibus. In uno tamen, inquit Pancirolus k) Irnerius non parum erravisse visus est, quod ex duabus Graecarum Novellarum versionibus elegantiorem rejecit, minus Latinam et corruptam tamquam *Authenticam* in scholas JCtorum introduxit. Inde errorum postulatur Irnerius a Georgio Rittershusio, Jo. Jacobo Wissenbachio aliisque: defensitatur a Joanne Strauchio, Alexandro Pagenstechero et Guilelmo de Hertoghe, τῷ μακαρίτῃ, ut dixi lib. IV. Bibl. Latinae cap. 10. Quod autem legas in D. Sebaldi Munsteri Oratione de Irnerio et Bartolo, quae in tomo secundo declamationum Philippi Melanchthonis et aliorum Witebergensium plus simplici vice lucem vidit, Irnerium Henrici V. tempore virum summae auctoritatis in Italia eam partem quae tunc erat Romani Imperii gubernasse, nec inhonestum sibi duxisse, postquam tot annos versatus esset in Rep. redire ultima aetate ad Scholam, hoc antiquiorum scriptorum testimoniis confirmatum vellem. De Irnerii discipulis non omittendus locus Othonis Morenae in historia rerum Laudensium ad A. 1158. l) *Interea Dominus Fridericus, in Roncalia colloqium in S. Martino proximo veniente, maximum se constituit habiturum, praecepitque omnibus fere Italiae Principibus atque Civitatum Consulibus, ut ipsi Colloquio interessent: ad quod etiam quatuor principales Legis Doctores videlicet DD.* Bulgarum *atque* Martinum Grosiam, Jacobum *atque* Ugonem de Porta Ravegnana, *Bononiae Magistros, interesse fecit. Istorum autem quatuor Doctorum, et quam plurimorum aliorum fuit Magister* Gvarnerius, *doctor antiquus.* m) *Ad quem cum in extremis laboraret, accesserunt sui scholares dicentes: Domine, quem vultis post mortem vestram, Doctorem nobis constituire? Quibus ipse respondit per haec duo carmina.*

Bulgarus os aureum, *Martinus* copia Legum,
Mons Legum est *Ugo*, *Jacobus* id quod ego.

Et sic dictus Jacobus *fuit Doctor.*

ISAAC *Bonus*, infra, *Isaac Lingonensis.*

ISAAC ex Judaeo Christianus paullo ante an. 400. scripsit *librum Fidei de S. Trinitatis tribus personis et de Incarnatione Domini*, quem Gennadius cap. 26. et ex eo Honorius II. 26. *librum obscurissimae disputationis et involuti sermonis* appellat. Ad editionem paraverat Petrus Pithoeus, cum cujus Codice Canonum Veteris Ecclesiae Romanae diu post ejus obitum edito Parisiis 1687. in folio prodiit pag. 362-395. atque *Fides* ISATIS *ex Judaeo* inscribitur. Primus autem in lucem et sub Isaaci nomine protulit Jacobus Sirmondus cum Leporii, Capreoli et Victoris libellis, Paris. 1630. 8. unde recusus in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. 1672. tom. 3. pag. 734. et in tomo primo operum Sirmondi Paris. 1696. et Venet 1729. fol. pag. 401.

ISAAC cognomento *Bonus* sive *Pius*, Hilduini Abbatis Dionysiani discipulus, Archidiaconus Parduli Laudunensis interfuit Synodo Carisiacae an. 857. sed jam Episcopus *Lingonensis* Concilio apud Saponarias an. 856. Tusiacensi an. 860. Svessionensi an. 866. et Tricassinae an 878. Vide Sammarthanos tom. 2. Galliae Christianae pag. 656. Teste scriptore Chronici S. Benigni *composuit librum qui dicitur* Canones Isaac, *eoque ex libris Canonum utiliora quaeque eligendo in unum volumen coartavit.* Illum librum titulis XI. distinctum primus edi-

k) Pancirollus lib. 2. cap. 15.

l) Tom. 3 thesauri Italiae Graeviani pag. 971. et tom. 1. Leibnitii scriptor. Brunsvic. pag. 818.

h) Sigonius de regno Italiae lib. X. ad A. 1115.

i) Vide tamen quae huic traditioni opponuntur a Erid. Lindenbrogio, G. Calixto, Conringio, Seldeno aliisque apud Enricum Mauritium in dissertationibus junctim editis pag. 111. seq.

m) Ergo, ut hoc ex loco recte colligas, aliquo jam tempore ante A. 1158. Irnerius obierat.

dit ex Codice Montchallii Archiepiscopi Tolosani laudatus Sirmondus tom. 3. Concil. Galliae pag. 644-677. unde repetitus in tomis Conciliorum Labbei tom. VIII. pag. 598. Harduini tom. V. pag. 419. et Veneta Coleti, ad tomi noni calcem: et in Baluzii Capitularibus Regum Fracor. tom. 1. pag. 1233. confer tom. XI. Bibl. Graecae pag. 85. MStum Bibliothecae Sangermanensis Codicem 658. laudat Cangius.

ISAAC ab an. 1147. Abbas *de Stella* Ord. Cisterc. in dioecesi Galliae Pictaviensi scripsit *Epistolam de canone. Missae* b) ad Joannem Pictavorum ab an. 1162. Episcopum, editam a Dacherio tom. 1. spicileg. pag. 345. (edit. novae in fol. tom. 1. pag. 449-451. et in Bertrandi Tissierii Bib. Cisterciensi tom. 6. pag. 104. subjuncta eju sdem Isaaci *Epistola de anima* ad *Alcherum* cui ALCHERO vindicatur *liber de Spitu et anima* obvius in appendice ad Opera S. Augustini tom. VI. edit. Amst. p. 515. qui incipit: *Quoniam dictum est mihi*, Inedita Isaaci hujus scripta in Codice Regio Parisiensi quadringentorum annorum, Oudinus tom. 2. pag. 1485. testatur se evolvisse Expositionem *in Cantica Canticorum*, tractatum *de Sacramento Altaris* et *Sermones* in varia S. Scripturae loca et in multis festivitatibus Sanctorum.

De ISAACO *Syro* cujus plura scripta ex veteri Latina versione habemus, dixi tom. X. Bibl. Graecae pag. 168.

ISATES, supra ISAAC *ex Judaeo*.

ISEMBARDUS Floriacensis instigante Adelelmo Monacho ad Herboldum Abbatem scripsit *Acta B. Judoci*, Juthail Regis Britonum fili, ex quibus plura refert Ordericus Vitalis lib. 3. hist. Eccles. ad an. 1066. Isembardum citans de nomine pag. 497. 499

* Cum Fabricius nihil dixerit de aetate scriptoris hujus, admonuisse juvat adhuc in vivis egisse An. 1003. quo tempore Gauslinus successit Abboni in munere Abbatis Floriacensis. In vita eiusdem Gauslini, quam scripsit Andreas monachus Floriacensis, legimus hunc ipsum scriptorem dedisse librum inscriptum: *speculum puerorum*, qui hodie nullibi comparet. Vide Histor. Litterar. Galliae t. VII. p. 135.

ISIBORDUS *Amelunxensis*. Supra tom. 1. pag. 62. in ALEXANDRO Insulano.

ISICIUS, supra HESYCHIUS tom. 3. p. 227. seq.

ISIDORUS Episcopus *Asturicensis* in Hispania A. C. 675. subscripsit Concilio Bracarensi. Quid praeterea in litteras miserit, cum a Cangio inter scriptores referatur, mihi incompertum.

ISIDORUS *Caesaraugustanus* commentitius, quem Chronici duplicis scriptorem facit Josephus Pellizerius, quod inter Isidori Hispalensis scripta rectius referemus. Vide Nic. Antonium tom. 1. Bibl. vet. Hispanae pag. 256. seq. et 330.

ISIDOROS *Cordubenses* Episcopos duos facit Pseudo Dexter, unum ad an. 384. et alterum ad an. 423. et 430. memorans, Unicum circa an. 400. statuit Josephus Pellizerius *commentariorum in IV. libros Regum et utriusque Testamenti allegoriarum* auctorem. Sed allegoriae Isidoro Hispalensi rectius tribuntur. Commentarios in IV. libros Regum ad Orosium Tarraconensem ab Isidoro Cordubensi Episcopo scriptos esse confirmat Sigebertus Gemblacensis cap. 51. de S. E. Sed. parum credibile videtur eosdem hos esse qui et ipsi inter Hispalensis opera extant, (et multa eadem in adscriptis Eucherio, quae Bedae esse suspicatur Nic. Antonius tom. 1. pag. 261.) etiam *Commentarium in Lucam* Pseudo Dexter an an. 423. n. 5. et ad an. 430. n. 11. addit scriptum a juniore Isidoro Cordubensi, et ad 384. n. 8. ait Isidorum Cordubensem seniorem *Chronicon* (Hieronymi) a primo Consulatu Theodosii (h. e. ab A. C. 380.) continuasse Hunc, Episcopum fuisse negat Franciscus Bivarius notis ad Dextrum pag. 405. putatque illud Chronicon servatum in LUCA Tudensi. At nullum unquam fuisse Cordubensem Episcopum Nicolai Antonii suspicio est tom. 1. Bib. Hispanae veteris lib. 6. cap. 3. § 62. pag. 330. qui Sigeberti etiam testimonium vocat in dubium lib. 3. cap. 2. § 52. pag. 188. adde V. 5. 107. seq. pag. 254. seq. Martinus vero de Roa

a) Confer Oudin. tom. 2 pag. 233. et 1486. Visehil Bibl. Cisterc. pag. 255. qui ex uno Isaaco facit duos.

qui libros Etymologiarum Isidoro Cordubensi adscripsit, merito reprehenditur ab eodem Antonio lib. V. cap. 4. § 94. tom. 1. pag. 251.

ISIDORUS *Hispalensis*, stirpe Gothica, a) Severiano patre Carthaginensis provinciae genitus, vir egregius, et paucis superiorum saeculorum inferior, Hispalensis Ecclesiae post Leandrum b) germanum fratrem A. C. 600. defunctum Episcopus, *in omni locutionum genere formatus*, *incomparabili eloquio clarus*, *cujus ubertas admiranda*, ut verbis Hildefonsi utar *in stuporem verteret audientes*: Grammaticus necessarius judicio etiam eorum qui illi detrahunt, c) diem obiit An. 636. De quo ne plura dicam, faciunt quae copiose de eo Lucas Tudensis aliique apud Mabillonium Sec. 2. Benedictin. atque in Actis Sanctorum tom. 1 April. 4. p. 327. seq. et 900. seq. De obitu sancti viri REDEMTUS Clericus in relatione ib. pag. 349.

De scriptis Isidori, S. BRAULIO Augustanus in praefatione ad libros Isidori, (quam repetit auctor vitae t. 1 Act. Sanctor. April. p. 351. et suae de iisdem dissertationi integram praemisit Oudinus t. 1 pag. 1583.) S. Hildefonsus de viris illustribus cap. 9. Sigebertus cap. 55. Honorius III. 40. Anonymus Mellicensis cap. 26. Vincentius Bellov. speculi Hist. lib. XXIII. 31. Trithemius cap. 232. et e recentioribus praeter Labbeum eique laudatum Arnoldum Wionum tom. 1 ligni Vitae pag. 244. seq. aliosque, tum Caveum, Oudinum, consulendus inprimis Nicolaus Antonius tom. 1 Bibl. veteris Hispanae lib. V. cap. 4. p. 250. seq. Videor autem mihi actum non acturus, si et ipse scripta ejus breviter retulero.

Editiones operum Isidori hactenus exstant quatuor, una Margarini Bignaei Paris. 1580. altera longe melior Madritensis Jo. Griali 1599. tertia Jacobi Breulii, Monachi S. Germani Parisiensis, Ord. Bened. Paris. 1601. in qua praefationes Madritensis editionis omissas aegre ferunt Colomesius et alii. Haec recusa est Colon. 1617. cujus ordinem sequar in scriptis Isidori recensendis. Novam editionem quam exspectare jussit V. C. Jacobus Hommey, fata ejus praeverterunt.

1. *Originum sive Etymologiarum libri XX.* praemissis tribus ad *Braulionem* Episcopum Caesaraugustanum Isidori Epistolis, et duabus Braulionis ad Isidorum, quo defuncto deinde Braulio ultimam manum addidit Operi, inque libros digessit utilissimum sane, in quo ex optimis scriptoribus, Ecclesiasticis etiam non paucis, collegit breviterque exposuit de omni ferme argumento pleraque digna scitu, et multa bonae notae vix alibi reperiunda: lib. 1. de Grammatica, 2. de Rhetorica a) et Dialectica, 3. de quatuor disciplinis Mathematicis, 4. de Medicina, b) 5. de Legibus et temporibus: ubi breve Chronicon cap. ult. desinens in anno decimo Heraclii. 6. de libris et officiis Ecclesiasticis. 7. de DEO, Angelis et fidelium ordinibus, 8. de Ecclesia et sectis c) diversis. 9. de linguis, societatibus et cognatione. 10. Vocabula ordine alphabeti, eorumque origines. 11. De homine et portentis. 12. de animalibus. 13. de Mundo et partibus. 14. De Terra et partibus. 15. de aedificiis et agris eorumque mensuris. 16. de lapidibus et metallis 17. de rebus rusticis. 18. de bello et ludis. 19. de navibus, aedificiis et vestibus. 20. de penu, instrumentis rusticis et domesticis. Subjunguntur etiam pag. 178. fragmenta tria de ponderibus, de mensuris, variisque vocabulis. In notatione originis vocabulorum non semper rem tangit acu, uti nec Varro apud Latinos, neque apud Graecos Plato, vel Philo apud Judaeos: unde acerbior

a) Voss. de Hist. Lat. pag. 263.

b) Blondellus de Episc. pag. 73.

a) Vide Thomae Pope Blount censuram Scriptorum pag. 336.

a) Inde Isidorus de arte Rhetorica, in antiquis Rhetoribus Franc. Pithoei pag. 336-338.

b) Symphoriani Camperii commentarium in librum IV. Isidori de re Medica memorat. Nic. Antonius tom 1 pag. 255.

c) Catalogus haeresium ex Isidoro repetitur a Gratiano parte 2. Decreti, causa 24. qu. 3. editus etiam ab Hieronymo Gebwiler Argentor 1523. 4. cum S. Augustini de Fide atque operibus et S. Hieronymo contra Helvidium et Vigilantium: et separatim a Jo. Quintino JCto, Paris. 1560.

Christoph. Becmanni censura, *nil nisi nugas agere et risum movere*: et Salmasii ad Hist. Augustam pag. 28. *Isidorum more suo ineptum in etymologiis tradendis* improbantis, quem tamen in multis defendendum, alii eruditi docuere. Vide Nic. Antonium tom. 1 p. 251. seq. Prodiit hoc opus Isidori in Italia a) ex veteri editione sine loco et anno: tum Augustae Vindel. 1472. per Gintherum Zainer ex Reutlingen, quae exstat apud venerandum nostrum Wolfium: et Venet. 1483. et Basil. 1489. Paris. 1509. 1520. nec non Haganoae apud Secerium, 1529. et cum Marciano Capella, ex emendatione Bonaventurae Vulcanii Basil. 1577. fol. tum inter Isidori Opera curante Margarino Bignaeo Paris. 1580. fol. atque ex Dionysii Gothofredi recensione inter scriptores Latinae linguae Genev. 1595. 1602. 1622. 4. denique cum notis praeclaris Joannis Griali, qui observationibus Alvari Gomezii, Antonii Augustini, et Petri Ciacconii usus est, in editione Operum Isidori Madritensi 1599. recusa Paris. 1601. et Col. 1617. fol. Eximii Codices antiqui MSti Lugd. Batavorum inter libros qui fuere Isaaci Vossii.

2. *De differentiis, sive proprietate verborum* b) liber I. pag. 179. ex Agraetio c) aliisque antiquis de hoc argumento scriptoribus, de quibus dixi in Bibl. Latina IV. 6. Liber II. *de differentiis spiritualibus* verborum sacri et moralis argumenti pag. 185. Auctores citat Lactantium et Fulgentium. Liber tertius primo longe plenior, digestus ordine litterarum, atque notis eruditis illustratus ex edit. Madritensi 1599. fol. qui *differentiarum sive de proprietate sermonum* inscribitur pag. 194. praemissa praefatione in qua Isidorus notat veteres subtilius verba et verba distinxisse, sed Poëtis necessitate metrica sermonum proprietates confundentibus, consuetudinem obtinuisse ut pleraque ab auctoribus indifferenter acciperentur. *De his* inquit *apud Latinos*, Cato *primus scripsit, ad cujus exemplum ipse paucissimas* differentias, *partim edidi, partim ex auctorum libris depromsi, tibique, Lector, pro delectatione subnotavi.* Non alius fuit liber quem MS. habere se testatus, edere voluit Barthius XXXII. 1. Adversar. Adde XXXIX. 14. Citat Isidorus in hoc libro etiam Grammaticos *Melissum* et *Palaemonem*.

3 *Synonymorum* sive *Soliquiorum* libri duo pag. 216 praemissa Epistola ad Braulionem Archidiaconum. Meditationes et praeceptiones morales sunt, quae *soliloquia* vocantur, quia homo solus plangens secum, vel rationem suam in consilium vocans inducitur: synonyma vero, quia eadem res aliis aliisque verbis repetita inculcatur. Prodierat Antwerp. 1488. 4. Atque Italicae versionis a Josepho Alchaino compositae editaeque Venetiis A. 1570. meminit Nic. Antonius tom. 1. pag. 263.

4. *De contemptu Mundi* libellus pag. 227. quem ait se scripsisse imitatione libri *Ciceronis*, illius scilicet quo consolationem de obitu Tulliae suae fuit complexus. Lucem viderat Venet. 1523. 8.

5. *De norma vivendi*, pag. 230.

6. *Exportatio poenitendi, cum consolatione ex misericordia DEI, ad animam futura judicia formidantem* pag. 233.

7. *Lamentum poenitentiae* rhythmis trochaicis, alphabeto duplici pag. 234. Incip. *Audi CHriste tristem fletum, amarumque canticum.* Confer Lucam Tudensem in Isidori vita cap. VI. tom. 1 Act. Sanctor. April. 3. pag. 340 seq.

8. *Oratio pro correptione Vitae, flenda semper peccata* pag. 239. *Oratio contra insidias diaboli* pag. 244.

9. Epistola ad *Massanum* sive *Massonem* Emeritensem Episcopum *de lapsu Sacerdotis et reparatione* data A. C. 609. pag. 245. edidit et Canisius t. 1. part. 2. antiquar. Lect. pag. 300. (edit novae Basnagianae t. 2. p. 147.) et Octavianus Cajetanus Rom. 1616. 4. Exstat et in Actis Sanctor. tom. 1. April. pag. 342. vide Nic. Antonium tom. 1 pag. 263. seq. et 268. Haec Epistola plane commentitia videtur Joanni Morino lib. IV. de poenitentia cap.

a) Vide Gesneri Bibl. pag. 468.

b) Vide Goldastum ad Valerium de bono disciplinae, inter paraeneticos veteres pag. 54.

c) Perperam *de proprietate rerum* apud Sigebertum cap. 55.

138

15. § 6. quod pluribus probat Oudinus tom. 1 pag. 1586. seq.

10. *De natura rerum* liber ad Sisebutum Regem.. pag. 246. Hic est *liber rotarum* in Chronico Fontanellensi, Trithemio cap. 232 *Cosmographia*: aliis *de Mundo*, vel *Astronomicus* sive *de Astris*. et in edit. Augustana 1472. fol. *de responsione Mundi et ordinatione astrorum*. Vide Nic. Antonium tom. 1. Bibl. vet. Hispan. pag. 253. *Sane non contemnendum opusculum*, inquit Scriverius ad Vegetii V. 11. et *dignum Viri docti censura. Multa indidem fragmenta Nigidii, Varronis, Svetonii Tranquilli et aliorum haurienda.*

11. *Chronicon* ab origine rerum usque ad annum quintum Imp. Heraclii, et Principis Sisebuti, cum notis *Garciae de Loaisa*, ex edit. Madritensi

Praeter rem hoc Chronicon alii ad ISIDORUM *Pacensem* auctorem retulere: Hujus vero auctor Chronici perinde ut Isidorus Hispalensis V. ult. etymologiar. profitetur se vestigiis insistere Julii Africani, Eusebii, Hieronymi et Victoris Tunnunensis. Prodierant A. 1477. sub. tit. *de temporibus*: et cum Gerhardi Mercatoris et Matthaei Beroaldi *Chronologia*, Basil. 1577. 8. per Thomam Gvarinum. In MS. Vossiano Bibl. Leidensis inscribitur *Chronica de sex Mundi aetatibus*: et in ipsis paginis, *Imago Mundi. Abbrevationem temporum* vocat Anonymus Mellicensis cap. 26.

12. *Historia sive Chronicon Gothorum.* pag. 274. ab aera Hisp. 214. (A. C. 176.) usque ad mortem Sisebuti Regis, aera 666. (A C. 628.) subjuncta appendice *de Vandalis*, quae eadem fere legitur in limine historiae Roderici Toletani, et *de Svevis.* a) p. 277. Prodiit in libro secundo Chronici Lucae Tudensis tom. IV. Hispaniae illustratae, et integrior cum Codice sive XII. libris legum Wisigothorum ex Bib. Petri Pithoei, Paris. 1579. fol. et in Hispania illustrata Andreae Schotti t. 3. p. 847. et cum scholiis Garciae de Loaisa, Taurini 1593. 4. et cum Bonav. Vulcanii notis, subjunctum Jornandi pag. 201. Lugd. B. 1597. 8. et cum Jornande ac Paulo Warnefrido Frid. Lindenbrogii, p. 181. Et Vulcanius pag. 235. et Lindenbrogius Hamb. 161. breve *Chronicon Regum Wisigothorum* adjunxere. Longe emendatior et auctior historia illa exstat in Hugonis Grotii collectione rerum Gothicarum, Amstelod. 1655. 8. pag. 707. et in Philippi Labbei Bibliotheca nova MSturum pag. 61. seq. et in Agvirrii Conciliis Hispaniae tom. 2 p. 183. seq. vide Nic. Antonium t. 1. p. 256. seq.

13. *Liber proemiorum de libris* quos in Canone recipit Ecclesia Catholica, *Veteris* pag. 278. *et novi testamenti* pag. 282. Quae fuerit eo tempore sententia Ecclesiae Occidentalis de Canone librorum sacrorum, ex hoc aliisque Isidori scriptis bene potest intelligi, ut notavit Richardus Simon in Censura Bibl. Ecclesiasticae Dupinianae tom. 1. pag. 252. seq. qui etiam pag. 259. seq. notat Latinam versionem librorum Biblicorum non semper Hieronymianam sequi, sed aliam subinde, uti in Psalmis Romanum sive Italicum Psalterium, de quo vide Bonam II. 3. rerum liturgicar. et Nic. Antonium tom. 1. pag. 262.

14. *Commentaria* allegorica et vicina iis quae inter *Eucherii et Bedae* opera leguntur, sive *Quaestiones et mylicorum expositiones Sacramentorum in Vetus Testamentum*: in quibus auctor ait se sumsisse dicta *ab Origene, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Cassiano, Augustino, Fulgentio, ac nostris insigniter temporibus eloquenti Gregorio.* In Genesin pag. 283. Exodum pag. 305. Leviticum pag. 315. Numeros pag. 320. Deuteronomium p. 326. Josue pag. 330. Judicum pag. 333. Ruth. pag. 336. Regum librum pag. 337. II. pag. 342. III. pag. 344. IV. pag. 345. *In Esdram, et de Maccabaeis* pag. 347. ex edidit. Colon. 1530. 8. Expositio *in canticum Canticorum* pag. 503. Totum vetus Testamentum simpliciter exponendo percurrisse Isidorum testatur Sigebertus cap. 55. Hoc est quod Isidorus ipse mysticam expositionem traditurus: *Et quia jam pridem juxta litteram a nobis sermo totus contextus est.* Sed illum hodie desideramus.

a) Habet et Goldastus in scriptoribus rerum Svevicarum Francof. 1605. et Ulm. 1723. fol. pag. 4.

15. *Allegoriae Veteris* pag. 348. *et Novi testamenti* pag. 351. prodierant Haganoae apud Jo. Secerium 1529. 4. Notae *Cypriani Svarez* sive *Soarii* in editione Madritensi Operum Isidori An. 1599. In Codice Cotelerii inscribitur hic Isidori liber: *de significationibus Veteris et Novi Testamenti.* Vide ad Patres Apostolicos tom. 1. pag. 738. Braulioni *de nominibus Legis et Evangeliorum.*

16. Liber *de Scriptoribus Ecclesiasticis* XXXIII. pag. 355. Prodierat cum Hieronymi, Gennadii, Honorii, Sigeberti et Henrici Gandavensis scriptis similibus, editore Suffrido Petri, Coloniae 1580. 8. et in Conciliis Hispanicis Garsiae Loaisae An. 1593. et in Andreae Schotti Hispania illustrata t. 1 Franc. 1603. fol. et in Auberti Miraei Biblioth. Ecclesiastica, Antwerp. 1638. Hamb. 1718. fol. Et in Conciliis Hispanicis Loaisae et Agvirrii t. 3 p. 71. Non diversus hic *liber* a libro *de Viris illustribus* XLVI. qui pag. 511. ex. Garsiae Loaisae Conciliis Hispanicis, Madrit. 1593. fol. exhibetur, tantum addita capita a) XIII. 1. de Sixto Papa, 2. de Macrobio Diacono. 3. Philastrio, 4. Theodoro Mopsevesteno (caput 5. de *Ossio* primum est in libro de S. E.) 6. Rufino, 7. Vergundo sive Verecundo, 8. Victorino Episcopo, 9. Idacio Chronici scriptore, 10. Eusebio Episcopo Dorilaetano, 11. Cereali, 12. Ferrando Afro, 13 Petro Ilerdensi et 14. de Marcellino Presbytero. Inde cap. 18. de *Idacio* Priscillianistarum adversario est caput secundum in libro de S. E. atque ita deinceps capita conspirant omnia ad extremum usque, quod utrobique est de Maximo Caesaraugustano Episcopo. Subjunctus ibidem pag 519. HILDEFONSI Toletani libellus de Viris illustribus duodecim, de cujus aliis editionibus dixi supra tom. 3. pag. 766.

17. *De vita vel obitu* Prophetarum et Apostolorum, sive *Sanctorum qui DEO placuerunt LXV. Veteris* pag. 359 et. XXII. *Novi Test.* pag. 364. Prodierat in Orthodoxographis, Basil. 1569. fol. parte 2. p. 1736. et ex veteri editione in 4. sine loco et anno, tum Haganoae 1229. apud Jo. Secerium. 4. Usserius allegat libellum de festis Apostolorum in Martyrologio Hieronymiano, ex quo ait Isidorum hausisse quae de Sanctis N. T. scripsit.

18. Ad *Florentiam*, sororem suam, *de nativitate Domini, passione et resurrectione, Regno atque Judicio* pag. 367. Fragmentum insigne versionis antiquae Theotiscae ex Codice Colbertino, quem illustris Baluzius ei communicaverit, cum Tatiani harmonia vulgavit atque insigni glossario auxit et illustravit vir egregius Jo. Philippus Palthenius, Gryphiswald. 1706. 4. Repetitum etiam in celeb. D. Jo. Schilteri t. 1. thesauri Antiquitat Teutonicarum. Ulm. 1727. f.

19. *De gentium vocatione*, ad eandem Florentiam. pag. 379. Hoc cum superiore scripto absolvit libros duos *contra Judaeos*, Venet. 1483. 4. sive *contra nequitiam Judaeorum*, editos apud Jo. Secerium. Haganoae 1529. 4. Venet. 1584. atque in Oceano Juris sive tractatu tractatuum, tomo XIV. pag. 23. Inscribitur etiam *de Fide Catholica ex Veteri et Novo Testamento*: vel *testimoniorum de Christo et Ecclesia.* Vide Nic. Antonium t. 1. p. 262.

20. *De Ecclesiasticis officiis* ad Fulgentium Episcopum Astigitanum libri II. pag. 391. Editi primum a Joanne Cochleo Lips. 1534. 4. deinde ex Cochleo Parisiis apud Vivantium Gautherot 1542. forma minore et 1564. 8. et in Orthodoxographis, Basil. 1569. fol. Atque in Melch. Hittorpii sylloge scriptorum de Catholicis Ecclesiae officiis, Colon. 1568. fol. ubi desunt duo postrema libri secundi capita *de suffragiis Ecclesiae, et quorum suffragia prosunt*: atque eorum loco haec legitur clausula pag. 36. *Haec sunt pauca ex multis, quae probabilium virorum novimus percepisse doctrinis, quorumque eloquia perinde quibusdam in locis a nobis interesse noscuntur, ut sermo noster paternis sententiis firmetur.* Exstant hi libri etiam in sylloge scriptorum de Officiis Ecclesiasticis Romana 1591. fol. Paris. 1610. fol. et in Bibliothecis Patrum Paris. 1644. tom. X. et in aucta-

a) Illa XIII. capita, appendicis more subjiciuntur Isidoro, Hildefonso, Juliano ac Felici Toletano in editione Miraei, et apud Agvirrium t. 3 Concil. Hispan pag. 84.

rio an. 1624. Exstat et in Act. Sanctor. t. 1. April. p. 345. Ex hoc Isidori opere petita dicta in Anonymi tractatu de benedictione DEI ad Bathericum Episc. ab an. 816. ad 842. Ratisbonensem edito a Stevartio p. 799. seq. et in edit. lection. Canisianarum Basnagiana t. 2. p. 38. Isidori *Exegesis in Missae Canonem* Paris. 1548. 8.

21. Ad *Ludifredum*, sive *Leofredum*, Cordubensem Episcopum, quodnam Episcopi et caeterorum sit officium in Ecclesia, pag. 413. ex Ivone et Gratiano, ubi deest pars postrema quae ex MS. offertur pag. 486. *De Praelatis* fragmentum cum Goldasti notis edit. 1601. 8. cum Valeriani Cemeliensis sermone de bono disciplinae.

22. *Sententiarum* Theologicarum libri III. ex Gregorii M. moralibus magnam partem excerpti, p. 414. cum notis Gargiae Loaisae pag. 427. 452. 478. ex editione Taurinensi 1593. 4. In illis erudita multa, illud vero prorsus destitutum naso critico quod p. 483. scribit. Loaisa: *nostris etiam exulceratissimis temporibus*, *Oecolampadii volumen adversus Sacramentum Eucharistiae*, Bertramio *Presbytero ad Carolum Magnum adscribitur: Carolostadii opus adversus imagines ipsi* Carolo Magno: *Calvini quidam liber* Alcuino *Caroli M. praeceptori.* Isidori libri in antiquioribus editionibus inscribuntur *de summo bono*, quia incipiunt a verbis: *sumum bonum DEUS est.* Lovanii 1486. 4. per Joannem de Westafalia, et Lipsiae 1493. Atque sine loco et anno, in 12 Vide Theophili Sinceri *Nachrichten von alten und raren Buchern* pag. 163. Prodiit et Paris. 1519. 12. 1538. Hic videtur esse *liber Ecclesiasticorum dogmatum* Sigeberto cap. 55. nam qui in editione Bignaeana Parisiensi an. 1580. Isidoro hoc titulo tribuitur, auctorem habet Gennadium Massiliensem. Isidorus *in Fide Cathotica* laudatur ab Ænea Paris. contra Graecos: sed intelligit libros de quo supra n. 19. Ex libro primo sententiarum cap. 7-10. et 38. seq. petitus Liber *de conversis ad Monachos* quem velut ineditum vulgavit Canisius tom. V. 2. antiqu. Lect. pag. 305. (tom. II 2. edit. novae pag. 153.) ut Constantino Cajetano observatum.

23. *Epistolae sex* pag. 486. duae ad Braulionem, Archidiaconum una, altera jam Episcopum: tertia ad Helladium aliosque Episcopos: quarta ad Claudium Ducem, quinta ad Redemptum Archidiaconum, et sexta ad Eugenium Episcopum Toletanum. Exstant et in Actis Sanctor. t. 1 April. pag. 343. seq. Ex his quintum de usu panis azymi in Occidentali Ecclesia, suspectam habent viri doctissimi. Vide Nic. Antonium t. 1 pag. 264. Quartam sextamque refutat Oudinus tom. 1 pag. 1592. seq. Dallaeus III. 2. de cultibus Latinor. religiosis p. 296. W. E. Tentzelius de Symbolo Athanas. pag. 53. seq.

24 *Regula Monachorum* capita XXIII. ad Coenobitas Honorianenses p. 490. Eadem quae in Codice Regularum Holsteniano Rom. 1661. 4. p. 118. et Paris 1663. 4. Caput ultimum, *Sententia de Regula devotarum*, in Edmundi Martene tom. IX. monumentorum veterum pag. 160.

25. *De conflictu vitiorum et virtutum* liber pag. 497. qui alieno loco lectus inter opera S. Ambrosii, Augustini, Leonis Magni. Vide Nic. Antonium tom. 1 pag. 265. qui malit tribuere AMBROSIO *Autperto* quod Oudino etiam placet t. 1 p. 1596.

Notae virorum Doctorum in Isidori opera per *Joannem Grialum* collectae et auctae pag. 523-618.

26. *Liber glossarum* ex variis glossariis, quae sub Isidori nomine circumferuntur collectus pag. 618-631.

Prodiere et cum glossis Graeco latinis Philoxeni et aliorum, ex recensione Bonav. Vulcanii, Lugd. B. 1600. fol. atque inter scriptores Latinae linguae, recensitos a Dionysio Gothofredo, Genev. 1595. 1602. 1622. 4. et cum annotationibus Joannis Ludovici de la Cerda, in ejus adversariis sacris, Lugd. 1626. fol. capite CXLI p. 317. seq. et novissime illustratae eruditis Jo. Georgii Graevii observationibus, et *auctario glossarum* atque collectaneis Theodori Janssonii ab Ahmeloveen, una cum Lexico philologico tertium edito Matthiae Martinii, Trajecti ad Rhen. 1698. fol. (exempla quaedam referunt Amst. 1701.)

SCRIPTA quae in novissima Operum Isidori editione desiderantur.

Chronicon breve Regum Wisigothorum. Vide supra n. 12.

Sententia de regula Devotarum. Supra n. 24.

De Praelatis fragmentum, supra, n. 21.

Exegesis in Missae Canonem supra n. 20.

Sermones plurimos diversis temporibus habitos, stylo egregio scriptos Isidorum transmisisse ad posteros, scribit Anonymus Mellicensis cap. 26. Sermonem *in natali S. Æmiliani*, Episcopi Vercellensis, MS. in tabulario Ecclesiae Vercellensis vidit Jo. Stephanus Ferrerius.

Sanctorum trium Episcoporum, Religionis Benedictinae luminum, Isidori Hisp. Ildephonsi Toletani et Gregorii R. E. Cardinalis Episc. Hostiensis Vita et actiones scholiis illustratae. Accesserunt opuscula quaedam ejusdem Isidori antea non edita. Rom. 1616. 4. curante *Constantino Cajetano*, Syracusano: nimirum *Sermo* brevis *in die Nativitatis Domini*, alius *de sanctis Angelis*. Fragmenta *commentariorum in Regulam S. Benedicti*, de quibus vide Nic. Antonium tom. 1 pag. 268. *De conversis ad Monachos*, supra n. 3. *Oratio* sive *Confessio*, quam iterum edidit Jo. Tamajus Salazar t. 2 martyrologii Hispani.

Hymnus duplex in laudem S. *Agathae* exstat in Actis Sanctor. tom. 1 Febr. V. pag. 596. Unus incipit: *Adesto plebs fidissima.* Alter: *Festum insigne prodiit.*

Explanatio *Danielis* Prophetae, et *de Susanna*, MS. in Bibl. Leidensi. Vide Catalogum pag. 329. Commentarius *in Cantica Canticorum* qui legitur inter Gregorii M. opera, Isidoro in quibusdam Codd. tribuitur. Liber *de ordine creaturarum* ad Braulium Episcopum urbis Romae (Caesaraugustae) editus a Dacherio tom. 1 spicileg. pag. 268. (edit. novae tom. 1 pag. 225.) vide Nic. Antonium tom. 1 p. 266. ubi disquirit quomodo Romae potuerit nomine Caesaraugusta venire.

Liber de miraculis CHristi, Nic. Antonius p. 267. ex Monastico Anglicano p. 223.

De S. Trinitate Trithem.

De corpore et Sanguine Domini. id.

De institutione jejunii Quadragesimalis fragmentum edere promisit Boxhornius notis ad Clodium Albinum Spartiani. Sed fortasse idem fuit cum lib. 1. cap. 36. de Officiis Ecclesiast.

De partibus Orationis, MS. in Bibl. D. Caroli de Montchal: fortasse non diversum a capitibus quibusdam libri primi Originum: Similiter *de numeris* quod Braulioni memoratur ex libro tertio, et *de haeresibus* ex libro octavo. Etiam librum *de nominibus Legis et Evangeliorum* et librum *de Mysteriis Salvatoris* puto latere in num. 13. 14. 15.

Librum Prophetiarum Isidori, pseudo Luitprandus pag. 486. adversariorum ait se vidisse scriptum lingua Latina, Gothica, vulgari Hispana et Arabica.

Lucas Tudensis in vita cap. 5. p. 340. nescio quod ejus *alphabetum Papiae judicum* a) memorat, et *alphabetum verbalium*, *Theologicarum distinctionum*, *alphabetum librorum*, *orationis*.

De *oratione Synodali* in Synodo Hispalensi An. 636. paullo ante obitum habita, in qua Arii haeresin et Acephalitarum superstitionem condemnavit, mentionem facit Braulio, et scriptor vitae cap. 9. tom. 1 Act. Sanctorum April. pag. 347.

Missale et *Breviarium* Hispanicis Ecclesiis praescriptum ab Isidoro non satis constat, atque dubitant viri eruditi Liturgiam *Mozarabicam* sive *Mixtarabicam* ad Isidorum auctorem referre. Confer W. E. Tenszelium de ritu Lectionum sacrarum §. LIV. *Legum* etiam *Wisogothicarum* libros XII. a Petro Pithoeo, Paris. 1579. fol. et in Frid. Lindenbrogii Codice Legum antiquarum, atque in tom. tertio Hispaniae illustratae editos, post Isidorum demum collectos docent. Confer Nic. Antonium tom. 1 p. 269. 270.

De *Collectione Canonum*, *Conciliorum* et *Epistolarum Decretalium* adhuc ut ferunt inedita, certe diversa ab illa Isidori Mercatoris, vide quae notavi t. XI Bibl. Graecae pag. 13. seq. et 66. et Nic. Antonium tom. 1 pag. 270. seq.

a) An *patronymicorum*?

Interciderunt *commentarii allegorici* in plures libros Vet. Test. et *litterales* universi. Vide supra n. 14.

* Veniam peto ab aequis lectoribus, si eorum sub oculis hic repraesentem omnium quot unquam audierim vel legerim, vetustissimum codicem etymologiarum S. Isidori, quem servat Bibliotheca Malatestarum Caesenaten. librum quem credo scriptum saeculo VII. continet vero ille libros XXV. nempe V. ultra numerum quem editi praeferunt. Id vero discrimen non inde provenit, quod addita sint quaedam supra edita, sed ex diversa tantummodo disponendi operis ratione. Ita ergo distribuitur. Quatuor priores libri sunt ut in editis excepto quod libri IV. cap. 13 de initio medicinae deest. In lib. V. variat nonnihil chronicon Isidori, quod incipit in hoc codice *Ordinem temporum*. Reliqui dein libri usque ad cap. 26. lib. XVIII. pari passu cum editis procedunt, sed initium capitis 27 in editis est in codice initium libri XIX. Tum caput 20. lib. XVIII. in editis est ibi liber XX. liber XXI. incipit a cap. 52. lib. XVIII. liber XXII est cap. 60. libri XVIII. liber XXIII. exorditur a cap. 7 libri XIX. liber XXIV. a cap. 20 lib. XIX. Denique totus liber XXV libro XX. editorum cohaeret. Additamenta illa quae in editio Parisiensi 1601 pag. 269 scorsum dantur hic etiam, sed non omnia comparent ad marginem descripta ut *talentum etc. minae etc. obolus etc. siclus etc.* Sunt vero haec additita alterius et paulo recentioris manus quam reliqua omnia. Variantes quaedam occurrunt non contemnendae quas tamen ego majori diligentia adnotare ex temporis angustia prohibitus sum. Unum hoc tantummodo non neglexi. Quo loco inedito lib. XIX. cap. 19 legitur *Cantejum, Gallaia, Guvia;* ibi est *Canteria Lingulina*. Denique in fine libri eadem ac caetera manu versus isti leguntur:

Ut est labor Agricolis (*sic*) vomere proscindere terras
Est mihi arundineus (*sic*) calamus sulcare novales
Ille etiam tostas congaudet cernere messes
Sic et ego finem lecto concludere versum (*sic*).'

Libro de officiis nactus sum in altero MS. cod. Lucensi saec. VIII. scripto, atque in illo postrema duo illa capita desiderari animadverti, quae et in Hittorpii editione desunt; sicut et ibi pariter iisdem verbis, quibus et editus Hittorpianum totum opus concluditur. Denique praetereundum haudquaquam duco collectionem Canonum Isidorianam evulgasse Romae an. 1741 virum cl. Caietanum Cenni, qui et adductis in praefationem argumentis sincerum illum Isidori Hispalensis foetum esse demonstrat.*

ISIDORUS *Hispalensis* junior, idemque antistes Caesaraugustanus, confictus a Josepho Pellizerio, ut pag. 538. jam dicere me memini.

ISIDORUS *de Isolanis* Ord. Praed. *summam de donis Josephi*, fabri lignarii scripsit ad Hadrianum VI. circa An. 1522. *Vitam S. Veronicae*, Mediol. 1518. et in Actis Sanctorum t. 1 Januar. 13. p. 887. seq.

*Edidit et absolvit *epitomen quaestionum in quatuor libros sententiarum a Joanne Capreolo disputatarum* quam morte impeditus, imperfectam reliquit. Prodiit Papiae in 8. 1522. Dedit insuper disputata Catholica *de igne inferni*, *de igne purgatorio*, *de merito animarum Purgatorii etc. de dispositione dantis et recipientis indulgentias*, *de remissione per indulgentias*, quod opus absolvit Papiae an. 1513. prodiitque in 8. absque descriptione loci et anni. Denique digessit epitomen *De omnium motuum velocitate*, seu *in proportiones F. Alberti de Saxonia* quae pariter prodiit in 4 absque ascriptione loci et anni.

ISIDORUS Metropolita *Kioviensis* et Patriarcha Ruthenus Concilio Basileensi et Florentino interfuit, et a Nicolao V. legatus CPolin, post captam An. 1453. urbem, Turcorum manibus elapsus rediit in Italiam, et Episcopus Sabinensis atque Cardinalis Diaconus obiit An. 1463. De eo Allatius p. 266. seq. contra Creyghtonum. Ughellus tom. 1 Italiae sacrae pag. 179. H. Warthonus ad Caveum, ad An. 1438 Exstat Latine ejus *Epistola* sive lamentatio *de expugnatione CPoles* in Nic. Reusneri Epistolis Turcicis lib. 4. pag. 104. Francof. 1598. 4. et apud Odoricum Raynaldum ad An. 1453. n. 6.

ISIDORUS *Mercator* auctor habetur collectionis *Canonum* et *Epistolarum decretalium* a Clemente Romano usque ad Gregorium M. quam toties recusam primus Paris. 1524. vulgavit in sua (prima omnium) Conciliorum editione Jacobus Merlinus. Eam sub nomine *Isidori* Episcopi *Hispalensis* venditatam fuisse locuples testis est Hincmarus Remensis Opusc. 48. cap. 21. tom. 2 Opp. pag. 793. idem qui de Hispania allatam a Riculfo Moguntino (ab An. 787. ad 814.) Episcopo testatur Opusc. 33. cap. 24. tom. 2 pag. 476. unde pauca illa quae annos seriores sapiunt, illi deinde ab aliis adjecta esse oportet. In melioris notae Codicibus, teste Petro de Marca III. 5. de concordia Sacerdotii et Imperii, auctor illius sylloges non *Isidorus Mercator* sed *Isidorus Peccator* vocatur, quo nomine nullus alius quam Isidorus Hispalensis intelligitur, ut intellexit etiam Vincentius Bellov. XXIII. 31. seculi Hist. ex more tralatitio quo Episcopi se peccatores et ἁμαρτωλὲς in Epistolis suis et in Conciliorum etiam subscriptionibus confitebantur. Cum autem indigna sit Isidori Hispalensis eruditione, propter dictionis sordes et rerum imperitiam illa collectio, et juniorum etiam Conciliorum meminerit et nullus post celebrem illum fuerit Episcopus junior Hispalensis Isidorus: praestat statuere, nomen collectoris adhuc esse ignotum, quam ex confictis Luitprandi et Juliani Toletani Chronicis *Isidorum Mercatorem*, Episcopum *Setubensem* (Xativa) qui A. 805. diem obierit, fraudis architectum comminisci. Plenas vero fraudis et indignas fide esse Epistolas, sive merces quae in illa syllogo offeruntur, et ante Blondellum suboluit viris celeberrimis Nic. Cusano Cardinali, Antonio Augustino aliisque: Baronio etiam ac Bellarmino: a) ex instituto autem ita evidenter demonstratum fuit a Davide Blondello b) contra Franciscum Turrianum, in Pseudo Isidoro Genev. 1628. 4. ut doctissimorum in Romana Ecclesia Virorum a) assensum meruerit, qui usurpationes Pontificum, falsis fultas decretalibus, probare tamen coguntur. Merlini editionem, quam deinde aliae insecutae sunt minus distinctam accuratamque esse viri eruditi conquesti sunt, itaque ex MStis Codicibus, qui exstant non pauci, meliorem adornari optant, qua de re vide si placet quae dicta in Bibl. Graeca t. XI p. 47. seq.

* Vellem Fabricius proderet doctos illos Romanae communionis scriptores qui epistolas Romanor. Pontificum collectionis Isidorianae suppositionem recognoverint; simul vero iis usi fuerint ad Pontificum falsas ut ipse ait, usurpationes stabiliendas. Illi omnes, qui nostro hoc saeculo authoritatem Romani Pontificis asserere aggressi sunt, inter quos primas tenent, quos hic honoris causa nomino, Blancus Minorita Lucensis qui contra Giannonem Neapolit. JCtum calamum acuit, (177. *Della potestà e della politia della Chiesa trattati due contro le nuove opinioni di Pietro Giannone.* Roma 1745-51. Tomi 6. vol. 7. in 4. De quo vidend. op. Caes. Lucchesini Stor. Lett. di Lucca XXI. 66.) Ursius, Mamachius Dominicani professores doctissimi aliunde profecto quam ex Isidoriana officina arma sibi providerunt ad jura Pontificia propugnanda *

ISIDORUS *Pacensis* sive *Pacis Juliae* (Beja sive Bajados) in Lusitania Mauris adhuc subjecta Episcopus circa An. 754. traditur continuator Chronici Isidori Hispalensis ab An. 610. ad 754. Prodiit editore Prudentio Sandovallio, Pampelonensi Episcopo, Pampelonae 1634. fol. atque inscribitur: *Epitoma Imperatorum vel Arabum ephemeridos una cum Hispaniae Chronico.* Vide Nic. Antonium lib. VI. c. 3.

a) Petrus de Marca III. 5. et VII. 20. Rob. Cocus in censura scriptorum pag. 59. seq. Jo. Rainold. tom. 1. praelect. de Apocryphis pag. 203. seq.

b) Adde Jo. Rainoldi colloquium cum Hardio pag. 815. seq. Oudinum tom. 2 pag. 46. seq. Sam. Basnage tom. 2 Annal. pag. 3. seq.

a) Vid. D. Jo. Gerhardi Confess. Cathol. tom. 1 pag. 430-576. Schelstratenus Antiquitat. illustratae pare 2. diss 5. cap. 5. seq. pag. 440. seq. Jo. Bona lib. 1. cap. 5. Liturgic. Acta Erud. t. 6. supplem. p. 390. ex Claudio Fleury, Recueil de pieces d'histoire et de litterature, tom. 2 Paris. 1713. 12. Journal des Sav. 1733 pag. 132. etc.

Bibl. veteris Hispanae tom. 1 p. 328. seq. Vossium pag. 710. Oudinum tom. 1 pag. 1793. Bibliothecam Vilenbroukianam pag. 190. Addidit Sandovallius cum IDACIO quem continuavit Isidorus, continuatores SEBASTIANUM Salmanticensem, SAMPIRUM Asturicensem et PELAGIUM Ovetensem, de quibus suo loco.

S. ISIDORI Episcopi *Palatinensis* Soliloquia, ex veteri editione sine loco et anno in fol. in Bibl. Baluziana p. 16. Vide quae de Soliloquiis istis inter scripta S. Isidori Hispalensis n. 3.

ISIDORUS *Peccator*. Supra *Mercator*.

ISIDORUS *Ruthenus* Supra, *Isidorus Kioviensis*.

ISIDORUS *Setubensis*, supra *Mercator*.

ISO *Magister*, Monachus S. Galli, et Doctor nominatissimus, defunctus A. 871. prid. Id. Maji teste Hermanno Contracto in Chron. et Hepidanno in Annalibus apud Goldastum tomo 1 rerum Alemannicarum, in quo volumine obvius etiam Ratpertus Monachus, in cujus libro de origine et casibus Monasterii S. Galli, multa in laudem Isonis leguntur pag. 12. atque inprimis pag. 22. seq. et 77. ubi laudantur ex ejus discipulis, Marcellus, Notkerus Balbulus, Notkerus Magister artis theoricae, Ratpertus, Tutilo, Hartmannus etc. Ejusdem Isonis libri quo *de miraculis S. Othmari* Abbatis S. Galli exstant in eodem tomo primo rerum Alemannicarum pag. 180-189. et apud Mabillonium Sec. 3. Ord. S. Benedict. parte 2 pag. 162. *Formulae chartarum* in centuria apud eundem Goldastum tom. 2 Alemannic. p. 28. 30. 33. 36. 48. et 54. seq. Grimaldo Abbate, adeoque ante An. 872. non An. 913. ut Goldastus p. 5. *Glossas in Prudentium* Poëtam, ex duplici Codice, Caroli Widmanni et Jacobi Bongarsii vulgavit ad calcem Prudentii sui Joannes Weitzius pag. 771-904. Hanov. 1613. 8. *Lexicon Latinum* ex omnibus veterum glossariis collectum sub nomine Salomonis Episcopi, quod in monasterio S. Galli et Constantiae in Bibl. cathedrali asservari Goldastus p. 144. testatur, nemo adhuc in lucem protulit. Fertur et *Carmina* quaedam composuisse, etiam ipsa needum publice visa.

ISRAEL *Canonicus Upsaliensis*, circa An. 1321. scriptor *miraculorum S. Erici, Sveciae Regis* de quo supra, *Israel* ERLANDI tom. 2 pag. 518. ubi emendandum quod Ordini Minorum ibi adscribitur, nihil enim certius quam ex Ordine Praedicatorum fuisse. Vide Jacobum Quetif t. 1 pag. 544. seq.

ISYCHIUS. Supra HESYCHIUS.

ITACIUS sive ITHACIUS, supra IDACIUS.

Anonymi synchroni *breviarium* ITALICAE *historiae* a temporibus Friderici II. Augusti ad An. 1354. a C. V. Jo. Burchardo Menckenio ex Bibl. Paulina Lipsiensi oblatum vulgavit celeberrimus Muratorius tom. 16. scriptorum Italiae pag. 255-288.

De Caeteris non repetam hoc loco, quae notata a me sunt in conspectu thesauri litterarii Italiae, edito Hamburgi 1730. 8. in quo recensita Lector inter alia reperiet *Andreae Schotti* Italiam illustratam p. 67. Thesaurum *Graevio Burmannianum* Historicorum Italiae p. 78. et Corporis Mediolanensis tomos priores XI. p. 13. seq.

ITHACIUS Sossubensis sive Ossonobensis Episcopus Hispanus, supra IDACIUS.

Apud Leyserum 'τ μακαρίτην in historia poëseos medii aevi p. 2044. JU. *Burg.* legendum W. sive Wilhelmus. Nam Wilhelmi Burgensis, descriptio Belli Navarrensis An. 1366. gesti et de Petro Rege Aragoniae atque Eduardo Principe carmen versibus 560. MStum. inter Codices Latinos Kenelmi Digbaei in Bibl. Bodlejana. Vide Catalogum pag. 85. n. 1768. 167. Junior autem hic Wilhelmus Burgensis sive Petroburgensis, quam ille de quo supra tom. 3 pag. 151.

JUHELLUS de Mayenne, Archiepiscopus Turonensis jam An. 1229. et ab An. 1243. Remensis usque ad An. 1250. Vide Sammarthanos in Gallia Christiana tom. 1. pag. 874. seq. et 528. Archiepiscopi Turonensis *decreta pro Ecclesia Briocensi*, promulgata An. 1233. edidit Dacherius tom. 2. pag. 606. (edit. novae tom. 3. pag. 612.)

recusa etiam in tomis Conciliorum Labbei tom. XI. Harduin. t. VII. et Coleti Veneta tom. XIII. *Canones XIV.* Turonensis Concilii sub Juhello habiti exibet Joannes Maan tom. 2. Ecclesiae Turonens. pag. 54.

Stephanus JULIACUS ex Juliacensi Provincia Doctor Parisiensis Ord. Minor. scriptor coaevus sive interpres ex Gallico Petri a Vallibus sive a Remis, *Vitae B. Coletae* Ord. S. Clarae reformatricis, defunctae An. 1447. Exstat compendium apud Surium 6 Martii, integr. in Actis Sanctor. tom. 1 Martii pag. 539-587.

JULIANITA sive JULIANUS Medicus Bononiensis, cujus *tres libros de re Medica* MSstos Tiguri vidit Gesnerus qui de iis videndus pag. 469. Bibliothecae.

JULIANUS *S. Anastasiae* presbyter Romanus, cui Dionysius Exiguus piis ejus excitatus studiis dicavit Librum Decretalium Epistolarum Pontificum Rom. de quo supra tom. 2. pag. 451.

JULIANUS seu JULIUS *Anglus* JCtus quem ex Lelando Pitseus pag. 88. notat scripsisse *ad tertium Decretalium et de probationibus post cessionem.*

JULIANUS *Antecessor* Patricius et Exconsul CPol. a) temporibus Justini junioris Imp. cujus dictatum *de Consiliariis et de Contutoribus* edidit Petrus Pithoeus cum auctore Collationis Legum Mosaicarum et Romanarum, et inter Petri Pithoei opera Paris. 1609. 4. pag. 120. 124. *De epitome Novellarum* Justiniani, illiusque iteratis editionibus dictum in Bibl. Graeca tom. XII. pag. 398. Utrum idem sit an alius Julianus cui Priscianus Grammaticus scripta sua dedicavit, non plane exploratum est, quanquam temporum ratio utcunque congruit.

Antonius JULIANUS de quo Minucius Felix cap. 33i *ut transeamus veteres, Flavii Josephi vel* Antonii Juliani *de Judaeis require: jam scies nequitia sua hanc eos meruisse fortunam,* Suspicor hunc esse M. Antonium Julianum Judaeae, cum Hierosolyma a Tito everteretur Procuratorem, memoratum Josepho lib. VI. de bello Judaico cap. IV. sect. 4. Latine scripserit, an Graece non prorsus exploratum: Latine utique si idem sit Antonius Julianus Rhetor, de quo Gellius lib. 1. cap. 4. et lib. 18. cap. 5.

a) Vide Menagii amoenitates Juris pag. 144.

JULIANUS *Archipresbyter*, infra *Julianus Toletanus.*

JULIANUS *Caesarinus*, senior, a) Romanus, *Cardinalis* S. Angeli an. 1426. creatus a Martino V. (178 Vide supra t. 1. pag. 293 ne hic ad instar Fabricii et Mansi eadem prorsus verba inaniter duplicemus.)

JULIANUS *Campanus*, aliis *Capuanus*, infra *Julianus Pelagianus*.

JULIANUS *Cardinalis*, supra *Julianus Caesarinus.*

Cejonus JULIANUS Flavio Vopisco in Firmo cap. 2. memoratus, an vitas Imperatorum scripserit, incertum prorsus esse docet Vossius lib. 2. de hist. Lat cap. 7.

JULIANUS *Coënsis* in Cycladum provincia Episcopus Leoni I Pontifici charus cujus vice Synodo Ephesinae A. C. 449. interfuit. Vide Valesium ad Evagrii lib. 1. cap. 10. et Paschasii Quesnelli notas ad Leonem M. pag. 844. seq. edit. primae. Ad hunc Julianum Leonis Epistola undecima legitur etiam in actis Concilii Chalcedonensis cum Graeca versione, ut Tom. 1. Harduin. pag. 11. Juliani *Epistola ad Leonem* (non Pontificem. sed Imperatorem) adversus Timotheum Ælurum et pro Synodi Chalcedonensis confirmatione, obvia Latine in Codice encyclico Epistolarum qui Actis ejusdem Synodi subjicitur, apud Harduinum pag. 738. Epistola XXVI. apud Labbeum tom. 4. pag. 942. et Baluzium pag. 1437. Epistola XXXIV. apud Binium tom. 2. pag. 393. Epistola XLVI.

JULIANUS Ord. S. *Dominici* scripsit *Epistolam* ad N. Perusinum Episcopum *de moribus Ungarorum et Tartarorum* MS. in Codice Seculi XIV. in Bibl. Monasterii Garstensis, Ord. S. Bened. in Austria.

JULIANUS *Eclanensis*, infra *Julianus Pelagianus.*

JULIANUS *Episcopus* qui cum aliis Episcopis Gallis *Epistolam Synodicam* scrip-

a) Ita dicitur propter Julianum Caesarinum juniorem, qui Cardinalis obiit A. 1510.

sit ad Leonem Magnum A. 451. Alius *Julianus Episcopus Forojuliensis* cujus mentio in vita S. Honorati. *Julianus Episcopus* cui libros de vita contemplativa dedicavit Julianus Pomerius, et quem colloquentem induxit in libris de anima.

JULIANUS *Haereticus*, infra *Julianus Pelagianus.*

JULIANUS *Hassartus* Angiensis a) Conventus Monachus in Hannonia, Ord Carmelitarum, defunctus An. 1525. Scripsit teste Valerio Andrea pag. 597. Bibl. Belg. *Thesaurum* sui Ordinis. *Fontem Eliae magni* sive de viris sanctis et sapientibus Carmeli *Chronica* Hannoniae, Flandriae, Brabantiae Gelriae aliarumque partium inferioris Germaniae, et *Sermonum* libros III. Addit Sweertius pag. 496. librum *ad Baptistam Mantuanum* Carmelitam, atque *Epistolas.*

JULIANUS *Januensis* Monachus Ord. Bened. scriptor *Vitae B. Nicolai de Prussia* Congregationis S. Justinae de Padua, ad D. Placidum Veronensem circa A. 1500. Edidit Bernardus Pez tom. 2 anecdotorum parte 3. pag. 310-340.

JULIANUS *Lucas,* Thessalonicensis, natione Graecus, Diaconus circa An. 717. Toletanus et diversus ut ajunt ab eo qui postea Toletanus Archiepiscopus. Huic incerta fide tribuunt *Hispanicam historiam.* Vide adversaria pseudo Luitprandi, publicata a Ramiresio pag. 466. et Vossium de Hist. Lat. pag. 753. Hic est quem habent auctorem *historiae de S. Hildefonso* quam Hildefonso de laudibus B. Virginis Franciscus Fevardentius praemisit, Paris. 1577. 8. et ex quo Baronius ad An. 657. n. 43. seq. Sed verius est, Julianum Archiepiscopum illa de Hildefonso tradidisse quae in appendice al Isidorum de Scriptoribus Ecclesiasticis leguntur: caetera addita a ZIXILIANE (*Lixicam* vocat Baronius) Toletano Episcopo Urbani successore. Vide infra, *Julianus Pomerius* Toletanus.

De JULIANO *Pelagiano,* Gennadium juvat audire, capite XLV. de S. E. *Julianus Episcopus Capuanus,* a) *vir acris, ingenii, in Divinis Scripturis doctus, Graeca et Latina lingua Scholasticus* b) *priusquam impietatem Pelagii in se aperiret. clarus in doctoribus Ecclesiae fuit.* c) *Postea vero haeresin Pelagii defendere nisus,* d) *scripsit* adversus Augustinum *impugnatorem illius* libros quatuor, e) *et iterum* libros septem f) *Est etiam* liber alterca-

a) Vossius pag. 684. *Augensem*, Alegrius pag. 589. *Julianum Hursatum Agiensem* typorum vitio appellat.

a) Ita et Honorius II. 45. de S. E. et Patrem Juliani Memorem, Episcopum volunt Capuanum. Vide Jo. Garnerium ad Marium Mercatorem tom. 1 pag. 42. Sed MS. Gennadii Sigeberg. et Veronense *Julianus Episcopus Campanus:* ita et apud Trithemium cap. 124. recte, nam *Eculani* sive *Æclani* Episcopus Julianus in Campania, patriam etiam habuit Attellam Campaniae: vide Cardinalis Norisii opera tom. 4 pag. 880. seq. et laudatum Garnerium in diss. de Vita et moribus hujus Juliani pag. 79. seq. *Eclanensem* vocat Marius Mercator, Prosper, Petrus Diaconus: et apud Bedam in Canticum pro Juliano *Celanensi a Campania* legendum *Eclanensi*, ut apud Gelasium in decreto de libris Apocryphis. Videtur quoque Julianus respici in versu Prosperi, *aut huic Campano gramine corda tument.* In MS. Gennadii Corbejensi nulla Episcopatus mentio, seq. tantum legitur: *Julianus vir acer ingenio* in aliis *Julianus Episcopu, vir acer ingenio.*

b) Idoneus qui Doctorem gereret in scholis. Papias: *schola, ubi vacant studio: inde scholasticus, id est eruditus, literatus, sapiens.*

c) Nullius tamen scripti a Juliano editi memoria superest, in quo Pelagianismum non prodiderit. Vide Garnerii diss. pag. 82. seq. Benedictinos ad Augustin. tom. X. Opp. edit. Amst. pag. 578. seq. Tillemontium tom. XIII. memor. pag. 817. 821.

d) Ab A. 419. cum *S. Augustinus* librum primum *de Nuptiis et concupiscentia* edidisset et Valerio Comiti dicasset, ac Julianus dictitaret non alio consilio hoc factum *ad militarem Virum,* nisi ut ab ipso impotentiae contra adversarios Pelagianos precaretur auxilium. Confer Benedictinorum prolegomena ad tom. X. Augustini pag. 27. seq. et admonitionem in Opus imperfectum.

e) Ex his quatuor libris Turbantio Episcopo inscriptis excerpta a Comite Valerio missa ad se confutanda sibi sumsit Augustinus libro secundo de nuptiis et concupiscentia, ut ipse testatur II. 53. retractationum et praef. ad Opus imperfectum. Deinde libros ipsos Juliani quatuor nactus, eisdem libros illos sex opposuit, qui perinde ut duo illi de nuptiis in tomo decimo Operum Augustini leguntur.

f) Nondum viderat sex Augustini libros Julianus cum A. 422. libros octo ad Florum Episc. secundo ejus de nuptiis opposuit. Septem libros vocare re-

tionis *amborum*, g) *partes suas defendentium. Hic Julianus eleemosynis tempore famis et angustiae, indigentibus omnibus suis erogatis, multos miserationis specie, nobilium praecipue et religiosorum illiciens, haeresi suae sociavit. Moritur Valentiniano Constantii filio imperante.* h)

Ex scriptis Juliani tulit aetatem, quem Jo. Garnerius ex Codicis Veronensis apographo, quod ei donaverat Sirmondus, edidit atque doctis dissertationibus illustravit, Paris. 1668. 8. *Libellus Fidei* A. 418. *missus ad sedem Apostolicam* (Zosimum Papam II.) in quo inter alia ad plenariam Synodum provocat pag. 27. Eundem libellum cum observationibus suis exhibet Garnerius tom. 1 Operum Marii Mercatoris Paris. 1673. fol. pag. 319. seq. Exstat etiam sed sine notis in appendice ad tom. X Augustini pag. 74. seq. edit. Amst. Huic libello sive Epistolae oppositus est liber primus Augustini ad Bonifacium Papam, èxtremo An. 418. Zosimi successorem, de duabus Epistolis Pelagianorum tom. X edit. Amst. p. 271. seq.

Deperdita Juliani, quorum mentio et fragmenta apud eundem Augustinum et Marium Mercatorem, haec sunt:

Epistola altera ad Zosimum cujus mentio apud Mercatorem, subnotationum capite 6. p. 46. et cap. 9. pag. 58. tom. 1 editionis Garnerianae.

recte potest videri Gennadius, sicut Honorius quoque, siquidem octavi loco, illi est quem mox memorant altercationis liber. Quanquam in MSS. Gennadii Veronensi et Corbejensi, et in editione Frobenii, *octo*, non septem legitur. Vide laudati Norisii Opera tom. IV. pag. 887. et Pagium ad A. 418. n. 18. 19 et A. 425. n. 14. Hos octo libros Juliani non visos ante A. 1426. confutandos sibi sumsit Augustinus in Operis imperfecti contra Julianum libris sex iu eodem tomo decimo obviis. Operi enim immortuus A. 430. confutationem librorum septimi et octavi addere non potuit. Adde. Jo. Mariae. Svaresi diss. de hoc Augustini opere Rom. 1670. 4.

g) Dialogus Augustini et Pelagiani.

h) Ita recte editio Marcianaei et aliae interS. Hieronymi opera. Perperam in Suffridi Petri et Miraei Bibl. Ecclesiastica: *Valentiniano et Constantino filio ejus imperante.* Constantinus Valentini filius nullus. Valentinus III. filius Constantii interfectus A. 455.

Epistola ad Rufum Thessalonicensem Episcopum, nomine XVIII. Episcoporum Pelagianorum, itidem oppugnata ab Augustino libro II. III et IV. ad Bonifacium. Fragmenta collegit Garnerius ad Mercatorem tom. 1 pag. 334. 335.

Libri IV. ad Turbantium atque VIII. *alii ad Florum*, quos oppugnatos ab Augustino jam ad Gennadii locum dixi: ubi etiam monui *librum altercationis* quem memorat Gennadius, non diversum videri fuisse ab octavo ad Florum libro quos fortasse ad exemplum trium dialogorum S. Hieronymi composuit oppositorum Pelagianis, in quibus colloquuntur Atticus Catholicam defendens sententiam et Critobulus.

Commentarius in Canticum, quem tanquam spiritu Pelagiano scriptum Beda reprehendit, cujus liber primus commentarior. in Canticum Canticorum tom. IV p. 714. inscribitur: *de Gratia DEI, contra Julianum*, lectoresque monentur ut librum quem ille in Canticum confecit, *cautissime legant, ne per copiam eloquentiae blandientis in coenum incidant doctrinae nocentis — Est enim homo ut rhetor peritissimus, ita Gratiae DEI post Pelagium impugnator acerrimus, ut apertius scripta ejus, quibus contra strenuissimum ejusdem Gratiae propugnatorem* Augustinum *insanivit, ostendunt. Cujus causa duelli*, primum de amore libellum *composuit, sub obtentu, quasi hunc a foedissima foret voluptate secreturus, re autem suam confirmaturus haeresin.* Plura deinde ex illo affert atque oppugnat.

Idem Beda pag. 718. *Denique Julianus in libro quem* de bono Constantiae *scripsit, bonum naturae libertatemque nostri arbitrii, ut ipse autumat, contra perfidiam Manichaei, magna instantia defendit: ut autem veritas probat, magna pervicacia contra fidem coelestis Gratiae durat... Verum timens Julianus, ne si* in tanto hoc volumine *totum quod recte viveremus, libertati nostrae voluntatis tribueret* etc.

Idem Beda p 719. *Sed et in libro quem* ad Demetriadem *Virginem CHristi*, de institutionie Virginis *scripsit Julianus*, *haec*

eadem de potentia liberi arbitrii, quomodo sentiat pandit. Quem videlicet librum nonnulli nostrum studiose legentes, sancti et Catholici Doctoris Hieronymi *esse temere arbitrantur, minime pervidentes quod suavitas eloquentiae demulcentis et haereseos perversitas seducentis, manifeste probat hoc illius opusculum non esse.* Non intelligit Beda Epistolam ad Demetriadem a) quae (scripta circa an. 414.) inter Hieronymianas octavo loco legitur, atque incipit: *inter omnes materias*, sed illam quae ex Augustini, Orosii et Pelagii ipsius testimonio constat PELAGIUM habere auctorem, estque decima septima in appendice ad tomum secundum Op. Augustini, hoc initio: *Si summo ingenio parique fretus scientia.*

JULIANOS *Pomerios* duos vel tres distincte referre juvat. Antiquior et ante an. 495. apud Gennadium cap. 98. omisso *Juliani* nomine: sed Isidoro cap. 12. diserte *Julianus cognomento Pomerius*, natione Maurus, in Gallia presbyter, scripsit responsurus Juliano Episcopo et Vero Presbytero, postea Episcopo Arausicano *libros octo de natura animae, et qualitate ejus de resurrectione* a) et de specialitate ejus in hac vita fidelium, et generali omnium hominum. Argumenta haec deperditi illius operis apud Gennadium et Isidorum referuntur, unde Gregorii Nysseni et Nemesii vestigiis eum institisse, viri docti annotant: sed Isidorus, animam libro secundo corpoream dixisse, Tertulliani suffragantem errori Julianum testatur. Caetera apud Gennadium memorata: *dictatus hortatorius* ad quendam nomine Principium, *de contemtu Mundi ac rerum transiturarum* et alius *de vitiis et virtutibus* sive *de vitiis colore virtutum, minus cautis inludentibus.* Tempus non repugnat b) quo minus idem sit Pomerius ad quem Ennodius lib. 1. Epist. 6. et Pomerius Abbas ad quem Ruricius lib. 1 Epist. 17. et lib. 2. Epist. 9 et de quo lib. 2. Epist. 8. ad Æonium Episcopum Arelatensem, *ut fratrem* Pomerium *sanctitas vestra non solum non retineat, verum etiam ad nos venire compellat.* Atque Cyprianus Tolonensis in vita Caesarii Arelat. *Erat autem illis admodum familiaris Pomerius, professione Rhetor, Afer genere, quem ipsis singulariter carum Grammaticae artis doctrina reddebat.* Isidorus etiam addit libellum *de virginibus instituendis* scripsisse, et alios tres *de futurae vitae contemplatione* sive *de actuali conversatione* ad Julianum Episcopum Arelatensem. Hi sunt qui sub PROSPERI Aquitani nomine a) et olim lecti a Chrodogango, Jona Aurelianensi, aliisque: et separatim An. 1487. et Colon. 1536. 8. atque inter Prosperi opera editi sunt, et in Bibliothecis Patrum et in novissima Prosperi editione in b) limine appendicis, Paris. 1711. fol. Confer Norisium II. 14. hist. Pelagianae et Pagium ad A. C. 453. n. 19. Prologum alterum quem Dacherius edidit t. 13. spicilegii pag. 254. (edit. novae tom. 3 p. 306.) illum Lugdunenses et Parisienses prologo libri primi, clausulae instar adtexuere. Julianus Pomerius citatur a Juliano Toletano prognosticon scriptore, in Bibl. Patrum edit. Lugd. tom. XII pag. 593. C. 597. B. 598. D. 606. H. 607. C. E. 608. F. 609. B. etc.

JULIANUS *Pomerius* confictus a Pseudo Hauberto in Chronico ad An. 534. *Julianus cognomento Pomerius*, ***Monachus*** *Benedictinus succedit in sede Toletana Montano. Fuit historicus insignis natione Gallus. Cujus patruus cognomento Pomerius in modum dialogi librum composuit. Hic Julianus habuit amicitiam cum Vero presbytero, cujus alterius Juliani mutuis interrogationibus librum quem supra dixi*,

a) Sub extremum hujus Epistolae ait Hieronymus ante annos circiter triginta, (circa A. C. 384.) *librum de virginitate servanda edidisse*, innuens Epistolam XXII. ad Eustochium *de custodia virginitatis*, de qua intelligendus Rufinus invectiva secunda in Hieronymum. Incip. *Audi filia et vide.*

a) librum *de resurrectione* vocat Sigebertus cap. 54.

b) Sirmondus ad Ennodium pag. 9. seq.

a) Trithemius cap. 170. scribit libros tres de contemplatione esse a Prospero dedicatos Juliano Toletano.

d) Sirmondus ad Concil. Aquisgranense Ao. 816. tom. 2 Concil. Galliae pag. 383. seq.

Julianus cognomento Pomerius natione Gallus composuit. Commentitia haec esse et ex rebus Pomerii superioris et de quo moxdicturus sum Juliani Toletani confusa, demonstrat Nic. Antonius t. 1 Bibl. veteris Hispanae lib. IV. cap. 5. pag. 229.

JULIANUM Hispanum, Christianis parentibus, sed ex traduce Judaeorum a) genitum, postmodum Episcopatu decoratum *Toletano*, tradit Rodericus Toletanus lib. 3. cap. 13. Hunc quoque sed per errorem nomine *Pomerii* apud Rodericum aliosque venire, et cum priore confundi video, qui Eugenium Antistitem Toletanum praeceptorem suum laudat III· 17. prognosticon, ipse *Toletanae* Cathedrae post Quiricum ab An. 680. ad 690. Episcopus, et Carthaginis Provinciae in Hispania Metropolitanus. De eo Felix Toletanus appendice ad Isidorum de S E. et in Aguirrii tom. 3 Concil. Hispan. pag. 81. et inter Isidori Hisp. Opera pag. 521. atque in Actis Sanctor. t. 1 Martii 8. pag. 785. seq. Consulendus etiam Nic. Antonius lib. V. Bibl. vet. Hispan. capite 7. Hic est qui Conciliis Toletanis XII. XIII. XIV. et XV. praefuit, et quem laudat Stephanus VI. Papa cum Doctoribus Catholicis Hispanis, Leandro, Isidoro, Braulione. Ex scriptis ejus ad nos pervenere:

Prognosticon futuri saeculi ad *Idalium*, sive *de praescientia futuri saeculi* libri III. *primus* de origine mortis humanae, *secundus* de animabus defunctorum, quomodo se habeant ante suorum corporum resurrectionem, et *tertius* de suprema corporum resurrectione. Praemissa ad *Idalium* Episcopum Barcinonensem Epistola et Oratione ad DEUM. Edidit Joannes Cochleus Lips. 1535. 4. recusos Paris. et curante Boëtio Eponis, Duaci 1564. 8. unde illati Bibliothecis Patrum Paris. 1575. t. III. A. 1589. 1624. 1644. tom. IX et Coloniens. tom. VII. et Lugd. tom. XII pag. 590. IDALII Epistola qua Juliano pro opere hoc gratias agit. et altera ad Zuntfredum sive Sunifredum, Episcopum Narbonensem, qua ad eum haec Prognostica ablegat, legitur in Dacherii spicilegio tom. 1 p. 313. 316. (edit. novae t. 3 p. 316. 317.)

Ἀντικειμένων sive de *contrariis in speciem locis Veteris et Novi Testamenti,* Quaestionum libri III. non indigni lectu, atque editi primum sine nomine auctoris, curante Io. Alex. Brassicano ad calcem Salviani Basil. 1530. fol et cum Honorio in Proverbia et Ecclesiasten ab Henr. Sachsio Colon. 1533. 8. 1540. Paris. 1556. etc. sed ab Andrea Schotto ex Felicis Toletani et Samsonis Abbatis a) fide Juliano adscripti in Bibliothecis Patrum Coloniensi, inde Paris. et novissime Lugd. tom. XII p. 652. praemisso sententiarum pugnare inter se visarum indice alphabetico. Fortasse verior est sententia, ex Leonis Ostiensis, Petri Diaconi et MSS. Codicum fide auctorem *trium* b) horum librorum *quaestionum* esse BERTHARIUM, Abbatem Casinensem, de quo supra tom. 1 pag. 221. Julianum vero et ipsum et nescio an RICHARDUM Cluniacensem etiam *libros duos dissertationum*, ut Felix Toletanus appellat, sed quae interciderint, de eodem argumento composuisse. Vide Jo. Baptistam Marum ad Petri Diaconi cap. 12. et Caveum ad An 680. et 857. Nic. Antonium tom. 1 pag. 308. et quae notavi in libro de Veritate Relig. p. 260. seq.

Demonstratio sextae aetatis, sive *de Christi adventu,* adversus Judaeos libri III. ad Ervigium Regem scripti A. C. 686. aera Hispanica 724. a) editique a Menardo Molthero, Heidelb. 1532. Haganoae apud Jo. Secerium 1532. 8. cum testamento XII. Patriarchar. atque inde in Micropresbytico Basil. 1550. pag. 547. atque in Orthodoxo-

a) Ita de Juliano hoc Isidorus Pacensis, Paulus Burgensis, et Franciscus Mauroy parte 1. apologiae pro Judaeis Christianis cap. 42. pag. 219. Vide Rev. Wolfii Bibl. Hebraeam tom. 1. pag. 567. Nic. Anton. tom. 1 pag. 594.

a) Vide Labbeum tom. 1. de S. E. pag. 656.

c) In prioribus editionibus tres libri sunt, quorum secundus et tertius loca Novi Test. expendlit. Andreas Schottus, ut Felicis testimonio congrueret, secundum fecit ex secundo et tertio.

d) Hoc testatur auctor ipse in calce libri III. tom. 12. Bibl. Patr. Lugd. pag. 630.

graphis utrisque An. 1555. et 1569. et in Bibliothecis Patrum Paris. Colon. et novissima Lugd. tom. XII. pag. 614. De argumento vide Bibl. Eccles. Dupinianam tom. VI. pag. 39. et Diarium Theol. Dresdense, *Unschuldige Nachrichten von Theologischen Sachen* An. 1704. pag. 764. Supputationem annorum quae exstat libro tertio, emendatiorem se habere professus est Labbeus. Adde Nic. Antonium tom. 1. pag. 307.

Commentarius inchoatus *in Prophetam Nahum*, quo primi versus capitis primi solenni illis temporibus per varios sensus vagandi libertate fusius exponuntur. Ex MS. Codice Bibl. Bavaricae eruit Henricus Canisius, unde comparet in Bibl. Patrum Colon. Paris. et novissima Lugd. tom. XII. pag. 630-647. Dupinius hunc commentarium Juliano erepturus tom. 6. Bibl. Eccl. pag. 39. duobus utitur argumentis, non omni exceptione majoribus, silentio Felicis Toletani, et diversa ut ipsi videtur styli ac scribendi ratione.

Vita Hildefonsi Toletani praeter rem diverso adscripta Juliano Diacono, appendicis sive Hildefonsi libello de scriptoribus Ecclesiastici subjicitur in Bibliotheca Ecclesiastica Miraei, atque in Conciliis Hispanicis Garsiae Loaisae, et Agvirrii tom. 3. pag. 80. exstat etiam inter Isidori Hisp. Opera pag. 521. et in limine tomi sexti Miscellaneorum Stephani Baluzii, et cum ZIXILIANIS additamentis in Actis Sanctorum tom. 2. Januarii 23. pag. 537. ut Surium 23 Jun. Lipomannum, et Fevardentium in opusculorum Hildefonsi editione et tomum 1. Hispaniae illustratae praeteream.

Historia de Wambae sive *Wambanis*, *Regis Gothorum Toletani expeditione*, qua An. 674. rebellantem Paulum Ducem Narbonensem debellavit, edita ab Andrea du Chesne tom. 1 scriptor. de rebus Francor. pag. 821-831. et in Andreae Schotti Hispania illustrata tom. IV. cum Chronicis Isidori Hisp. Hildefonsi et Lucae Tudensis. Confer Nic. Antonium t. 1 p. 308.

Deperdita Juliani, quorum memoriam Felici Toletano debemus, sunt:

Liber Responsionum ad Idalium Episc. Barcinonensem *in defensionem Canonum et Legum quibus prohibentur Christiana mancipia Dominis, infidelibus inservire.* Concil. Toletan. III. cap. 14. 66. et Leg. XII. Wisigothor. tit. 2. leg. 13. 14. tit. 3. leg. 13. 16. 22.

Apologeticum Fidei ad Benedictum II. Papam urbis Romanae atque aliud *de tribus capitulis*, a) de quibus Romanae Urbis Praesul frustra visus est dubitasse. Confer Nic. Antonium t. 1 p. 305. Bibl. vet. Hispanae.

Libellus *de remediis blasphemiae*, cum *Epistola* ad Adrianum Abbatem.

Liber sententiarum ex decade Psalmorum *B. Augustini* summatim collectus.

Excerpta de libris *S. Augustini* contra *Julianum* haereticum collecta.

Libellus *de Divinis judiciis*, ex sacris voluminibus collectus, praemissa *Epistola* ad Dominum *Ervigium*, Comitatus sui tempore, pro eodem libello directa.

Vindicatio domus DEI et eorum qui ad eam confugiunt: cum libro responsionum contra eos qui confugientes ad Ecclesiam persequuntur. Confer Concilii Toletani XII. canonem X.

Liber Missarum de toto circulo anni, in quatuor partes divisus.

Liber Orationum de festivitatibus per anni circulum in Ecclesia Toletana.

Liber *Sermonum* plurimarumque *Epistolarum*, Liber item *carminum* diversorum, in quo sunt *hymni*, *epitaphia* atque de diversis causis *epigrammata* numerosa. Quae vero a nugivendulis jactantur carmina *ad Sergium Papam*, et *Justinianum Rinotmetum* Imperatorem ea supposititia et recentioris manus explodit Nic. Antonius tom. 1 pag. 307.

a) Ex tribus illius capitulis quae in Juliano Benedictus II. notanda duxerat, erant: 1) quod de DEO loquens dixerat, Voluntas genuit Voluntatem sicut et Sapientia Sapientiam. 2) quod in CHristo DEI Filio tres substantias professus esset inveniri. Inde *librum de tribus substantiis* memorat Rodericus Toletanus III. 14. Horum capitulorum apologia in concilio Toletano XV. A. 688. in quo memorat *responsionis suae librum* Catholicorum dogmate Patrum ante biennium exhibitum. *Apologetica defensionis nostrae responsa* Concil. Toletan. XVI. A. 684. cap. XI.

Trithemius cap. 170. hunc Julianum cum Pomerio confundens, ei tribuit *librum de sancta Virginitate*: inter Pomerii enim scripta dixi librum *de Virginibus instituendis* ab Isidoro memorari.

* Fallitur egregie F. Nicolaus Bugnani Compendiens. Ord. Praed. qui se primum edere ratus librum Prognosticorum Juliani e veteri Cod. descripsit edendumque curavit Parisiis an. 1554, ap. Poncerum le Preux in 16. Diu profecto ante illum A. scilicet 1535 opera Jo. Cochle lucem aspexerat in 4. Contuli utrumque codicem, usus editione quae est in Bibliotheca PP. Parisiensi an. 1654. quam ex Cochleo acceptum non dubito. Lectiones utrinque variantes sunt crebrae. Interdum Cochlei lectio preferenda: sed et non raro Bugnei lectio melior est altera. Ita ex. gr. lib. 1. cap. 2. legit Cochleus: *eodem modo, quo Angelos condiderat Deus, ita et homines condidisse Deus credendus est; ut etiam si peccasset mori omnino non posset*; *sed ita conditus est homo.* Luxatam hanc lectionem ita sanat editio Bugnaei . . . . . *credendus est. Namque hoc modo creati sunt Angeli ut etiamsi peccassent, mori* etc.

JULIANUS *Petri*, infra *Julianus Toletanus Archipresbyter.*

JULIANUS *de Rovere*, infra, JULIUS II. Papa.

JULIANUS *de Salen*, Augustinianus, medio seculo XV. cujus commentarii *de medio demonstrationis*, *de sophismatibus*, *de terminis naturalibus* laudantur in Chronico Comitum Oldenburgensium, tom. 2 Meibomii pag. 167.

JULIANUS *Toletanus* Diaconus: supra in *Juliano Luca.*

JULIANUS Petri. An. 1155. ut ajunt Archipresbyter S. Justae, *Toletanae* urbis, cujus nomine inventum primum in Bibl. Olivarensi ab Hieronymo Romano de la Higuaera, Jesuita Toletano suppositum ab Hispanis *Chronicon* usque ad A. 1160. una cum Adversariis, descriptione eremitoriorum Hispanorum, et carminum variorum collectione et Praesulum Epistolis fertur, ejusdem cum Pseudo Dextro et pseudo Luitprando furfuris. Editorem Laur. Ramiresium qui Parisiis An. 1611. Praesulum Epistolas et caetera 1628. 4. typis excudi curavit, Sirmondus honorificum ab eo testimoninum operi praefigendum rogatus, bello elusit responso, negavit enim aliud dare se posse, quam esse auctorem de thesauro suo proferentem nova et vetera. Vide D. Antonii Reiseri Launojum confessorem pag. 783. et Nic. Antonium tom. 2 lib. 7. Bibl. Veteris Hispanae c. 8. et 9. qui passim alibi in illo opere Juliani hujus commenta explodit, et pag. 28. seq. refert longum catalogum scriptorum quae ab hoc Juliano composita sed visa nemini, eadem fingendi audacia homines maleferiati laudavere.

JULIANUS Episcopus *Toletanus.* Supra in *Juliano Pomerio.*

JULIANUS *Verrochius*, Varocchi, Florentinus, Ord. Minor. Theologus, Philosophus, et Astrologus, defunctus A. 1413. de quo Waddingus pag. 232. et Julius Niger pag. 308. Ex scriptis ejus nihil memorari video nisi *Commentarium in Dialecticam Aristotelis.*

S. JULIUS I. Romanus, papa post Marcum ab A. 336. 27. Octobr. usque ad A. 352. April. 12. de quo adeunda Acta Sanctor. tom. 2 April. 12. pag. 82. seq. et Tillemontius tom. 7 memor. p. 269. seq. Sub ejus nomine *Epistolae duae* apud pseudo-Isidorum *ad Orientales Episcopos*, Latine exhibentur et exploduntur a Blondello pag. 443. et 457. una cum Orientalium ad Julium Epistola pag. 452. Majorem fidem merentur *Epistolae duae* quas Graece servavit S. Athanasius in apologia contra Arianos, una n. 21. *ad Danium, Flaccillum* etc. *Episcopos qui Antiochia scripserant*, tom. 1 edit. Montfauconianae pag. 141-154. et in Petri Coustant Epistolis Pontificum p. 352-387. altera n. 52. *ad Diaconos et Populum Alexandriam incolentem*, tom. 1 Athanas. pag. 171-172. et Coustant pag. 399-403. Eadem apud Socratem II. 23. pag. 108. Nicephorum IX. 22. et Latine in Tripartita IV. 29. Exhibentur etiam a laudato Constantio Epistolae ad Julium scriptae *Marcelli Ancyrani* pag. 388. ex S. Epiphanii LXXII. 2. et *Synodi Sar-*

dicensis p. 395. ex fragmentis S. Hilarii et *Valentis atque Ursacii* ex Athanasii apologia n. 58. tom. 1 pag. 176. Praeterea p. 406. seq. Constantius eruditas de Epistolis aliis ad Julium Papam spectantibus observationes subjungit, et pag. 411. seq. censuram *de Decretis* Julio attributis apud Ivonem, Gratianum aliosque. In appendice pag. 69. seq. praeterea exhibet veterem versionem Latinam ex cap. 224 Synodici et pag. 60. seq. *Epistolam Apollinaris ad Dionysium Alexandrinum* Julio ab Eutychianis suppositam, quae etiam cum celeb. Muratorii Censura legitur in ejus anecdotis Graecis Patav. 1709. 4. p. 341. seq. Adde Sirmondi Opera tom. 2 pag. 428. seq. et Dallaeum de usu Patrum p. 148. Denique apud Constantium p. 73. ex Actione prima Synodi Ephesinae sequitur *Epistola ad Prosdocium* de SS. Trinitate et Incarnatione, auctore Timotheo Apollinaris discipulo, Julio ab Apollinaristis falso adscripta: et pag. 82. fragmenta varia Graece alia, alia Latine, et pag. 83. quae Cyrillus et Juvenalis Hierosol. ad Julium, et Julius ad Cyrillum de die Natali Domini scripsisse traditur.

JULIUS II. antea dictus *Julianus de Rovere*, Savonensis, Papa Romanus ab An. 1503. Nov. 1. ad An. 1513. Febr. 21. Ejus constitutiones XXXI. in Bullario Laërtii Cherubini tom. 1. Conferenda etiam Acta Concilii Lateranensis An. 1512. in cujus sessione V. confirmata *bulla contra Simoniacam* a) *pravitatem in electione Pontificis non committendam*, quam commentario illustravit Petrus Andreas Gammarus, Bononiensis. Monita et declarationes excommunicationis contra Venetos. Romae 1506. 4. etc.

JULIUS III. antea *Joannes Maria de Monte* Arctinus, Papa ab A. 1550. Feb. 7. ad A. 1555. Mart. 23. Ejus Constitutiones XXV. in bullario Cherubini. De ejus Orationibus et Epistolis Lud. Jacobus in Bibl. Pontificia pag. 143.

JULIUS *Africanus* clarus circa A. C. 220. Doctor Christianus, Graece non Latine scripsit, de quo abunde dictum in Bibl. Graeca lib. V. cap. 1. pag. 268. seq. ubi etiam de antiquis Latinis *Chronici* ejus interpretibus, et de commento incredibili librorum ut ajunt *Abdiae* ab eo ex Graecis Eutropii nescio cujus, qui illos ex Hebraico verterit, Latine translatorum.

JULIUS *Aterianus*, sive *Atherianus* non notus nisi ex Trebellio Pollione in XXX. Tyrannis cap. 6. ubi de Victorino insignem ejus locum adducit. Victorinus Tyrannus Gallieni temporibus circa A. C. 257.

JULIUS *Caesarinus*, supra *Julianus Caesarinus*.

JULIUS *Capitolinus* scriptor Historiae Augustae quem Constantino M. dedicavit. De eo in Bibl. Latina III. 6.

JULIUS *Dalmata* circa A. 1460 scripsit *de animae potentiis*.

JULIUS *Firmicus Maternus*, de quo in Bibl. Latina III. 8. Supra, FIRMICUS.

JULIUS *Florus* scriptor Chronici de rebus potissimum Aquitanicis a Carolo Calvo sive ab A. 840. ad A. 1140. Evolvit illud, etiamnum ineditum Andreas du Chesne, testatus MS. servari in Bibl Regia Paris. n. 4792. Vide Jacobi Longi Bibliothecam Historicorum Galliae n. 6993. 6994.

Q. JULIUS *Hilarianus*, sive Q. JULIUS *Hilario* de quo supra tom 3 pag. 234.

JULIUS *Paris* abbreviator Valerii Maximi de quo Vossius lib. 1. de Hist. Lat. cap. 24. et quae notata lib. 2. Bibl. Latinae cap. 5.

JULIUS *Pomerius* natione Maurus, Abbas Arelatensis circa A. 500. apud Cangium non diversus a JULIANO *Pomerio*, de quo supra pag. 476.

JULIUS a) *Pomponius Laetus* Amygdalaria Calaber, a JULIO *Pomponio Sabino* neutiquam distinguendus, discipulus Petri Montopolitani et Laurentii Vallae: praeceptor Sabellici, Peutingeri, aliorumque

a) Adde Bzov. ad A. 1505. n. 9. et A. 1511. n. 2.

a) Verum ejus praenomen *Julius* (non *Petrus* nec *Bernardinus*) quod *Pomponii* nomine libenter mutavit, et deinde conjungi cum illo passus est: rogatusque cur nomina aliis etiam adolescentibus immutaret, respondit, *ut praeclaris antiquorum nominibus, quasi quibusdam calcaribus juventutem aemulatione ad virtutem incitaret.*

celebratissimorum virorum eloquentiae Romanae, et antiquitatis peritissimus charus Pio II. Romae, quo A. 1464. defuncto suspectus in Paulum II. conjurasse, aufugit Venetias, indeque post triennium retractus Romam, innocens repertus multis annis cum honore vixit usque ad A. 1497. 21. Maji. De eo post Vossium III. de hist. Lat. pag. 613. seq. et Hanckium tom. 1. pag. 204. seq. et tom. 2 pag 343. seq. diligentissime, ut solent, auctores diarii eruditorum Italiae tom. XXII. pag. 266. Scripta ejus haec sunt.

1. Libellus *de Romanae Urbis vetustate* sive de ejus antiquitatibus, templis, sepulchris, viis, portis, thermis, statuis etc. Romae per Marianum de Blanchellis 1515. 4. Bonon. 1520. 4. curante Jo. Baptista Pio atque Antw. 1561. 8. Paris. 1573. Francof. 1588. 1628. etc. et Italice Francisco Baldelli interprete. Venet 1549. 8.

2. *De Magistratibus, Sacerdotiis et Jurisperitis ac Legibus Romanorum* libellus ad M. Pantagathum in 4. sine loco et anno, et Rom. 1515. 4. et cum Lucio Fenestella, Basil. 1523. 8. 1555. 1561. forma minore 1583. 8 Paris. 1560. 4. Coloniae 1607. 12. 1609. 8. et in Petri Scriverii Rep. Romana Lugd. Bat. 1626. et in Philippi Caroli Antiquitatibus Romanis Francof. 1643. 12.

3. *De Caesaribus* compendium libris II. a Balbino et Pupieno A. C. 237. ad Constantem Heraclii nepotem A. 668. cum opusculo *de exortu Machometis*. Venet. 1498. 1500. 4. et in Friderici Sylburgii tomo secundo scriptorum minorum Romanorum Francof. 1588. fol. Libellus de Machomete exstat etiam cum Roberti Monachi libris de bello Christiano Basil. ap. H. Petri 1533. f.

Haec. tria Pomponii scripta junctim edita Moguntiae 1521. 8.

Recensuit etiam scriptores veteres primasque editiones *Terentii*, Parmae 1484. a) *Sallustii*, *Livii*, *Varronis* de Latina lingua, *Plinii* Epistolarum, Institutionis Oratoriae *Quintiliani*, sicut etiam emendavit *Lactantium*, *Festum* et *Nonium Marcellum*.

Scripsit praeterea, *de arte grammatica* librum, editum Venet. 1484. 4. compendium majoris operis *Grammatices Romanae*, adhuc inediti, de quo Diarium eruditorum Italiae tom. XXIII. pag. 365.

Epistolae ejus septem leguntur inter Sabellici Epistolas, et inter Politiani Epistolas duae, atque una inter Epistolas Jacobi Cardinalis Papiensis. Unam laconicam ad nobiles Neapolitanos gentis Sanseverinorum, ex quibus originem ducebat Pomponius, quique eum ut domicilium suum Neapolin transferret, rogaverant, non praeterierim: *Pomponius Laetus cognatis et propinquis suis Salutem. Quod petitis, fieri non potest. Valete.*

Ineditae *Epistolae* aliae multae, *Carmina: et argumenta in Epigrammata Martialis. Glossarium Medicum. Inscriptiones antiquae Urbis Romae* ad Laurentium Medicem.

Glossulas in Virgilium suas esse negat Epistola ad Augustinum Maffejum: in illis ad 1. Georgic. auctor *itinerarii* sui *Scythici* mentionem facit.

* In referendis libris Pomponii Laeti maior fides in hoc scriptore desideranda est; ita enim enunciandi erant: *Pomponii Laeti de Romanor. Magistratibus, Sacerdotiis, Jurisperitis et Legibus.* Tum eiusdem aut alterius *de antiquitatibus urbis Romae.* Denique epistolae eius aliquot familiares; accedit in fine M. Ant. Sabellici ad Marcum Ant. Maurocenum equitem de vita et obitu Pomp. Laeti epistola. Jungitur hisce Lucii Fenestellae de Sacerdotiis, et Magistratibus Romanor. Operum hunc complexum edidit Parisiis Badius Ascensius an. 1511. in 4. Nec dubito quin hanc ipsam editionem indicet Fabricius nomine editionis in 4. sine loco et anno. Locus enim et annus non datur in fine opusculorum Pomponii, sed in fine opusculi L. Fenestellae, quod in hac editione jungere se Opusculis Pomponii Badius profitetur. *De Caesaribus* compendium prodiit Venetiis, per Bernardinum Venetum an. 1499. 4.

Cum vero de Pomponii rebus versemur in obscuro, non ingratam me operam praestiturum viris eruditis arbitror, si eius elogium historicum e MS. Cod. Felini de-

a) Bibl. Barberiniana pag. 595.

dero, in fine operis quod cum scriptum sit eo ipso anno, et mense quo Pomponius obiit, utramque hanc temporis designationem nondum satis exploratam in lucem profert. Scripsit illud ad Jacobum Antiquarium, de quo dictum suo loco, Fernus nempe ut ego intelligo, Michael ille Fernus Mediolanensis, ex quo collectionem editionemque operum Campani habemus. *

JULIUS *Severianus* Afer Rhetor, laudatus Sidonio IX. 13. et 15. et Carmine IX. v. 312. diversus a *Julio Serviano* Plinii VIII. 6. et X. 2. Epist. scriptor *syntomatum* sive compendiosorum *praeceptorum Rhetorices* ad Desiderium, quae edidit Coelius Secundus Curio cum partitionibus Oratoriis Ciceronis, Basileae apud Oporin. partem deinde sub falso *Aurelii Cornelii* CELSI nomine et minus emendate Sixtus a Popma Phrysius, Colon. 1569. 8. Integra deinde ex Lucae Fruterii recognitione emendata atque auctori Severiano restituta Janus Dousa Antw. 1584. 8. et Franciscus Pithoeus inter antiquos Rhetores Latinos pag. 302. Paris. 1599. 4. Sixti Popmae pseudo Celsum, a) erat enim rarissimus, recudendum dedi in supplemento ad Bibl. Latinam IV. 8. p. 759. eumque cum castigationibus suis, ut solet audacioribus subinde, Vir eruditus Christoph. Augustus Heumannus tom. 1. poeciles, libro III. Halae Sax. 1724. 8. pag. 378.

JULIUS *Speratus*, V. C. auctor elegiae *de philomela*, cujus initium: *Sum noctis socia, et sum cantus dulcis amica*, editae a Goldasto inter Catalecta Ovidii Fr. 1610. 8. pag. 74. Eidem locum dedi in specimine sylloges quae inscribitur: *Philomelae vox, centum disertorum hominum stylo commendata*, praefationis loco praemisso Carminibus suavibus vernaculis A. J. Zellii, quorum titulus: *Erweckte Nachfolge Zum Irdischen Vergnugen in Gott. Hamb.* 1736. 8.

JULIUS *Titianus* Orator, clarus post tertii saeculi medium, de quo non habeo quae addam industriae Casauboni ad Jul. Capitolini Maximinum juniorem c. 1. Vossii lib. 2. de Hist. Lat. c. 1. pag. 172. seq. Vide et Juliani Floridi notas ad Ausonium pag. 483. 535.

JULIUS *Valerius*, interpres vetus Latinus Historiae de Alexandro M. quae sub Æsopi vel Callisthenis fertur nomine. Juretus ad Symmachi X. Epist. 54. *Æsopus in vita Alexandri M.* Julio Valerio *interprete, quem MStum habeo*, secretim *pro secreto dixit.* Vide lib. 3. Bibl. Gr. c. 8.

JULIUS *Urgelitanus* apud Cangium, lege JUSTUS, de quo infra.

JUNCTA Bevagnae, ex Bevagna sive Mevonia Umbriae, Ord. Minor. *B. Margaretae de Cortona* cujus Confessarius fuit, atque An. 1297. defunctae *vitam* sive *Legendam* scripsit (non Italice ut visum Oudino tom. 3. pag. 696. sed Latine.) Edidit Henschenius cum notis in Actis Sanctor. tom. 3 Febr. 22. pag. 300-356.

(178 Et cum tit. *Antica Leggenda ec.* Latine et Italice cum notis. *in Lucca* 1793. in 4.)

JUNIANUS Majus, Parthenopaeus sive Neapolitanus, Eques et Professor humaniorum litterarum, cujus opus *de priscorum proprietate verborum* sive Lexicon ad Acherontinum Archiepiscopum Ferdinandi Regis Neapolitani Confessorem et ad ipsum Regem, prodiit Tarvisii 1477. fol. Vide Trithemium cap. 879. et Gesnerum in Bibl. *Epistolas* huius Juniani ad Robertum Salviatum inter Joannis Pici Opera pag. 276. Epitaphium a Joviano Pontano ei positum exstat in Nicolai Toppi Bibl. Neapolitana pag. 168. qui ex Juniani Lexico profecisse Calepinum annotat.

* Scriptoris huius opus primo exiit non Tarvisii, sed Neapoli an. 1475 quamquam Neapolis nomen non ita expresse legitur; ita enim adnotatur in fine eiusdem lexici. *editum opus sub felicissimo Ferdinando Rege*

a) Simlerus in Bibl. *Julii Severiani praeceptorum a Curione editorum pars est quod quidam nuper Coloniae edidit* Cornelii Celsi *falso nomine.* Petrus Pithoeus notis ad Mosaicar. et Rom. Legum collationem tit. 9. pag. 160. Opp. *Susceptorum etiam nomine utitur Julius Severianus in praeceptis Rhetoricis, quorum fragmenta post integriorem editionem*, Cornelii Celsi *titulo nuper prostituta sunt*, Joannes Rhodius Epistola ad Nic. Heinsium tom. V. sylloges Burmannianae pag. 455. ea Coloniae incassum quaesita, describi sibi, vel Elzevirianis typis recudi peroptabat.

inclytae Neapolis, impressere Matthias Moravus impressor solertissimus et venerabilis Monachus Basilius Theologus vir integerrimus. Opus edidit Junianius Majus Partenopaeus cum annus secularis celebraretur, orbis terrarum, hominum insolentia, praeter Italiam, bello turbulentissimus esset, MCCCCLXXV.

JUNILIUS, Africanus Episcopus incertum Uticensis an Adrumetinus a) a Trithemio c. 155. Sixto Senensi et aliis refertur ad A. C. 440. sed junior fuit, scripsit enim ad Primasium Episcopum in Africa Iustinopolitanum (qui An. 553. Vigilii Papae constituto pro tribus capitulis subscripsit), *libros duos* quaestionum et responsionum *de partibus Divinae Legis*, Cassiodoro b) ex merito laudatos, et non contemnendas Regulas de sacris litteris rectius legendis et intelligendis complectentes, quas ex *Pauli* c) Persae praeceptis excerpsisse se Junilius profitetur. Prodierunt Basileae 1546. 8. cura Joannis Gastii, et Paris. 1556. 12. una cum commentariolo in priora Genesecos, ex edit. Basil. 1538. 4. quem BEDÆ a) non Junilii esse constat: et ad calcem compendii Theologici Christophori Pelargi, Francof. ad Viadrum 1603. 8. et in Bibliothecis Patrum Paris. A. 1575. t. VI. et A. 1589. et 1624. 1654. tom. I. et Colon. A. 1618. t. VI. et Lugd. 1672. t. X. p. 340.

IVO sive *Yvo* Lantfranci, Prioris tunc Beccensis, postea Archiepiscopi Cantuariensis auditor b) ex Abbate S. Quintini ad muros Bellovacenses, c) Ord. Augustiniani, Episcopus Ab A. 1090. d) ad 1117. e) *Carnotensis, vir multarum virtutum et litterarum* f) cujus vita a Joanne Frontone scripta Operibus Ivonis Paris. 1647. fol. praemittitur, et cum Henschenii observationibus occurrit etiam in Actis Sanctorum tom. V. Maji 20. pag. 247. atque cum Jo. Frontonis Epistolis et opusculis quae junctim edi curavi Hamb. 1720. 8. pag. 489. recusa Veronae 1733. 8. Exstat et Gvil. Bousati oratio de S. Ivone pauperum patrono Rom. 1628. 4. et liber excusus Parisiis 1701. cui titulus: g) *l'esprit d' Yve de Chartres dans la conduite de son diocese, et dans la Cour de France et de*

a) Labbe tom. 1. de S. E. pag. 665.

b) Cassiodor. Lib. 1. institutt. divinar. cap. 10. ubi introductores Scripturae Divinae laudat, aitque sedulo se curiositate collegisse, Tychonium Donatistam, S. Augustinum de doctrina Christiana, Hadrianum, Eucherium et Junilium.

c) Junilius praef. ad Primasium, quem patrem appellat: *Quaesisti si quis esset inter Graecos, qui Divinorum librorum studio intelligentiaque flagraret. Respondi vidisse me quendam* Paulum *nomine*, Persam *genere, qui in Syrorum schola in Nisibi urbe est edoctus, ubi Divina Lex per magistros publicos, sicut apud nos in mundanis studiis Grammatica et Rhetorica, ordine ac regulariter traditur. Tunc diu quaesitus, si quid ex ejus dictis haberem, dixi quod legissem regulas quasdam, quibus ille discipulorum animos Divinarum Scripturarum superficie instructos, priusquam expositionis profunda patefaceret, solebat imbuere ... unde in duos brevissimos libellos regularia haec instituta collegi, addens ipsius dictionis quantum potui, utilem formam, ut velut discipulis meis rogantibus et Magistro respondente breviter singula et perlucide dicerentur.* Ait etiam Junilius B. Pauli *Epistolam ad Romanus* audivisse se a Paulo illo Persa subtilius expositam, *quam ego*, inquit, *ex ejus ore, ne memoria laberetur, excepi.* Scholae illius Nisibenae etiam Cassiodorus praef. institutt. Divinarum meminit, testaturque exemplo scholae catecheticae Alexandrinae (a secundo usque seculo clarae,) illam tunc floruisse. *Sicut apud Alexandriam multo tempore fuisse traditur institutum, nunc etiam in Nisibi civitate Syrorum ab Hebraeis sedulo fertur exponi*, hoc est ut intelligo, ex Hebraico sermone verti et explicari Scripturam Sacram Veteris Testamenti Vide Sixtum Senensem, Labbeum etc.

a) Qui Junilio tribuunt ut fit in Ortodoxographis A. 1569. pag. 926. etiam haec *Primasio* Episcopo maluerunt inscribere; sed Beda haec dedicavit Abbati *Accae*. Vide Bedae Opera t. IV. p. 1.

b) Robertus de Monte ad A. 1117. Oudinus tom. 2 pag. 871.

c) Sammarthani tom. 2 Galliae Christianae pag. 487 b

d) Pagi ad A. 1092. n. 5. seq. Bened. Pictetus Sec. XI. pag. 949. seq. contra Baronii sententiam et Sirmondi tom. 3. Opp. pag. 676. qui pugnant pro A. 1092.

e) Annales Waverlejenses tom. 2 Galei pag. 147. Robertus de Monte pag. 750. edit. Dache ii ad calcem Gvlberti Novigentini.

f) Alberici Chron. ad A. 1116. tom. 2. pag. 227. vide et Hommey supplem. Patrum pag. 526.

g) Journal des Sav. 1701. pag. 540. Hist. des ouvrages des. Sav. p. 337.

Rome. Sed age Opera Ivonis breviter lustremus, licet a Jo. Frontone edita non indiligenter recensentur a Labbeo tom. 2 de S. E. p. 501. seq. a Caveo etiam atque Oudino Familiam in illis ducit 1. *Decretorum* opus in XVII. partes tributum ex edit Jo. Molinei, Lovan. 1561. fol. cujus praefatio praemittitur, subjunctis pag. 479-486. Frontonis notis sive castigationibus ex MS. Codice Bibl. S. Victoris. g) Ab hoc decretorum opere, in quo jus Civile Ivonem cum Canonico conjunxisse Petrus de Marca p. 160. annotavit, diversa est et succinctior, qua videtur Ivo majori illi operi praelusisse, *Pannormia* tributa in partes octo, de qua dictum in Bibl. Graeca tom. XI. p. 81. seq. Haec seorsim prodiit Basil. 1499. 4. et Antw. 1557 8. non satis emendate judice G. Cassandro pag. 1091. Opp. nec obvia in Ivonis operibus, in quibus 2. sequuntur *Epistolae CCLXXXVIII.* editae pridem a Petro Pithoeo, Paris. 1585. 4. h) et cum Francisci Jureti observationibus ibid. 1610. 8. quae pag. 125. et post illas notae Jo. Baptistae Saucheti pag. 210. 258. subjunctae sunt. Potiorum argumenta perstringit Dupinius in limine tomi noni Bibl. Ecclesiast. Ex his selectae Epistolae historicae LVI. recensitae ab Andrea du Chesne tom. IV. script. Francor. pag. 217-247. Epistola quam *de investitura Episcoporum et Abbatum* dat Goldastus in apologia pro Henrico IV. pag. 183. est sexagesima inter editas sicut penultima ad Haimericum *de Corpore CHristi in S. Coena passibili an impassibili*, prodiit etiam in Bibliothecis Patrum Paris. A. 1575. t. 1 et A. 1589. 1624. tom. 3. Epistolas quasdam Ivonis intercidisse Sirmondus ad Godfredum Vindocinensem annotavit.

3. *De Ecclesiasticis Sacramentis et officiis, ac praecipuis per annum festis* Sermones XXIV. pag. 259.

a) de Sacramentis Neophytorum sermo in Synodo habitus.

b) De excellentia sacrorum ordinum, et de vita ordinandorum, sermo in synodo habitus.

c) De significationibus indumentorum sacerdotalium.

d) De sacramentis dedicationis.

e) De convenientia veteris et novi sacrificii, ut author ipse nominavit, opusculum.

f) Quare Deus natus et passus sit.

g) De Adventu Domini, sermo.

h) De Nativitate Domini, sermo.

i) De Circuncisione Domini, sermo.

k) De Epihania Domini, sermo.

l) In Purificatione S. Mariae, sermo.

m) De Septuagesima sermo.

n) De capite jejunii sermo.

o) De Quadragesima sermo.

p) De Annunciatione B. Mariae, sermo.

q) In Ramis Palmarum sermo.

r) De Coena Domini, sermo.

s) De Pascha sermo.

t) In Ascensione Domini, sermo.

u) In die sancto Pentecostes sermo.

w) De Cathedra S. Petri, sermo.

x) De Oratione Dominica.

y) De Symbolo Apostolorum.

z) De adulterino habitu.

Hi sermones, omissis tribus postremis, a Melchiore Hittorpio inter scriptores de Divinis Catholicae Ecclesiae officiis editi fuerunt Colon. 1568. fol. pag. 465. atque inde Romae 1591. fol. et in Bibl. Patrum Paris. 1624. tom. X. Franciscus Combefisius in Bibl. Concionatoria hos sermones malebat tribuere FULBERTO Carnotensi ex testimonio Petri Damiani sermone 69. in dedicatione Ecclesiae t. 2. Opp. p. 168. Sub Ivonis nomine tamen pleraque ex his etiam MSta apud Sanderum Bibl. Belg. 1. pag. 51. et II. pag. 28. Plura ex iisdem repetit Hugo de S. Victore sive quisquis auctor in Speculo de Mysteriis Ecclesiae.

4. *Chronicon* breve *de Regibus Francorum* pag. 305-307. a Pharamundo usque ad Philippum I. defunctum an. 1108. Ediderant cum Epistolis P. Pithoeus Paris. 1585. 4. et Juretus 1610. 8. Nulla fide dignum notat Labbeus tom. 2. de S. E.

g) Insignis etiam Codex MS. Decretorum Ivonis Lipsiae in Bibl. Paulina. De altero illo quo Molinaeus est usus, vide G. Cassandri Opera p. 1098. et 1116.

h) In hanc editionem notae quaedam Latini Latinii pag. 212. seq. Bibl. Sacro profanae.

pag. 502. seq. De partibus Chronici alterius majoris, cujus partem edidere Freherus, Lambecius et Andreas du Chesne, dictum supra in HUGONE Floriacensi tom. 3. pag. 272 adde Vossium pag. 364.

In Operibus Ivonis non reperiuntur quas Jacobus Petitus in veteribus monumentis, Theodori poenitentiali subjunxit, *Sententia in praepositos exactores* pag. 551. et *de juribus Ecclesiae Hienvilla* p. 553. nec *Epistola ad Bernerium* Abbatem Bonaevallis *et ad Gvilelmum* Archiepisc. Rothomagens. quae apud Dacherium ad Gvibertum Novigentin. pag. 664. et 689.

Commentarium in Psalmos Cod. 1478. Bibl. Colbertinae MS. memorat Oudinus tom. 2. pag. 875.

De excommunicatis, nisi renunciati fuerint, minime vitandis, MS. Sander. pag. 33. Bibl. Belg.

Henricus Warthonus auctario ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis pag. 359. laudat Ivonis librum de Officiis Ecclesiasticis MStum in Bibl. Lambethana. Sed pag. 395. ad eundem librum provocans, *ex Codice isto MS.* inquit, *Ivonem MICROLOGI auctorem esse (quod quidem hactenus Eruditos latuit) deprehendi. Codex enim ipse praeclarae vetustatis est, Ivone haud multo inferior: adeoque nihil non fidei meretur. In fronte autem istiusmodi titulum praefert,* Liber Ivonis, Carnotensis Episcopi, de Ecclesiasticis Officiis. *Constat Cap. LXXI. Ex his octo priora (quae* De Nocturnis Vigiliis, De matutinis Laudibus. De Prima, De Tertia, de Sexta, De Nona, De Vespertina Synaxi, et De Completorio, *inscribuntur) nondum, quod scio, prodierunt. Sequentia Capitula LXII. Micrologum constituunt. Ultimum (quod de Missae singularumque ejus partium Authoribus agit) Micrologo deest.*

(179 *Chevet* (Pietro) *Vita di S. Ivo. Roma* 1640. 4.)

IVO antiquior, cujus meminit Lupus Ferrariensis Epist. 110

IVO *Cluniacensis* Abbas circa an. 1270. Statuta Capituli generalis Cluniacensis apud Baluzium tom. VI. Misc. pag. 502. et Statuta in Anglia edita apud Bermondeseyam in Capitulo Provinciali. id. pag. 511.

IVO praepositus regius *Laudunensis* quem laudat Gvido Novigentinus lib. 3. de vita sua pag. 500.

IVO presbyter *Trecorrensis* in Britannia Aremorica circa an 1303. de quo Acta Sanctorum tom. 4. Maji 19. pag. 537. ejus *Testamentum* tom. 7. Maji pag. 817.

IVO Brito, Archipresbyter Turonensis, Episcopo de Trigel An. 1174. successit in Episcopatu *Turonensi*. Vide Robertum de Monte ad illum Annum.

JURENENSIS Monachus *de Vita S. Wrandegisili* Abbatis A. C. 667. defuncti editus a Labbeo tom. 1 Bibl. novae MSS. p. 784. Mabillonio Sec. 2 Benedictin. pag. 562. et in Actis Sanctor. 22. Jul. tom. V p. 255.

S. JUSTINAE Paduanae Monachus, scriptor *rerum sub Ottone IV. et Friderico II. in Longobardia et vicina Marchia gestarum* ab An. 1207. usque ad An. 1270. libris III. editis An. 1585. ab Urstisio t. 1 p. 577-626. Deinde ex emendatiore Felicis Osii editione Veneta A. 1636. fol. et ex MS. Bibl. Ambrosianae, in thesauro scriptorum Italiae Muratoriano tom. VIII. pag. 661. et Burmanniano tom. VI.

Conradus JUSTINGERUS Helvetius scriptor *Chronici* sive *Historiae Bernensis* jussu Senatus patrii compositae et deductae usque ad An. 1420. Illam adhuc ineditam servat MStam Bibliotheca Jenensis. Vide Oudinum tom. 3 pag. 2337.

JUSTINIANUS Imperator ab An. 527. ad 566. *Imperialia statuta* Sacra et Civilia innumera Graece promulgavit, non pauca Latine quoque, quaedam Lingua utraque. Eidem *Corpus Juris Civilis* ac speciatim *Codicem Justinianeum,* debemus et *Novellas* Constitutiones, quarum *epitomem* etiam Latinam veterem legimus (de qua supra in JULIANO Antecessore) et *versionem authenticam* aetate Bulgari et Burgundionis Pisani longe antiquiorem. De his omnibus tam multa disputata sunt a viris doctis qui Historiam Juris Romani scripsere: de Justiniano etiam ipso tractatum tam copiose in laudem, ac secus, in historia Procopii et ab ejus interpretibus et in Annalium scriptoribus: novissime etiam in illustris Joannis Petri Ludewig vita Justiniani, singulari atque

erudito conscripta studio et Halae Saxonum a) 1731. 4. edita, ut nihil de eo quam pauca dicere satius existimem, post illa etiam quae notare me memini Bibl. Graecae tom. VI ubi de Procopio, et t. XII libri sexti capite sexto, nec non Bibl. Latinae lib. IV. cap. 10.

Augustinus JUSTINIANUS, nobilis Genuensis, Ord. Praed. linguas docuit Parisiis et ab An. 1514. Nebiensis in Corsica Episcopus Latine, Graece, Hebraice, Chaldaice et Arabice doctus et rei Mathematicae peritus, naufragio intercidit An. 1536. b) aetat. 66. De illo praeter Jac. Echardum tom. 2 de scriptoribus Dominicanis pag. 96. seq. et Colomesium in Italia Orientali pag. 31. laudatosque ab eruditiss. Wolfio pag. 36. consulendi Andreas Chevillierius de originibus typographiae Paris. pag. 291. seq. Jac. Gaddius de scriptoribus non Ecclesiasticis tom. 1 pag. 267. seq. et Rich. Simon libro 3. Epist. select. 16.

Hic magno ausu *totum Vetus et Novum Testamentum* quinque linguis, Hebraea, Chaldaea, Graeca, Latina, et Arabica in unum redactum corpus molitus est edere, cujus specimen An. 1516. Leoni X. obtulit *Psalterium* octaplum, Hebraeum videlicet, Graecum, Arabicum et Chaldaicum, cum tribus Latinis interpretationibus et additis glossis sive brevibus expositionibus, Genuae 1516. fol. Et testatur Sixtus Senensis vidisse se manu Justiniani scripta *quatuor Evangelia* similiter octapla, atramento minioque distincta. Vide Jacobi Longi Bibliothecam sacram pag. 2 seq. 42. seq. et Jac. Echardum t. 2 pag. 98. nec omittendum quod Jo. Morinus p. 11. exerc. Bibl. ait, *annotatiunculas hasce* in Psalmos *ex mysticis et difficillimis Judaeorum penetralibus expressas, paucis verbis plura aperire Judaeorum recondita mysteria, quam crassis voluminibus alios, qui his in rebus videri gestiunt admodum versati.*

Liber Job. Hebraicae veritati restitutus, cum duplici versione, altera vulgata altera Justiniani. Paris. 1520. 4.

Liber Ruth, et Lamentationes Jeremiae, cum tractatu *de numeris.* Hebraice, 4.

Grammatica R. Moysis Kimchii, ibid. 1520. 4. recusa cum Seb. Munsteri versione Basil. 1531. 8. et notis Constantini l'Empereur. Lugd. Bat. 1630. 8.

Maimonidis dux seu *director dubitantium* Paris. 1520. fol. ex Latina veteri versione qua pridem usi Thomas Aquinas, Thom. Bradwardinus aliique, et quam in Bibl. Sorbonica vidisse se Rich. Simon. testatur. Confer ejus tom. 3 Epistolarum Gallice editarum pag. 107. Amst. 1730. 12. Epistola qua opus hoc Justinianus dicavit Stephano Poucherio, Senonensium Archiepiscopo, exstat t. 3 Bibl. Hebraicae celeberr. nostri Wolfii pag. 781. una cum specimine illius versionis adjuncto versioni Buxtorfianae. Adde eundem tom. 1 pag. 857. seq.

Precatio ad DEUM omnipotentem ex LXXII. nominibus Divinis Ebraicis et Latinis, cum interprete commentariolo. Venet. 1513. 8. De illis LXXII nominibus vide Galatinum lib. 2. de arcanis Catholicae veritatis cap. ult. Kircherum tom. 2. Oedipi etc.

Victoria contra impios Hebraeos, PORCHETO de Sylvaticis, Genuensi, a) Monacho Carthusiano auctore, qui An. 1303. scripsisse se significat, edente Augustino Justiniano Paris. 1520. parvo fol. sive forma quarta majore.

Philonis Judaei centum et duae quaestiones et totidem responsiones morales super Genesin, Paris. 1520. fol. dicatae Loisiae de Sabaudia, Francorum Regis Matri.

Chalcidius in Platonis Timaeum, Paris. apud Badium Ascensium, 1520. fol.

Æneae Platonici, Theophrastus sive dialogus de immortalitate animorum et corporum resurrectione dialogus e Graeco Latine versus Venet. 1513. 8. ad Philippum Saoli, Episcopum Aprumiatensem.

a) Acta Erud. 1751. pag. 60.

b) Non 1550 ut Andreas Saussay in continuatione Bellarmini de S. E. pag. 11. aliique.

a) Vide laudatum Wolfium ad Colomesii Italiam Orientalem pag. 8. et Bibl. Hebraeae tom. 2. pag. 1001 et 1124. seq.

Jo. Matthaei Lunensis de Sarzana de mulieribus claris et de inventoribus rerum Paris 1520.

Annales Genuenses consignati Italice, et post auctoris obitum ex schedis illius utcunque vulgati Genuae 1537. fol. unde non auctorem, ut scripsit Jovius, sed editorem *editionis praecipitatae male audiendo poenas luere* aequius erat. In annalium libro quinto ad An. 1470. ipse Justinianus de se plura, ex quo Jac. Echardus et Rich. Simon nonnulla annotavere.

Xenophontis Oeconomica versa Italice an lucem viderint non possum dicere.

Descriptione Insulae Corsicae redactaque in tabulam et dicata Andreae Principi de Doria, usus est Leander Albertus.

Bernardus JUSTINIANUS a) Patricius Venetus, Leonardi Procuratoris filius, Laurentii nepos, Miles, Orator et Procurator, post multas insignes legationes et res praeclare gestas defunctus an. 1489. major octogenario, de quo Antonius Stella in ejus vita, Venet. 1553. 8. et Diarium eruditorum Italiae tom. XIX. pag. 364. seq. Scripsit *de origine Urbis Venetiarum rebusque ejus ab ipsa ad quadringentesimum annum* (A. C. 821) *gestis Historiae libros XV.* Venet. 1492. fol. edente Benedicto Brugnolo et 1534. atque Italice Ludovico Dominico interprete Venet. 1545. 1608. 8. In eodem opere etiam Gothorum, Langobardorum, Saracenorumque bella et incursiones Justinianus persequitur, quare non diversa est ab illo *Ghotica Historia*, Bergomensi atque aliis memorata.

De Vita S. Marci Evangelistae, *corpore Venetias translato, et sepulturae loco* libros tres, subjunctos iisdem Historiarum libris et cum illis recusos etiam in tomo quinto thesauri scriptorum Italiae Burmanniano, Lugd. Bat. 1722. fol.

Vitam patrui sui *Laurentii Justiniani* Patriarchae Veneti, ad Monachos Carthusienses, Venet. 1475. 4. et apud Surium VIII. Januar. et in Actis Sanctor. tom. 1 Januar. pag. 551. et ante opera Laurentii edita Venetiis, Coloniae, Lugduni, Basileae, et in Danielis Rosae sylloge, de qua mox in Laurentio. Etiam Italicam versionem Nicolai Manerbii, Camaldulensis exstare typis exscriptam notat Diarium eruditorum Italiae tom. 19. p. 374. et epitome est apud Bzovium ad A. 1453. n. 44. seq.

Orationes et Epistolas, una cum versione *Isocratis ad Nicoclem* quam adolescens duodeviginti annorum adornavit Patavii, ercusas Venet. 1492 fol. subjunctis Epistolis Leonardi Justiniani, patris.

Laurentinus JUSTINIANUS non Ordinis Caelestini, ut Trithem. c. 721. sed Canonicorum regularium S. Augustini congregationis S. Georgii in Alga, Venetiarum Episcopus An. 1431. et primus An. 1450. Patriarcha, defunctus An. 1455. Sanctisque adscriptus An. 1524. de quo Acta Sanctorum tom. 1. Januarii 8. et Daniel Rosa in summorum sanctissimorumque Pontificum, illustrium Virorum, priorumque Patrum de B. Laurentii Justiniani vita, sanctitate ac miraculis testimoniorum centuria. Venet. 1614. Utrobique etiam obvia vita Laurentii, scripta a fratris filio, de qua jam in Bernardo Justiniano dixi. Laurentii scripta junctim edita Basileae 1560. Lugd. 1568. Venet. 1606. Colon. 1616. et Lugd. 1628. fol. recensentur a Labbeo tom. 2. pag. 9. et sunt: *Lignum Vitae. De disciplina monastica et spirituali perfectione. De casto connubio Verbi et animae. Fasciculus amoris. De triumphali agone CHristi. De interiore conflictu. De complanctu Christianae perfectionis.* (Trithemio *de complanctu Ecclesiae.*) *Sermones XL: de festis CHristi, Deiparae et Sanctorum. De vita solitaria opus. De contemtu Mundi.* Et quae scripsit Episcopus ac senex: *De spirituali interitu animae et de ejusdem resurrectione spirituali, quae per mediatorem DEI et hominum CHristum JEsum fit, Gratia ipsius multipliciter operante, libri II. De regimine et institutione Praelatorum* (Trithemio *de officio Pastorali.*) *De obedientia. De humilitate. De gradibus perfe-*

a) De Bernardo Justiniano qui nostrae aetate de Ordinibus militaribus scripsit A. 1670. 1692 vide Museum Minervae Venetae (la Galeria di Minerva) tom. 1. pag. 87.

ctionis. Epistolae ad diversos et diversorum ad eum. Apud Trithemium praeterea memorantur: De sacramento altaris, et De sermone Domini in Coena.

Leonardus JUSTINIANUS, Patricius Venetus, Laurentii frater, Pater Bernardi, de quo supra, Procurator Venetus, defunctus an. 1446. Ejus *Epistolae* quaedam atque *Oratio in funere Caroli Zeni*, a) Venet. 1492. fol. editae cum filii Bernardi Orationibus. Versio *vitarum Cimonis et Luculli* in antiquis Latinis vitarum Plutarchi editionibus: in quibus etiam vita *Phocionis*, nomen interpretis Lapi praeferens, Leonardo ab Antonio Stella vindicatur. Versio *Vitae S. Nicolai Myrensis* Episcopi ad Laurentium fratrem excusa cum Aldi Poëtis Christianis Venet. 1502. 4. atque apud Surium 10 Decembris et Georgium Wicelium in Hagiologio. Vide Vossium pag. 552. et Diarium eruditorum Italiae t. IX. p. 181. Omitto dicere de *Michaële Justiniano*, cujus notitia scriptorum Ligurum prodiit Italice Rom. 1667. 4. de *Pantaleone Justiniano* (Zustigano) an. 1253. Latinorum Patriarcha CPoleos a Gallis Venetisque captae: *de Petro Justiniano* scriptore Historiae Venetae ab originibus Urbis ad an. 1560. b) quae versa quoque Italice a Josepho Horologio. De *Sebastiano Justiniano* denique, Oratore ad Regem Poloniae Ladislaum an. 1500.

* Insignis codex Biblioth. Malatestarum Caesenatensis has exhibet Plutarchi vitas a Leonardo versas; Timoleontis cum praefatione ad Cosmum Medicem Florentinum civem. Cononis et Luculli cum praefatione ad Henricum Lusignanum illustrem Galliae principem. Quoad versionem Vitae S. Nicolai Mirensis ab eo adornatam et directam Laurentio eius fratri urbis Venetiarum Patriarchae est mihi vetusta eius editio absque loco et tempore in 4. quam hic omisisse pigeret. Testatur autem in praefatione se hanc vitam potissimum ex Simeone Metaphraste adornasse, omisisse vero ea, quae de ipso viro sancto feruntur tum vetera tum nova miracula. Temperare me non possum quin recitem egregiam de studiis viri huius laudationem, quam nuper legisse me succurrit in epistola Petri Parleonis ad Nicolaum Sagundinum legenda in vol. II. libri inscripti. *Miscellanea di varie operette* Ven. 1740. *In die nocteque quantum per occupationes publicas ei liceret lectorem librorum habebat, multa scribebat, multa e Graeco vertebat in latinum, In musica studiose recreabatur. Scis enim praeter eius singularem eloquentiam in musicis tantam illum eruditionem habuisse, tantumque ei habitum honorem, quantum nec aetate nostra nec multis ante annis in nemine fuisse, nec habitum esse audivimus. Nam praeter sacros hymnos, quos extrema aetate composuit; junior quosdas suavissimos, et miros quosdam vocum et nervorum Cantus invenit, qui usque adeo et artis gratia, et numerorum dulcedine omnium aures mentesque, ac animos demulcent, alliciunt ac tenent, ut nec quisquam delectetur, nec musicae peritus habeatur, qui Justinianas fidium vocumque modulationes et flexiones varietatesque ignoret, nec alii nunc, ut vides, cantus in nuptiis, in conviviis, in triviis ac vulgo passim adhibentur.*

JUSTINIANUS *de Hispania, Ecclesiae Valentinae Episcopus, ex quatuor fratribus et Episcopis* a) *eadem matre progenitis unus scripsit* librum responsionum ad *quendam* Rusticum, b) *de interrogatis quaestionibus quarum prima responsio est* de Spiritu S. *secunda est* contra Bonosiacos, *qui CHristum adoptivum et non proprium* (Filium) *dicunt*: *tertia responsio est* de baptismo Christi, *quod iterare non licet: quarta*

a) Haec oratio edita etiam ab Edmundo Martene tom. 3. novae collectionis veterum scriptorum pag. 743. et a Muratorio tomo XIX. scriptorum Italiae, ad calcem Jacobi Zeni de quo supra pag. 314.

b) Vide Bibliothecam D. Jo. Fabricii Helmst. t. 5. pag. 80 et 347.

a) Caeteri tres: *Justus, Nebridius, Elpidius*, notante Trithemio cap. 209 de S. E. adde Nic. Antonium tom. 1. Bibl. vet. Hispanae lib. IV. cap. 1. pag. 207.

b) Alium, ut videtur, a Rustico Lugdunensi Episcopo, qui et aetate praecessit et dignitate ei quem non satis fuisset Isidoro *quendam* Rusticum appellare.

responsio est de distinctione baptismi Joannis et CHristi *Quinta responsio est*, quod Filius, sicut Pater invisibilis sit. *Floruit in Hispaniis, temporibus Theudae, Principis Gothorum.* Haec Isidorus cap. 20. libri de S. E. et ex eo Honorius III. 24. Theudas Gothorum in Hispania Rex ab A. C. 531. ad 548. Justinianus hic idem cum Justino qui Concilio Valentino subscripsit A. 546. ut Francisco Bivario et Nic. Antonio recte observatum. De BONOSO qui cum Photino et Helvidio sensit, et de *Bonosiacis* vide S. Ambrosium Epist. 49. Innocentium I. Epist. 22. c. 5. Sirmondum ad Aviti Epist. 3 Garnerium ad Marium Mercatorem tom. 2. pag. 315. Vitam Salabergae Abbatissae editam a Dacherio ad calcem Guiberti Novigentini pag. 679. 680. ubi de EUSTASIO Abbate qui Bonosiacos confutavit. De AUDENTIO eorundem adversario Gennadius de S. E. cap. 14.

JUSTINUS *Archidiaconus*, ad quem et Faustum scribit Gelasius Papa tom. XVIII. Bibl. Patrum Lugd. pag. 1616. F.

JUSTINUS a) *Argentoratensis* Episcopus (Possevino et aliis JUSTUS) apud Gvil. Eysengreinium pag. 58. b. traditur obiisse A. C. 682. Scripsit ad Principium Nemetinae Praesulem Ecclesiae *Commentarios in Cantica Salomonis*, qui eodem Eysengreinio teste in Collegio Disciplinae regularis Truttenhusen an. 1565. servabantur.

JUSTINUS Hispanus, Abbas Casinensis nonagesimus septimus circa A. 1522. quem virum in Philosophia et Divinis scientiis doctissimum et Historiae amatorem laudat Placidus in suppl. ad Petr. Diaconum c. V.

*JUSTINUS Ord. Praed. cui in Capitulo Dominicanorum generali An. 1242. Bononiae sub Joanne Teutonico provinciam *vitae S. Dominici* describendae demandatam fuisse narrat Leander Albertus apud Vossium pag. 784.

JUSTINUS *Lippiensis* e Lippia civitate Westphaliae, scripsit circa An. 1260. Carmine elegiaco *Lippistorium* sive de rebus Comitum Lippiensium ad Simonem Comitem Lippiensem, et Episcopum XXIII. Paderbornensem. Edidit Henricus Meibomius avus cum Chronico Hermanni Lerbecii, Francof. 1620. 4. inde recudi fecit Henricus Meibomius nepos tom. 1. scriptor. Germ. pag. 578-596. Vide Vossium pag. 481. Translatum hoc Lippistorium lingua Saxonica An. 1487. Meibomius ex Joannis Piederici Chronico Lippiensi annotavit.

JUSTUS *Archypresbyter* dioeceseos Claromontanae, scriptor *Vitae S. Amandi* ante an. 1128 quam ex MS. vertit Gallice ediditque Abbas Fayditius Paris. 1702. 12. Vide memorias litterarias Trevoltinas an. 1703. pag. 408. edit. Amst.

JUSTUS Abbas *Cisterciensis* circa an. 1300. cujus *homiliam* contra abusus laxioris vitae, in conventu Abbatum et Episcoporum habitam edidit Jo. Picardus, Canonicus S. Victoris Paris. unde recusa in Bibl. Patrum Colon. Paris. et Lugd. t. XXVI. pag. 1. Inter alia ait Ordinem Cisterciensem propter majorem austeritatem, quam pridem habuit, antonomastice *Ordinem* fuisse nuncupatum.

JUSTUS, *S. Hilarii* Pictaviensis discipulus, traditur *vitam* ejus scripsisse, quam jactat Jo. Bouchetus in Annalibus Aquitaniae lib. 1. cap. 10. sed nulla fide dignam docet Tillemontius tom. 7. memoriar pag. 486. 757.

JUSTUS *Lugdunensis* Episcopus *in Canticum* laudatur a Notkero apud Pezium tom. 1. Anecdotor. pag. 4.

JUSTUS *Orgelitanus*, infra *Justus Urgellensis*.

JUSTUS *Toletanus* post Helladium Episcopus Toletanus ab An. 633. ad 735. de quo Hildefonsus de S. E. cap. 8. memorans ejus *Epistolam* sed pridem deperditam ad Richilanem Abbatem Agaliensis Monasterii, *in qua patenter adstruit, susceptum gregem relinquere penitus non debere* Concilio IV. Toletano A. 633. interfuit.

JUSTUS *Viennensium* Archiepiscopus scripsit ad Sergium Papam librum explanationum *in Cantica Canticorum*, si fides Anonymo Mellicensi cap. 42. de S. E. Sed inter Viennenses Archiepiscopos nullus il-

a) Sammarthani tom. 2. Galliae Christ. p. 206.

lis temporibus Justus: itaque errore calami Viennensem pro Lugdunensi posuit vel pro *Urgelitano* de quo mox.

S. JUSTUS Episcopus *Urgellensis* sive *Urgelitanus* in Hispania Episcopus, qui subscripsit Concilio Toletano II. An. 527. (al. 531.) atque Ilerdensi An. 542. (al. 546.) et cujus mysticam *Expositionem in Cantica Canticorum* ad Sergium Papam (non Romanum sed Tarraconensem Episcopum) metropolitanum suum, memoratam Isidoro Hisp. cap. 21. Honorio III. 25. Trithemio cap. 210. edidit Menradus Moltherus, Haganoae 1529. recusam in Micropresbytico Basil. 1550. in Orthodoxographis utrisque edit. An 1555. et 1569. et in Bibliothecis Patrum universis, Paris. Colon. et novissima Lugdunensi tom. IX. pag. 631. et Separatim Georgio Rostio curante, Halae Sax. 1617. praemissa *Epistola ad Sergium* edita etiam in Dacherii spicilegio tom. III pag. 312. (edit. novae tom. 3. pag. 119.) et in Conciliis Hispaniae cum notis Cardinalis de Agvirre tom. 2. pag. 273. et altera *Epistola ad Justum Diaconum* quo hortante laborem hunc in se suscepisse profitetur. Confer Nic. Antonium IV. 1. Bibl. Hispanae veteris t. 1. pag. 208. seq. Acta Sanctor tom. VI. Maji 28. pag. 773.

JUTREBOCENSIUM a) rerum scriptores editi Witebergae 1734. 4. a M. Paulo Jacobo Eckardo, Ecclesiae patriae Pastore, nullum Latinum monimentum medii vel infimae aetatis exhibent nisi pag. 136-142. brevia excerpta *Annalium* Abbatis cujusdam CINNENSIS ab An. 920. ad 1528.

JUVENALIS Episcopus Hierosol. interfuit Concilio Ephesino An. 431. et Chalcedonensi An. 451. ac quanquam Graece scripsit, hoc loco memoratur quoniam Latine exstat in parte 3. Actor. Concilii Chalced. ejus Epistola Synodica interprete Epiphanio Scholastico tom. 4. Concilior. Labbei pag. 889. tom. 2. Harduin. pag. 690. Nam Oratio de assumtione S. Virginis apud Nicephorum XV. 14. et Lambecium VIII. pag. 164. spuria est et longe junioris scriptoris. Vide Rivetum tom. 3. Opp. pag. 366. Albertinum de S. Eucharistia pag. 262. b. Oudinum tom. 3. pag. 1271.

JUVENCUS inter scriptores disertos qui res Julii Caesaris tradidere, laudatur a Sidonio Apollinari lib. IX. Epist. 14. ad Burgundionem, cum Livio, Svetonio, Balbo, et (Gargilio) Martiale.

De JUVENCO poeta haec S. Hieronymus cap. 84. de S. E. ex eo Honorius lib. 1. cap. 85. *JUVENCUS* b) *nobilissimi generis, Hispanus, presbyter* c) *quatuor Evangelia hexametris* d) *versibus paene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, et nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem* e) *pertinentia. Floruit sub Constantino* f) *Principe.* Non singulos libros singulis impendit Evangelistis, sed historiam sive harmoniam Evangelicam quatuor libris digessit, Matthaeum prae caeteris ducem in Metaphrasi sua secutus, non solum tamen sed ita ut ex caeteris eum Evangelistis subinde suppleat, quemadmodum initio statim e Luca: nec pauca etiam praetereat. Interpolatos interdum Codices Evangelistae habuisse Juvencum duobus insignibus exemplis Matth. III. 16 et XX. 28. ostendit. Jo. Millius prolegom. ad N. T. §. 766 seq. adde Codicem apocryphum Novi

a) Jutrebocum, perantiquam Saxoniae Civitas quarto lapide distans Witeberga.

b) Integrum nomen *C. Vettius Aquilinus Juvencus*, ut ex MSS. Codicibus praeter P. Pithoeum notavit Juretus ad Symmachum pag. 275. Ex nobili atque antiqua *Vettiorum* familia fuisse colligit auctor libri Gallici, *les amenitez de la Critique*, Paris 1718, 12. parte 2. De familia Vettia Fulvius Ursinus pag. 273. Ioan. Glandorpius pag. 895. Onomastici, aliique.

c) *Sanctae autem Rom. Ecclesiae Cardinalem fuisse undenam didicere Bergomensis Marinaeus Siculus, Eisengreniusque?* ita Nic. Antonius lib. 2. Bibl. vet. Hispanae cap. 1.

d) Non hexametris pentametrisque, ut traditum Trithemio cap. 62.

e) Haec nusquam hodie extant, etsi duos libros memorat Trithemius velut visos sibi. Ita certe Trithemii verba intellexit Tillemontius hist. Imperatorum tom. IV. pag. 487. quod tamen non est necesse.

f) Constantino M. non *Constantio* ut quaedam editiones Hieronymi. Juvencus ipse extremo libro IV.
Haec mihi pax CHristi tribuit, pax haec mihi saecli,
Cum foret indulgens terrae regnator apertae
Constantinus, adest cui gratia digna merenti.
Obiit Constantinus Magnus an. 337. Hieronymus in Chronico Juvencum refert ad an. 329.

Test. pag. 328. Vicissim versus quosdam Juvenci alteratos esse ab editoribus, quo magis consentirent cum Vulgata, ex duobus MSS. Codicibus docet Rich. Simon in novis observationibus ad textum et versiones Novi Test. cap. XXI. Notavit. et Joan. Marcianaeus prolegomenis ad veterem Italam versionem Matthaei, editam Paris. 1695. 12. ubi observavit ex MS. Corbejensi Juvencum usum Codice Evangelistae diviso in sectiones XXVIII. Lucem primum vidit Juvencus Paris. 1499. fol. edente *Jacobo Fabro*, Stapulensi, qui ejus rei meminit praef. ad Aldhelmum de Virginitate, editum Daventriae 1512. 4. *Considerans ego fructum illum qui emersit ex editione illa divi Juvenci, quem ego ante multos annos primus omnium publicavi.* Deinde secutae editio sine loco et anno 8. atque *Aldina* cum Sedulio, Aratore et aliis, Venet. 1502. 4. tum Lipsienses 1505. fol. et 1511. 4. et Rothomag. 1509. 4. cum scholiis *Jodoci Badii:* Coloniensi 1537. 8. cum Sedulio, ex recensione *Reinhardi Lorichii Hadamarii* et Basileae 1537. 8. 4. cum Aratore et enchiridio Prudentii: ac cum Sedulio Aratore et quatuor Venantii Fortunati hymnis, ibid. apud Oporinum 8. sine anni nota, curante *Theodoro Pulmanno*: et 1541. 8. additis Ælii Antonii Nebrissensis in Sedulium, el Jodoci Badii in Juvencum annotationibus, et 1545. 8. Paris. 1545. 12. Lugd. 1553. 1566. 12. Genev. 1588. 12. cum Sedulio et Aratore, praeterea in *Georgii Fabricii* poëtis Christianis, Basil. 1564. 4. et in Corpore Poëtarum veterum Latinorum, Lugd. 1603. Aureliae Allobrogum sive Genevae 1611. 1628 1640. 4. etiam in Operibus veterum Poëtarum Latinorum recensitis a *Michaële Maittaire* et junctim editis Lond. 1713. fol. Tom. 2. pag. 1540. ut Calarensem editionem 1573. 8. et Venetam 12. praeteream. Novam ad MS. Helmstadiense recensitam molitus fuit *Jo Saubertus*, cujus vide Varias Lectiones in Matthaeum pag. 259. Sed meliorem hactenus debemus *Magno Danieli Omeisio* τῷ μακαρίτῃ, et qui post eum An. 1708. extinctum curam rei gessit V. C. Erhardo Reuschio, qui Franc. 1710. 8. Juvencum vulgavit a laudato Omeisio recensitum ad veteres Codices atque editiones; cum notis integris *G. Martini Koenigii*, *Magni Danielis Omeisii* et *Christiani Schoetgenii*, selectisque *Jodoci Badii*, *Georgii Fabricii*, *Casp. Barthii* ex Adversariis, et aliorum. Veterum testimoniis quae bene multa praemissa sunt, addi poterunt Lupi Ferrariensis Epist. 8. Alcuini libro 2. adversus Elipantum pag. 954. Bedae retractat. in Acta cap. 9. et de locis sanctis cap. 4 ne dicam de pseudo Dextro, pseudo Haberto aliisque quorum commenta explodit Nic. Antonius lib. 2. Bibl. vet. Hispanae cap. 4.

Librum in Genesin, sive librum Geneseos, carmine hexametro versuum 1341. succincte expressum primus Paris. 1733. fol. edidit ex vetusto Codice Corbejensi ante annos nogentos exarato Edmundus Martene, novae collectionis Veterum monimentorum tom. IX pag. 15. seq. Quatuor prima capita saepius lucem viderant jam sub *Tertulliani* jam sub *S. Cypriani* nomine.

JUVENCUS *Coelius*, *Calanus* Dalmata, scripsit *vitam Attilae*, Hunnorum Regis; sive potius ex Prisco Graeco Historico aliisque Graecis monumentis convertit. Vide Barthium XIX. 12. et LVI. 15. Adversariorum. Non dubito usum fuisse Barthium, a quo aliis etiam locis allegatur, editione Juvenci Ingolstadiensi 1504. 4. quae fuit etiam in Bibliotheca Cordesiana. Falluntur certe qui habent pro inedito, ut vir Clarissimus *Matthias Belius* a) scriptores rerum Hungaricarum pollicitus, primumque illorum Volumen ineditis impleturus, traditur in ea daturus Juvenci Attilam, quem exspectamus etiam ab illustrissimo Lincopensi Episcopo *Erico Benzelio* b) in tomo, cujus spem fecit, scriptorum Septentrionalium. MStum habuit Peireskius, voluitque antequam Ingolstadiensibus typis prodiret, in lucem dare: laudat MS. etiam. Thomas Bartholinus in schedio de armil-

a) Bibl. Germanique tom. XV. pag. 166. *Gelehrte Zeitungen A. 1727.* pag. 962.

b) Giornale de' letterati d' Italia t. XXXV. pag. 395.

lis veterum pag. 73. Recentioribus scriptoribus annumeratur in indice scriptorum citatorum ab G. Erhardo sive Goldasto ad Petronium : ac recte illud quidem , neque enim saeculo decimo quinto antiquior habendus est, de quo Bernardus Justinianus plus simplici vice in libro primo de origine Venetiarum. In illustris Leibnitii otio Hanoverano pag. 417. legas: *Juvenci vitam Attilae citat Pigna in historia Estensi. Autor ille mihi videtur supposititius.* Citatur etiam Vita Regis Attilae a Juvenco scripta in libro tertio operis Gallice editi Lugd. 1528. fol. cui titulus: *les illustrations de Gaule et singularitez de Troye par Maistre* Jean le Maire *des Belges, Judiciaire, c' est a dire historiographe d' Anne de Bretagne, deux feys Reyne de France.* Inter scriptores quibus usus Baptista Fulgosus est, Juventium Celium referri video. Ante paucos annos *P. de la Porte* Ord. S. Francisci de Paula An. 1715. promisit se in lucem daturum a) scriptores et monumenta vetera historiam Occitaniae sive Languedociae illlustrantia, primoque loco nominat *Historiam Gothorum ex MS· Codice Vaticanae Bibliothecae n. 1890.* et *Juventii Cellii Dalmatae Attilam conversum ex Graeco in Latinum a Pontico Bellunio, ex MS. Codice Bibl. Ambrosianae lit. P. n.* 267.

* Scriptam ab hoc authore Attilae vitam nondum in lucem prodiisse olim quidem Belius censuit, ut Fabricius hic optime monet; postmodum tamen a multis viris doctis admonitus errorem suum agnovit, comperitque oculatus testis jam inde ab an. 1502. Ven. typis ad calcem vitarum Plutarchi Opusculum istud vidisse lucem; idemque dein in promptuario ecclesiastico canisiano an. 1608 recusum fuisse. Vide Acta eruditor. an. 1737. pag. 152. etc. Vide etiam eiusdem Belii apparatus ad historiam Hungaricam t. 1. in quo et contra Fabricium ostendit Coelium hunc diu ante floruisse, quam ille judicat; opinatur enim Fabricius hic scriptorem Sec. XV. antiquiorem nequaquam haberi. Belius vero adductis Diplomatibus ad Sec. XII. pertigisse demonstrat. Tanta tamen antiquitas Garellio Bibliothecae Caesareae olim Praefecto doctissimo minime persuadetur, qui multo recentiorem eius aetate ex ipso opere adductis coniecturis evincit. *

a) Mem. litteraires de Trevoux A. 1715 pag. 1770. *Never Ducher-Saal* LIV. pag. 427.

JUVENTIUS, Comicus e quo Charisius 2. institutt. Grammatic. pag. 196. *Caput ei testatim defregero.* Antiquior hic est quam ut referri a me debeat, cum non modo Gellius jam XVIII. 12. ex Juventii Comoedia laudet: *pallium face ut splendeat,* sed ante Gellium Varro lib. V. de lingua Lat. pag. 54. *Gaudia sua si omnes homines conferant unum in locum, tamen mea exsuperet laetitia,* et lib. IV. pag. 46. *scrupedam Juventius Comicus dicebat a vermiculo piloso, qui solet esse in fronde cum multis pedibus.* Sed apud Gellium et Varronem p. 54. Terentii nomen pro Juventio in Codicibus quibusdam importune intrusum. Vide quae viri docti ad laudatum Gellii locum, et Rutgersium IV. 19. Var. lect. et Barthii Adversar. XXI. 5.

LIBER X.

Vincentius KADLUBKUS, supra tom. 1 pag. 286.

Jo. Geilerus KAISERSBERGIUS, supra pag. 374.

Henricus KALKAR sive KALKARIENSIS supra tom. 3 pag. 208.

Henricus KALTEISEN. Supra tom. 3 p. 208.

KAMBERTUS qui Cangio est, secuto Possevinum, idem aliis *Lambertus* sive *Rambertus Primaditius* de Bononia, Ord. Praed. Episcopus Venetiarum Castellanus ab An. 1302. ad 1308. Scripsit *apologeticum contra corruptorium S. Thomae* a) *pro illius doctrinae defensione.* Ac fortasse *Speculum exemplare* quod in MS. Codice praefert nomen RAINOLDI Bononiensis. Vide Jacobum Quetif. tom. 1 p. 504.

Joannes KANNEMANN, Waddingo pag.

a) *Correctorium* Gvilelmi de Mara. Vide supra pag. 323. eo tom. 3. pag. 445.

213. vitiose *Kranemann*, Teutonicus Ord. Minor. circa An. 1460. de quo Trithemius cap. 813. de S. E. et de luminaribus Germaniae cap. 191. scripsit *Defensorium sui* adversus Provincialem suum a quo de potestate Ecclesiastica male sentire accusatus fuerat. *De passione Domini. Sermones varios et Quaestiones.*

Robertus KAREVUE aliis *Cervinus*, Anglus Philosophus Oxoniensis circa A. 1326. scripsit *Quaestiones Ordinarias*, tum *in IV. libros Sententiarum, et in Aristotelis posteriora Analytica.* Vide Baleum V. 21. et Pitseum pag. 417.

Guilelmus de KAYOTHO supra tom. 3 pag. 133.

KEBIUS *Corinius*, Britannus, Salomonis Cornubiae Ducis filius, Episcopus ut ajunt Monae insulae circa A. C. 380. quem familiariter versatum cum S. Hilario Episcopo Pictaviensi et ad eum plures misisse litteras, ex Lelando tradit Baleus Centur. I. c. 37. ex Baleo Pitseus pag. 84. atque Possevinus.

KEMPERLEGIENSE breve Chronicon ab A. 843. ad 1279. edidit Baluzius tom. 1 Miscellaneor. p. 520-527. Paris. 1678. 8. De Abbatia Kemperlegiensi Ord. Bened. in Gallia Aremorica vide Sammarthanos tom. 4. Galliae Christ. pag. 551.

Thomas Hamercken sive Malleolus a patria Kempen sive Campis in ditione Coloniensi, dictus de KEMPIS, natus est A. 1380. et Daventriae auditor *Florentii*, qui Gerardi Groot discipulus An. 1400. obiit inde An. 1407. nomen Thomas dedit Ordini Canonicorum Regularium Augustinianorum, et in Coenobio S. Agnetis ad Zwollam in Transsylvania Belgica post fratrem Priorem Joannem, Sub-Prior et Procurator, diem obiit An. 1471. aet. 92. De pio hocce viro multa Jodocus Badius Ascensius, Heribertus Bosweidus, Franciscus Tolensis aliique editores, et de corpore ejus reperto An. 1672. in monte S. Agnetis religiose condito Papebrochius in paralipomenis ad propylaeum Act. Sanctor. Maji pag. 108. seq. unde in propylaei ipsius parte 2. pag. 83. eum subiit sperare fore aliquando ut religiosiori cultu eum, Sanctorum scilicet numero adscriptum venerari liceat. Scripta ejus recensent H. Warthonuus ad Caveum, et B. Hubnerus noster in praefat. ad bellam suam librorum de imitatione CHristi metaphrasin Germanicam: nec non Valerius Andreas, Franciscus Sweertius aliique. Prodierunt Norimb. 1495. fol. et curante Badio Paris. 1520. 1523. 1549. 1570 fol. Venet. 1565. 1569. Antwerp. 1574. 1580. 8. et *Henrici Sommalii* S. I. studio Antwerp. 1600. 1607. 4. 1615. 8. Lugd. 1623. 8. Duaci 1635. 8. Colon. 1660. 8. Distributa sunt in tomos tres, quorum *primus sermones ad Novitios* IX pag. 1. aliosque X. pag. 27. et alios XI. p. 70. complectitur, subjunctis p. 135. *exemplis* quatuor et p. 137. *Sermonibus IX. ad Fratres.* Deinde *Conciones et Meditationes* a) XXXVI. p. 157.

In tomo *secundo* post IV. libros *de imitatione CHristi* pag. 298. sequitur p. 423. *Soliloquium animae*, et *Hortulus rosarum* p. 462. *Vallis liliorum* p. 485. *De tribus tabernaculis* paupertate, humilitate, patientia, pag. 524. *De disciplina claustralium* pag. 550. *De fideli dispensatore* pag. 575. *Hospitale pauperum* pag. 604. *Dialogus Novitiorum* pag. 662. *Exercitia spiritualia* capitibus XII. p. 635. *Alia exercitia spiritualia, capitibus XVI.* pag. 647. *Doctrinale, seu Manuale Juvenum* p. 655. *Libellus de vera conjunctione Cordis* pag. 664. *De solitudine* pag. 671. *et silentio* p. 680. *De recognitione propriae fragilitatis* pag 675. *Epitaphium breve, seu enchiridion Monachorum* pag. 682. *Manuale parvulorum* pag. 686. *De elevatione Mentis ad inquirendum summum Bonum* p. 695. *Alphabetum parvum Monachi in schola CHristi*, quod BONAVENTURÆ tribuunt alii pag. 700. *Consolatio pauperum et infirmorum* pag. 705. *Orationes piae ac*

a) Meditationes de vita et beneficiis CHristi, separatim editae Colon. 1626. 8. et Gallica a P. Vata *Elevations a JEsus CHristi sur sa Vie et Mysteres.* Paris. 1728. 12. Journal des Sav. 1729. Maji pag. 142.

devotae VII. pag. 707. *De mortificatione sui ipsius* pag. 723. *De humilitate* p. 716. *De vita bona et pacifica* pag. 719. *Rhythmi de vita boni Monachi* pag. 720. *cum doctrinis duabus alta mente reponendis*, pag. 724. *Cantica spiritualia* VI. pag. 725.

Tomo tertio Vitae *M. Gerardi Groot* p. 1. et discipuli ejus *Florentii* presbyteri et Vicarii *Ecclesiae* Daventriensis pag. 43. hujusque discipulorum, Thomae Kempensis familiarium *Joannis Gronde* pag. 87. *Joannis Brinckerinck* p. 91. *Luberti Berneri* pag. 94. *Henrici Brune* pag. 112. *Gerardi Sutphaniensis* pag. 116. *Amilii Burensts* pag. 120. *Jacobi de Viana* pag. 123. *Joannis Cacabi* sive *Ketel*, Coci pag. 125. et *Arnoldi Schoonhove* pag. 136.

Vita B. Liduvinae Virginis pag. 143.

Epistolae VI. p. 207. ex quibus *quinta* est *de pia defunctorum memoria* p. 221. *Orationes* sive precationes piae ac devotae *sex de passione D. N. JEsu CHristi* pag. 226. Aliae *Orationes X.* ad Mariam et Sanctos pag. 237. *Cantica spiritualia XII.* pag. 259.

In hisce Operibus desideratur *Chronicon Monasterii S. Agnetis*, cum Vindiciis Kempensibus, editum ab Heriberto Rosweido Antwerp. 1615. 1621. 8.

Opera Thomae de Kempis, Anglice Lond. 1708. 8. duobus Vol.

Librorum IV. de imitatione CHRISTI Editiones.

Liber *primus*, de imitatione CHristi et de contemtu omnium vanitatum Mundi.

Secundus de interna conversatione.

Tertius de interna locutione CHristi ad animam fidelem, et.

Quartus a) cum quanta reverentia CHristus sit suscipiendus.

Sub Kempisii nomine editio An. 1472. Augustae Vindel. An. 1486.

Argentorat. 1489. Theophili Sinceri *Nachricht von raren Buchern* pag. 165.

Luneburg. 1493. 12. cum Jo. Gersone de meditatione cordis.

Norimb. 1494.

a) Hic in pluribus MSS. et editionibus deest. Vide Gisb. Voetii diss. selectas tom. 5. pag. 7001 seq

Atque deinde in centum amplius repetitis editionibus.

Ad fidem autographi an. 1441. per *Heribertum Rosweidum* Paris. 1660. 12. Amst. 1701. 8. et inter Kempisii opera saepius ut supra pag. 634 notavi.

Separatim ex *Henr. Sommalii* recensione. Antwerp. 1607. 12.

Ex recensione *Philippi Chifletii.* Antwerp. 1652. forma minore.

Jacobi Merlonis Horstii, Pastoris in Pasculo, Coloniae 1675. 12. et 1682. 12. cum figuris aeneis.

Splendida editio sine nomine auctoris b) curante Richelio Cardinali, Paris. 1604. fol. e typographia Regia.

Nullo nomine addito auctoris vidi etiam vulgatos an. 1492. 12. sine nota loci.

Sub nomine BERNARDI, Brixiae A. 1485. cujus editionis Jo. Launoius meminit.

Sub JOANNIS GERSON, Cancellarii Paris. nomine, praeter vetustiores anni et loci nota carentes, in sola Telleriana Bibl. fuere editiones Parisienses Ann. 1489. 1491. 1492. 1500. 1513. 1515. 1517. et Veneta an. 1519. 8. Sed Kempisio restituti in edit. Paris. 1521. 12. in Jodoci Badii enchiridio piarum mentium. Joanni Gersono etiam tribuuntur in edit Mediolan. 1488. et 1501.

Sub nomine JOANNIS GESSEN, Abbatis S. Stephani Vercellensis, Ord. S. Benedicti, a Constantino Cajetano, Paris. 1616. 12. Rom. 1644.

a Francisco Valgravio, Paris. 1638. 12. Francisci Delfeau, Paris. 1674. 8.

Versiones.

ANGLICA, auctore nomen suum prodente duabus tantum modo litteris *F. B.* 1613. 8. Rothomagi 1650. forma minore.

Georgii Hickesii Lond. 1707. 8. History of the Works of the learned 1707. pag. 225.

Antonii Hoskini, S. I. plus simplici vice edita Audomari.

Guilelmi Page Oxon. 1639. 8.

Georgii Stanhope Lond. 1704. 1708. 8. atque iterum iterumque, ita ut jam duodecima prodierit editio an 1728. 8.

b) Vide Naudaeana pag. 94.

Anonymi Lond. 1585. 8. qui Jo. Gersono tribuit non Kempisio; et Lond. 1613. 8.

ARABICA *Petri Golii*, qui celeberrimi Jacobi Golii frater, factus Carmelita nomine *Coelestini* appellari maluit. Prodiit Romae ex Congregatione de propaganda Fide 1663. 8. Hanc recudendam dare erat in animo B. nostro Abrahamo Hinckelmanno. Vide W. E. Tentzelii *Unschuldige Nachrichten* an. 1693. pag. 212. et 217.

ARMENICA, Romae primum, deinde Amst. 1696. 12.

BELGICA *Nicolai van Winghe*, Canonici Regularis S. Martini Lovaniensis, Antwerpiae 1597. 12.

Heriberti Rosweydi, forma minore.

Cornelii Boy, Hagae Com. 1644.

BOHEMICA *Balthasaris Osthovini*, S. I.

CATALONICA *Petri Gillii* sive *Ægidii*, S. I. vid. infra, HISPANICA.

DANICA per *Jonam Jacobum Venusinum*, Hafniae 1599. 8.

GALLICA *Prosa*, praeter illam *Joannis Bovillonii* de qua Franciscus a Cruce Cenomana pag. 209. Bibl. Gallicae, et alteram antiquiorem Antonio Verdierio p. 656. Bibl. Gallicae memoratam, itemque jam compositam an. 1447. de qua Jo. Launojus pag. 126. diss. de auctore librorum de imitatione Christi: Gallica versio Paris. 1593. 4. ubi auctor librorum Kempisius agnoscitur.

Alia Paris. 1554.

Alia *M. A. R. C. A.* Paris. 1662. 12.

A Andry, d'un ancien exemplaire d'un Gothique François, qui a pour titre *la Consolation interieure* Paris. 1590. 12. 1692. 24. Journal des Sav. 1690. pag. 609. an. 1692. pag. 445.

Edmundi Augerii, S. I.

Abbatis *Bellegardei*, sub *Pauli Antonii Marsilii* nomine. Paris. 1694. 12. et cum Horstii observationibus, 1702. 12. Journal des Sav. 1702. pag. 329.

Sieur de *Beuil*. sub quo nomine *Isaaco Maitre de Sacy* latere placuit. Hujus versionis praeclarae editio XXIV. Bruxell. 1683. 8. sexta Paris. 1663. 8. Sunt quibus illa ob stylum, quem vocant aulicum, non probatur. Vide Acta Erudit. 1686. pag. 210. Critique de cette traduction, 1688. 12.

Du Bois.

Brignonii S. I

Philippi Chifletii Abbatis Balernensis.

Abbatis de Choisi, Paris. 1692. 12. *Journal des Sav.* 1692. pag. 301.

M. L. du Fresnoi sur l'ancien original François, d'ou l'on a tirè un chapitre qui manque dans les autres editions. Paris 1731. 8

Antonii Girardi, S. I. Paris 1614.

De Gonnelieu, S. I. Paris 1712. 8. *Journal des Sav.* 1713. Aout pag. 181. *Memoires litteraires de Trevoux* A. 1713. pag. 1403. et An. 1716. pag. 183. ubi de interpretis notis sive meditationibus.

Petri Gorsii, S. I.

Marsilii, vide *Bellegardei.*

Abbatis *Martignaci.*

D'Abbè du Mas.

Joannis Matiette, paraphrasis potius quam versio. Paris. 1706. Mem. de Trevoux 1706. pag. 1265.

D'Abbè Pelletier, Chanoine de Reims. Paris 1731. 12.

Petri Poiret

Heriberti Rosweidi, S. I. Paris 1652. 8.

Isaaci Maitre de Sacy, vide *de Beuil.*

Antonii Viviani, S. I.

Anonymi in 12. medio saeculo XVI. sine temporis et loci nota atque omisso ut interpretis ita auctoris quoque nomine, et libro integro quarto, sicut in Latina *Seb. Castellionis* editione et Gallica A. Andry Metaphrasi etiam est factum.

Anonymi alterius recentioris Paris. apud Jossetum, avec des reflexions de feu son Altesse Royale sur le premier livre.

GALLICO *Carmine*, celeberrimi *Petri Cornelii*, liber primus, Rothomag. 1651. et Leidae 1652. 12.

Libri quatuor universi, Rothomagi 1656. 4. Latinis ex adverso positis, nitida editio, nec minus splendida Nancejis 1732. 4. vide Journal des Sav. 1731. p. 282.

Paris. 1657. 8. 1665. 8. 1670. 12.

Bruxellis 1684. 8.

Mr. *l'Abbè Pelegrin*, l'Imitation de JEsus Christ en Cantiques spirituels, sur les plus beaux airs des meilleurs aute-

urs, tant anciens que modernes, notez pour en faciliter le chant. Paris. 1727. 8. Bibl. Francoise tom. X p. 153.

Juliani Scoponi, cujus Metaphraseos MS. specimina duo insignia exhibet Diarium eruditorum Hagense, Journal litteraire t. 2 pag. 437. seq.

GERMANICA *prosa*, sine anni et loci nota, nullo etiam vel auctoris vel interpretis addito nomine: *Die wahre Nachsolgung Christi*, 12. ante annos ducentos.

Alia versio itidem sine ullo autoris vel interpretis nomine Lubec. 1492. 4. *Dat Boeck von der Navolghinge JESU Christi.*

Trium librorum versio magis perspicua, Magdeburgi, sine nomine interpretis, et sine temporis nota in 8. circa A. 1610.

Libri IV. Argentorat. 1686. 12.

Ludolphi Naamanni, Flensburgensis MS. vide Jo. Henrici von Seelen selecta litteraria, specimine XV. pag. 525. seq. Obiit hic Naamannus A. 1575.

Nova versio a presbytero Monasterii servorum Mariae in Monte Crucis prope Bonnam, cum meditationibus asceticis P. de Gonnelieu. Dantisci 1733.

Nova versio, munita dictis S. Scripturae a *Franc. Leopoldo a Reising*, Ploen 1711. 8. Hamburg. 1717. 8.

Alia Lips. 1716. 1724. 12. Tubing. 1714. 12. Lips. 1714. 12.

Ex Gallico Poireti, Francof. 1728. cum praef. *D. Christoph. Matthaei Pfaffii.*

Inter Kempisii opera cum praef. *Godfridi Arnoldi.* Stendaliae 1712. 8.

Per compendium, Herbipoli 1718. forma minore, cum icunculis aeneis.

GERMANICIS versibus prosae admixtis.

D. Christianus von Stocken, Ploenae 1678. 8.

GERMANICO carmine.

Libri tres a *Gotfrido Blumelio*, Lipsiae et Uratislav. 1716. forma duodecima ob longa: et addito quarto libro, ibid. 1722. 1729. forma eadem.

Felici denique et digna metaphrasi donavit B. *Jo. Hubnerus* noster Lips. 1727. 8. *Auserlesene Theologische* Bibliothec tom. 3 pag. 248.

GRAECA versio *Henrici Sommalii*, S. I. excusa Augustoriti Pictonum: et altera *Georgii Mayr*, S. I. Colon. 1630. 12. et tertia primi libri ab *Eustachio Giselio*. Francof. ad Viadrum 1626. 1632. 8. Omnes tres hae versiones Latina adjuncta e regione exhibent. Giselium anti-Trinitariis Sandius annumerat.

GRÆCO idiomate Vulgari, *Neophyti Rhodini*, Cyprii, Romae 1638. forma minore.

HEBRAICA *Danielis Springeri.* Vide Jo. Jacobi Schudti *Judische Merckwurdigkeiten* tom. 2 p. 296. Nova litteraria Hamburgensia Germaniae A. 1703. p. 292.

HISPANICE. Sine nomine auctoris, Ulyssipone 1610. 12. *De la imitacion de Christo, y desprecio de toda vanidad.*

Nicolai Arnaya S. I. Madrit. 1615.

Jo. Eusebii Nierembergii Antw. 1661. in 24.

Francisci de Smidt. S. I. A. 1633.

Sine nomine auctoris, Antwerp. 1649. forma minore, et Madrit. 1661. *Contemptus Mundi par Tomas a Kempis.*

Valentiae 1693. itidem minore forma.

Martini Navarrae, Antwerp. 1564. 8.

HUNGARICE vertit *Petrus Patzmannus*, S. I. Cardinalis ediditque Posonii *Gregorius Vasarheli*, S. I.

JAPONICA. Vide Jo. Dallaeum lib. 1. de cultus religiosi objecto c. 25. p. 213.

ITALICA *Lamberti Cajetani Ponsampieri*, Lucensis ex MS. Gothico Gallico ab editionibus passim differente. Florent. 1723. 12. Giornale de'letterati d'Italia t. 37. p. 444.

Alia sine nomine auctoris, Venet. 1637. 1662. 1665. 1676. forma minore.

Mich. Angeli Eugenii, Rom. 1629. 8. 1661. 12.

LATINO Carmine *Joannes Tullensis*, Lotharingus S. I. quod Treveris MS. servatur teste Nathan. Sotwello pag. 510. Bibl. Jesuiticae.

Theodorus Graswinckelius Delphensis Latinis elegis, ad Carolum II. magnae Britanniae Regem. Roterdam 1661. 8.

Thomas Mezlerus monachus Zwifaltensis, Benedictinus A. 1645. cujus Epistolam dedicatoriam qua pro Jo. Gersenio Abbate horumce librorum auctore pugnat, edidit V. C. Jo. Georg. Schelhor-

nius tom. 13 amoenitatt. litterar. p. 265. Editio secunda hujus Metaphraseos, prodiit Bruxell. 1640. 12.

Quesnaeus Boisgvibertus versibus heroicis. Paris 1729. 8. Journal des Sav. 1730. Jun. pag. 254. Critique desinteressèe des Journaux tom. 2 p. 225.

Latina dictione prosaria puriore et elegantiore, inaffectata tamen, libros tres priores expressit *Sebastianus Castellio*, Basileae an. 1563. 8. *De imitando CHristo, contemnendisque Mundi vanitatibus.* Iterum ibid. 1565. 12. 1606. etc. nec non in Belgio Amst. 1628. 12. et Cantabrigiae 1685. 12. et cum aliis quibusdam Castellionis scriptis Francof. 1696. 8. ac seorsim rursus Gothae 1697. et Giessae 1699. Franc. 1727. 12. et ex Georgii Christiani Joannis recensione Francof. 1707. 8. Vide Nova litteraria Germaniae Hamburgensia A. 1708. p. 115. et cum libro quarto restituto a Francisco Tolensi Pistorio Antwerp. 1575. Vide Sweertium pag. 259. Athen. Belgic.

Exstat et LUSITANICA, et Auberto Miraeo memorata MAURITANICA, pag. 53. elog. Belgic.

POLONICA *Joannis Wielewicki*, S. I.
Petri Fabricii,
Simonis Wysocki, S. I.
SINICA.
SLAVONICA sive RUSSICA.
SVECICA, Holmiae in 8. incerto interprete.

TURCICÆ versionis meminit Joan. Henr. Hottingerus in Bibliotheca Orientali p. 91. et praefatio ad versionem Hispanicam excusam Madriti 1661. *tambien el Rey de los Moros tanto lo preciava, que lo quiso tener en su libreria traducido en la lengua comun de los Turcos, y lo estimava mas que los libros Mahometanos.* Vide Henrici Sommalii, S. I. Epistolam ad Leonardum Brettenium.

De auctore librorum de imitatione CHRISTI, *Eruditorum sententiae.*

I. THOMÆ a KEMPIS sive *Campis* vindicant praeter Augustinianos,

Heribertus Rosweidus S. I. in sua edit. et in vindiciis Kempensibus. Antw. 1621. 8.

Jo. Bollandus, *Theoph. Raynaudus* : *Gabrielis Naudaei* velitatio prima Kempensis contra Launojum et Thomas de Kempis a se ipso restitutus una cum repetitionibus *Thomae Carraei*, a *Gabriele Naudaeo.* Paris. 1651. 8. et eodem adversus Benedictinos auctore, causae Kempensis conjectio pro Curia Romana. ibid. 1651. 8. Testimonium adversus Gersenistas triplex, Holstenii, Allatii et Camilli de Capua 1652. 8. adde Naudaeana pag. 92. seq. Bibliothecam Naudaei Kempensem non vidi.

Georgii Heseri praemonitio adversus pseudo Gersenistas. Paris. 1651. 8. Dioptra Kempensis, Ingolstad. 1650. 12. Ejusdem, adversus Gersenistas admonitio nova 1651. 8. Idem (post Rosweydum) in Lexico Germano Thomaeo ostendit in Latina horum librorum dictione plures Batavismos, sive Germanismos · adde C. A. Heumanni poecilem parte 1. pag. 42. seq. et de Hesero Sotwellum pag. 290.

Argumenta duo nova pro Thoma Kempensi, *Theophili Eustathii* et *Joannis Frontonis* Paris. 1651. 8.

Gabriel Pennottus in historia Canonicorum pag. 528.

Vindiciae Kempenses adversus D. Franciscum Delfau, Benedictinum, auctore *R. P. Testelletto* Canonico Regulari, Cancellario S. Genovefae Paris. 1677. 8. Giornale de' letterati di Roma 1678. pag 39. seq.

Simonis Werlini, Praepositi Dieffensis Vindiciae vindiciarum Kempensium contra Cajetanum et Valgravium.

Antonii Francisci Payen testimonium adversus Gersenistas duplex Paris. 1652. 8.

Prosper Faraudus ante edit. librorum Kempisii Italicam Venet. 1693. 12.

Gothofridus Arnold Hist. Theologiae Mysticae pag. 323. seq.

Joannis Frontonis, Thomas a Kempis vindicatus, Paris. 1647. 8. Ejusd. refutatio adversus Robertum Quatremaire et Joannem Launojum. Paris. 1650. 8.

Antonii Schonini Contestation touchant l'Auteur de l'imitation de JEsus CHrist, rendue manifeste etc.

Rich. Simon Bibliotheque Critique t. 1. chap. 2. pag. 18. seq. et cap. 7· pag. 89. seq. contra Mabillonium, MSS Codices objectantem Kempisii temporibus antiquiores.

Eusebius Amort, Clericus Regularis in plena informatione de statu hujus controversiae. Augustae Vindel. 1725. 8. Acta Erud. 1825. pag. 414. Addenda ejusdem Amortii Epistola edita in amoenitatibus litterariis clariss. Schelhornii tom. VIII. pag. 391. seq. et tom. XIII. pag. 270. seq ubi contra Thom. Mezlerum.

P. Anselmii diss. MS. qua probat nullum unquam fuisse Joannem Gessenium sive Gersenium, Benedictinum, cujus ne nomen quidem auditum ante an. 1613. adde Rich. Simonem l. c. p. 18. et 25. seq.

II. JOANNI GERSON, *Cancellario Paris. defuncto A. C. 1429.*

Codex MS. exaratus A. C. 1466. Florentiae, teste Bernardo Montfaucono p. 373. Diarii Italici. Adde quae supra t. 3. p. 48. et Dupinii Gersoniana p. LXXIX. seq. LXXXIII.

Editiones plurimae, Joannis Gersonis nomen praeferentes, de quibus supra pag. 487. seq. dictum. Itaque Gersoni instituit vindicare singulari libro.

Petrus Labbeus, Advocatus.

Antonii Filicaja, Florentini versio Italica libri Joannis Gersonis de imitatione CHristi, composita an. 1510. memoratur a Julio Nigro pag. 59. historiae scriptorum Florentinorum. (abs re quia exscriptor non author).

Interpres librorum de imitatione CHristi Florentinus an. 1723. (immo Lucensis). *Lambertus Cajetanus Ponsampierius*, cui Virginius Valsechius respondit.

Joannem Gersonem auctorem non esse, probat *Jo. Launojus*, remarques sommaires pag. 96. seq.

III. JOANNI GERSENIO *(aliis* GESSEN, vel de GESSATE) *Abbati S. Stephani Vercellensi, Ord. S. Benedicti ab A. C. 1230. ad 1245.*

A. 1604. primum coeptum dubitari de Kempisio auctore, in libro edito Hispanice, *apparejos para administrar el Sacramento della Penitentia.* Vide Acta Erud. an. 1725. pag. 416. seq.

Constantinus Cajetanus Ord. S. Benedicti, Congregationis Casinensis in sua librorum horumce editione, Paris. 1616. 12. et in concertatione pro Joanne Gersenio quae auctior prodiit 1618. 8. et in responsione apologetica contra Rosweidi vindicias Kempenses, ibid et Rom. 1644. 8.

Thomas Mezlerus, praef. ad suam elegiacam librorum de imitatione CHristi metaphrasin. an 1645.

Roberti Quatremaires, sive *Carraei,* Jo. Gersenius auctor librorum de imitatione CHristi assertus contra Jo. Frontonem. Paris. 1649. 8.

Franciscus Valgravius Ord. Bened. in editionem horum librorum Paris 1638. 12. cum animadversionibus apologeticis. Ejusdem argumentum Chronologicum contra Kempensem, oppositum Joanni Frontoni. Paris. 1650. 12.

Joannes Mabillonius de re diplomatica lib. V. cap. 15. pag. 372. et III. 3. 3. et in museo Italico pag. 21. 28. 208· 219. et in animadversionibus ad Vindicias Kempenses Canonici Regularis. Paris. 1677. 8. Confer opera Mabillonii postuma tomo priore. Mem. de Trevoux an. 1724. pag. 1199 seq. et an. 1727. pag. 573. seq.

Franciscus Delfau, Ord. Bened. congregationis S. Mauri in apologia editioni librorum quatuor de imitatione CHristi adjuncta Paris. 1674. 8.

Joannis Baptistae Soucheti veritatis defensio contra Jo. Frontonem. Carnuti 1651. 8.

Thomas Erhard Benedictinus in edit. Augustae Vindel. 1724. e MS. saeculi XIV. in Bibl. Canonicorum Rotenbuschensium.

Edmundus Martene et Ursinus Durand, in tomo utroque itinerarii sui literarii Gallice editi, passim. Confer Acta Erud. 1718. pag. 488. et an. 1725. pag. 55.

Virginius Valsechi Monachus Cassinensis in diss. adversus Lambertum Cajetanum Posampierium. Florentiae 1724. 8. Giornale de' letterati d' Italia tom. 36. pag. 346. et t. 37. p. 446. seq. Vide supra III. 50. b).

Vincentius Thullerius in historia hujus Concertationis, Gallice inter opera postuma Mabillonii. Paris. 1724. 4.

Benedictus Pez in Bibliotheca Benedicti-

norum Congregat. S. Mauri pag. 113. seq.

Filipe le Cerf Bibl. historique et Critique des autheurs de la Congregation de S. Maur pag. 93. 249. 256. 416. etc. *Hist. litteraire de l'Europe* 1726. Sept. p. 23. seq.

IV. *pro KEMPISIO, non auctore solo vel primo, sed descriptore, selectore et digestore*:

Joan. Launojus in judicio de auctore librorum de imitatione CHristi. Paris. 1650. 8. pag. 81. et in praef. e. iii. b. et remarques sommaires sur le livre, Contestation sur etc. pag. 66. seq. Editio quarta Paris. 1663. 8. et quinta in Operibus Launoji, Genev. f. 1732 in parte secunda tomi IV. Act. Erud. 1734. pag. 201.

Jo. Mabillonius de re diplom. p. 372. 373.

Jo. Maria Suaresius in Conjectura edita Romae 1668. 4. librum quartum esse Gersenii Abbatis: in prioribus plurium pie cogitata in unum selecta. Giornale de' letterati di Roma 1668. pag. 151.

Wilhelmus Ernestus Tentzelius in Monathlichen Unterredungen an. 1693. p. 215.

Joannes Hubnerus praefatione ad metaphrasin suam Germanicam.

Woldebrandus Vogtius in apparato litterario Societatis Colligentium, specimine XIX. Witeb. 1718. 8. II. pag. 376. seq.

Theophilus Sincerus von alten raren Büchern pag. 166. seq.

Libellus consolatorius ad instructionem devotorum fol.

Das ABC *der Göttlichen Liebe, von Erhebung Menschlichen Gemüths in Gott.* per Joannem Michaëlem, Carthusiae Buxheimensis Monachum. Memmingen 1493. 4.

Carthusiensis cujusdam *de interna Conversione.*

Si Henricum Warthonum audimus in auctario ad Jac. Usserium de Sacris et Scripturis vernaculis pag. 443. GUALTERUS HILTON, Carthusianus Anglus, qui circa A. C. 1430. vixit, *Opus de imitatione CHristi non minus aequo jure sibi forsan vendicare queat, quam Thomas Kempensis, aut quivis alius.* Sed quia de eodem argumento, aut si velis eodem etiam Spiritu actus scripsit, non tamen ideo alterius Auctoris opus ad eum referendum fuerit. Vide supra tom. 3. pag. 108.

S. BERNARDO tribuitur in edit. Brix. 1485 et in quibusdam MSS. ante an. 1465. vide Launojum cap. 8 et Catalogum MSS. Bibl. Paulinae Lips. pag. 139.

Possit et auctor videri PETRUS de CORBARIO (A. C. 1327. anti Papa Nicolaus V.) vel UBERTANUS de ILIA Cassalensi. Vide Papebrochii propylaeum ad Acta Sanctorum Maji, II. pag. *82.

Simile LUDOLPHI SAXONIS.

Vel BONAVENTURÆ Card.

AMANDI sive HENRICI SUSONIS Ord. Praed. circa An. C. 1365. *horologium spiritale*, de quo Jacobus Echard tom. 1. p. 654. seq.

JOANNIS de FRANCKENSTEIN, qui primus Doctor Theologiae Universitatis Lipsiensis, liber *de imitatione CHristi*, circa An. C. 1446. vide Jac. Echardi Bibl. Dominicanorum tom. 1. pag. 804.

Jo. Taulerus de imitatione CHristi. MSS. Bibl. Paulinae Lipsiensis pag. 136.

M. Marii Maruli, Nobilis Spalatensis, de imitatione CHristi laudatur in sessione Prima Concilii Lateranensis, Anni 1521.

* Italicas opellae huius versiones haud satis exploratas habuisse Fabricius visus est. Sub nomine Gersonis Italice redditum a F. Dominico e Vico Pisano, editumque Florentiae die XII. Maii an. 1490 lego in Bibliotheca Italica nuperrimae editionis p. 235. Idem opus nescio an eiusdem interpretis prodiit Florentiae per M. Antonium Miscomini die XX Junii 1491 in 4 et 1493 4. Idem vertente Borgaruccio Borgarucci an. 1574. in 4. quae postrema editio ex Bibliotheca Itala mihi innotuit. Reliquas editiones nihil moror.

Alia sub nomine Thomae a Kempis carmine Etrusco reddita a Mich. Ang. Goltio prodiit Romae an. 1659. in 24.

Alia denique ex Gallico adornata, et passim a vulgatis editionibus discrepans authore Lamberto Caietano Ponsampieri Lucensi typis eiusdem urbis, non Florentiae, ut Fabricio hic excidit, an. 1723. Adversus dissertationem opellae huic praefixam, qua hoc unicum scriptum prae

caeteris hucusque vulgatis, sincerum esse opus *De imitatione CHristi* interpres nisus est probare, D. Virginius Valsechi Apologiam scripsit Italice vulgatam Florentiae an. 1724. Quae vero in eadem Apologia suspicari se Valsechius significat, versionem hanc minime confectam esse ex MS. Cod. Gothico Gallico parum antehac detecto (ut non sine doli mali suspicione Interpres in operis sui fronte praescripsit) sed ex quadam Gallica versione olim edita fuisse adornatam haec veritati per omnia congruere comperi. Est enim apud me libellus anonymus Gallice scriptus cum titulo: *le livre de l'interne consolation* (quem titulum non quidem ab Authore suo, sed a se potius praefixum operi interpres Gallicus testatur) *a Lion par Jean Tournes an.* 1556. in 24. Libellus iste Gallicus non Gothicis, ut scribit interpres, sed rotundis nitidisque formis excusus, Italicae huic ita similis est ut ovum ovo. Quod autem dignum judico animadversione, illud est, scilicet Gallicum scriptorem dare se sincerum librum *de Imitatione Christi*, nec exprimere nec innuere; quare nihil facile aliud intendit, quam ut latinum illum libellum refingeret, atque ex illo aliud opus exprimeret ad piorum solatium. *

KENETUS sive *Kennethus* ab A. C. 840. ad 855. Scotorum Rex conditor legum Civilium XXVIII. et Ecclesiasticarum VIII. quae ex Hectoris Boëthii Scotorum Historia exstant in Conciliorum tomis. Labbei VII. et Harduini IV. et Veneta Coleti IX. et apud Speelmannum in Conciliis Britanniae tom. 1. pag. 341. seq. Baleus XIV. 39. Kennethum ait praeter novas quas addidit leges etiam breviarium antiquarum Legum condidisse.

Joannes KENINGALUS, supra pag. 373.

Joannes KENT ex Caylegio Angliae, Philosophus, Medicus et Mathematicus circa an. 1482. scripsit teste Baleo VIII. 48. *De rebus sacris: De herbarum naturis. De animalibus. De re Medica. De Goëtia ac Theurgia. Tabulas Astronomiae.* Eadem Simlerus, et Pitseus pag. 670. qui cum perinde ut Baleus multa Kentium carmine et prosa tradant scripsisse, nullum tamen opus compositum versibus designant.

KENTIGERNUS *Elvius* Cambrensis, Pelagianorum in Britannia adversarius, ac Glasconiensis in Scotia Episcopus diem obiisse an. 1360. ac scripsisse traditur *Manuale suorum ministeriorum*, ac praeterea *in Ezechielem, Danielem, XII. Prophetas, in Epistolas ad Romanos et ad Corinthios.* Tum *in IV libros Sententiarum, De Sacramento Altaris. De conscientia et synteresi. Originalia Patrum. Super Confessiones Augustini. In sex principia* Gilberti Porretani. *De modo significandi. Lecturam scientiarum. Quaestiones dialecticas. De tempore. De anima, de causis animae, de differentia spiritus et animae. De instantibus. De divisione entis. In divisiones* Boëtii. *In Boëtium de Consolatione. Sophistriam Grammaticalem, Sophistriam Logicalem. De doctrina* Thomae Aquinatis. *De unitate formarum. De tempore. De universali.* In Physica *Aristotelis*, de Coelo et Mundo, de generatione et corruptione, in Meteora, in parva Naturalia, super Metapysicam. *Expositionem litterae Sententiarum. Distinctiones Doctorum. Commentarios Theologiae. Philosophiae notulas. Quodlibeta et Orationem in obitum Davidis* Episcopi aliasque septem, quarum argumenta apud Baleum Centur. I. cap. 61. et Pitseum p. 99. qui etiam ejus *Epistolam* ad Robertam Regem, atque aliam ad Principem avarum memorant.

Nicolaus KENTON sive *Chenton*, Lelando cap. 567. *Conodunus*, Sudvolciensis, Carmelitarum in Anglia Provincialis defunctus Londini an. 1468. a) Ejus scripta apud Baleum VIII. 28. Pitseum pag. 658. et Alegrium pag. 358. *In Cantica Canticorum, Lectiones XIV. In Evangelia, sermones XLVIII. In Orationem Dominicam. Historia Elisaei Prophetae. Vita D. Cyrilli Graeci.* b) *Propositiones ad Clerum. Positiones Theologiae. Orationes XII. ad Fratres. Sacrarum Concionum ad populum*, libri duo: *Epistolae CCXII.* ad diversos.

a) Ita caeteri. Sed Lelandus 1460.

b) Alexandrini Episcopi. Voss. pag. 635.

Ad Episcopum Excestriensem, sive *Exoniensem. Ad Clerum Cantabrigiensem. Ad Cardinalem Eboracensem. Ad Davidem Cherbury. Ad Nordovolgiae Ducem. Ad Generalem* Facium *contra reformatos* Carmelitas. *Contra Praedecessoris blasphemias. Contra apostatas quosdam. Ad quendam errantem. Pro suscipiendo poenitente. Contra quendam obstinatum. Benedictiones et Commendationes Procedentium. Precationes Divorum* sive ut Lelandus *Carmen votivum* ad D. Albertum Carmelitam et D. Andream Episcopum. *Pro Mariae Virginis commemoratione. Ordinationes festivitatum. Pro relinquendo officio.*

KENULPHUS Merciorum Rex, de cujus ad Leonem III. Papam Epistolis Baronius ad an. 796. n. 17. seq. Pitseus pag. 165.

KENULPHUS ex Abbate Petroburgensi Episcopus ad an. 1003 ad 1006. Wintoniensis. Hic est quem Hugo Candidus apud Baleum X. 37. vocat *florem literalis disciplinae, eloquentiae torrentem, et decus ac normam Divinarum rerum ac secularium.*

KERO sive *Gero*, a Notkero a) Labeone sive Balbulo omnino distinguendus, Monachus S. Galli tempore S. Othmari Abbatis circa an. 720. Hic in usum Monasterii sui *Regulam S. Benedicti* Theotisce vertit, quam ex Codice nongentorum annorum b) descripsit praeclarus Vir Bernardus Franckius, Bibliothecarius Sangallensis, misitque ad JCtum eruditissimum D. Jo. Schilterum, in cujus tomo primo thesauri antiquitatum Teutonicarum prodiit, curante post laudati Schilteri obitum, nobilissimo Joan. Georgio Scherzio. Ulmae 1727. fol. Glossarium ex eodem Codice composuerat, et alphabetico digestum ordine ediderat Goldastus tom. 2. Alemannicor. pag. 69 (edit. novae p. 71 95.) *Confessio Fidei* edita a Goldasto tom. 2. 134. (edit. novae pag. 145.) et apud Schilterum pag. 84. *Expositio in Orationem Dominicam* a Jo. Georgio Eccardo cum Monachi Weissenburgensis Catechesi Theotisca pag. 81. Hanover 1713. 8.

Joannes KESSELERUS, Svevus presbyter Gyslingensis et Poëta circa an. 1495. carmine Sapphico scripsit *laudes Andreae Apostoli, et Nicolai* Myrensis in Lycia Episcopi, cujus memoria VI. Decembr. colitur, sicut S. Andreae, 30. Novembris. Alius, licet non multo junior *Joannes* KESLER, Sacerdos in aede S. Laurentii apud Sangallenses, cujus prosopopeiam sub Bibliothecae Sangallensis persona ad Joach. Vadianum Consulem edidit Goldastus in calce tomi tertii rerum Alemannicarum, testatus eum scripsisse quoque vitam ejusdem Vadiani, et in ejus Gallum notas, et lingua Germanica ingens Opus Chronicorum.

Joannes de KETAM, Medicus, Germanus circa an. 1490 de cujus *fasciculo Medicinae* Venet. 1495. 1500. 1522. fol. excuso consulendi Bibliothecarum Medicarum scriptores.

Robertus KETENENSIS Anglus, Archidiaconus in Hispania Papilonensis circa an. 1143. *Alcoranum* traditur vertisse ex Arabico et in compendium misisse. Vide Baleum II. 80. Pitseum pag. 210. Sed et infra ROBERTUS *Retinensis*.

Guilelmus KETHUS sive *Keith* Abbas de Killes Ord. Cisterc. in Moravia circa an. 1350. Orator et Poëta, quem cum multa scripsisse versu et prosa referat Carolus Vischius pag. 135. tantum nominat *Quadragesimale et Hymnum de Sanctis.*

Joannes de KIKULEO supra pag. 340.

S. KILIANUS natione Hibernus, Franconiae c) sive Franciae Orientalis Apostolus, Episcopus in Germania Wirtzburgensis et an. 689. Martyr, cujus Acta edita Colon. 1579. a Surio VIII. Jul. atque a Nic. Serario illustrata observationibus Mogunt. 1598. et in tomo I. ejus Opusculorum, ibid. 1611. fol. Atque integriora an.

a) Non defuere qui nomen *Ker* putarunt abbreviatum pro *Nother*, ut Germanis *Dix* pro Benedicto, *Hans* pro Joanne etc. Vide Gundlingiana XXVI 6. et B. Dieterici von Stade praef. ad expositionem vocabulorum in Bibliis Lutheri occurrentium pag. 54. seq.

b) Mabillon. T. 4. Analect. 652. (edit. novae p. 19)

c) Vide Jac. Waraeum de scriptor. Hiber. p. 31.

1603. a Canisio tom. 4. Antiqu. Lect. p. 625. (edit. novae tom. 3. pag. 171.) et collata Mabilloniana editione Sec. 2. Benedictin. pag. 991. in Actis Sanctorum tom. 2. Julii pag. 612. et ex editione Serarii in Joannis Petri de Ludewig scriptoribus Wirtzburgensibus pag. 966. De auctore, vide supra in EGILWARDO. Quae autem Baleus XIV. 22. tradit a Kiliano scripta *contra Arianos et contra peregrinos cultus*, nec ipse nec alius quisquam viderit

KILIENUS qui circa an. 750. versibus hexametris scripsit *vitam Brigittae Scoticae*. De eo supra, CHILIENUS t. 1. p. 344. Quos auctores secutus sit, nominat in prologo, versibus praemisso elegis apud Bollandum ad Calendas Februar. pag. 142.

Scripserunt multi virtutes Virginis almae,
ULTANUS Doctor, atque ELERANUS ovans.
Descripsit multos ANIMOSUS nomine libros,
De vita et studiis Virginis et meritis.

Joannes KILLINGWORTH, supra pag. 352 et 373.

Robertus KILWARBIUS, *Kilwardeby* Lelando cap. 270. *Chilwardebius* Anglus Ord. Praed. Archiepiscopus ab an. 1272. Cantuariensis a) et ab an. 1277. Cardinalis, scripsit plurima a Jacobo Quetif tom. 1. pag. 376. seq. quam diligentissime enumerata. Pleraque etiam a Baleo IV. 46. et Pitseo pag. 358. *in Priscianum* minorem de Constructione et de octo partibus orationis: in ejusdem Prosodiam sive de accentu. *In Donatum* de vitiosis sermonibus *De ortu scientiarum et de Philosophiae divisone*, *de natura relationis*, quae omnia MSta in Angliae Bibliothecis: sicut Commentarii *in Isagogem Porphyrii* atque in *Organon* Aristotelis libri XXII. nec non *Lectura in libros Sententiarum. De Confessione*, *de Satisfactione. Quaestiones de Conscientia*, *mendicitate* etc. Conclusiones et intentio librorum *Augustini* de S. Trinitate et de Genesi ad litteram, aliorumque. Vide Oudinum tom. 3. pag. 473. seq. ubi etiam *Constitutiones* memorat, sicut Caveus librum *de Passione CHristi*: *et Seriem errorum ab ipso in Anglia condemnatorum.*

* Literae huius praesulis pro convocatione cleri ad concilium in novo Londinensi templo habendum, cum aliis literis nonnullis ac denique constitutionem de juramento ab advocatis, et procuratoribus Curiae Cantuariensis praestando extant apud Wilkins Concil. Britan. t. 2. 24. etc.

KIMBERTUS, supra CIMBERTUS tom. 1. pag. 352.

Joannes KININGHAM, supra pag. 373.

Gvilelmus KINGSHAM, supra tom. 3. pag. 141.

Joannes KINSCHOT de Turnhut, in Brabantia JCtus circa an. 1481. distinguendus a junioribus Henrico, Francisco, et Casparo Kinschoto, quorum itidem scripta celebrantur. Joannes Kinschot scripsit Casus breves super totum Jus Civile.

Hugo KIRKOSTALLENSIS, supra tom. 3. pag. 274.

Albertus Arnhemius KIVET, Carthusianus Wesaliensis defunctus an. 1449. aet. 80. De ejus *referendario exemplorum*, diviso in partes septem, vide Oudinum tom. 3. pag. 2444.

Joannes KLENKE sive *Clenke* Teutonicus, de conventu Hervordiensi Augustinianus, et Canonum Legumque Doctor circa an. 1320. de quo Chronicon Comitum Oldenburgensium tom. 2. Meibomii pag. 162. ubi traditur scripsisse *in Sententiarum libros* duplici stylo literali videlicet et quaestionali, atque inter alia probasse Magistrum in allegando dicta Augustini saepius errasse. Caetera ejus sunt: Commentarii *in Evangelium Matthaei* et *in Actus Apostolorum. Decadicon· Quodlibeta* varia *Juris totius. Epistola ad Joannem XXII.* in qua scripsit se ob veritatis defensionem multa perpessum in Civitate Magdeburgensi, tandem ad instar Apostoli Pauli in sporta per murum submissum evasisse manus insidiantium.

* Ut in MS. Cod. expositionis eius literalis in libro sententiarum existente in Biblioth. Augustinianor. Senis, scribitur, a Trithemio Pragensis doctor, quod Pragensis academiae doctorem egerit, appellatur.

a) Warthoni Anglia sacra tom 1. pag. 116.

Quare idem facile est Joannes Pragensis qui contra Adalbertum festi visitationis B. M. V. impugnatorem vindicias dedit, cuius MS. tractatum in Bibliotheca Vaticana nactum se Baronius in adnot. ad Martyrol. testatur. Viderint tamen docti, num melius scriptio ista quadret cum Joanne Pragensis Ecclesiae administratore, qui circa tempora Concilii Basileensis vixit, quando primum festum istud in universa Ecclesia coli coepit. Est etiam huius tractatus de peccato originis, a quo immunem B. M. V. adstruit; *Quaestiones Pragae disputatae; sermones de tempore et de sanctis;* et historia patriae suae Erfordii. Denique et epistolarum lib. 1. Obiit an an. 1352. Vide P. Gandolfo in Dissert. de CC. Augustinianis pag. 223. *

Henricus a KLINGENBERG, supra tom. 3. pag. 199.

Henricus de KNYGTHON, supra tom. 3. pag. 209.

KONIOCHUS, secundus Frisiorum Apostolus vergente seculo septimo, scripsit si Sufirido Petri fides, de non colendis idolis gentium, et de puritate ac certitudine Religionis Christianae.

Hermannus KORNERUS, supra in CORNERO tom. 1. pag. 396.

KORTILA sive *Cortila*, patria Britannus, sextus Verdensis in Saxonia Episcopus post medium seculi IX. Vide illustris Leibnitii scriptores Brunsvic. tom. 2. pag. 212. seq. Qui frequentes ad populum habuisse Conciones et plura scripsisse Kortilam refert Baleus XIV. 37. nullum tamen ex iis se vidisse unquam non potest diffiteri.

Albertus KRANTZIUS, supra t. 1 p. 39.

Nicolaus KRATZERUS Bavarus, Monucensis; Mathematicas disciplinas ab An. 1517. docuit Oxonii et scripsit *Canones Horopti.* a) Vide Antonii Wood hist. et antiquitates Oxon. tom. 2 pag. 35.

Ulricus KRIGIUS Tigurinus, de cujus *Chronico* Rudolphi I. Habspurgici temporibus composito vide Lambecium tom. 2 pag. 477.

KUMBERTUS, supra CIMBERTUS tom. 1 pag. 352.

Joannes KUSTHUERT Wissenstatensis ex Sabellici enneadibus excerpsit Historiam Hebraeorum ad JEsu Christi tempora. Basileae 1515. et Gesnero teste eodem anno Paris. fol.

LIBER XI.

LABORANS ex oppido Pontormo, septimo a Florentia milliari, Cardinalis ab A. 1179. ad 1191. scripsit A. 1182. *Compilationem Decretorum* b) ac *de Justi et Justitiae rationibus* opus quadripartitum; ad Majorem Maynum, Siciliae Admirantum. *De vera Liberalitate*, c) tripartitum opus ad Hugonem Archiepiscopum Panormitanum. Epistolam *de appellationibus* ad eundem Hugonem et alteram *contra Sabellianos*, ad Cardinalem Vivianum Tomasium. Vide Ughellum t. 3 Italiae sacrae, ubi de Zenobio Episcopo Florentino pag. 101. disserens ait effigem Laborantis aliaque ad illustrandam ejus memoriam daturum se in commentario de purpuratis Viris Florentinis, sed qui lucem quod sciam non vidit. Adeundus interim Josephus Maria Svaresius in diss. d) de M. Laborante, Cardinali Florentino, ob summum laborem ita dicto, Rom. 1670. 4. Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. pag. 342. Oudinus tom. 2 p. 1580. et Diarium eruditorum Italiae tom. XXI. pag. 214. seq.

L. Caelius LACTANTIUS, *Firmianus* (ita enim in Codice Colbertino DVII. et in Taurinensi MS. libri de opificio DEI,

a) Horoscopi.

b) Labbeus in Bibl. MSS. pag. 51. *Elaboratissimam Canonum Collectionem* Vocat Baronius ad A. 1182. n. V.

c) al. *Libertate*

d) Prodiit cum aliis tribus Svaresii dissertationibus de Chronologia operum S. Augustini, de Opere perfecto adversus Julianum, et de crocea Veste Cardinalium in Conclavi.

et in sermonibus Bernardi de Bustis a) appellatur, cum Nicomediae Rhetoricam docuisset, Arnobii Magistri sui exemplo desertis idolis nomen dedit CHRISTO, etiam illo tempore quo templum DEI eversum, et Maximus Philosophus atque Hierocles Christianos scriptis oppugnabant, V. 2. et quo *spectabantur adhuc per orbem poenae cultorum DEI*, VI. 17. et *DEI populus ex omnibus linguis congregatus apud omnes gentes commorabatur et ab his dominantibus premebatur* VII. 15. et 22. *Omnes qui Deum sequi volunt non tantum odio habentur, sed vexantur omnibus contumeliis, et excruciantur multiplici genere poenarum, et ad impios cultus fabricatorum Deorum non ratione aut veritate, sed nefanda corporum laceratione coguntur.* Eloquentiae qua prae caeteris valuit meritam laudem ex asserenda Religione Christiana tulit, exstat enim ejus opus praecipuum, *Institutionum Divinarum adversus Gentes ad Constantinum* b) (quem in editt. quibusdam lib. 1. c. 1. et initio lib. IV. V. et VI. 3. et oratione VII. 26 alloquitur) *libri VII.* quorum *primo* de falsa religione contra Ethnicorum vana dogmata, DEI unitatem ac Providentiam probat: *secundo* de origine erroris, oppugnat idololatriam: *tertio* de falsa sapientia, Philosophiam redarguit gentium, *quarto* de vera sapientia, Christianam doctrinam probat et exponit. *Quintus* de Justitia secundum DEI Legem, atque de ethnicorum injustitia. *Sextus* est de vero DEI cultu, verisque virtutibus: et *septimus* quid eas mercedis a DEO maneat, sive de futura vita beata et animorum immortalitate, lib. VII. cap. 27. *Quoniam decursis propositi operis septem spatiis ad metam provecti sumus* etc. Pius auctor Lactantius, atque etiam austeritatis in vita Christiana affectator, ut scripta ejus ubique testantur judice Salmasio, libro de Coma pag. 467. Quanquam vero *Crispum* Constantini Magni filium *Latinis litteris erudivit* teste Hieronymo in Chronico ad A. C. 318. *vir omnium suo tempore eruditissimus: adeo tamen in hac vita pauper, ut plerumque etiam necessariis indiguerit.* Scripsit post A. CHristi 300. quem VII. 25. et 14 natum supponit circa annum Mundi 5550. cum multis veteribus aliis, quos notavi in Bibliographia antiquaria cap. 7. pag. 191. seq. Carolus Fevretus c) in Carmine de vita sua laudat Taschonem praeceptorem, qui puero sibi Lactantium et Ambrosium loco Ciceronis legendum tradiderit.

Nam pater *Ambrosius* quae melle adspersa suavi
Scripserat Officii jura, legenda dedit.
Dein quae facundo *Lactantius* edidit ore,
Ipso mandavit pro Cicerone legi.
Ut simul eloquii, simul et pietatis alumnus
Hoc possem duplici fonte levare sitim.

Contra Judaeos opus vel non absolutum a Lactantio, vel intercidit, cujus spem facit lib. VII. cap. 1. *sed erit nobis contra Judaeos separata materia, in qua illos erroris et sceleris convincemus.*

In *Epitome* breviter persequitur, quae in institutionum libris disertius explicaverat.

Liber *de opificio hominis*, quam luculentum bonitatis, sapientiae et potentiae Divinae documentum sit hominis corpus pariter et anima, ostendit pulcherrime.

Libro *de ira DEI*, contra Epicureos et Stoicos d) probat neutrum DEO indignum esse, neque ut irascatur impiis, neque ut pios prosequatur gratia, idque verissimum esse utrumque confirmat, licet bonis mala interdum contingere in hac vita videantur.

Fridericus Nausea, Blancicampianus Francus Orientalis, singula librorum Lactantii capita singulis complexus est distichis, libello qui prodiit Venetiis in aedibus Georgii de Rusconibus, Mediola-

a) Bernardus Moneta (de la Monnoye) tom. 4. Menagior. pag. 85. Etiam in duobus antiquissimis Codicibus Bibl. Regiae Paris. Lactantium *Lucium Caecilium* in uno, in altero *Lucium Caelium* appellari, testatur Baluzius pag. 253. ad Cypriani Epist. LXIII.

b) Non est verisimile, Imperatorem.

c) *Continuation des Memoires de literature et d. Hist. tom. 2. parte 2. pag.* 155.

d) Cum Stoicis facere videtur Arnobius VII. p. 214.

nensis An. 1521. 8. ut primi libri caput primum:

Usque fuit veri permagna cupido sciendi,
Nec sapiens, nisi sit relligiosus, homo est.

Ea denique Lactantio consecrat hisce verbis:

Suscipe Lactanti tenues quos Nausea versus
Offert addictus, dive Patrone, tibi.
Lusimus haec denis, fervente calore, diebus,
Ac sudore meas commaculante genas.
Sole quidem dominante, simul dominante Leone,
Et Cane composui, qualiacunque vides
Tempore quo, studiis florens me dulcis alebat
Urbs Ticini, qua non pulchrior ulla fuit.

Magis operae pretium fecit, qui analysin librorum Lactantii et doctrinae ejus synthesin et naevos exhibet *Abrahamus Scultetus* parte 1. medullae Patrum pag. 393. seq. et *Nicolaus le Nourry*, a) qui ad Apologias Tertulliani, Minucii, Cypriani, Arnobii et Lactantii illustrandas et vindicandas egregia multa annotavit tomo secundo apparatus ad Bibliothecam Patrum, Paris. 1715. fol. *Jac. Thomasii* *τῦ μακαρίτυ* parentis sui analysin disputationum Lactantii adversus Ethnicos memorat filius Christianus Thomasius in Historia Juris Naturae pag. 24.

Ambrosium Camaldulensem versatum esse in Lactantii emendatione, constat ex ejus Epistolis lib. XVII. Epist. 1. et 3. et 10. tom. 3. collectionis novissimae Edmundi Martene et Ursini Durandi, Paris. 1724. fol.

Thomae Becani anthologia Lactantii, Lugd. 1538. 8.

Editiones LACTANTII.

1465. b) (non 1461. uti legitur in celeberr. Montfauconi Diario Italico p. 256. qui ipse deinde confessus est se per errorem posuisse illum numerum) Romae e Monasterio Sublacensi fol. Pontificatus Pauli Papae II. anno secundo. Vide Mich. Maittaire annal. typograph. p. 60. Exstat in Biblioth. Barberina et Zwickaviensi, c) memoratur etiam Hottingero in Bibliothecario quadripartito p. 295. et Joanni Langio in Epistolis Medicinalibus II. 3. pag. 560. Theophilo Sincero, *Nachrict von raren Buchern*, pag. 101. seq.

1468. d) Romae in domo Petri de Maximis, per Conradum Sweinheim et Arn. Pannartz. fol. Haec editio fuit Neapoli in Biblioth. Josephi Vallettae. Memoratur etiam a Rich. Simone tom. 2 Epist. select. pag. 153. Post capitum argumenta libro praemissa sequuntur Lactantii errata per fratrem *Antonium Raudensem* e) Theo-

a) Mem. de Trevoux 1716. pag. 817. seq.

b) Lud. Vives lib. 2. de anima pag. 88. *Ex nomine Ciceronis venit in recordationem Lactantius, qui fuit ejus imitator: ex hoc de chalcographia. Nam is liber dicitur formulis aeneis excusus vel primus vel cum primis.*

c) Thom. Schmid Chron. Cygneum pag. 102. Godfr. Ludovici Schul-Historia tom. 3. pag. 182. M. Georgius Ludovicus Goldnerus praef. ad librum Lactantii de DEI opificio.

d) Codicem MS. hoc anno exaratum memorat Jo. Lud. Hockerus in Bibl. Heilbronnensi pag. 48. Joannes de la Caille etiam editionem Lactantii eodem A. 1468. Romae factam ab Udalrico Galio.

e) Hic vocatur *Antonius Rho*, Philippo Picinello pag. 48. Athenaei de scriptoribus Mediolanensibus. Idem est Raudensis Ord. Minorum, Mediolanensis patria, cujus observationibus de linguae Latinae elegantia, nescio an editis, gravem censuram opposuit Laurentius Valla. Raudensem, ob censuram in Lactantium latam reprehendit Franciscus Philelfus libro V. Epistola data an. 1443. *Vellem equidem, pater optime, ab omni istius modi scribendi genere te continuisses, neque cum insaniente Candido Decembre desipere ipse voluisses. Id certe fuisset et ordinis et dignitatis tuae. Quae enim per immortalem Deum fanatica ratio te commovit, ut perinde atque infesto quodam atque inimico afflatus spiritu in virum illum doctissimum atque disertissimum tam insolenter, tum injuste, tam impie invehereris, ut non res solum paene innumerabiles consulto male interpreteris, sed nomen etiam viri depravare studeris, utpote quem* Lactensium pro Lactantio *nomines. Nam de rebus ipsis quid loquar, quas vel pueris notas dum corrumpere laboras, te omnibus eruditis et gravissimis viris ridiculo praebes. Pudet me profecto ea in medium proferre, quae a te non inepte minus quam perperam notata sunt atque reprehensa. Rogo igitur te, ut in hac re Aurelium Augustinum imiteris. Retractavit ille vir aeque sapiens ac sanctus, quae imprudenter erravit. Retracta etiam tu, si tibi constas, quae sciens volensque male scripsisti. Quod si feceris, non modestiae et verecundiae minus quam sapientiae laudabere. Vale. Mediolani.* Novissime conspectum Lactantianorum in Theologia errorum dedit Christianus Falserus, amoenitatum philolog. tom. 1. sermone XXVI. pag. 112. seq. Amst. 1729. 8.

logum collecta, cui hoc octastichon rependit frater *Adam Genuensis*:

Hic male corripuit stolidis Antonius ausis
Auctorem: in variis causa pianda locis.
Non erat in tenebris errantis imaginis astrum
Dicere, vel nitidum luce carere jubar.
Denique cum sanctae Ecclesiae pia lumina constet
Obsequio ex tanto conticuisse viro,
Tu vero eloquio lingua interdicta Latino
I cubitum, nam te pensitat elleborum.

1470. Romae per eosdem, cum praefat. Jo. Andreae, Aleriensis Episcopi, in qua inter alia: *Sumant studiosi per nostros ingenuos opifices Lactantium Firmianum semel ab iis iterumque impressum, nonnullis in locis veriorem.* Exstat in Bibliotheca Ecclesiae Geranae, fuitque antea Equitis Christophori de Waldenrodt. Ad calcem hujus editionis legitur Lactantii *Nephythomon*, hoc est Epitome. Vide infra ad A. 1472.

1471. sine loci nota fol. per fratrem Adamum Genuensem. Exstabat in Bibl. illustris Frid. Rostgaardi Hafniae, et in Bibl. Memmingensi impressa in membrana, et auro variisque coloribus passim exornata. Vide. Jo. Georg. Schelhornii Amoenitates litterarias Frf. et Lips. 1725. 8. tom. 1 p. 312. seq. et Miscellanea Lipsiens. tom. 12 p. 67. Theoph. Sinceri *Nachricht von raren Buchern* p. 233. seq.

Editio Romana nitidissima Anni 1471. fol. memoratur in Catalogo Bibliothecae Marchionis Hispanici de S. Philippo p. 13. quam auctione publica distrahi contigit Hagae Comitis A. 1727.

1472. Venetiis fol. quam male pro omnium principe habuit Gallaeus. Conradus Rittershusius ad Salvian. pag. 192. *Habeo, inquit, antiquam editionem Lactantii Venetam, quae A. 1442.* (lege 1472.) *prodiit apud Vendelinum.*

Editio Romana Lactantii de institutionibus Divinis adversus gentes An. 1472. in Bibl. Adriani Moetjens Hag. 1732. p. 8.

Arguit hic hominum sectas Lactantius omnes
Septeno falsas codice, vera docens.
Sive Deum tangat, turbato lumine cernens
Ira furor: gemino pernotat inde libro.
Et volucrum versu Phoenix comprenditur una
Quae nostro nunquam pascitur alma solo.
Hincque Redemptoris nostri non carmina desunt
Quae positum e tumulo dulce canendo vocant.
Presserat hunc primo mundi caput, inclyta Roma:
Post Regina premit quippe colenda maris.
Impressum formis justoque nitore coruscans
Hoc Vindelinus condidit Artis opus.

In hac editione quam Ulmae servat Bibliotheca instructissima illustris Raymundi de Kraft, non primum accessit sed habetur tamen *Nephitomon*, hoc est Epitome. Vide laudatum Schelhornium tom. 2 p. 124.

1474. Romae curante Aleriensi Episcopo, per Udalricum Gallum Alemannum et Simonem Nicolai de Luca. fol. *Bibl. Hohendorfiana* pag. 3. Jo. Baptista Morgagnus Epist. in Serenum Sammonicum pag. 112. Eadem pro prima omnium perperam venditatur in Catalogo Bibl Gudianae p. 33.

1476. Rostochii fol. per *fratres presbyteros et clericos congregationis domus viridis horti ad S. Michaelem in oppido Rostochiensi partium inferioris Sclaviae, prout facultas et industria tulit, emendate satis et accurate consumat.*

1478. Venetiis impendio providorum virorum Jo. de Colonia et Jo. Mantheo de Gheretzen fol.

1478. Venet. fol. per Andream de Paltasichis Catharensem et Boninum de Boninis, socios.

1483. Veneta fol. per Bernardinum de Benaliis, Bergomensem.

1490. Venet. f. in Bibl. Rev. nostri Wolfii.

1493. Venet. fol. est in Bibl. Leidensi, et Rostgaardiana.

1497. Venet. fol. per Simonem Bevilaquam, Papiensem. Editio expressa ad Romanam 1470. cum praefatione *Joannis Andreae* ad Paulum secundum: et errata Lactantii ab Antonio Raudensi notata referens inter argumenta capitum voluminі praemissa. Huic Venetae editioni additum *carmen de phoenice*, quod ex asse convenit cum lectionibus, quas ex MS. Vindobonensi dat Lambecius tom. 2 pag. 788. nisi quod v. 61. *lapsum* habet pro *lassum*.

1502. Venet. fol. ex emendatione *Jo. Pierii Valeriani*, apud Joannem Tacuinum.

1509. fol. impensis et opera Joannis de Tridino, cognomento Tacuini, Venetiis dominante Leonardo Lauredano, Principe. Ex castigatione *Jani Parrhasii*, ad-

dito Tertulliani Apologetico, et S. Chrysostomi sermone de Eucharistia et Laur. Vallae, nec non narratione ex Svida in Γῆστς.

1509. 4. Paris. apud Jo. Parvum, cum Tertulliani Apologetico et caeteris aliorum, jam commemoratis: cum praefatione *Ægidii Maseriensis*. Haec et superiores duae sunt apud me.

1511. Venet. fol. apud Joan. de Tridino.

1513. Paris.

1513. 8. apud Juntam, Florentiae ex *Moriani Tuccii* recognitione. Ex hac nonnullis locis Walchianam emendat Clariss. Heumannus. *Neue Buchersaal* XLV. p. 670.

1515. 8. apud Aldum, cum Tertulliani Apologetico, ex emendatione *Jo. Baptistae Egnatii* Veneti.

1521. Venet. expressa ad illam An. 1509.

1521. Basileae apud Andream Cratandrum, in 4.

1524. Basil. 4. ex ejusd Cratandri officina.

1535. Basil. fol. apud Cratandrum.

1538. Venetiis apud *Paulum Manutium* ex castigatione *Honorati Fasitelli*, 8.

1539. 8. Antwerpiae apud Joannem Gymnicum cum Erasmi scholiis in librum de DEI opificio.

1541. Lugd. apud Gryphium, ex Fasitelli recensione.

1543. Lugd.

1544. Colon. fol. cum Barthol. Laurentis indice, et annotationibus Erasmi in librum de DEI opificio, ap. Petrum Quentel.

1546. Paris. 8. Lactantii Institutiones Gallice, Renato Fameo interprete, atque iterum Lugd. 1547. 12. et Paris. 1581. 12.

1548. Lugd. 12. apud Jo. Tornaesium et Gulielmum Gazejum, ex Fasitelli recensione.

1553. Lugd. 12. ex illa Anni 1548. expressa.

1555. Antwerp.

1556. Lugd. 12. cura Honorati Fasitelli.

1556. Basil. fol. in haeresiologia Joannis Heroldi.

1561. Paris. 12. apud. Hieron. de Marnes ex Veneta Anni 1535.

1563. fol. Basil. apud Henr. Petri, cum commentario sive locis communibus Theolog. et Philosophicis *Sixti Betuleji*, ac disputatione *utrum Lactantiana scripta recte in scholis juventuti praelegi et enarrari conveniat, contra Lactantiomastigas*, et ejusdem Betuleji vita per Jo. Nyseum scripta.

Riccardi Olzenengi Vercellensis Commentaria in Lactantii septem libros Institutionum memorat Celsus Rosinus in Lyceo Lateranensi tom. 2 p. 214.

1563. Paris.

1567. 12. Lugd. ex Tornaesii officina.

1570. Antwerpiensis Stelfii, 12. Galaeo memorata editio.

1570. Antwerp. apud Plantinum, 8. cum *Mich. Thomasii* a) notis et emendationibus, quae editio cum MS. Lipsiensi et Palatino collata exstat in Bibl. Leidensi. De antiquissimo Codice Bononiensi, quo usus est perinde, ut aliis Vaticanis septem Thomasius. et postea etiam Isaeus, vide Allatium ad antiquitates Hetruscas p. 51. seq. et Montfauconi Diarium Ital. pag. 409. et Bibl. Coislinianam pag. 58. qui priore loco fallitur, cum scribit, nullum ejus hactenus usum fuisse. Incommodum est, quod capita diverso modo distinguit Betuleji et Thomasii editio. Etiam nonnulla, ut orthodoxum magis redderet Lactantium, contra MSS. Codicum fidem alterasse Thomasium, monet Rich. Simon in Epistolis selectis Gallice editis tom. 2 Epist. 25. et Bibl. Criticae tom. 2 p. 442. seq.

1587. Lugd. 8. Lactantii opera ex fide et auctoritate librorum MSS. emendata a Jacobo Cujacio.

1587. Apud Plantin. 8. cum notis Mich. Thomasii. Hanc editionem habeo collatam cum Codice MSto chartaceo Bibl. Lipsiensis.

1589. Paris. 8. cum ejusd. Thomasii notis.

a) De hoc Mich. Thomasio, Episcopo Ilerdensi qui A. C. 1585 obiit, videndus Nic. Antonius in Bibl. Hispana, et Nic. Commenus tom. 2. hist. Gymnasii Patavini pag. 82 a quibus etiam memoratur ejus brevis Christianae et Catholicae fidei defensio, et Judaeorum, Muhametanorum et haereticorum oppugnatio.

1594. Lugd. 12. apud Tornaesium ex illa Cujacii An. 1587.

1613. Genevae 12. apud Tornaesium, editio emendata magnam partem a *Iacobo Cujacio*, ex illa Anni 1587.

1613. Colon. 12. cum priore ex asse conspirans.

1616. Lugd. 12.

1630. Genev. 12. apud Joannnem de Tournes sive Tornaesium.

1646. Caesenae fol. cum notis *Josephi Isaei*, Caesenatis, qui duobus Bononiensibus, duodecim Vaticanis et insigni Michaelis Thomae Taxaquetii MSto usus, plures etiam editiones veteres inspexit.

1650. Rom. fol. apud Mascardum, cum notis ejusdem Isaei, sed minus quam prior emendata. Vide Miscellanea Lipsiensia tom. 3 pag. 130.

1652. Lugd. Bat. 8. cum notis *Antonii Thysii*, ex officina Petri Leffen.

1660. Lugd. Bat. apud Franc. Hackium 8. cum selectis variorum commentariis: nitida et egregia editio studio *Servatii Gallaei*, qui praeclaram Lactantio operam navavit, Salmasii usus schedis et Isaeum prae caeteris secutus. Idem insignem etiam variarum lectionum libellum ex Codicibus MSS. ad calcem voluminis subjecit.

1672. in Bibliotheca Patrum edit. Lugd. tom. tertio Lactantius ex recensione *Mich. Thomasii* cum ejus scholiis p. 515. seq.

1684. Oxonii 8. cum notis *Thomae Spark*, quinque Codicibus MSS. usi: et addito libro Lactantii de mortibus persecutorum, qui in prioribus editt. desideratur, et H. Dodwelli diss. de ripa striga. Vide Acta Erud. 1685. pag. 265.

1685. Cantabrigiae, 8. cum variis lectionibus Sublacensis editionis, quam pro MSto editor venditat, et Codicis MS. in Collegio Emanuelis Cantabrig. Vide Acta Erud. illius anni pag. 585.

1698. 8. Lipsiae cum notis *Christophori Cellarii*. Acta Eruditor. illius anni p. 535.

1715. 8. Lipsiae cum notis V. Cl. *Jo. Georg. Walchii*, et praemissa diss. de Lactantio a) ejusque stylo. Vide Acta Eruditor. illius anni pag. 273. *Neue* Bibl. Hall. XXXVIII. pag. 709. et censuram *Jo. Ludolphi Bunemanni*, Gymnasii Mindensis Rectoris eruditissimi, qui et ipse novam Lactantii editionem ex LX. amplius MSS. a) et editionibus singulari studio castigatam, notisque illustratam molitur, tom. 3 Misc. Lipsiens. p. 132. seq. et responsionem laudati Walchii p. 352. seq.

Anonymi defense des sentimens de Lactance sur le sujet de l' usure. 8.

Josephum Wasse in Anglia editionem Lactantii novo studio ad MSS. Codices castigatam parare instituisse, didici ex memoriis Trevoltinis An. 1716. pag. 180. ut in Gallia *Jo. Baptistam le Brun*, cui S. Paulinum Nolanum expolitum debemus, ex Diario Hagensi, Europe Savante 1718. Octobr. pag. 199.

Lactantium praelo paratum habuit vir eruditissimus *Joannes Hudsonus*, sed quid de eo factum sit, juxta cum ignarissimis se scire ait Antonius Wallius praef ad Hudsonianam Josephi editionem.

Quid libri est *anthologia Lactantii Firmiani?* in Catalogo Biblioth. Lugd. Batav. pag. 36. noviss. edit.

Pauli Pirani annotationes plenissimas in libros tres primores Institutionum Lactantii, sed adhuc ineditas memorat Allatius pag. 213. apum urbanarum.

Georgii Casp Kirchmaieri dissertationes in Lactantii *librum sextum* de vero DEI cultu. Witeberg. 1696. 4.

1. *Liber primus Institutionum* Gallice versus a *Droueto de Maupertuys*. Avenione 1710. 12. Mem. de Trevoux 1712. p. 2055. Libros universos septem jam olim vertit

a) Conferenda M. *Jo. Augusti Krebsii*, de stylo Lactantii diatriba, edita Halae an. 1702. quam dignam quae editionibus Lactantii adjungatur judicant Memoriae Trevoltinae 1706. pag. 1069. *Matthiae Nicolai Kortholti* diss. de Cicerone Christiano, Lactantio Giess. 1711.

b) Insignis Lactantii Codex membranaceus MS. in Bibl. Gothana, antiquior Britannicis. Lectiones ejus a W. E. Tentzelio enotatas habuit Cellarius. Plures exstare in Bibl. Regia Paris. et in his, annis octingentis antiquiores testatur Rich. Simon. tom. 1. 59. o pag. oservatt. ad Bibl. Ecclesiasticam Dupinii.

Renatus Fameus, cujus interpretationem Francisco I. Galliae Regi dicatam habeo ex editione Lugd. apud Jo. de Tournes 1563. 12. cum praemisso errorum Lactantii catalogo.

Fragmentum Lactantii *de extremo Judicio* vulgavit Baluzius t. 2 Miscel. p. 46.

2. *Liber de opificio DEI* ad Demetrianum cum scholiis Erasmi editus Basil. 1529. 8. ad calcem viduae hujus Christianae. Et cum observationibus *Jo. Willichii* Francof. ad Viadrum et Argent. 1542 8. addito Hippocratis libello de Genitura, Willichio interprete. Commentarius ineditus M. Jo. Davidis Schreberi τȣ μακαρίτȣ Bibl. Germanique tom. 23 p. 230.

Ex editione *M. Georgii Lud. Goldneri*, illustris Ruthenei Rectoris, cum vita Lactantii et judiciis eruditorum. Gerae 1714 8.

3. *Liber de mortibus persecutorum* ad Donatum Confessorem, eundem a) cui librum de ira dedicavit: in Abbatia Moissacensi b) primum inventus a praeclaro Viro Nic. Josepho Foucalto primumque editus in tomo secundo Miscellaneorum *Stephani Baluzii* Paris. 1679. 8. atque in editionibus Lactantii recusus An. 1684. 1685. 1698. et 1715.

Deinde vulgatus separatim, subjunctis Actis Perpetuae et Felicitatis, Oxon. 1680. 12. cum brevibus scholiis *Jo. Felli*, Oxoniensis Episcopi: et cum notis *Jo. Columbi* ad illustrem virum Gisb. Cuperum Aboae 1684. 8. Acta Erud. 1685. pag. 585. Novell. Reip. litter. an. 1685. pag. 919. Hic Columbus, qui phrasin praesentis libri passim illustrat ex aliis Lactantii scriptis, hoc ipso Nourrii sententiam, qua ereptum Lactantio hunc librum ibat, refutavit antequam ab illo proderetur.

Cum notis variorum, *Baluzii*, *Gisb. Cuperi*, *Columbi*, *Sparkii*, *Nic. Toinardi*, (ex edit. Paris 1690. 12) *Jo. Georg. Graevii*, *Thomae Gale*, *Eliae Boherelli* et alior. nec non H. Dodwelli diss. de ripa striga c) (quae in edit. Lactantii an. 1683. lucem viderat) ex editione *Pauli Baldry*. Ultraject. 1693. 8. Vide Acta Erud. illius anni pag. 124. Hist. des ouvrages de Savans 1692. Août pag. 519.

Cum notis *Nicolai le Nourry*, monachi Benedictini d), Paris. 1710, 8. qui Nourrius cum et in hac editione et in tomo secundo Apparatus ad Bibliothecam maximam Patrum diss. sexta Paris. 1715. f. hunc librum abjudicare Lactantio, et nescio cui Caecilio tribuere fuisset conatus, argumenta ejus perquam levia esse, quibus scriptum hoc Lactantio voluit eripere, docuit vir eruditiss. *Maturinus Veisserius la Crose* in diss. inserta Diario Hagensi (Journal. literaire) t. VII, p. 1. et *Dan. Maichelius* in libro de Bibliothecis Parisiensibus edito Cantabrig. 1721. 8. pag. 187. seq. D. Mich. Foertschius diss. de mortibus persecutorum Joannis Baptistae Jen. 1709. 4. Christoph. Augustus Heumannus ad Symposium appendice pag. 218. seq. et in Actis Erud. an. 1711. pag. 470. seq. Acta Academiae Juliae, semestri IV. pag. 206. seq. Crosio respondere conatus est Nourrius Journal. des Sav. 1716. Jun. pag. 698. seq. Sed ita etiam paucos, qui cum ipso facient, reperiet, licet sententiam suam persuaserit D. Pfaffio, Walchioque, atque editoribus operum Henr. Norisii tom. 4. pag. 35. seq. Emendationes quaedam D. Christoph. Augusti Heumanni in t. 3. ejus poeciles, libro 3. p. 361. seq.

Gallice interprete *Malacrucio*, Canonico Remensi, Paris. 1677. 1680. 12. traité de la mort des persecuteurs par *M. Maucroix*.

Anglice *Gilberto Burneto*, Episcopo Sarisburiensi, interprete, cum praefatione de persecutionis spiritu Christianos parum

a) Baluz. ad S. Cyprianum pag. 10.

b) Hist. de l'Academ. Royale des Inscriptions tom. 3. pag. 605.

c) Dodwellum falli, atque ripam Danubianam apud Lactantium intelligendam esse docet V. C. Petrus Wesselingius ad iter Antoninianum p. 217.

d) Memoires of literature tom. 1. pag. 115. Mem. de Trevoux an. 1711 pag. 5. seq. Acta Erud. 1711. pag. 470. Bibl. ancienne et moderne de Mr. le Clerc tom. 3. pag. 451. History of the works of the learned an. 1710. Sept. pag. 512 et 1716. Jul. pag. 54. Obiit doctissimus Nourrius Parisiis 24 Martii 1724 et 77 natus Deppae in Normannia an. 1647. Journal de Sav. 1724. Octobr. pag. 502. seq. *Unschuldige Nachrichten* an. 1724. pag. 995.

decente. Lond. 1686. et 1714. 8. 4. Nouveil. Rep. lettr. an 1687. pag. 979. seq. Histoire des Ouvrages des Savans 1687. pag. 112.

Alia versio Gallica ex Anglica Gilberti Burneti. Ultraj. 1687. 12. Nouv. de la Rep. des lettres an. 1687. pag. 797. seq.

Cl. *Lud. Christ. Miegii* disquisitionem Epistolicam de dubiis nonnullis hujus libri locis, cum *Gerhardi von Mastricht* ad illam responsione dabit in editione sua Lactantii Clariss. Bunemannus. *Jo. Comirii* observationes habuit Emericus Bigotius, ut traditur in memoriis Trevoltinis an. 1705. Maj. pag. 382. edit. Amst. *Gisberti* etiam *Cuperi* notae altero tanto auctiores editis, memorantur in Historia Critica Reip. litterariae vulgata Gallice a Philippo Massono tom. IV. pag. 307.

Exemplo Lactantii uberiorem de mortibus persecutorum nominis Christiani tractationem Gallice composuit Aquis Sextiis Haitzius. Hist. lit. de l'Europe 1726. Maj pag. 75. seq.

4. *Epitomen* Institutionum ad Pendadium fratrem, quam acephalon olim legit Hieronymus, et editiones capite truncam omnes exhibuere; primus integram ex Codice Taurinensi edidit Rev. *D. Christoph. Matthaeus Pfaffius*, Cancellarius hodie Tubingensis, Paris. 1712. 8. cum Anonymi historia de haeresi Manichaeorum, fragmento de origine generis humani et Q. Julii Hilariani de ratione Paschae et mensis. Mem. de Trev. an. 1712. pag. 2041. Bibl. ancienne et moderne de Mr. le Clerc. tom. 3. pag. 445. Mem. of literature tom. 2. pag. 235. Acta Erud. 1713. pag. 70. Journal des Sav. 1712. Sept. pag. 253.

Recusa est Cantabrigiae 1718. 8. cum notis V. Cl. *Jo. Davisii*. Bibl. ancienne et moderne tom. XI. pag. 160. seq.

Eandem Lactantio sine causa abjudicatam a clariss. Walchio, ex eodem Taurinensi Codice accuratissime expressam cum notis celeberrimi Pfaffi auctis exhibebit laudatus Bunemannus.

Prima capita ex eodem Codice, non pauca tamen aliter descripta dedit illustris vir *Scipio Maffeus* in Epistola ad Apostolum Zenum, virum praeclarissimum, quae inserta Diario Veneto (Giornale de' letterati d' Italia) tom. VI. pag. 458. et Londinensi Michaelis de la Roche (Memoirs of literature) tom. 2. pag. 339.

M. *Jo. Georgii Geret*, Anspacensis, variorum de Lactantio ejusque Theologia judicia, Witheb. 1722. 4.

Ejusdem specimen examinis theologiae Lactantianae in articulo de DEO, ibid. 1623. 4.

M. Joachimi Justi Rave, Berolinensis diatribe historico Philosophica de Philosophia Lucii Caelii Lactantii Firmiani Jen. 1733. 8. cum historia vocis ὁμούσιος. *Nuserlesene* Theologische Bibl. tom. VI. p. 647.

M. Joannis Georgii Geret, de mendosa Lactantii interpretatione dicti Platonici, quo is gratias egisse DEO dicitur, quod homo, quod mas, quod Graecus et Atheniensis natus esset. Ibid. 1722. 4. praeside V. C. Jo. Guil. Bergero.

Defense des sentiments de Lactance sur le suiet de l'usure. Paris 1672. 12. *Giornale di Roma* pag. 46. *Journal des Savans* 1672. pag. 16.

5. *De Epistolis* Lactantii Hadrianus Junius in Bataviae Historia Lugd. Bat. 1588. 4. edita pag. 311. quo in loco Egmondani coenobii, Benedictinis destinati meminit, *ubi Bibliotheca celebris omnis generis scriptis codicibus et praesertim membranaceis, quos diligenter magna cura cum Priores alii, tum Gerardus ex Poelgeestana stirpe Abbas undecunque conquisierant, raros ostendit, e quibus dolet mihi interiisse intra quindecim proximos annos magno literariae Reip. detrimento* Lactantii Firmiani Epistolarum libros duos, *quorum meminit nominatim D. Hieronymus* a) *quos dum*

a) Hieron. cap. 80 de Script. Eccles. inter Lactantii scripta post librum de persecutione meme-morat *Epistolarum libros ad Probum quatuor, ad Severum Epistolarum libros duos, ad Demetrianum auditorem suum Epistolarum libros duos.* Idem Cap. CXI. *Aquilius Severus in Hispania, de genere illius Severi, ad quem Lactantii duo Epistolarum scribuntur libri.* S. Damasus Epist. 1. ad Hieron. *Fateor quippe tibi eos, quos mihi jampridem Lactantii dederas libros, ideo non*

ad me cogitat, editioni destinandos, mittere Antonius Hovaeus illic religioni operatus, vir doctus, qui postea Abbam Abstornacensem prospera fama egit, repperit a bibliotapho quopiam librorum sublatos: atque ita disperiit ille thesaurus, ab haeredibus sacrifici, in quem cadebat suspicio, in cucullos et piperis involucra concisus.

6. *Librum de Spectaculis* e MSto in lucem datum Venetiis, legas in Memoriis Trevoltinis. an. 1705. pag. 1992. et in Novellis Reip. litterar. ejusdem anni tom 2. pag. 117. sed nemo est, qui viderit ab illo tempore, unde merito pro fabula habet Clariss. Bunemannus in Miscellaneis Lipsiensibus tom. 3. pag. 136.

8. Ὀδοιπορικὸν Lactantii praeter rem pro edito videtur habere Jacobus Gaddius tom. 1. de scriptoribus non Eccles. p. 181. Similiter ut *Symphosius* clarissimus Heumannus, qui illud putat extare sub titulo aenigmatum, quae sub Symposii feruntur nomine, de quibus dixi Volum. 3. Bibl. Latinae lib. IV. c. 1. pag. 273. seq. necdum dictorum poenitet, etiam postquam legi ea, quae ad me placuit Viro Clariss. scribere in poecile sua tom. 1. lib. 2. p. 256. seq. quaeso enim qui Aristarchus suadeat versum statim primum:

Haec quoque Symposius de carmine lusit Inepto.

nullo praeeunte MSto Codice refingendum esse sic:

Hoc quoque Symposium lusi de carmine inepto?

vel quis credat versum secundum.

Sic tu Sexte doces, sic te deliro magistro.

repugnantibus omnibus Codicibus MSS. legendum esse

Sic me Sicca docet, Sicca deliro magistra?

Sufficit mihi (contra meram viri docti conjecturam nulla nixam auctoritate) Symposii nomen frequens fuisse veteri aetate, sicut praeter alibi notatos a me etiam Amalarius, cujus libros de officiis habemus, in veteri Codice apud Mabillonium f. 93. 100. et 432. Analectorum edit. novae, Symphosius Amalarius appellatur. Sufficit mihi aenigmata Symphosii laudari ab Aldhelmo Scoto et Sigeberto Gemblacensi, atque inter epigrammata ac poëmata vetera P. Pithoei ex MS. referri Caelii Firmiani Simphosii pag. 23. versus phalaecios *de livore* et pag. 24. choriambicos *de fortuna*. Sufficit mihi denique Symphosii poëtae nomen diserte praeferre Codices MSS. aenigmatum, quos evolverunt Joach. Perionius, Franciscus Basvelus, Goldastus. P. Pithoeus, Josephus Castalio.

* Editionem operum Lactantii Romae in aedibus Maximorum confectam ego cum Viennae essem in Bibliotheca PP. Benedictinor S. Mariae ad Scotus versavi, atque in illa ea omnia reperi, quae Fabricius hic adnotavit; Unum mihi superest admonuisse totum librum diligentia quanta saltem tunc potui recensenti nunquam mihi occurrisse Institutionum epitomen, quae in aliis Lactantii editionibus nullibi quantum scio, desideratur. Porro haec Lactantii epitomes usque ad haec nostra tempora acephala modo ex MS. cod. Taurinensis Biblioth. integra edita est a Pfaffio, ut optime hic Fabricius monet; addendum tamen succurrit sphalmata quaedam, quae Pfaffio scriptionem festinanti exciderant mendasse doctissimos editores catalogi codd. MSS. Biblioth. Taurinensis.

Operum Lactantii collectionem ante quatuor hos annos evulgavit novam cl. abb. Nicol. Langlet Du-Fresnoy Parisiis 1748. tom. 2 in 4. Ita vero distribuitur. Praecedit caetera omnia editoris praefatio cum vita Lactantii et testimoniis insignium virorum de illo. Succedit elenchus MSS Codd. Lactantii, qui in Bibl. Vaticana asservantur, et variarum quae praecesserunt edi-

diligenter lego, quia et plurimae Epistolae ejus usque ad mille spatia versuum tenduntur, et raro de nostro dogmate disputant, quo fit ut et legenti fastidium generet longitudo, et si quae brevia sunt, scholasticis magis sunt apta quam nobis, de metris et regionum situ et Philosophia disputantia. Hieronymus in Galat. 4. p. 268. *Multi per imperitiam Scripturarum, quod et Firmianus in octavo ad Demetrianum Epistolarum libro facit, asserunt Spiritum S saepe Patrem, saepe Filium nominari.*

tionum. Tum dantur notae posteriores excerptae ex editione Burmanniana a. 1739. in Lib. I. *De falsa religione.* Secundum haec Antonii Raudensis scripta in Lactantium cum scriptis Isei Caesenatis in Raudensem eiusque adnotationibus in *Institutiones Lactantii*: Pone sequitur disquisitio de authore libri *de mortibus persecutorum*, auctore Nicolao Le-stoque Doctore. Henr. Dodwellii dissertationes in eundem librum cum chronologia Diocletianea et Notis ad eumdem librum Stephani Balutii. Adduntur notae in eumdem Joannis Columbi, Nicolai Tomardi Gisberti Cuperi, Pauli Baudri. Post haec omnia succedit liber *De Divinis institutionibus. Epitome eiusdem libri* a Lactantio adornata. Opusculum *de opificio Dei. De ira Dei. De mortibus persecutorum.* Carmen *Phoenix* Lactantio tributum. Incerti carmen *de Passione Domini. Venantii Honorii Fortunati* de Pascha.

Ex literis Roma acceptis comperi novam aliam Firmiani editionem Romae parari a P. Eduardo de S. Francisco Xaverio carmelita excalceato, cuius operis apparatum jam prodiisse Romae in 4. h. tit. *Apparatus ad novam Lactantii operum editionem una cum generali praefatione, ac dissertationum speciminibus* etc. * (179 Prodiit revera editio istahaec *Romae* 1754. 1759. 14. Vol. in 8. omnium amplissima.)

LACTANTIUS *Placidus*, infra, LUCTATIUS.

LADISLAI Hungariae Regis Epistola A. 1456. scripta ad Callistum III. Papam paullo ante cladem quam deinde tulit a Turcis, exstat in Dacherii spicilegio tom. IV pag. 386. (edit. novae t. 3 p. 799.)

LADISLAI Sandheimii, ex oppido Ravensburg, circa A. 1511. Canonici Viennensis *de familia Welphonum* sive Guelforum, brevis Historia edita ab illustri Leibnitio t. 1 scriptorum Brunsvic. p. 800-806.

LADKENUS Hybernicnsis *in Jobum* ex Gregorio Magno, laudatur a Notkero Balbulo in libro de interpretatione Scripturae apud Clariss. Pezium t. 1 anecdotor. p. 5. De hoc Ladkeno silent Lelandus, et cum Baleo, Pitseoque Waraeus.

Theodorus LÆLIUS ex Episcopo Feltrensi et Tarvisino Cardinalis. An. 1461. scripsit *replicam pro Papa Pio II.* adversus *GREGORIUM de Heimburg*, quam cum duobus contrariis Heimburgii scriptis edidit Goldastus in Monarchia Imperii t. 2 pag. 1595. De ejusdem Laelii *Orationibus* duabus ineditis vide Oudinum tom. 3 pag. 2571.

Joannis a LAET prognosticationes futurorum eventuum A. 1476. Lovanio missae Ludovico Burbonio Episcopo Leodiensi, MStas memorat Sanderus parte 2. Bibl. Belg. pag. 56.

LAMBECIANI Annales, sive *Annales Francorum* Pithoeanis integriores ab A. C. 717. ad 875. cum supplemento ab A. 882. ad 887. ex MSS. Codicibus Augustissimae Caesareae Bibl. per Virum Clarissimum Petrum Lambecium olim excerpti et evulgati nec non animadversionibus illustrati libro 2. de Bibl. Vindobonensi p. 345-359. et *Annales Fuldenses* sive *Laureshamenses* Pithoeana et Freheriana editione meliores ex eodem Lambecio p. 365. 377. curante laudatissimo Muratorio tom. 2 thesauri scriptorum Italiae parte 2. p. 83. recusi cum additamentis et una cum crisi in eosdem Annales, illustrissimi Viri *Jo. Benedicti Gentilotti* post Lambecium et Nesselium Caesareae Bibliothecae Praefecti, ex ejus Catalogo MSS. Historicorum Latinorum laudatae Bibl. adhuc inedito.

LAMBERTUS, *Ardensis* Ecclesiae presbyter, scriptor *Historiae Comitum Ardensium et Guisnensium* ab A. 800. ad 1200. ad Arnulfum II. Comitem Guisnensem et Ardae Dominum. Ejus ampla fragmenta ex Codice Thuano edidit Andreas du Chesne in historia Comitum Guisnensium, Ardae, Gandavi et Coney sive Codiciaci: Gallice edita Paris. 1631. fol. Ex alio Codice dedit integram Jo. Petrus de Ludewig tom. VIII. reliquiarum veteris aevi p. 369-606. cujus etiam prolegomena consulenda pag. 51. seq. et de aliis Codicibus MStis Jacobi Longi Bibliotheca historicorum Galliae p. 851. n. 16574. Fallitur Raphael Savanarola qui in Orbe terrarum scriptorum calamis delineato pag. 87. Andreae Duche-

snii librum putavit ad Ardesiam Hiberniae pertinere.

LAMBERTUS ex Canonico et Praecentore Insulano Episcopus ab A. 1093. ad 1115. *Atrebatensis*, a quo tempore Ecclesia illa Cameracensi subesse desiit. Ejus *gesta quibus Atrebatensium Civitas sub Urbano II. excusso Cameracensium subjectionis jugo in antiquam reformatur dignitatem*, edidit Baluzius tom. V Misc. pag. 227. et Epistolas CXLIV. Lamberti et aliorum ad ipsum pag. 283. et Privilegia XIV. a Lamberto concessa pag. 377. subjunctis pag. 401-442. etiam Epistolis aliis ad res Atrebatenses spectantibus, sed Lamberto junioribus. Partem gestorum ediderat Ferreolus Locrius in Chronico Belgico, et Dacherius tom. V spicilegii pag. 543. seq. (edit. novae tom. 3 pag 421.) adde Sammarthanos tom. 2 Galliae Christianae pag. 215. seq. atque Oudinum t. 2 p. 880.

LAMBERTUS Abbas *Bertinianus*, ad cujus *Quaestiones* respondet ARNULFUS Belluacensis ab A. 1114. Roffensis Episcopus in Epistola quamedidit Dacherius t. 2 spicilegii p. 431. (edit. novae t. 3 p. 470.)

LAMBERTUS Bononiensis. Supra KAMBERTUS.

LAMBERTUS *Hirsfeldensis*, infra *Lambertus Schafnaburgensis.*

LAMBERTUS *de Legia* idem cum *Leodicensi*, de quo mox.

LAMBERTUS *Leodiensis* Monachus S. Laurentii *Tuitiensis*, Congregationis Cluniacensis, Ord. Bened. Adelmi sive Adelmanni Grammatici, Episcopi ab A. 1048 ad 1061. Brixiensis auditor, praeter *Hymnos et Epigrammata* scripsit in gratiam Ecclesiae Coloniensis, Romanaeque Ecclesiae dedicavit *vitam S. Heriberti*, Archiep. Coloniensis A. 1021. defuncti, quam ex quatuor MStis Codicibus edidit Papebrochius in Actis Sanctorum t. 2 Martii p. 467-475. Eandem deinde interpolatam et auctam composuit RUPERTUS Tuitiensis obviam ibidem p. 475-490. cum laudati Papebrochii notis, et sine illis inter Ruperti opera, atque apud Surium 16. Martii. De Vita *Agricii* Trevirensis et Actis S. *Matthiae*, Apostoli, infra in *Lamberto Trevirensi.*

S. LAMBERTI sive LANTBERTI ex Abbate Fontanellensi Episcopi circa an. 688. *Lugdunensis*, *Vita* sive fragmentum Actorum ab AIGRADO, circa an. 700. consignatorum, exstat in Actis Sanctorum t. 2. April. 14. pag. 216. 217. ex Dacherii et Mabillonii Actis Benedictinis Sec. III. parte 2. pag. 642.

LAMBERTUS *Parvus*, Monachus Coenobii S. Jacobi Ord. Bened. in urbe Leodicensi, scripsit *Res gestas Episcoporum Leodicensium* ab An. 988. usque ad An. 1195. quo diem obiit: illudque opus, et REINERI Monachi continuationem usque ad 1229. MStam apud Religiosos illius Coenobii servatam testis Valerius Andreas pag. 611. Bibl. Belgicae. Idem ut videtur Reinerus, qui Vitam S. Lamberti. per XL. annos Episcopi Leodicensis et Trajectensis, et An. 696. Legiae sive Leodii Martyris scripsit, editam a Joanne Chapeavillo in gestis Pontificum Tungrensium tom. 1 pag. 411-431. qui vult eum floruisse An. 1130. et Monachum fuisse S. Laurentii prope Leodium. Si vero idem sit auctor illius quam dixi continuationis, centum annis fuerit junior.

* Obiit non quidem an. 1195. ut hic, sed praecedenti ut ex continuatore Rainero Monacho discimus. Utrumque opus Lamberti scilicet chronicon generale, non vero Leodiensium Episcoporum, et Raineri monachi S. Jacobi Leodiensis continuationem usque ad an. 1230. vulgarunt PP. Martene et Durand Vet. Mon. V. p. 1.

* LAMBERTUS alius ab hoc superiore diversus Leodiensis Monachus in Monasterio S. Christophori de quo haec leguntur in Alberici chronico ad A. 1177. *Ferventissimus praedicator.* Iste *Antigraphum scripsit, et tabulam quae Lamberti intitulatur, edidit, et multos libros et maxime vitas Sanctorum, et actus Apostolorum de latino vertit in Romanum.* *

LAMBERTUS *Schafnaburgensis*, Schafnaburgi Franconiae, A. 1058. a Lupoldo Archiep. Moguntino ordinatus presbyter, peregrinationem Hierosolymitanam a) adiit

a) *Zelo DEI, sed utinam secundum scientiam.* Ita ipse de se Lambertus ad an. 1058.

et ex Palaestina A. 1059. reversus, Monachus Hirsfeldensis a) in Buchonia silva sub Abbate Meginhero, a quo vestem Monasticam acceperat, scripsit *Historiam Germanorum* sive *Chronicon*, in quo ab Orbe condito summa gestorum capita breviter percurrit, Bedae et aliorum vestigiis insistens usque ad A. 1050. Sed inde usque ad An. 1077. longe diligentius res persequitur, ita quidem ut Melanchthon qui in quadam Wirtenbergensium b) Augustinianorum Bibliotheca hunc librum MS. repererat sine nomine auctoris, eum describendum commendaret *Joanni Secerio*, testatus nondum se vidisse a Germaniae scriptoribus eo argumento quicquam diligentius esse compositum. Nec tantum sollertiam in temporum putatione, sed etiam puritatem et elegantiam in eo celebrant viri doctissimi. Edidit itaque librum a Caspare Churrero, qui bonas litteras Tubingae docebat, iterum monitus Secerius A. 1525. sed nomen nullum auctoris praefixum habentem etiam in altera edit. An. 1530. Inde *Ludovicus Schradinus* ex Trithemii Chronico Hirsaugiensi, quis esset auctor, edoctus, Lamberto opus restituit, in editione Tubingensi ex aedibus Morhardinis 1533 8. Ab eo tempore recudi curavit *Simon Schardius* cum Turpino, et Reginonis ac Sigeberti Chronicis, Francof. 1566. fol. et tomo primo scriptorum rerum Germanicarum, Basil. 1574. fol. pag. 693. inde *Jo. Pistorius* tom. 1 pag. 149. Francof. 1583. recus. ibid. 1613. et ex Burchardi Gotthelf Struvii recensione Ratisbon. 1726. fol. Prodiit etiam Lambertus Urspergensi et Reginoni subjunctus, Argentorat. 1609. fol. *Continuationis* a Pistorio subjunctae et res ab A. 1068. ad 1352. breviter percurrentis, auctorem constat esse NICOLAUM *de Syghen*, Doctorem Erfurtensem circa A. 1470. de quo infra, suo loco.

Trithemio teste, idem Lambertus etiam *Chronicon monasterii sui Hirsfeldensis* composuit, *breve quidem sed non inutile*. Illud necdum typis exscriptum exstat, nisi ex eo fortasse petita Monachi Hamerslebiensis excerpta de Imperatoribus ab Henrico Aucupe ad Henricum quintum ex libro *de Hervaldiae institutione*, quae vulgavit *Joach. Joannes Maderus* in antiquitatibus Brunsvicensibus, Helmst. 1678. 4. pag. 149-159. et ex Madero illustris Leibnitius tom. 1. scriptorum Brunswic. pag. 707-710.

LAMBERTUS *de Stipite* JCtus, Monachus Benedictinus, Legatus Constantiensis Concilii, cujus Epistolam, schedulam et Instrumentum executionis de exauctoratione Benedicti XIII. an. 1417. scripta edidit Clariss. Hermannus ab Hardt t. IV. historiae illius Concilii pag. 1124. 1157. 1175.

LAMBERTUS Monachus *Treverensis* post an 1127. scripsit *Acta inventionis corporis S. Matthiae Apostoli*, edita a Bollando in Actis Sanctor. tom. 3. Febr. 24. pag. 448. 454. Idem Lambertus (non Leodicensis) videtur auctor vitae ac miraculorum ejusdem Apostoli, duobus libris descriptorum carmine, quorum meminit Vossius pag. 379. nec minus auctor *Vitae S. Agritii* Episcopi Trevirensis, defuncti ut ajunt A. 335. Incertum sitne ea quam ex vetusto Codice sine nomine auctoris vulgavit idem Bollandus tom. 1. Januarii 13. pag. 773-781.

LAMBERTUS *Tuitiensis* supra in *Leodicensi.*

LAMBERTUS *Waterlos*, Canonicus regularis Coenobii S. Auberti apud Cameracenses, scripsit *historiam Cameracensium Episcoporum* ab Odone, hoc est ab an. 1105. ad Annum 1160. quo vixit, MStam Cameraci, teste pag. 535. Vossio, Sandero Bibl. Belg. pag. 25. et parte 2. pag. 138. Aliud vetus Chronicon de gestis Antistitum Cameracensium memorat Sandius, scriptum circa an. 1040. a Sacellano Gerardi, Episcopi Cameracensis et in An. 1030. desinens. Consulendi Sammarthani in Gallia Christiana tom. tertio editionis novae, et Jacobus Longus Bibl. historicorum Galliae n. 3307. seq.

a) Trithemius in Chronico Hirsaug.

b) Non *Wittebergensium*, ut apud Halervordum excusum est, et in illustris Leibnitii praef. ad tom. 1. scriptorum Brunsvic. Confer Jo. Hubneri nostri Bibl. Histor. Hamburgensem Centur. IV. p. 165. seq.

LAMFRIDUS Anglus, Monachus Wintoniensis circa an. 980. scripsit prosa et carmine *vitam et miracula* S. Swithuni Episcopi ab an. 852. ad 863. Wintoniensis a) MSta in Cottoniana atque aliis Angliae Bibliothecis. Vide Leyserum in hist. poëseos Latinae medii aevi pag. 286. atque Oudinum tom. 2. pag. 499. Laudant Lelandus cap. 139. Baleus II. 37. et Pitseus pag. 178. Praefationem ex Codice Cottoniano edidit H. Warthonus tom. 1. Angliae sacrae pag. 322. *Historiam translationis et miraculorum* ex Codice Bigotiano, Joannes Pinius, additis notis tom. 1, Act. Sanctor. Julii pag. 328. seq. Scripsit etiam *metrice librum de fundatione Wentanae Ecclesiae*, qui intitulatur *liber fundamenti*, teste Thoma Rudborne apud H. Warthonum tom. 1. pag. 192.

LAMPERTINUS *de Ramponibus*, vir utriusque Juris Consultissimus circa an. 1310. cujus Commentarios in Codicem et Digesta laudat Trithemius cap. 539.

LAMPRIDIUS Historiae Augustae scriptor, de quo in Bibl. Latina III. 6.

LAMPUS *Buragus*, infra, LAPUS.

LANCELOTUS *de Lacu*, Britannus, auctor *Historiae* cujus meminit Joannes Glastoniensis, scriptor decimi quinti seculi in prologo Chronici Glastoniensis edito an. 1726. a Thoma Hearne viro meritissimo de patriae suae Historia quem hoc ipso an. 1735. rebus humanis valedixisse, non sine dolore accepimus. (181 H. op. Gallice conscripti plures Codd. antiqui in Bibl. R. Parisiensi Vid. Paulin Paris les MSS. Francois etc. Paris 1836-45 vol. 6 in 8.)

LANDENULPHUS *Capuanus*, Monachus Casinensis circa an. 1050. quem Petrus Diaconus cap. 27. de viris illustribus Casinensibus ait scripsisse sermone simplici librum in quo introduxit Dominum et Virginem Mariam et S. Benedictum justis ac peccatoribus loquentes.

LANDENULPHUS alter junior Monachus *Casinensis* circa an. 1060. ad eodem Petro Diacono c. 40. traditur fecisse versus mirificos de renovatione Casinensis Coenobii seu Archisterii, ac de regimine Desiderii Abbatis.

LANDENULPHUS *Caracciolus* Scoti auditor, Ord. Minor. ex Episcopo Stabiarum Archiepiscopus Amalphitanus in regno Neapolitano ab. an 1330. ad 1351. de quo Waddingus in Annalibus tom. 3. ad an. 1331. n 6. et 1347. n. 8. Ughellus tom. 6. pag. 660. et tom. 7. p. 231. scripsit *in librum secundum Sententiarum*, quem editum etiam ex veteri editione evolvit Nicolaus Toppi in Bibl. Neapolitana pag. 185. Apud Waddingum autem longe plura memorantur pag. 235. Bibliothecae Ordinis Minorum, nescio an. edita: Commentarius *in Zachariam* Prophetam. *In quatuor Evangelia. In Epistolam ad Hebraeos. In quatuor libros Sententiarum.* b) *Quodlibeta Scholastica. Liber collationum spiritualium. Oratio ad Papam, nomine Reginae Siciliae. Sermones de tempore*, et *de exaltatione Crucis*.

LANDULFUS *de Columna*, infra LANDULPHUS Sagax.

LANDULPHUS Senior, *Mediolanensis*, auctor *Chronici* sive *syntagmatis* in quatuor libros tributi *de rebus Mediolanensibus* usque ad Annum fere 1085. primus e Bibl. Ambrosiana edidit celeberr. Muratorius tom. quarto thesauri scriptorum Italiae, ex recensione Horatii Blanci, Romani, additis etiam nonnullis Jo. Petri Puricelli observationibus Mediolan. 1723. fol. Fallitur praestantissimus Pagius, qui ad an 1100. n. 26. scribit Landulphum seniorem, ab an. 1012. exorsum historiam suam an. 1100. absolvisse.

LANDULPHUS *Neapolitanus*, supra *Landulphus Caracciolus*.

LANDULPHUS junior, *de S. Paulo*, Mediolanensis scriptor *Historiae Mediolanensis* ab an. 1095. ad 1137. quam ex eadem Ambrosiana Bibliotheca itidem primus vulgavit laudatus Muratorius, tom. thesauri sui quinto, additis eruditis notis Josephi Antonii Saxii, Bibliothecae illius Praefecti.

a) H. Warthon tom. 1. Angliae sacrae p. 203.
b) Fallitur Oudinus qui Commentarium in libros Sententiarum tribuit Landulpho Sagaci tom. 3 pag. 756.

Ab hoc Landulpho multa mutuatus Ughellus inseruit tom. quarto Italiae sacrae, quae de Archiepiscopis Mediolanensibus illorum temporum retulit, ut a Cangio jam notatum.

LANDULPHUS *Sagax* idem qui etiam Landulfus Romanus *de Columna*, Canonicus Carnotensis. a) Hujus *breviarium Historiale* dicatum Joanni XXII. Papae, ab Orbe condito ad A. C. 1320. prodiit Pictavis 1479. 8. non diversum fortasse ab opere de temporum Pontificum Romanorum historia, quod Joanni XXII. ab eo dicatum scribit lib. 22. Volaterranus. Sed aliud scriptum breve *de Pontificali Officio* ad eundem Joannem, MS. in Bibl. Colbertina. Vide Oudinum tom. 3. pag. 757. Ex breviario illo repetita elogia Philippi Pulchri, Francorum Regis ejusque filiorum Ludovici Hutini et Philippi Longi sive Magni, et Caroli Pulchri, apud Labbeum tom. 1. Bibl. novae MSS. pag. 959. 660. *De Historia Miscella*, quam et ipsam ab an. 725. maxime ad an. 805. Landulpho huic debemus, atque de ejus editionibus dixi in Bibl. Latina III. 9. ubi de EUTROPIO, cujus breviario et PAULI Diaconi auctario, a libro XVI. ad XXIV. jungi consuevit, Libellus *de translatione Imperii ad Graecos*, in sylloge Simonis Schardii de jurisdictione et auctoritate Imperiali, p. 284. 297. fol. Basil. 1566. Argent. 1618. sub falso RADULPHI de Columna nomine, et in tom. secundo Goldasti de Monarchia Imperii pag. 88. b. 95 b. Aliis itidem falso, PANDULPHUS.

* An scripserit historiam miscellam viderint docti. Mihi quidem compertum est, historiam, quae Miscella dicitur, nihil esse aliud, quam Eutropii Breviarium interpolatione Pauli Diaconi aliquanto amplificatum; tum demum nova alia alterius scriptoris, forte Landulphi Sagacis, insersione amplificatum cum additione librorum quorundam Pauli Diaconi et accessione ad hos libellos alterius cuiusdam scriptoris forte Landulphi Sagacis. Quae additamenta Paulo Diacono debeantur, quaeve dein ex tertio aliquo accesserint, haec a me non infeliciter, ut puto, detecta sunt, et indicata in dissertatione de hoc argumento scripta et forte non post multos hos dies typis vulganda. *

a) Vide Oudinum tom. 3 pag. 755.

LANDULPHUS *Saxo de Vita CHristi*, infra, LUDOLPHUS.

LANDULPHUS *Taurinensis* Episcopus, cujus chartam an. 1030. datam vulgavit Baluzius tom. IV. Misc. pag. 445. 446.

LANFRANCUS Papiensis Longobardus ex Priore Beccensi in Normannia Ord. Bened. et Abbate S. Stephani Cadomensis in Gallia, denique ab an. 1070. seq. ad 1089. in Anglia Archiepiscopus *Cantuariensis:* De eo Radulphus de Diceto tom. 2. Angliae sacrae pag. 684. Henschenius in Actis Sanctor. tom. VI. Maji 28. ubi vita Lanfranci scripta a MILONE *Crispino*, Cantore Beccensi p. 832. et ab. EADMERO p. 848. ex ejus libro primo Historiae novorum. Vitam a Milone scriptam Dacherius quoque operibus Lanfranci praemisit, et Mabillonius Sec. 6. Benedictin. parte 2. pag. 637. exhibuit. Videndus etiam H. Warthonus in Anglia sacra tom. 1. pag. 108. Huetius in Originibus Cadomensibus cap. 24. et Jo. Launojus de scholis celebrioribus cap. XLII. tom. 4. Opp. De hoc Lanfranco Willeramus praef. in Cantica Canticorum. *Unum in Francia comperi*, Lantfrancum *nomine, antea maxime valentem in Dialectica, nunc se ad Ecclesiastica contulisse studia, atque* in Epistolis Pauli *et* Psalterio, *multorum exacuisse ingenia. Ad quem audiendum cum multi nostratium* (Germanorum) *confluant, spero quod ejus exemplo etiam in nostris provinciis ad multorum utilitatem industriae suae fructum producant.* Commentarius *in Psalmos*, cujus Trithemius etiam cap. 155. de S. E. et II. 99. illustrium Bened. facit mentionem, hodie nusquam exstat. Sed *in Epistolas Pauli* Commentarius cum glossa interlineari familiam ducit inter Lanfranci opera edita a Luca Dacherio Paris. 1646. fol. et recusa in Bibliotheca Patrum Lugd. tom. XVIII pag. 621. Lanfrancus passim citat ex Ambrosio quae in Ambrosii scriptis. qualia hodie exstant, non reperiri Dacherius annotavit.

Sed idem Dacherius arguitur a Caveo, quod Lanfranco Latinum textum subinde emendante, ipse multis in locis emendata vel mutaverit vel subticuerit. Sane Milone teste in ejus vita cap. VI. §. 55. edit. Henschenii pag. 846. Lanfrancus *quia Scripturae scriptorum vitio erant nimium corruptae, omnes tam Veteris quam Novi Testamenti libros, nec non etiam scripta sanctorum Patrum, secundum orthodoxam* a) *Fidem studuit corrigere. Et etiam multa de his, quibus utimur nocte et die in servitio Ecclesiae, ad unguem emendavit: et hoc non tantum per se, sed etiam per discipulos suos fecit.*

Caetera Lanfranci scripta a Dacherio edita sunt: *Liber de Corpore et Sanguine Domini,* contra BERENGARII librum Humberto Cardinali oppositum, tom. 18 Bibl. Patrum Lugd. pag. 763. De actis cum Berengario, adeundus Milo in Lanfranci vita cap: 2. pag. 836. editionis Henschenianae At Liber Lanfranci primum editus a Francisco Carreo sive Quadrato, Beccensi Coenobita, recusus cum Philastrio Basil. 1528. 1551. 8. et cum Paschasii Ratberti libro per Guil. Ratum. Rothomag. 1540. 8. et in Orthodoxographis Basil. 1555. atque in Bibliothecis Patrum Colon. et Parisiensibus universis. Editio Jo. Ulimerii emendatior cum Algero, Guitmundo ac Paschasio Ratberto vidit lucem Lovanii 1561. 8. *Epistolae* autem *invectivae* quas in Berengarium scripsisse ante hunc librum Lanfrancus a Sigeberto cap. 155. traditur, interciderunt.

Ad Collationum Joannis CASSIANI quatuor loca, annotatiunculae pag. 777.

Ordinarium et Decreta pro Ordine S. Benedicti in Anglia pag. 778. ex editione Clementis Reyneri in Apostolatu Benedictinorum. Duaci 1626. fol.

Liber Epistolarum LX. pag. 807. b) in quibus et quaedam aliorum ad Lanfrancum, ut Paparum, una ALEXANDRI II. et GREGORII VII. praeterea Hildebrandi adhuc Archidiaconi, Thomae Eboracensis Archiep. Cleri Populique Dublinensis, et Anselmi, quem Dominum, Patrem, Fratrem et amicum appellat.

Pericope Orationis in Concilio Londinensi An. 1072. dictae *pro primatu Ecclesiae Cantuariensis*, contra Thomam Eboracensem pag. 827.

Libellus *de celanda Confessione* p. 828. cum notis Dacherii. Hactenus editio Operum Lanfranci Dacheriana, cui in Bibliotheca Patrum Lugd. tom. 18 pag. 833. subjicitur *Sermo* sive *Sententiae*, ex ejusdem Dacherii tom. IV. spicileg. pag. 227. (edit. novae tom. 1 pag. 441.) Incip. *Octo sunt, quae si diligenter.*

Interciderunt quae Lanfrancus teste cap. 155. Sigeberto scripserat *de Vita, laudibus ac triumphis Guilelmi Conquaestoris.* Idem fortasse opus respexit Eadmerus cum lib. 1. historiae novorum ubi multa in Lanfranci laudem, ait eum *de rebus Ecclesiasticis quae suo tempore gesta sunt, veracissimo et compendioso calamo scripsisse.*

Appendicis loco Lanfranci operibus a Dacherio subiuncta haec sunt: *Chronicon* Abbatiae *Beccensis*: vita *Herluini*, primi Abbatis Beccensis, scriptore GILBERTO *Crispino*, de quo supra tom. 3 pag. 53. *Vitae* scriptae a MILONE *Crispino*, Abbatum itidem Beccensium, *Guilelmi*, *Bosonis*, *Theobaldi et Letardi.* De nobili genere Crispinorum. *Vita S. Augustini* Cantuariensis Archiepiscopi, HUGONIS Lingonensis liber, et alter DURANDI Toarnensis in Neustria Abbatis de corpore et Sanguine Domini contra Berengarium.

LANFRANCUS *de Mediolano*, Chirurgus Parisiensis circa A. 1294. cujus *Chirurgia magna et parva* post editiones Venetas 1490. 1499. 1519. 1546. fol. recusa etiam Lugd. 1553. fol. ut est a Bibliothecarum Medicarum scriptoribus annotatum. In praefatione parvae Chirurgiae Lectorem auctor *conjurat per DEUM ne aliquibus idiotis tradat* eam, *ne per ignorantiam eorum* (quae in majore sunt exposita) *opus me-*

a) Rich. Simon diss. sur les MSS. du Nouveau Test. pag. 51. 67. seq. et lettres Critiques p. 125. 229. seq.

b) Dubliniensium ad Lanfrancum et Epistolas tres Lanfranci ediderat Usserius in Epistolis Hibernicis: ad Gothricum Regem Dubliniae, ad Terdeluacum Hiberniae Regem, et ad Domnaldum Hiberniae Episcopum.

um noceat alicui. Omitto plures JCtos hoc nomine, *Jaffredum* LANFRANCUM Balbum cujus Repetitiones prodiere A. 1488. et Decisionum centuriae V. cum sextae fragmento: LANFRANCUM *de Oriano*, de cujus scriptis Trithemius cap. 811. et Gesnerus inter quae est etiam Practica Judiciaria sive Repetitio super C. *quoniam*, de probationibus, quam nescio cui Thomae Lanfranco adscribit Koenigius. LANFRANCUM *Gypsum* Lugiensem, Consiliarium Principis Ferrariensis, qui Andreae Alciato antiparadoxa opposuit. et *Christophorum* LANFRACHINUM, Veronensem, cujus scriptum de praecedentia doctorum et militum exstat in Oceano Juris sive tractatuum t. XVIII. pag. 21. Fuit et Pictor egregius Joannes LANFRANCUS Parmensis. Sed et junior hic, perinde ut *Andreas* LANFRANCUS, Clericus Regularis Neapolitanus, et ab A. 1650. Ugentinus Episcopus, cujus laudantur Logica scripta et Theologica et de jure Beneficiariorum in Beneficiorum Ecclesiasticorum fructus.

* LANFRANCUS *De Oriano* circa an. 1450 florebat; eiusque superest typis edita absque loco et anno *Repetitio super cap Quoniam contra falsam.* Scripsit etiam *de Interpretatione Statutorum* teste Pancirolo lib. 3. cap. 34. Scriptum vero ab hoc consultissimo viro opusculum de *Arbitris* Trithemio ignotum multis additis clarissimor. Doctor. responsis lucem vidit Pisciae an. 1486. opera Jacobi et Francisci Cennis.

Est etiam alius LANFRANCUS de Parma a Pictore illo cuius hic Fabricius meminit diversus JC. clarus, cuius in Bibliotheca Felini extat tractatus *De Privilegio Fisci.* Venetiis 1490 in f. vulgatus.

LANFREDUS citatur a Stephano de Borbone, qui scripsit circa A. 1462. infra LANTFREDUS.

Joannes LANGDENUS. Supra pag. 374.

Tidericus LANGEN, Engelhusio a quo frequenter citatur *Theodoricus* sive *Theodoricus Longus*, Canonicus Eimbecensis et Goslariensis scripsit post medium Seculum XIV. Carmen rhythmicum *de Saxonia*, quod incipit: *Restat laudanda Saxonia magnificanda.* Edidit Jo. Henricus Meibomius cum Henrici Roslae Herlingsberga, Luneburg. 1652. 4. et Henricus Meibomius Jo. Henrici F. tom. I scriptor. rerum Germ. pag. 806-812. *Poësis Ducum Brunswicensium* hujus Langii, ex quibus nonnulla Engelhusius pag. 126. 170. 236. hodie desideratur. Vide Meibomium p. 772.

Henricus de LANGENSTEIN supra t. 3 pag. 646. *Henricus de Hassia.*

Thomas LANGFORDIUS, Anglus, Ord. Praed. circa A. 1314. traditur scripsisse *Chronicon* ab Orbe condito ad suam usque aetatem. *Postillam super Jobum. Sermones per annum et varias disputationes.* Vide Pitseum pag. 413. et Jacobum Quetif tom. 1 pag. 523.

Paulus LANGIUS, non Norimbergensis, ut a Koenigio traditum, sed Cygnaeus sive Zwiccaviensis, Monachus et Presbyter Ord. Benedict. Coenobii Bozaviensis, Cizae vicini in Misnia, sectator et amicus Trithemii. Scripsit laudatum *Chronicon Citizensê* sive Episcopatus Citicensis ab A. 968. (non 1468. ut legas in Miraei auctario) usque ad A. 1515. editum in t. primo scriptorum rerum Germanicarum Pistorii p. 755-907. Francof. 1583. 1613. et ex clar. Struvii recensione Ratisbonae 1726. fol.

Rodulphus LANGIUS, Westphalus, Canonicus Monasteriensis, Orator et Poëta, defunctus major octogenario A. 1519. de cujus laudibus consulenda Hermanni Hamelmanni Opera pag. 97. seq. et p. 257. seq. Oratio de hoc Langio *primo* ut ait *per Germaniam Poëta et restauratore Latinae Linguae in Westphalia.* Scripsit libros duos *de obsidione et excidio Urbis Hierosolymae* ad patruum Hermannum Langium, Decanum Monasteriensem. *De obsidione Nusionensi* sive Novisionensis oppidi a Carolo Duce Burgundiae (Novesii, *Neuss*, in ditione Electionis Coloniensis.) *De tribus Magis* carmen. *Librum Carminum* ad Decanum Coloniensem. *Epistolas* ad diversos. Vide Trithemium cap. 933. de S. E. et de luminaribus Germaniae cap. 239. Lilius Gyraldus 2. de poëtis sui temporis pag. 74. *Est et non contemnendi nominis Rhodulphus Langius in Germania, cujus plura leguntur carmina.*

Clemens LANGTHON, Anglus, Canonicus regularis et presbyter circa A. 1170. scripsit *Concordiam Evangelistarum* quae MS. Latine, et ex Anglica Jo. Wiclefi versione servatur in Angliae Bibliothecis. Sicut et *in IV. Evangelia* commentarius et *in Acta*, *in VII. Epistolas Canonicas* atque glossa *in Psalterium* et opusculum *de arte Fidei Catholicae.* Vide Oudinum t. 2 pag. 1523. His ex Lelandi cap. 199. qui *Clementem* LANHONDENENSEM appellat, addere licet tractatum *de alis Cherubin.* Baleus vero III. 2. et Pitseus pag. 232. memorant etiam librum *de orbibus astrologicis. Lecturas Scholasticas, Epistolas* ad diversos. *Sermones.*

Joannes LANGTHON, supra pag. 374.

Stephanus de LANGETOUN, *Langthon* sive *de Linguatona*, Lelando *Longodunus* Anglus, ex Cancellario Parisiensi et Cardinali S. Chrysogoni, Archiepiscopus ab A. 1207. ad 1228. Cantuariensis, de quo H. Warthonus tom. 1 Angliae Sacrae p. 114. Usserius Antiquitatt. Britann. pag. 154. Oudinus tom. 2 p. 1695. seq. Scripsit Commentaria et tropologias sive Moralia *in totum ferme Vetus Testamentum*, quae in Bibliothecis Angliae et Galliae MSS. asservantur, ut a Caveo et Oudino tom. 2 p. 1699. annotatum est. Praeterea *in VII. Epistolas Canonicas. Summamque Theologicam et Summam de diversis*, ac *Sermones. Constitutiones Ecclesiasticae* XLVIII. leguntur in Provinciali veteri Guil. Linwoodi de quo dixi t. 4 pag. 103. *Epistola ad Joannem Anglorum Regem* A. 1207. cum responsione Regis, de Ecclesiastico interdicto, quod Rex electioni Archiepiscopi non consensisset, apud Dacherium tom. 3 spicileg. pag. 170. (edit. novae tom. 3 pag. 568.) Annales vero Archiepiscoporum Cantuariensium, qui illi a Vossio p. 454. aliisque tribuntur, RADULPHUM *de Diceto*, Decanum Londinensem auctorem habent, ut probe animadvertit H. Warthonus qui illos t. 2 Angliae sacrae pag 677. edidit, et in quibus pag. 693. sed recentioris manus accessione de Langhthono traditur. At commentarium ejus *de rebus et translatione Richardi* I. Angliae ab A. 1189. ad 1199. Regis, deflorasse se profitentur Ranulfus HIGDENUS in Polychronico, et HENRICUS de Knygthon in libris de eventibus Angliae. Sermo in memoriam annuae devotionis *de translatione corporis B. Thomae Cantuariensis*, exstat ad calcem Epistolarum S. Thomae a Christiano Lupo vulgatarum Bruxellis 1682. 4. t. 2 pag 885-905. Num *vitam quoque et passionem* hujus Thomae scripserit, illi viderint, qui Codicem MStum 75. in Collegio S. Benedicti Cantabrig. inspexerint. Lelandus quidem c. 224. testatur vidisse se ejus *Hexameron* carmine heroico: idem libellum *Quaestionum* ejus memorat, et alterum *de Benedictionibus* datis in monte Ebal *et de Maledictionibus.* His Baleus III. 87. Pitseus pag 304. et ex Pitseo Carolus Vischius Bibl. Cisterc. a) pag. 303. addunt *Concordiam utriusque Testamenti*, libris VIII. *De vera poenitentia*, *Adam ubi es? Repetitiones Lectionum. De factis Mahumeti. De Sacerdotibus DEUM nescientibus.*

* Constitutiones eius ecclesiasticae, quae in Provinciali a Fabricio indicato leguntur desumptae sunt ex Concilio Oxoniensi an. 1222 habito, et vulgato ap. Wilkins Concil. Britan t. 1. ad eumdem annum. Animadvertere tamen juvat ex constitutionibus Sthephani in Provinciali legendas paucas quasdam deprehendisse me in Concilio Oxoniensi nequaquam repertas, ut est illa libri III. *de Clericis non residentibus* et altera ibidem *De jure patronatus;* atque tandem alia ibidem *De Sponsalibus.* Demum quae in Libro V. legitur incipiens *Ut Archidiaconi*; Quare et aliis Stephani Constitutionibus nondum vulgatis receptas illas oportet. Recitantur apud eumdem Wilkins eiusdem Stephani literae plures in causa sua scriptae, cum Joannes Rex Angliae admittere illum in Archiepiscopum Cantuariensem recusaret. Qua pariter

a) Cisterciensibus Langthonum accensent Jongelinus in purpura S. Bernardi et Henriquez in Phoenice, quoniam aliquo tempore ad Coenobium Pontigniacense secessit. Sed nec ipsos Pontigniacenses ideo eum pro suo agnoscere notat Vischius pag. 304. Bibl. Cisterc.

occasione Innocentius III eidem astitit cum literis, tum etiam minis, aliisque authoritatis Apostolicae armis. In tota hac causa literas ultro citroque missas apud eumdem habes.

Gilbertus LANNOY cujus *Iter* sive *descriptio peregrinationis* A. 1422. susceptae per Ægyptum, Syriam aliasque regiones exstabat MS. Bruxellae in Bibliotheca Aulae n. 561. teste Valerio Andrea pag. 288. Bibl. Belgicae, nam in Sweertii Athenis nulla hujus Lannoii mentio.

S. LANTBERTUS, supra LAMBERTUS Lugdunensis pag. 521.

LANTFREDUS sive LANTFRIDUS. Supra, LAMFRIDUS.

LANZO Abbas S. Michaëlis ad Mosam cujus *placitatio super controversia cum Abbatissa Joviniacensi* A. 1128. facta exstat in Baluzii Miscellaneis t. IV p. 454-458.

Joannes a LAPIDE, sive *Lapidanus* Teutonicus, Carthusianus, Doctor Parisiensis inter praeceptores Joannis Reuchlini, clarus adhuc A. 1494. quem inter praecipuos Academiae Tubingensis An. 1477. conditae inceptores et auctores laudat Trithemius cap. 894. de S. E. et de Scriptoribus Germ. cap. 243 Ad Canonicatum inde et Praedicationis officium vocatus Basileam, doctrinam *Realium*, quos Parisiis vocabant, Philosophorum primus in Academiam Basileensem transtulit illique commendavit. Vide Jac. Gaddium tom. 1 pag. 273. Ejus *resolutio dubiorum circa celebrationem missarum occurrentium* prodiit Basil. apud Jo. Frobenium de Hammelburg 1492. 8. *Epistola de qualitate Sacerdotum*, MSta Basileae. Longe plura ejus scripta Grammatica, Logica, Philosophica et Theologica apud Trithemium memorantur et Gesnerum.

Maurus LAPIUS, Monachus S. Matthiae de Murano, Ord. Bened. in insula et urbecula Episcopali vicina Venetiis, scriptor *vitae B. Petri Sardi*, monachi S. Michaelis in eadem Insula, ut ex Possevino Vossius pag. 819.

LAPUS *Biragus* (*Joannem Lapum* sunt qui appellant) de Castellione Florentinus, discipulus Philelphi, Florentiae seculo XV. vergente obiit, in quem Ugolinus Verinus·

Te, Lape, mors juvenem nimis invidiosa peremit,
Ingenii sed multa tui monumenta supersunt.

Vide Vossium pag. 807. et Julium Nigrum de scriptoribus Florentinis pag. 343. Vertit libros XI. Antiquitatum *Dionysii Halicarnassei*, Tarvisii 1480. fol. per Bernardinum Celerium de Luere: et Regii 1499. fol. per Franciscum de Mazalis. Hinc Parisiis 1529. recensita per viros doctos, et Basil. 1532. fol. ab Henrico Glareano, qui 6000. errores ait se sustulisse. *Et si vero Lapus* Sylburgio judice, *pleraque parum Latine, multa etiam sinistre vertit, tamen quia duos vetustos Codices* quos a Paulo II. acceperat, *in sua versione secutus est, et verbum verbo reddere studuit, saepe* illi *ad verae lectionis investigationem, viam patefecit.* Idem Lapus vertit e *Plutarcho* quae in antiquis ejus editionibus Latinis leguntur: Vitam *Thesei Romulique* quae sub falso Philephi nomine leguntur: tum Vitam Lycurgi, Numae, Solonis, Valerii Poplicolae, Themistoclis, Camilli, Periclis et Phocionis, Catonis Uticensis, Artaxerxis atque Arati. Scripsit *Strategicon adversus Turcas* ad Nicolaum V. MS. Venetis inter libros Bessarionis, teste Tomasino pag. 32. apud quem sicut apud Naudaeum in syntagmate de studio militari lib. 2. pag. 524. vitiose LAMPUS BURAGUS pro Lapo Birago legitur. Non intelligo quod Julius Niger pag. 343. de Lapo ait: *Chrysippum pariter, Philosophum Graecum, Latinum dedit Italiae nostrae.* Chronicon familiae suae ad Bernardum filium, typis exscriptum non esse, mihi persuadeo.

* Non omnes illas e Plutarcho vitas quas hic memorat Fabricius Lapo Birago debemus; nam alias ex iis quas hic recenset, dedit Antonius Tudertinus, ut ipse pariter Fabricius agnoscit. V. ANTONIUS *Tudertinus* 1124. et animadversiones meas ibidem. Ex op. Lapi seu Lampi adhuc inedita, inscripto *Strategicon* adversus Turcas, prooemium seu proemii portionem quamdam vulgavit cl. Georgius in appendice Monumentorum ad vitam Nicolai V. a se scriptam editamque Romae an. 1742 pag 214.

Allegationes Lapi per Ant. De Butrio in

epitomen redactae sunt; idemque opus ita contractum servatur in MS. Cod. Biblioth. Riccardianae ut adnotatur in Catal. eiusd. Bibl. pag. 88. ubi monet cl. Lamius Allegationes Lapi excusas *partim non esse aliam quam Abbreviatas per Antonium de Butrio.* Eamdem epitomen servat MS. Cod. 301. Bibl. Felini.

Postquam haec adnotavi de Lapo e Castiglionchio JCto, lucem vidit opusculum Italicum eiusd. Lapi inscriptum *Epistola ossia Ragionamento di Messer Lapo da Castiglionchio* cum vita eiusd. a cl. Laurentio Mehus descripta; quod opus editum est Bononiae 1753. in 4. ex quo plura didici ad Fabricii et eorum quae a me adiecta sunt emendationem opportuna. Lapus e Castiglionchio (non e Castellione, ut male hic Fabricius, et male etiam in vetustis nonnullis editionibus opusculor. eiusdem Lapi) Jctus alter est a Lapo Castellionculo Saec. XV. scriptore, cuius et meminit Franciscus Philelphus in suis epistolis. Posteriori huic latinae illae versiones ex Graeco debentur, quas Fabricius hic Jcto vindicat. Prior vero Lapus vixit sub Urbano VI. obiitque a patria sua exul, sed Urbis Senator et advocatus Concistorialis an. 1381. die 27. Junii. Scripsit tractatus illos Legales, quos Fabricius hic recenset; quamquam *tractatus de nobilitate* huius est Lapi Jurisconsulti, non vero alterius Lapi qui nonnulla vertit ex Graeco; neque Latine scriptum est opusculum illud, sed Etrusco vernaculo; quin et pars est secunda operis, cuius supra memini, nunc Bononiae primum excusi; *Epistola o sia Ragionamento etc.* Pauca alia Lapi huius opera Latina MSS. vide ap. eumdem Mehus ibid. in vita Lapi (sequentis) pag. LVIII. etc. *

LAPUS *de Castellione* sive *de Castiglionchio* Senior, Florentinus Patricius, Graece et Latine peritus idemque Jurisconsultissimus, relicta ob studium partis Gvelforum patria defunctus Romae an. 1381. Epitaphium decastichon scriptum ei a Coluccio, Cancellario Florentino exstat apud Lambecium II. pag. 940. qui ejusdem Colucii Epistolam ad Ubaldinum Priorem S. Stephani de laudibus, obitu et sepultura Lapi MStam memorat. Aliud epitaphium apud Julium Nigrum in scriptoribus Florentinis pag. 344. De hoc Lapo, confundens eum cum Abbate Benedictino Trithemius cap. 537. de S. et de illustribus Benedictinis II. 132. Gesnerus etc. Latine vertit librum *Josephi* de morte Maccabaeorum. *Luciani* de longaevis, nec non de calumnia, laudes patriae, librum duplicem de sacrificiis, et de somno. *Theophrasti* de impressionibus sive Characteres. *Daretis* historiam de bello Graecorum et Trojanorum. *Xenophontis* praefectum Equitum, *Isocratis* Orationem de regno et ad Demonicum et pro Nicocle Rege. Vitam *Demonactis* atque ejus Orationem de Tyranno. *Demosthenis* Orationem funebrem. Lapi *allegationes Juris* saepius typis exscriptae Lugd. 1537. Florent. 1568. Lugd. 1571. Ineditae *additiones ad Fridericum Petruccium* de pluralitate Beneficiorum: de Quarta. *Consilia varia* circa Inquisitores et Nuncios Apostolicos. *De Nobilitate. De Canonica portione. De avaritia. De hospitibus et hospitalibus. Chronica in Dantem. Orationes* in legationibus habitae, et MSta apud Baluzium: *Comparatio inter rem militarem et studia litterarum. Epistola Apologetica pro Simone Lamberto, Nobili Florentino, qui artem militarem reliquerat ut litterarum studia sectaretur. De origine Urbis Romae et de gestis Romanorum. De commodis Curiae Romanae, Descriptio cujusdam pompae summi Pontificis in Florentia.*

* Nonnulla sunt Lapi huius (180. vel potius junioris. Vidend. novum op. *Storia degli Scritt. Fiorentini.*) scripta legalia in MSS. editisque Felini codicibus servata quae a Fabricio hic vel non satis accurate, vel nec verbulo indicantur. Sunt vero Cod. 22. MS. *Pro canonicis Aretinis consilium Legale*, nondum, ut arbitror, excusum. *De hospitalibus et piis locis,* non vero ut est hic apud Fabricium *de hospitibus et hospitalibus* cod. 311. MS. *Allegationes* n. 32. Cod. 400. MS. Denique Tabula *in quaestiones beneficiarias Friderici de Senis* edita est Venetiis An. 1496. cum quaestionibus eiusdem Friderici in materia permutationis beneficiorum. Has puto esse additiones illas ad Frideri-

cum Petruccium, quas Fabricius ineditas arbitratur. Lapi huius epistola elegans ad Franciscum Barbarum vulgata est ab Emin. et de literis egregie meritissimo Card. Quirino in diatriba praelim. ad Epist. Francisci Barbari CXXIV. *

LAPUS Abbas. S. Miniati ad montem Florentinum, Ord. Bened, Doctor Decretorum, quem Lapus JCtus in allegationibus Dominum et Praeceptorem suum appellat, clarus circa an. 1347. scripsit *in Decretum Gratiani*, et quae Romae 1589. prodiere commentaria *in sextum Decretalium* Bonifacii VIII. et *Clementinas* Clementis V. Vide Julium Nigrum pag. 346.

LAPUS Niccolinus, infra NICCOLINUS.

Magistri *Petri de* LARGELATA, Chirurgia. Venet. 1499. fol.

Scribonius LARGUS *Designatianus* Medicus, de cujus libro de compositione medicamentorum lib. 4 Bibl. Latinae cap. 12. nam Tiberii aetate floruit adeoque antiquior quam ut scriptoribus mediae aetatis accenseri mereatur, perinde ut LARGIUS *Licinius*, cujus Ciceromastix memoratur a Gellio XVII. 1. et de quo viri docti ad Plinii junioris lib. 2. Epist. 14.

Andreas LASCHARIS sive LASCHARIUS Goziembius, Polonus ex Decano Cracoviensi et Canonico Posnaniensi Episcopus Posnaniensis, Regis Poloniae Ladislai VI. ad Concilium Constantiense Legatus, cujus *Orationes*, in illo an. 1414 habitae ad Sigismundum Imperatorem et coram Papa Joanne XXIII. exhibentur a V. C. Hermanno ab Hardt, tom. 2. illius Concilii pag. 170. et 177. Adde ejus prolegomena ad illum Tomum pag. 20.

Jo. LATHEBURIUS. Supra p. 374.

LATINUS *Frangipanus* qui et *Malabranca*, et *Ursinius*, Romanus Ord. Praed. Cardinalis, Episcopus *Ostiensis* defunctus an. 1294. Praeter *Orationes*, *Sermonesque* et commentarios *in IV. libros Sententiarum* creditur composuisse *Prosam* illam *pro defunctis* cantari solitam, *Dies irae dies illa*, itemque *Prosas duas de B. Maria Virgine*, in Hippolyti Marraccii purpura Mariana atque alibi obvias. Vide Jacobum Qvetif tom. 1. pag. 427. et G. Josephi Eggs purpuram doctam tom 1. pag. 223.

LATINUS *Hostiensis*, cujus *provincialia statuta* editurum se recepit nuperus editor veteris libri Juris Civilis Veronae, vir nobilissimus, Bartholomaeus Campagnola. a) non diversus est Latino Frangipano.

* Quamvis non integra Latini huius Cardin. provincialia Statuta edita sunt, nonnulla tamen eorum continentur in Constitutionibus Jo. Diaconi Card. tit. S. Theodori quas ego e MS. Cod. Pistoriensi evulgavi in meo Concilior. supplem. t. III 418. Est autem constitutio illa *De clericis concubinariis*. In notis ad easdem Jo. Cardinalis Constitutiones in ea me versari opinione scripsi, constitutiones illas Latini Hostiensis Episcopi in Constitutionibus Raymundi Aquileiensis Patriarchae commemoratas, et pro Aquilejensi Patriarchatu latas diversas ab his esse, quas idem legatione fungens in Etruria dedit. Ibid. pag. 426. *

LATINUS *Malabranca* supra, *Latinus Frangipanus*.

LATINUS *Pacatus Drepanius* auctor Panegyrici Theodosio Magno A. C. 361. dicti. de quo lib. 2. Bibl. Latinae cap. 22.

LATINUS *Ursinius*, supra, *Latinus Frangipanus*.

LATRONIANUS, Priscillianista, Sophronio *Matronianus*, cujus varia ingenii opera diversis metris edita Hieronymi temporibus exstabant, ut ipse cap. 122. de scriptoribus Ecclesiasticis testatur, cum Priscilliano capitis damnatus est an. 385. teste Prospero in Chron. p. 736. et Sulpicio Severo II. 64. Scriptorum ejus nullum, ac ne titulus quidem unus aetatem tulit.

Hildebertum de LAVARDINO, t. 3 p. 239.

Dominici de LAUDE cum Hussitis facere suspecti, coactique sua dogmata ejurare, scripta combusta in Concilio Constantiensi an. 1418. Vide Historiam illius Concilii ab eruditiss. Viro Hermanno ab Hardt traditam tom. IV. pag. 1545.

Canonicus LAUDUNENSIS in *Chronico* MS. laudatur a Dacherio ad Gvibertum p. 641. 642. 646. etc. Nescio an diversum a Chronico Laudunensis Ecclesiae ab an.

a) Act. Erud. tom. X Supplement. p. 459. seq.

931. desinente in an. 1218. ex quo nonnulla de Regum quorundam Danicorum genealogia exhibet Jo. Petrus Ludewig t. IX. reliquiarum veteris aevi pag. 591-650. cum amplis notis Henrici, Ernstii, ex editione Sorana 1646. 8.

Gviardus (Wiardus Godefridus, Gvido, Gilo) *de* LAUDUNO ex Cancellario Parisiensi Cameracensis ab an. 1238. ad 1247. a) Episcopus, scripsit *de officiis Ecclesiasticis* et de administratione Sacramentorum librum. b) Incip. *Quoniam saepe me rogasti* Dialogum *de Creatione Mundi* Incip. *Secundum Marcum Tullium. Sermones* de Dominicis, Festis, et de Passione Domini. In Concilio Lugdunensi an. 1245. cui Innocentius IV. praesidebat, rogatus a quodam majorum Ecclesiae, possetne Papa committere Simoniam? respondit se scire, eum viliorem posse quam quemlibet alium in toto Mundo. Vide Thom. Cantipratani apiarium pag. 132 pag. 20. seq. et p. 70. et G. Colvenerii notas pag. 4. Bulaeum tom. 3. hist. Academiae Paris. pag. 681. et Oudinum tom. 3. pag 126. seq.

Martinus de LAUDUNO, Prior Carthus. vallis S. Petri in dioecesi Laudunensi, circa an. 1170. scriptor *Epistolae* paraeneticae ad Novitium qui ad laxiorem Ordinem reverti properabat. Prodiit Colon. 1607. et in Bibl. Patrum Lugd. tom. 27. pag. 491. 507. Vide Oudinum tom. 2. pag. 1535.

Guilelmus de S. LAUDO Normannus, Augustinianus Theologus Paris. et ab an. 1345. Abbas S. Victoris. De ejus *sermonibus* et *tractatu de Confessione*, MS. Vide eundem Oudinum tom. 3. pag. 938.

Petrus LAVINIUS, Lingonensis Burgundus Ord. Praed. Conventus Matiscensis circa an. 1500. Ejus carmen elegiacum *de antiquitate Urbis Viennae* in Joannis a Bosco Bibl. Floriacensi pag. 6. Incip. *Urbs antiqua, potens armis, clarissima gente. Officium B. Rochi*, Confessoris nocturnum diurnumque, vario carminis genere Lugd. 1540. forma minore. *Ovidii* Metamorphoseon libri moralizati. ibid. 1540. 4. Jo. Marii Belgae elucidationes Gallicanae Trojanaeque historiae. Paris. 1521. Vide Jac. Echardum tom. 2. p. 23. et 336.

LAUREACENSIUM et Pataviensium (Passaviensium) Episcoporum breve Chronicon, et Catalogi veteres exstant in Hieronymi Pez tom. primo scriptorum rerum Austriacarum, Lips. 1721. fol statim in limine.

LAURENTIUS *Abstemius.* Supra tom. 1. pag. 2.

LAURENTIUS *Amalphitanus* in Regno Neapolitano Archi-Episcopus praeceptor Gregorii VII. Graece et Latine doctus et Bennoni Gregorii inimico suspectus de Magia, defunctus Romae an. 1048. Vide Baronium ad an. 1048. n. IV. V. et Ughellum t. 7. p. 195. Scripsit *vitam Zenobii* Episcopi Florentini, qui obiisse traditur A. 407. 25. Maji editam ab Ughello tom. 3. pag. 14. et in Actis Sanctor. tom. VI. Maji pag. 58.

LAURENTIUS cognomento *Anglicus*, Parisiis praepositus Collegii Anglorum, cum Gvilelmo de S. Amore fecit contra Monachos mendicantes: unde a Baleo IV. 30. ei liber *contra Pseudo praedicatores* et *Defensorium Gvilelmi* tribuitur. Idem Baleus claruisse an. 1260. Pitseus pag. 342. eodem anno sepultum scribit.

Alius LAURENTIUS *Anglicus* Dominicanus, de quo ex Leandro Alberto Lelandus cap. 325.

LAURENTIUS *de Aquileja* cujus nescio quam *Practicam Dictaminis* MStam Cangius laudari annotat.

LAURENTIUS *Aquitanus*, circa an. 1310. prosa et vario carminum genere scripsit libros X. in laudem B. Virginis, quos MStos in Bibl. Nordovicensi servatos notavit Possevinus

LAURENTIUS *Bonincontrius* supra tom. 1. pag. 241.

LAURENTIUS *Bononiensis* Italus, Ordinis Servorum Mariae, circa an. 1390. Doctor Parisiensis scripsit *Placita Theologica* et alterum *Abbreviata*: et *commentarium in VI. libros Sententiarum.* Vide Possevinum.

a) Alii 1250. Vide Sammarthanos tom. 1. p. 241.
b) Gvil. Gazaeus tribuit Godfrido Fontano, Gviardi decessori. Vide Valerii Andreae Bibl. Belg. p. 301.

LAURENTIUS *Brancofordius*, sive *Braciforte*, Placentinus, Ord. Praed. circa A. 1350. scripsit *Commentarium in Psalmos. Principia Theologica*, et *Sermones* varios ac *Collationes de Sanctis* Vide Jacobum Qvetif tom. 1. pag 633. cui malo assentiri quam Caugio qui Possevinum secutus refert ad an 1420.

LAURENTIUS *Burellus* Divionensis, Carmelita circa an. 1494. scripsit *Heliadem* in laudem Eliae, Patriarchae Carmelitarum et *de illustribus Viris sui Ordinis* Vide Trithemium cap. 897. ex quo Alegrius pag. 370. et Vossius pag. pag. 659.

LAURENTIUS *Byzinius* Cancellarius novae Urbis Pragensis sub Wenceslao Imperatore. Ejus Origo et Diarium belli Hussitici ab an. 1414. ad 1423. exstat in illustris Joannis Petri Ludewig. tom. VI. reliquiarum veteris aevi pag. 124-216.

LAURENTIUS *Calcaneus* Brixianus, vir nobilis; eques auratus et Legum Doctor, Trithemio teste etiam Philosophus et Historiographus luculentissimus, qui tamen cap. 852. tantum *Consilia* ejus memorat, et *de commendatione Studiorum* et *de septem peccatis mortalibus*, et *de S. Mariae conceptione.*

LAURENTIUS Monachus *Casinensis* Ord. Bened. ac deinde incertae Sedis Episcopus circa an 950. de quo Petrus Diaconus cap. 6. de illustribus Casinensibus, testatus eum scripsisse *B. Mauri* vitam, ac S. *Castrensis in Hetruria Episcopi* a) passionem versibus adornasse: *Sermonem* quoque *de B. Benedicti vigilia* elegantem composuisse et *Historiam S. Wenceslai*, quam postremam MStam habuit atque editurum se est pollicitus Jo. Baptista Marus notis ad Petrum Diaconum.

Hoc Laurentio multis seculis junior est LAURENTIUS (non diversus ut opinor a *Laurentio Surio)* cujus praefatio brevis Versioni latinae Doctrinarum *S. Dorothei* praemittitur, quam *Hilario* Veroneus, Monachus Cassinensis dedicavit Oliverio Caraphae, Cardinali Neapolitano defuncto A. 1551. *Hilarionis* dedicatio obvia in Orthodoxographis an. 1569. pag. 196. et *Laurentii* praefatio in Bibliotheca Patrum tom. V. edit. Lugd. pag. 902. De Dorotheo illo dictum t. X. Bibl. Graecae pag. 160. seq.

LAURENTIUS *de Colonia*, Augustinianus de quo Chronicon Archi-Comitum Oldenburgensium apud Meibomium tom. 2. pag. 170. ad an. 1431. *jamdudum*, inquit *sua doctrina Parisiensia decoravit Gymnasia, magnus quidem Theologus, disputator acerrimus, ad cuncta objecta respondere promtissimus, multa ut accepi, edidit opera, sed quoniam nondum in publicum illa dedit, refero minime.* Multis eundem laudat Philppus Elssius in Encomiastico Augustiniano pag. 424. sed itidem nullum scriptum nominatim referens, ait vitam produxisse usque ad an. 1493.

LAURENTIUS Anglus Orator vehementior quam facundior, et Poeta ex Monacho et Praecentore *Dunelmensi*, Abbas Westmonasteriensis Ord. Bened. circa A. 1160. scripsit versibus hexametris *octo libros hypognosticon* seu memoriale Veteris et Novi Test. ad Gervasium decessorem in Abbatia suum: Incip. *Principium rerum sine tempore tempore formans.* Additis *noni libri* vice variis carminibus diversi argumenti et de Sanctis, Angliae praesertim, atque singillatim *de S. Cuthberto.* Vide Oudinum tom. 2. pag. 1022. qui hos libros editioni paratos et ad Thuaneum aliaque duo MSta a) recensitos habuit. Scripsit et *Consolationem de morte Pagani.* Praeceptoris sui, prosa et carmine, quam hypognosticon libris praemisisse notat Lelandus c. 174. memorans praeterea ejus *exempla ad Hathewisam*, et *Orationes* pro Laurentio, h. e. pro se ipso: pro naufragis, pro juvenibus in vinculis, in *Malgerium* detractorem, et pro *Milone* amatore. Libellum *de conscribendis Epistolis.* His ex Balei II. 88. et Pitsei pag. 222. licet adjungere: *Dialogorum libros VI.* quorum initium: *Carmina constitui nunc pandere. Sermones* de CHristi adventu, de CHristi Natali

a) Nomen hujus Episcopi non additur, et falluntur Possevinus, Arnoldus Wion t. 1 p. 455. et Vossius qui Maurum illum faciunt Episc. Castrensem.

a) De Codicibus MSS. Anglicanis vide Leyseri Hist. poëtarum medii aevi pag. 450.

et de assumtione B. Mariae: De confessoribus, de Virginibus. *Homiliasque* alias. Denique *Vitam Brigittae* Scoticae, ad Ethelredum sive Elredum Abbatem Rievallensem: quam edidit Bollandus in Actis Sanctor. Calendis Februarii tom. 1. pag. 172-185. sed prologo et initio mancam, quae integrior exstat in Bibl. Bodlejana· Versus *de dissuasione Conjugii*, MSti in eadem Bibl. inter libros Is. Vossii.

LAURENTIUS *Episcopus*, supra, *Laurentius* Cassinensis,

LAURENTIUS *Florentinus*, vide mox *Laurentius Guathius.*

LAURENTIUS Gervasii, Lexoviensis Gallus Ord. Praed. Theologus Paris. circa A. 1483. scripsit *super totam summam Theologiae*, cujus emporium vulgo appellabatur et opus illud dictum *Copulata M. Laurentii.* Vide additiones ad Trithemium de S. E, capite 30. et Iacobum Qvetif tom. 1. pag. 865.

LAURENTIUS *Guathius*, Florentinus circa an. 1430. scripsit *Vitam Hugonis, Comit s Magdeburgensis*, ad Celsum Abbatiae Florentinae Casinensium Abbatem, MStam ut ajunt in Bibliotheca illius Abbatiae, sed a nemine adhuc prolatam in lucem quod sciam. Vide Vossium pag. 803. et Julium Nigrum in Bibl. scriptorum Florentinorum pag. 369.

LAURENTIUS Holbecke sive *Holbecchus,* Anglus, Ramesiensis Monachus Ord Bened. circa an. 1410. scripsit *Dictionarium Hebraicum*, laudatum Lelando cap. 553. Baleo VII. 30. et Pitseo pag. 587. seq. nunquam in lucem editum.

LAURENTIUS *Justinianus*, supra p. 487.

LAURENTIUS Monachus S. Laurentii *Leodiensis* sive *Leodicensis*, Ord. Benedicti, scripsit ad Alberonem Virdunensium Praesulem *gesta Episcoporum Verdunensium* in Lotharingia et *Abbatum S. Vitoni* Virdunensis ab A. C. 1048. ad 1197. a) quae MSta se Joanni Cordesio donasse scribit Miraeus, primus edidit Dacherius tom. XII spicilegii pag. 274. (edit. novae tom. 2 pag. 241--262.) deinde Augustinus Calmet in historia Civili et Ecclesiastica, Lotharingiae, Paris. 1723. fol.

LAURENTIUS Litta, Episcopus post Theodorum *Mediolanensis* b) per annos XXII. ab an. 490. ad 512. In ejus natalem, hoc est anniversariam consecrationis Episcopalis memoriam exstat Dictio sive Oratio Ennodii sacra prima, ad quam conferendae Sirmondi notae t. 1 Opp. p. 1728. praecipue vero notata a Jo. Petro Puricello in Vita Laurenti hujus, edita Mediolan. 1653. 4. et a Jo. Baptista Sollerio in Act. Sanctor. ad 27. Julii. Primus subscripsit Synodo Palmari pro causa Symmachi Papae A. 501. *Laurentius Episcopus Ecclesiae Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam, DEI judicio commisimus, subscripsi.* Qui hunc ex *Novariensi* Episcopo ad Mediolanensem cathedram evectum ajunt viri docti, falli utique videntur, cum nullum inter Novarienses Episcopos Laurentium c) vel apud alios memorari videas. Ob eandem causam etiam scripta ad alium Laurentium referre par est quae ad Mediolanensem nemo veterum retulit.

LAURENTIUS *Mellifluus* scripsit librum *de duobus temporibus*, id est uno ab Adam usque ad CHristum, altero a CHristo usque ad finem seculi. Declamavit etiam *Homilias* ore quasi *mellito*, unde agnominatur *Mellifluus.* Haec de eo Sigebertus cap. 120 Et Anonymus Mellicensis cap. 48 *Laurentius doctrina et scientia clarus scribit librum* de duobus temporibus, *in quo plurima Poenitentes poterint invenire remedia,* Ex illis homiliis exstat *sermo de muliere Chananea* quem edidit Mabillonius tom. 2 Analect. pag. 17. (edit. novae in fol. p. 54.) ad verbum expressus ex S. Chrysostomi homilia quae incipit: πολὺς ὁ χειμών tom. 3 celeberri-

a) Apud Miraeum vitiose 1177. pag. 65. auctarii Quanquam proprie Laurentius in an. 1144. desinit, caetera inde usque ad an. 1197. a Monacho anonymo S. Vitoni Virdunensis addita apud Dacherium notantur.

a) Vetus notitia Episcoporum Mediolanensium apud Mabillonium tom. 1. musei Ital. pag. 110. Ughellus tom. 4. pag. 54. Acta Sanctor. tom IV. Julii 37.

b) Vide Acta Sanctor. tom. 6. Jul. pag. 445.

mi Montfauconi pag. 432. unde concidit Lazari Augustini Cottae, Capucini sententia qui hunc sermonem recudi curavit Mediolani 1692 4. et ad calcem Musei Novariensis Mediolan. 1701. fol cum notis Josephi Hieronymi Semenzi, hoc titulo· a) *S· Laurentii ad Puteum*, *Presbyteri et Martyris, Novariensium Apostoli, agnomento* Melliflui *Homilia de Chananea*, auctoremque contendit Laurentium, Magistrum Gaudentii primi Novariensium Episcopi, et Martyrem an. 363. 30. April. de quo Acta Sanctor. tom. 3. April. p. 763. seq. Certe enim longe recentiorem esse oportet, qui Chrysostomum expressit, Laurentium, cujus *liber de duobus temporibus* etiam neutiquam intercidit, ut Caveo visum, neque enim aliud argumentum est *Homilia de poenitentia* quae cum altera *de eleemosyna* toties lucem vidit ab an 1579. in Patrum Bibliothecis, etiam novissima Lugd. t. IX p. 465. et in Novaria sacra Caroli a Basilica Petri, Episcopi Novariensis, Mediolan. 1612. et in Bibliotheca Concionatoria Francisci Combefisii.

LAURENTIUS *de Monacis*, Senatus Veneti a Secretis, et Magnus Cancellarius Regni Cretensis circa an. 1449. Ex ejus *Historiae Venetae* libro XIII. excerptum de Ezerino III. qui an. 1256. vivere desiit, vulgatum a Felice Osio cum Albertino Mussato, illustratumque Venet. 1636. fol. pag. 79. atque inde cum notis Osii in tomo sexto thesauri Italiae Burmanniani, et Muratoriani tomo octavo.

* In Cod. membranaceo Trivisaneo extat *sermo* editus per Laurent. de Monacis Cancellarium Cretae *in celebritate exequiarum* quondam nobilissimi D. *Vitalis Lando* in praesentia eximii Ser. Dom. Michelis Steno D. G. incliti Ducis Venetiarum. Designavit hunc Codicem cl. Ap. Zeno in Epistola Bernardo Trivisano Ven. 1704. 4.

Obiit anno 1429. ut adnotat P. degli Agostini in op. *Istoria degli scrittori Veneziani* II. 368. ubi et alia nonnulla eius opera inedita recenset. *

LAURENTIUS *Novariensis,* supra in *Mellifluo et Mediolanensi.*

LAURENTIUS Decanus *Pictaviensis*, cujus nescio an quicquam superest nisi *planctus* quem scripsit Capituli sui et Canonicorum nomine in funere *Gisleberti Porretani* Episcopi Pictaviensis, defuncti an. 1154. Edidit Joannes Besly sive Beslius in opere de Episcopis Pictaviensibus Gallice edito Paris. 1647. 4. pag. 103.

* LAURENTIUS *de Rodulphis* civis et Advocatus Florentinus an. 1440. Florentiae professor. Scripsit *Tractatum ubi formantur septuaginta quaestiones principales in materia alienationis rei Ecclesiasticae.* Prodiit hic eius tractatus Pisciae an. 1489. in fol. Eiusdem *tractatus continens materiam usurarum Venet.* 1472. *per Nic. de Colonia* junctim cum aliis aliorum Jctorum opusculis Repetitio *cap. sine exceptione* in cod. 161. MS. Feliniano. *De usuris et monte pietatis*, in cod. 311. MS. Feliniano. * (182. *De usuris cum tract. de monte pietatis* huius eximia probitate et solertia in legatione ad Venetos clariss. viri habentur in t. V *Tractatuum Diversor. Mediolani* 1523. fol. magno et in seq. amplioribus editionibus.)

LAURENTIUS *Somercatus*, Anglus, Romae circa An. 1240. Gregorii IX. Diaconus, deinde Canonicus Cicestriensis scripsit teste Baleo IV. 2 et Pitseo pag. 311. Librum *de formis electionum*, et *abbreviatorum* alium, ut omittam tertium compositum Gallice de modo tractandi narrationes.

LAURENTIUS *Vadus* sive *Wadus*, Anglus Monachus Cantuariensis Ord. Bened. scripsit *vitam S. Thomae* Becket, Archiepiscopi Cantuar. interfecti An. 1170. MS. Cantabrigiae in Bibl. Collegii S. Benedicti, teste Vossio pag. 712 ex Pitsei pag. 886.

LAURENTIUS *Valla*: infra, VALLA.

LAURENTIUS *Ubaldinus*, Florentinus Ord. Praed. aliis LAUTERIUS *de Valdinis,* auctor *Capistri Judaeorum*, in quo docet scripsisse se An. 1335 post desolationem Hierosolymae per Titum factam hoc est

a) Acta Erud tom. 2. supplem. pag. 525, Diarium eruditorum Italiae tom. 1. pag. 249. 254.

A. C. 1405. Prologum illius Capistri adhuc inediti vulgavit Jacobus Quetif tom. 1. de scriptoribus Dominicanis pag. 589.

LAURENTIUS *Veronensis*, Diaconus Pisanus, tempore Petri II. Archiepiscopi ab An. 1103 ad 1120. Pisani, scripsit carmine Heroico *de Bello Baleārico* sive rerum in Maiorica Pisanorum, ac de eorum triumpho Pisis An. 1115. habito libros VII cum fuit a CHristo tecto velamine carnis centenus quintus decimus millesimus annus. Incipit: *Arma, rates, populum, vindictam coelitus actam Scribimus.* Edidit Ughellus t. 3. It. sacrae p. 897. (edit. novae t. X. p. 127. 172.) (184 Fors. Tuscus e fam. *Da Varna.*)

LAURENTIUS Abbas *Westmonasteriensis* circa An. 1160 cujus *Epistolam ad Alienorem* (Eleonoram) Reginam Anglorum edidit Dacherius tom. 2. spicilegii pag. 455. (edit. novae tom. 3. pag. 528.)

LAURENTIUS *Wilhelmus de Savona* Doctor Theologus in Conventu Londinensi Ord. Minor. circa An. 1485 scripsit librum cui titulus: *Triumphus amoris Domini nostri JEsu CHristi* ad Wilhelmum de Wayuflete, Episcopum Wintoniensem. MS. in Bibl. Lambethana. Ex praefatione locum affert H. Warthonus in auctario ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis p. 448. seq.

LAURESHAMENSES *Annales*, et FULDENSES, quos *Astronomo* cuidam tribui dixi tom. 1. pag. 186 321. vel *Ademaro* tom. 1, pag. 13 aut *Eginhardo* tom. 2. p. 496 hos Joannes Georgius Eccardus tom. 2. Commentar. de rebus Franciae Orientalis parte 2. pag. 317 vindicat DURANDO Diacono atque HIRMINMARO notariis Imperialibus.

Annales multis locis diversos cum *Codice Traditionum Laureshamensium* ex MS. Moguntino exspectamus ab illustri Abbate Gotwicensi *Godfrido Besselio.* Vide praef. ad t. 1 Chronici Gotwicensis p. XXX. sq.

Libellus supplex Decani et Conventualium principalis Abbatiae Laurishamensis ad Henricum V. Imp. contra Monachos Hildebrandinos de Hirsaugia exstat in *Goldasti* apologia pro Henrico IV. pag. 233 237. Incipit:

Summo post Dominum Regi pleno meritorum
Cujus jus late protenditur Imperiale.

Georgii Helwichii, Moguntini Vicarii, defuncti An. 1632. Antiquitates Coenobii Laurishamensis ex edit. Francof 1631. 4. recusae in limine tomi novi scriptorum Historiae Moguntinensi maxime inservientium, Francof. 1727. fol. curante V. C. *Georgio Christiano Joannis*, qui etiam appendicem aliquot tabularum veterum recens adiunxit.

Cosmas LAURUS, supra t. 1. p. 398.

Jacobus de LAUSANNA. Supra p. 303.

LAUTERBERGENSE *Chronicon* Sanpetrinum Coenobii *Montis Sereni* S. Petri Ord. Bened. in dioecesi Magdeburgensi, ab An. 1124 ad 1225 primus ex apographo Meibomiano, qui illud ex Freheri Codice descripserat, vulgavit Joachimus Joannes Maderus. Helmst. 1665 4. Vide supra in CONRADO *Lauterbergensi* tom. 1. p. 383.

Joannes LAZIARDUS Caelestinus scripsit *Historiae universalis epitomen* usque ad An. 1503 editam Parisiis in fol. ex qua etiam repetita Vita Gregorii M. praemissa operibus Gregorii editis Basil. 1551 1588. etc. Magnam hujus operis partem Vossius pag. 666. observat ad verbum descriptam ex Breviario historiali quod Gallus anonymus circa An. 1428 ex Landulpho Sagace aliisque contraxisse se profitetur, typis excriptum Pictavis 1479. de quo idem Vossius pag. 551. seq.

De LEANDRO, quem potius audiemus quam fratrem Isidorum, ejus in Episcopatu Hispalensi An. 600. successorem. Ita vero ille cap. 28 libri de S. E. *Leander* a) *genitus patre Severiano, Carthaginensis provinciae Hispaniae, professione monachus, et ex monacho Hispalensis ecclesiae, provinciae Baeticae, constitutus Episcopus,* b) *vir suavis eloquio, ingenio praestantissimus, vita quoque tantum atque doctrina clarissimus, ut etiam fide ejus atque in-*

a) Eadem ex Isidoro Honorius III. 34. Trithemius de S. E. cap. 216. et lib. 2. de illustribus Benedictinis cap. 9. Plura de Leandro Nicolaus Antonius lib. IV. Bibl. veteris Hispanae cap. 4. et Acta Sanctor. Martii XIII.

b) Ab A. 576. ad 596.

dustria populi gentis Gothorum ab Ariana *insania ad Fidem catholicam* a) *reverterentur. Hic namque, in exilii sui peregrinatione, composuit* duos adversus haereticorum dogmata libros, b) *eruditione sanctarum Scripturarum ditissimos. In quibus vehementi stilo Arianae impietatis confodit atque detegit pravitatem, ostendens scilicet, quid contra eosdem habeat Ecclesia, vel quantum distet ab eis religione vel fidei sacramentis. Exstat et aliud laudabile ejus opusculum* adversus instituta Arianorum; *in quo propositis eorum dictis suas responsiones opponit, Praeterea edidit unum*, ad Florentinam sororem, de institutione virginum et contemptu mundi *libellum*, c) *titulorum distinctionibus praenotatum.* d) *Siquidem et in Ecclesiasticis officiis* e) *idem non parvo elaboravit studio. In toto enim* f) *Psalterio, duplici editione orationes conscripsit. In sacrificii quoque laudibus atque psalmis multa dulcisone composuit. Scripsit et* epistolas *multas* ad Papam Gregorium, de baptismo *unam* g) *alteram* ad fratrem, h) *in qua praemonet cuiquam mortem non esse timendam. Ad caeteros quoque Coepiscopos plurimas promulgavit familiares epistolas. et si non satis splendidas verbis, acutas tamen sententiis. Floruit sub Reccaredo,* i) *viro religioso ac Principe glorioso: cujus etiam temporibus mirabili obitu actualis vitae terminum clausit.* k)

LEANDER *Albertus*, Bononiensis Ord. Praed. propter libros sex de viris illustribus Dominicanis, Bonon. 1517 fol. editos celebris, sed iunior quam ut a me referri debeat, cum vitam produxerit usque ad An. 1550. De caeteris ejus scriptis, Vita Joachimi Abbatis, et toties edita Italice descriptione Italiae et a Guil. Kyriandro (exceptis Insulis) etiam Latine versa Colon. 1567 fol. adeundus Jacobus Echardus tom. 2. de scriptoribus Ord. Praed. pag. 138. et pag. 825 ubi memoratur eius Vita B. Jordani Saxonis Ord. Praed. Magistri II. Diatriba de incrementis dominii Veneti, et de claris Viris Reip. Venetae.

S. LEBUINUS Anglus, Monachus Ord. Bened. Riponsis in Northumbria, missusque seculo octavo in Germaniam SS. Willibrordi et Bonifacii exemplo propagator Christianorum sacrorum, de quo illustris Hermannus Bunau tom. 2. historiae Imperii, vulgatae Germanice pag. 347. seq. Huic Lebuino, quem ait An, 740 obiisse,

a) Ermigildum Regem, Livigildi Regis Visigothorum filium a Leandro ad Fidem Catholicam adductum celebrat Gregorius Magnus III. 31. Moralium. *Homilia Leandri de triumpho Ecclesiae ob conversionem Gothorum* habita post Synodum Toletanam III. A. 589. exstat in tomis Conciliorum et apud Baronium ad A. 589 n. 12. seq. et in Actis Sanctor. tom. 2. Martii 13. pag. 277, et in Hispano Joannis Tamaji de Salazar Martyrologio, 27. Februar. et apud Garsiam Loaisam quoque pag. 259. et in Agvirrii Conciliis Hispan. tom 2. pag. 351. et cultiore stylo apud Jo. Marianam lib. V. de rebus Hisp. cap. 15.

b) Hi libri cum tertio adversus instituta Arianorum, hodie desiderantur.

c) Hic *libellus ad Florentinam* sororem, post editiones Hieronymi de Torres Pinciani et Christophori Browerl, obvius in Holstenii Codice Regularum Rom. 1661. et Paris 1663, 4. parte 3. pag. 89-108. atque in Bibliotheca Patrum Lugd. t. XII, pag. 990. Hispanice etiam prodiit Prudentio Sandovallio interprete, Pinciae 1604. 8. Vide Nic. Antonium tom. 1. pag. 224.

d) Tituli sunt XXI.

e) Leandri operam deinde hac in parte perficit *Isidorus* frater, de quo supra pag. 467. e 470.

f) *Psalterium de duplici editione*, intellige Latinam ante Hieronymianum versionem et Hieronymianam. Missale et Breviarium Mozarabicum, exstat auspiciis Francisci Ximenii, Archiep. excusum Toleti 1500 1502. in quo memoria Leandri Episcopi, Confessoris et Doctoris 13 Mart. Vide Acta Sanctor. tom. 3 Febr. 27. p. 672.

g) Leandri Epistola intercidit, Gregorii Magni responsio tulit aetatem lib. 1. Epist. 41. in qua *de trina mersione baptismatis.* Supersunt et aliae ad Leandrum Gregorii Epistolae IV. 46. et VII. 120. Leandro etiam dicavit suos in Jobum Commentarios, quos ipso suadente non diffitetur se componendos suscepisse. Confer et Liciniani ad Gregorium Epistolam vulgatam a Baluzio in limine tomi VII. Miscellaneorum.

h) Isidorum, vel Fulgentium potius, Vide Nic. Antonium tom. 1. pag. 225.

i) Reccaredus Rex Visigothorum ab A. 586. ad 601.

k) Nic. Antonius tom. 1 pag. 231. malit A. 596. vel 597. Miraeus A. 695, circa A. 600. Quanquam Nicolao Antonio consentit Lucas Holstenius, qui epitaphio Beatorum Leandri, Isidori, et Florentinae, quod pag. 108. exhibet, subjicit haec verba: *Obiit felicis memoriae Leander Episcopus die III. Kalend. Martias aerae DCXLI.*

exhortationes pias, et *Commentaria in quosdam sacrorum Bibliorum locos*, sed nec illi nec alii cuiquam, ut opinor, visa memorat Pitseus pag. 142. Alius S. LEVINUS sive LIVINUS Scotus, Archiepiscopus ut aiunt Hiberniae, et Martyr circa An. 633 de quo Baleus XIV. 16 et Jac. Waraeus de scriptoribus Hiberniae pag. 21. qui praeter *Homilias* aliquot tradunt eum scripsisse *epitaphium S. Bavonis*, et *Epistolam ad Florbertum*, monasterii S Bavonis Abbatem. De hoc Bavone Baronius ad Martyrolog. 1. Octobris.

LECHBERTUS sive LETHEBERTUS, Anglus, Canonicus Regularis Augustinianus atque Abbas S. Rufi prope Valentiam in Gallia Narbonensi circa An. 1210. De eo Baleus XIII. 32. et Pitseus pag. 275. qui inter alia eius Commentaria et Lecturas, *explanationes* illius *in Psalmos* celebrant.

LEGENDA *Aurea* supra pag. 52. *De Legendis cum judicio* a) *Legendis Sanctorum quod exiguo saepe judicio scriptae, vide judicia Doctorum Romanae Ecclesiae in Consultatione de Horis Canonicis, Parisiis excusa* An. 1643 pag. 311.

LEIDRADUS Noricus, gratiosus apud Carolum M. atque ut ajunt ejus Bibliothecarius, successor Adenis, et Agobardi decessor in Archiepiscopatu Lugdunensi quem gessit ab An. 799 ad 813. De eo Sammarthani tom. 1. pag. 300. Theophilus Raynaudus tom. VIII. Opp. pag. 100 et Dominicus de Colonia in hist. litteraria Lugd. tom. 2. pag. 71 seq. Exstant ejus *Epistolae duae* ad calcem Agobardi, edit. Baluzianae Paris. 1666 8. una consolatoria *ad Sororem*, et altera *ad Carolum M.* de Episcopatu suo et de instauratione a se facta coenobii Insulae Barbarae, quae legitur etiam in Guilelmi Paradini historia Lugdunensi, et apud Sammarthanos loco laudato: utraque recusa in Bibl. Patrum Paris. supplem. tom. 2. pag. 810 et tom. XIV. Lugd. pag. 233. Librum *de Sacramento Baptismi* ad Carolum M. vulgavit Mabillonius t. 2. Analect. pag. 1. et Epistolam ad eundem de ritibus Baptismi et abrenunciationibus in eo fieri solitis pag. 28. 45. (edit. novae pag. 78. et 85.)

a) Voss. arte historica pag. 48.

Joannes Gerbrandus de LEIDIS, supra tom. 3, pag. 45.

Philippus de LEIDIS, Vir nobilis, Juris Doctor et Canonicus Paris. An. 1369 deinde in Patria Canonicus Trajectinus diem obiit An. 1386. Guilelmi Bavari, Hollandiae Comitis a Consiliis: praeter *Lecturam in librum III. Decretalium* scripsit tractatum *de Reip. cura et sorte principantis* de quo An. 1516 edito, et Amst. 1701 4. recuso vide Oudinum tom. 3, pag. 1152. Amstelodamensi editioni vitam auctoris praefixit Sebastianus Perzoldus.

Theodoricus a LEIDIS, Clericus monasterii Haecmundensis, cujus *breviculos* sive Epitaphia Comitum et Comitissarum Hollandiae ab An. 900. ad 1051. edidit Antonius Matthaeus Lugd. Bat. 1692. 4. pag. 144. seq. una cum Jo. Gerbrando de Leydis, de quo supra t. 3 p. 45.

Jo. LELANDUS senior et junior, de quibus supra p. 375.

LEMOVICENSIUM Episcopum et Abbatum Gesta. Supra in BERNARDO Guidonis, tom. 1 pag. 204 et ADEMARO p. 14.

Anonymi Chronicon breve Lemovicense ab An. 539. ad 1037. in Labbei tom. 1. Bibl. novae MSS. pag. 332.

Excerpta ex veteri Kalendario Ecclesiae Lemovicensis, apud eundem tom. 2 pag. 759. seq.

Thomas Agni de LENTINO sive de LEONTIO, Siculus Ord. Praed. ex Episcopo An. 1260. Bethleemitico Patriarcha ab An. 1268. ad 1277. Hierosolymitanus, scripsit *Vitam S. Petri, Dominicani* An. 1252. Martyris, quam offerunt Surius 29. April. et Acta Sanctorum tom. 3. April. pag. 686. 719. Vide Oudinum tom. 3, pag. 550. et Jacobum Quetif tom. 1, pag. 358. seq. qui etiam *Sermonum* eius et *Epistolae* ex Syria *ad Henricum III.* Angliae Regem an. 1263 scriptae meminit, de periculis Terrae sanctae imminentibus.

Sub LENTULI nomine, Hierosolymitanorum ut ajunt ante Pontium Pilatum Praesidis, fertur *Epistola* ad S. P. Q. Ro

manum ultimis conficta saeculis, de qua non attinet repetere quae dixi in Codice apocrypho Novi Test. p. 301. seq. et partis tertiae pag. 486. Edidit etiam Joannes Laziardus historiae Universalis cap. 12 et ex alio Codice partem Goldastus notis ad Dositheum (tom. XII. Bibl. Graecae pag. 517.) Novissime cum Epistolis Abgaro tributis et Pilato Henricus Hulsius de praerogativis Israelitarum p. 448.

LENTWARDINUS Anglus, Theologus a Pitseo pag. 886. *in quatuordecim Epistolas Pauli* traditur scripsisse, quod petiit a Baleo XII. 8. Vixit ante Joannem Frumentarium, hoc est ante an. 1440 a quo in libris de granis typicis, teste eodem Baleo celebrantur.

S. LEO Tuscus natione, cognomine *Magnus*, et *primus* hoc nomine Episcopus Rom. ab A. C. 440. Sept. 8. ad 461. 11. April. a) de quo praeter HONORATUM in vita, et Annalium scriptores, atque editorem operum ejus praecipuum novissimumque Paschasium Quesnellum, Tillemontius tomo XV. memoriarum, atque Henschenius in Actis Sanctorum tom. 2. April. pag. 14. seq. ut Ludov. Maimburgium in historia Pontificatus S. Leonis, Paris. 1687 4. Gallice edita aliosque innumeros praeteream.

Opera Leonis, post Sermones cum paucis Epistolis Venet. 1485 et 1505. fol. et Paris. 1515 fol. editos b) prodiere Coloniae apud Melchiorem Novestanum Petro Canisio curante, An. 1546 ad quam editionem Observationes Latini Latinii Bibl. sacro profan. pag. 74 77. Deinde iterum Colon. 1551 ex Laurentii Surii recensione, et cum Leonis IX. aliquot lucubrationibus 1561. fol. et 1569. fol. Venet. 1553. 1573 et ex editione Petri Canisii repetita, Lovan. 1566 8. atque ex castigatione Joannis Willimerii, Prioris Canonicorum regularium S. Martini Lovaniensium, Lovanii 1575 8. Antwerp. 1583 8. et cum Maximo Taurinensi et Petro Chrysolg. Paris. 1614 1618. 1623. 1662. fol. recensente Sirmondo: et ex Theophili Raynaudi editione Lugd. 1663. 1651. 1661. 1671. fol. cum Maximi Taurinensis, Petri Chrysologi et Fulgentii Ruspensis et Valeriani Cemeliensis, Amadei Lausanensis et Asterii Amaseni operibus. Denique accuratius integriusque, eruditis etiam notis atque dissertationibus illustrata edidit Paschasius Quesnellus c) Paris. 1675 4. duobus vol. Opus hoc indici prohibitorum librorum fuit impositum Romae, quoniam de Hilario Arelatensi disserens Quesnellus judicia de causis Patriarcharum in historia Ecclesiastica relata non ad legitimas appellationes reddita fuisse, sed ab ultro electo a partibus arbitro prolata disputat. Vide Papebrochii responsionem ad exhibitionem errorum Sebastiani a S. Paulo Carmelitani artic. 13 §. 4. Non obstante tamen proscriptione Romana, Quesnelli Leo eruditis ubique probatus, et Lugduni 1700 fol. d) recusus est: beneque vir doctus ad Quesnellum: *la censure de Rome ne gatera pas votre livre*, ut refert Vignolius Marvillius sive Bonaventura de Argonne, Carthusianus tom. 1. Miscellan. historico Crit. p. 75. In Lugdunensi hac editione p. 195. inserta Joannis Ciampini Epistola Romae 1693 4 edita, qua probat in sermone VII. de Nativitate CHristi, in verbis *quibus ad suggestum* arae *superioris ascenditur*, legendum esse *areae*. Nova editio Operum Leonis M. quae auspiciis Pontificis Clementis XI. exspectari jubebatur Romae e) An. 1716 non vidit lucem quod sciam: perinde ut promissa pridem a Gerh. Vossio.

Ex scriptis Leonis I. apud Gennadium cap. 70. sola celebratnr *Epistola ad Flavianum* Episc. CPol. adversus Eutychen. Nec plura Honorius II. 60. Quin imo idem

a) Anonymus Mellic. cap. 7. *quarta Kal. Jul.* alii *tertio Cal. Novemb.*

b) Romae etiam Miraeus cap. 95. auctarii et Labbeus tom. 2. de S. E. pag. 11. scribunt Leonis opera; vellem annum addidissent.

c) De hac editione vide Caveum, Oudinum etc. ab aliis adjutum Qvesnellum nescio qua fide tradit Rich. Simon observationibus ad Bibl. Eccles. Dupinianam tom. 1. pag. 190. seq.

d) W. E. Tentzel Biblioth. curios. An. 1704 pag. 5. seq.

e) Memoir. de Trevoux A. 1716. pag. 722.

Gennadius cap. 84. et ex eo Marcellinus in Chronico ad an. 463. Epistolas Papae Leonis adversus Eutychen de CHristi incarnatione et ad diversos datas, a PROSPERO dictatas dici affirmat. Prospero etiam vindicandas easdem sibi sumsit Josephus Antelmius in dissertationibus de veris operibus SS. Patrum Leonis Magni et Prosperi Aquitani: ac praeterea *Capitula de Gratia DEI*, CÆLESTINO I. Papae potius tribuenda, de quibus supra tom. 1 pag. 291. *Epistolam ad Demetriadem* de humilitate Christiana et *libros duos de Vocatione omnium Gentium*, quae PROSPERI inter scripta rectius leguntur, et Leoni Qvesnellus tribuerat: et *Sermonum* plerosque. Paris. 1689. 4. a) Antelmio respondit Qvesnellius in Epistola inserta Ephemeridibus eruditorum Paris. 1689. 15. Aug. et Dupinius tom. IV. Bibl. Eccles. p. 249. seq. quanquam Niceronus Barnabita b) tradit Dupinium Antelmo assensum prius, in Qvesnelli gratiam sententiam mutasse. Adversus Qvesnellium Epistolae quae responsoriae prodierunt Paris. 1690. 4. deux lettres de l'Auteur des dissertations etc.

Anonymus Mellicensis cap. 7. *Leo Magnus, Apostolicus, Declamator egregius fuit qni Verbo et exemplo Christianae Religioni plurimum profuit, Porro.* Sermonum *illius incertus est nnmerus: quorum tamen de Adventu Domini* c) *de Nativitate* d) *de Apparitione* e) *de Jejunio* f) *de Passione* g) *de sancto Pentecoste* h) *plurimi habentur. In Sanctorum quoque Natalitiis* i) *nonnulli habiti inveniuntur.*

Sermones S. Leonis plerique recensiti etiam a Francisco Combefisio in Bibliotheca Concionatoria. Sermones XXI. in Alcuini Homiliario. Leonis M. sermones Italice versi a Philippo Corsini, Florentiae 1485. fol. et a Gabriele Foresto, Venet. 1547. ac nonnulli a Galeatio Florimonte. ibid. 1561. 4. Gallicam versionem Joannis Bertaut, Episcopi Sagiensis memorat Lud. Jacobus pag. 144. Bibl. Pontificiae.

Decreta XLIX. in Collectione Dionysii Exigui Pithoeana. In Merlini Conciliis, XCIV. prioribus Leonis editionibus *Epistolae CXI.* et in tomis Conciliorum Regia, Labbei et Coleti. Sed Quesnellus in suo Leone *Epistolas CXLI.* ordine temporis, quo scriptae sunt, digestas et notis illustratas exhibuit Indicem eorum ad quos Leo scripsit, dedi in supplemento lib. IV. Bibl. Latinae cap. 3. Epistola ad Turibium *contra Priscillianistas* an. 447. extat notis illustrata in Agvirrii Conciliis Hispaniae tom. 2. p. 297 Apud eundem epistola *de Paschate* an. 455. data ad Episcopos Galliarum et Hispaniarum pag. 223. et apud Sirmondum in Conciliis Galliae tom. 1 pag. 118. Celeberrima autem illa dogmatica *ad Fla-*

a) Giornale de' letterati in Parma 1689. pag. 249. Hist. des ouvrages de Savans A. 1690. Avril pag. 362.

b) Memoir. des hommes illustres T. V. pag. 149.

c) De Adventu Domini, nulli hodie S. Leonis sermones extant, sed. vicissim exstant quorum non meminit Anonymus, sermo *de transfiguratione Domini*, in Qvesnelli editione Sermo 94. *De gradibus adscensionis ad Beatitudinem* 95. qui ab aliis male *in Festum omnium Sanctorum* inscribitur. *De collectis et eleemosynis* sermones VI. a quinto ad decimum. *In festo Cathedrae S. Petri Apostoli* (dubium an Leonis) 96. Sermo *in die consecrationis* ipsius *Leonis* et tres *in anniversaria assumtionis celebratione*, 1. 2. 3. 4. Praeterea 93. sermo brevis contra Eutychen habitus in Basilica Anastasiae, et 97. seq. ex Pontificali Romano, Oratio *in Consecratione electi in Episcopum*. Oratio *in Ordinatione Presbyteri*, et allocutio Archidiaconi ad Episcopum *pro reconciliatione Poenitentium*.

d) Sermones X. a vigesimo usque ad undetrigesimum.

e) Sermones VIII. *de Epiphania Domini* a trigesimo ad trigesimum septimum.

f) *De Jejunio decimi Mensis* et de eleemosynis ejusdem, sermones novem ab undecimo ad undevigesimum. Et *de jejunio septimi Mensis* sermones novem a 84. ad 92.

g) Post Sermones XII. *de Quadragesima* ab 38. ad 49. sequuntur *de Passione Domini* Sermones XIX. a quinquagesimo usque ad sexagesimum octavum. Trithemius cap. 158. Homilias LVIII. memorat.

h) Sermones tres *de Pentecoste* et quatuor *de Jejunio Pentecostes*, a 75. ad 79.

i) *In Natali Apostolorum Petri et Pauli* sermo 80. (et alter appendice pag. 189.) *In octava eorundem Apostolorum* 81. *In Natali septem Martyrum Maccabeorum*, 82. *In festo S. Laurentii Martyris* 83. (quem S. LEANDRO Hispalensi malebat Qvesnellus tribuere)

vianum CPol. Epistola XXIV. vulgata cum Graeca versione veteri ad calcem S. Gregorii Thavmaturgi Mogunt. 1604. 4. a Gerardo Vossio, Borellonio Germ. Praeposito Tungrensi pag. 144. subjuncta. Epistola CXXXIV. *ad Leonem Imp.* Symboli Nicaeni Fidem approbans itidem Graece et Latine pag. 165. una cum *Sententiis Patrum* a) ad eundem Leonem, quod Dominus noster JEsus CHristus verus sit DEUS et verus Homo p. 184. et cum tractatu *adversus errores Eutychetis et aliorum haereticorum* pag. 208. quem tanquam dubium Qvesnellus in appendice ad Sermones pag. 190. offert una cum Sermoni b) *in Natali S. Vincentii* Martyris pag. 187. et *in Nativitate Domini* pag. 188. Incip. *Salvator noster, Dilectissimi.* Et *in ascensione CHristi* pag. 189. Incip. *Hodie, Fratres, Victoria CHristi completa est: Et in Nativitate SS. Apostolorum Petri et Pauli*, ibid Incip. *Exultemus in Domino, dilectissimi.* Seq. apud Vossium pag. 222. *ad Episcopos per Siciliam constitutos*, est apud Qvesnellum Epistola XVII. *Ad Julianum Coensem* pag 225. apud Vossium eadem est cum Quesnelliana LXXXI. licet alio initio. *Sermonem de SS. Martyribus* et de inimicis diligendis, qui incipit: *Quotiescunque, Fratres charissimi, SS. Martyrum*, idem Vossius, p. 228. exhibet sed. Leonis esse negat, obviam etiam inter S. Augustini de Sanctis, num. XLVII. Epistolam illam nobilem *ad Flavianum* ediderat etiam Jo. Leunclavius cum Leontio de sectis etc. Basil. 1578. 8. et separatim ex Vossii editione recudi curavit Nicolaus Glaserus, Graece et Lat. Hamburgi 1614. 8. De ejus approbatione in Synodo Chalcedonensi facta consulendus Natalis Alex. Saec. V diss. XII. qui erudite et candide rem exposuit. Joannes Moschus in prato cap. 147. refert fabellam narratam sibi a Menna Abbate, *quod cum Leo scripsisset Epistolam ad S. Flavianum CPolitanum Episcopum contra impios Eutychen atque Nestorium, posuerit eam super tumulum principis Apostolorum* Petri, *et orationibus ac vigiliis et jejuniis vocans oraverit ipsum summum, Apostolum, dicens: Si quid ut homo vel minus caute, posui vel etiam omisi, tu cui a Domino Deo Salvatore nostro JEsuCHristo et Sedes haec et Ecclesia commissa est, emenda. Post quadraginta vero dies apparuit ei Apostolus oranti, et dixit ei: Legi et emendavi. Sumensque Epistolam de sepulchro beati Petri, operuit eam, et invenit Apostolica manu emendatam.* De eadem Epistola Gelasius in Concilio LXX. Episcoporum, *cujus textum quispiam si usque ad unum jota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.*

Subjiciuntur a Quesnello pag. 359. fragmenta ex Epistolis ad Basilium Antiochenum et ad Aëtium presbyterum: nec non ex Commonitorio sive Mandato suis ad Synodum Chalcedonensem legatis dato.

Epistolam ad universos Germaniarum regionum Episcopos de Chorepiscoporum, privilegio, quae in prioribus editionibus LXXXVIII. a Qvesnello omissa est: et Leoni suppositam agnoscunt Sirmondus, Morinus, Labbeus: idemque probat praeter Quesnelium diss. XI. Blondellus p. 567. seq. pseudo Isidori, et Oudinus tom 1. pag. 1273. seq. Similiter *Epistola VII. ad Septimium* Episcopum Altinum sive Altinensem et XVII. ad Episcopos Siciliae, fraudis suspecta Quesnello videtur.

De conflictu vitiorum et virtutum liber qui cum Leonis M. Sermonibus prodiit Paris. 1515 fol. atque ab aliis *S. Ambrosio* vel *Augustino*, ab aliis *Gregorio M.* c) vel *Isidoro* Hispalensi d) tribuitur, auctorem fortasse habet juniorem AMBROSIUM *Autpertum.* Vide Nic. Antonium lib. V.

a) *Ambrosii* pag. 190. *Athanasii* pag. 190. *Augustini* pag. 195. (locus quem ex libro assertionis Fidei reperire se potuisse negat Vossius p. 195. extat. apud *Leporium*, cujus libellum ideo Qvesnellus Augustino tribuit in notis pag. 508. seq.) *Basilii* Cappadocis pag. 200. *Jo. Chrysostomi* pag. 196. *Cyrilli Alex.* pag. 201. *Gregorii Naz.* pag. 200. *Hilarii* pag. 185. et *Theophili Alexandrini* pag. 199.

b) Inter S. Augustini de Sanctis, num. XIII.

c) Lud. Jacobus Bibl. Pontificiae pag. 15.

d) Supra pag. 555.

Bibl. Vet. Hispan. cap. 4. numero 159. *Guilelmi Fabricii*, Noviomagi Isagoge in Leonis M. *enarrationem de passione Dominica*, prodiit Lovanii 1610 4. et *Theodori Petreii* Campensis, Carthusiae Coloniensis alumni Dogmata orthodoxae Fidei ex Leonis Magni operibus collecta, et quatuor digesta libris prodiere Coloniae 1604 8. sub hoc titulo: *Confessio B. Leonis Magni.*

Libellus supplex Episcoporum Comprovincialium Metropolis Arelatensis Leoni oblatus, in prioribus editionibus post CVII. et apud Quesnellum post XLIX. suspectus est Launoio in parte altera opusculorum de duobus Dionysiis et apud B. Antonium Reiserum nostrum in Launojo confessore pag. 808. Sed malo sequi Hugonem Menardum, Natalem Alex. Quesnellum aliosq; viros doctos, qui non dubitant genninum esse, quod facit etiam Valesius ad Socratis lib. 2. c. 29. Teste Anonymo Mellicensi S. Leo etiam augmentavit in Canone: *supplices Te rogamus*, *Omnipotens EEUS*, et caetera qeae sequuntur ex Ordine. Etiam Hymnum *Exultet*, Sabbato sancto solitum cantari, quem alii referunt ad auctorem S. Augustinum, alii Leoni malunt tribuere. Vide Ephemerides eruditor. Paris. a. 1681 p 246.

* Quae reprehendenda merito sint in editione opp. S. Leonis a Quesnello adornata sub eruditorum oculis mox exhibiturus est vir clarissimus Petrus Ballerini Veronensis aliis jamdudum operibus editis inclytus, qui novam operum S. Leonis editionem parat; omnesque Quesnelli animadversiones expendit ac digna censura notat. Non ante multos annos in nova editione Romana de vitis Rom. Pontificum ab Anastasio collectis t. 4 prodiit opera P. Josephi Blanchini Codex Sacramentorum vetus quem ipse S. Leoni tribuendum censit. Fundem recudit Muratorius in Liturgia Rom. Vet. Ven. 1748. S. Leoni non asserit. Demum Com. Jacobus Acami Dissertationem edidit Romae in 4. 1748. qua idem Sacramentarium S. S. Leoni M. vindicat. * (183 *Romae* 1751 1753. a *Petro Th. Cacciari. Venet. Occhi* 1752. f. v. 3. cur. *Petro et Hier. fr. Ballerini* Opera S. Leo. accuratius iterum prodiere.)

LEO II. Siculus Papa ab An. 582. Octobr. 19. ad An. 684. 28. Jun. de quo Acta Sanctorum tom. V. Junii 28 p. 374 seq. Antonius Mongitor tom. 2. Bibl. Siculae pag, 7. seq. Ex ejus *quinque Epistolis* apud Baronium et in tomis Concil. prima ad Constantinum Aug. in Actione XVIII. Synodi sextae, tom. 3. Harduin. p. 1470 ut genuina defenditur a Pagio ad An. 683 n. V. seq. et Combefisio in historia Monothelitarum pag. 154 seq. Caeteras quatuor exhibet etiam Aguirrius t. 2. Concil. Hispaniae pag. 711 seq. Teste Sigeberto cap. 59. Leo hicce *Graeca et Latina lingua sufficienter instructus transtulit de Graeco in Latinum*, *Sextam Synodum.* Idem traditur in breviario Romano 28. Jun. et a Trithemio c. 236. *Relationem de electione ad Principes*, *et sermonem in die ordinationis* ab Holstenio testatus se accepisse edidit Papebrochius in Conatu Chronico historico ad Catalogum Pontificum Rom. pag. * 106 seq. Omitto alia de quibus Ludovicus Jacobus, Bibl. Pontificiae p. 147.

LEO III. Romanus Papa ab An. 795. Dec. 27. ad Anno 816 Jun. 12. de quo Acta Sanctorum tom. 2. Junii pag. 572. *Enchiridion*, Carolo M. in munus datum prodiit Lugd. 1607 et Moguntiae 1603. forma minore. a) *Symbolum* Leonis Papae apud Baluzium tom. VII. Misc. pag. 18. 21. De eo quod verba FILIOQUE b) in Symbolo decantato addita, ut pridem ab Hispanis An 653 et nunc a Gallis non tulit, vide Vossium diss. 3. de tribus Symbolis §. 27 seq. et Baronium ad A. 809 n. 52. ubi ex Anastasio etiam refert Leonem *pro amore et cautela Orthodoxae Fidei* in Basilica S. Petri *fecisse scutos argenteos duos*, *scriptos utrosque Symbolo*, *unum quidem litteris Graecis et alium Latinis*, *pensantes argenti libras nonaginta quatuor et uncias sex.* Epistolas X.

a) Vide Augustini Beyeri memories librorum rariorum pag. 149.

b) De iisdem Eerbis deinde Symbolo additis a Sergio III. circa A. 909. Vossius diss. 3. §. 41. seq.

ad Carolum M. primus ex MSS. Academiae Juliae vulgavit Conringius Helmst. 1647. 4. emendatiores 1655 4. ubi etiam Epistola *ad Richulphnm* Episcopum Moguntinum, quam habes apud Sirmondum tom. 2. Concil. Galliae p. 260. Epistolam *ad Fortunatum*, Patriarcham Gradensem, ex Dandulo offert Ughellus tom. V. pag. 1094. Recusae deinde Leonis huius Epistolae in tomis Conciliorum, et tom. V. Operum Conringii p. 587. Epistolam peregrinorum Monachorum in monte Oliveti habitantium ad Leonem III. edidit Baluzius tom. 7. Misc. p. 14.

LEO IV. Romanus Papa ab An. 847. April. 12. ad An. 855. Jul. 17. de quo Acta Sanctorum tom. 4. Julii 17 p. 323. Eius *Epistolae* tres vel quatuor apud Sirmondum tom. 3. Conciliorum Galliae pag. 71. seq. atque in Conciliorum tomis. At *sermo de Cura pastorali*, in iisdem tomis et apud Baronium ad an. 854. Jul. n. 21 seq. ex Anselmo Lucensi obvius, est Synodalis qni ante sermonem Ratherii Veronensis legitur apud Harduinum tom. VI p. 783. Concilium Romanum An. 863 canone decimo. Praeter *Decreta* quaedam apud Ivonem, Gratianum, Anselmum Lucensem, Panormitanum et Paludanum, Ludovicus Jacobus p. 149. Bibl. Pontificiae Leoni IV. tribuit, *Collectas III de S. Petro.*

* Sermo *de cura pastorali* quamvis a Leone editus fuit, identidem tamen seculorum processu interpolationem admisit, adeo ut veterem formam vix modo retineat. Quare operae pretium me fecisse arbitror, dum tres eius lectiones in eadem expressas pagella exhibui. Ex hac enim trium collatione inferri tuto posse existimo, ut in quibus tres illae conveniunt, haec sincera sint Leonis; in quibus vero minime congruunt, haec sin minus spuria, certe tamen suspiciosa judicentur. Vide Supplem. Concil. L. 909. Tres istas eiusdem homiliae lectiones petii ex Labbeo, Martene, et ex MS. Lucensi Codice Interpolationis vero causas hasce assignari, quod homiliae huius lectio Synodis praemitti soleret, cui proinde illa adicienda Episcopi judicaverunt, quae essent loco et tempori opportuna. *

LEO V. Ardeatinus, Monachus Ord. Bened. Papa An. 904 a Sept. 23 ad Novembr. 18 de quo Frodoardus:

Post quem (*Benedictum IV.*) celsa subit Leo jura, notamine quintus,
Emigrat ante, suum quam luna bis impleat orbem.

LEO VI. Romanus, Papa ab 929 Jul. 5 ad An. 930 Febr. 9. Hujus *Epistolam ad Leodegarium* Viennensem Archiepiscopum memorat Ludovicus Jacobus pag. 149 Bibl. Pontificiae. Sed Leo IX ad Leodegarium scripsisse cognoscitur, non Leo VI.

LEO VII. Romanus, Papa ab An. 935. Novembr. 15. ad An. 939. Maj. 24. Ejus *Epistola ad Hugonem* Francorum Principem ac S. Martini Turonensis Abbatem de mulieribus ab adeundo Coenobio S. Martini prohibendis, edita a Dacherio tom. 2 spicilegii p. 375. (edit. novae tom. 3. p. 373.) atque emendatior a Galicsonio Canonico Turonensi a) cum nonnullis Alexandri III. Innocentii III. et aliorum Paris. 1694. Cum hac Epistola in tomis Conciliorum legitur etiam Epistola *ad Gerardum* Laureacensem Archiepisc. cui mittit pallium, et tertia *ad Gallos et Germanos* de variis disciplinae Ecclesiasticae capitibus.

LEO VIII. Romanus, Papa ab An. 963. Decembr. 6. ad Au. 964. Febr. De Concilio Joannis XII contra Leonem VIII Baronius ad An. 964 n. 6. Constitutionem vero Leonis VIII qua in Synodo Rom. A. 963. Ottoni Imp. ejusque successoribus concessit facultatem eligendi Romanum Pontificem et investituras Episcopis tribuendi, habent Gratianus dist. 63 n. 23. Theodoricus Niem aliique et Goldastus tom. 1. Constitutt. Imperial. p. 29. qui in replicatione pro Imperio contra Gretserum p. 390 seq. et Petrus de Marca VIII 12 et 20 de Concordia Sacerdotii et Imperii: quamquam suppositam esse contendit cum Baronio Pagius ad Anno 964. n. 6. seq. *Epistolam ad Mauringum* Abbatem de privilegiis Abbatiae Montis maioris, edidit Baluzius tom. IV Misc. pag. 428. Alias Leonis Epistolas IV. *ad Odonem*

a) Journal des Savans 1695. pag. 598

Abbatem Cluniacensem, quas habuit Andreas du Chesne, itemque *ad Egilulphum* Salisburgensem, *Eisengrinum* Regnoburgensem *Lambertum* Frisingensem et *Starchandum* Eichstadensem Episcopos Germaniae, de causa Fidei, quarum p. 149 Lud. Jacobus meminit, nondum quisquam, quod sciam, in lucem produxit.

LEO IX. antea *Bruno*, Comes Dasburgensis, Gallo Germanus, ex Episcopo Urbis Leucorum quae Tullus vocatur, Papa ab An. 1049. Febr. 12 ad A. 1054. April. 19. Ejus vitam libris duobus scriptam a WIBERTO Archidiacono Tullensi, ex MS. cum Sirmondi a) editione collatis edidit notisque illustravit Henschenius t. 2. Act. Sanctor. April. 19. p. 648. *Itinerarium Roma in Galliam*, quod scripsit ANSELMUS Remensis, adhuc desideramus, ut dixi tom. 1, pag. 110. Sed vitam Leonis IX. scripsit etiam heroico carmine Augustinus Bontemps, Atrebas, Monachus Lobiensis. Praeter alios a Labbeo tom. 2 de S. E. pag. 17. laudatos adeundus Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Casinensis cap. 81 et 87 e recentioribus vero praeter Raynaldum, Bzovium, Spondanum, Benedictus Pictetus in Seculi XI. historia Gallice edita. Argumenta *Epistolarum XIX*. huius Leonis quae exstant in Conciliorum tomis, vide tom. XI. Bibl. Graecae pag. 579. seq. ubi etiam de diplomate supposito *de corpore S. Dionysii*. Prima ex illis Epistolis est prolixa illa adversus Michaelis CPol. et Leonis Acridani quas vocat praesumtiones. Septima autem *ad Constantinum Monomachium*, diversa est ab illa, haereses tot objectante Graecis, ad eundem Imp. scripta, cuius meminit Sigebertus c. 149. et quae perinde ut *liber adversus Graecorum errores* aliaeque *Epistolae*, et *cantus in honorem Sanctorum* b) ab eo compositi intercidit. Privilegia duo *Babenbergensi* Ecclesiae concessa ezstant in Joannis Udalrici Codice Epistolarum Babenbergensi apud Jo. Georg. Eccardum tom. 2 corporis scriptorum medii aevi p. 90 seq. *Sermones* Leonis IX una cum Epistolis Decretalibus et familiaribus collectos ediderunt Canonici S. Martini Lovanienses An. 1565 atque inde Laur. Surius Carthusianus, subiunctos Leonis Magni Operibus Colon. 1568 et recusos Antwerp. 1583.

* In meo Conciliorum Supplemento t. 1 1283 praeter Leonis hujus epistolam ad maioris Ecclesiae Lucensis Canonicos quibus in communem convictum largitiones quasdam confirmat ex Wadingi Commentariis ad vitam S. Anselmi Lucensis Episcopi acceptam, dedi; variantes etiam quasdam attuli ex MS. Cod. Epist. Leonis ad *omnes per Italiam Episcopos*. *

LEO X. antea *Joannes Medices*, Papa ab An. 1513. Mart. 11 ad An. 1521. Decembr. de quo Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. p. 286. Eius bullae variae in Actis Concilii *Lateranensis* a Julio II coepti, atque ipso deinde, durante Sessione V. Anno 1513 defuncto continuati ad An. 1517. cuius Actis Rom. 1521. fol. vulgatis bulla de authentica hac Actorum editione praefigitur. *Constitutiones XLVI*. in bullario Laërtii Cherubini tom. 1, pag. 534 seq. in quibus XII. An. 1515 *prohibitio imprimendi libros absque examine* XL. XLI. Bullae duo contra *Lutherum* nostrum An. 1520 et 1521 de quibus plura in Centifolio Lutherano. XLV. pro *Henrico VIII*. defensore Fidei An. 1521. *Concordata inter Leonem X. et Franciscum Regem Galliae* An. 1518. 22 Nov. edita Tolosae 8. recusaque tum alibi tum in illustris Leibnitii Codice diplomatico tom. 2. pag. 158 ad quae conferendae observationes Petri Rebuffi, Paris. 1550 8. Joannis Dayma Tolos. 1538 et Michaelis Duperray quaestiones Paris. 1723 12. *Oratio* sive *Consilium de bello suscipiendo contra Turcos* in Nic. Reusneri Volumine secundo Orationum Turcicarum pag. 152 Lips. 1596 4. Bulla *de subjectione Ecclesiae Helenensis ad Narbonensem* A. 1517 in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam pag. 1492. Bullae II. *pro Ordine B.*

a) Paris. 1615. 8.

b) Haec sunt *Responsoria* de quibus Lud. Jacob. pag. 150. Bibl. Pontificiae.

Mariae Virginis a Joanna conditi Regina Galliae, Biturigium Duce, filia Ludovici XI. sorore Caroli VIII. et Coniuge Ludovici XII. Regum Galliae: apud Labbeum tom. 2 Bibl. novae MSS. pag. 395 402. *Epistolae III.* ad Ludovicum Comitem Palatinum Anno 1519 de obitu Maximiliani I. et Caroli V. electione, apud Marqu. Freherum tom. 3. scriptor. rerum Germanic. pag. 161. Omitto alias a *Jacobo Sadoleto* et *Petro Bembo* scriptas Leonis X. nomine, aliasque quae in Conciliorum tomis et apud Bzovium ac Raynaldum leguntur, *Carminaque* inedita Latina atque Italica.

LEO XI. antea *Alexander Medices*, ex Archiepiscopo Florentino Papa per paucos dies An. 1605. April. 2. usque ad 27. de quo Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. pag. 21. *Decreta Synodi Dioecesanae Florentinae* An. 1589. ab eo celebratae, edita Florentiae 4. *Epistolae ad. Archiep. Neapolitanum* in Stephani Quarantae summa Bullarii pag. pag. 400. *Undecachordum sacrorum librorum* sive Biblia sacro-sancta Veteris et Novi Test. undecim linguis principalioribus a Joanne Baptista Raimondo, Leonis XI. auspiciis in lucem danda, fato ejus intercepta sunt. Iter ejus Florentiae Romam descriptum ad Alexandro Macchia, Rom. 1605 4. et descriptio exequiarum, Florent. 1605 4.

LEO *Acridanus* sive Acridiae, metropoleos Bulgarorum Archiepiscopus, Graece quidem scripsit, sed *Epistola* ejus et Michaelis Cerularii CPol. Patriarchae nomine missa *ad Joannem Tranensem* in Apulia Episcopum, exstat ex veteri versione apud Baronium ad An. 1053 num. XXIII. Haec est Epistola de qua Sigebertus cap. 147. De aliis ejus scriptis Graecis ineditis vide Oudinum tom. 2, pag. 604.

LEO *Atinensis* in Campania Episcopus ab ADENULPHO Archiep. Capuano Anno 1044 ordinatus et defunctus Anno 1072. Ejus sermonem de translatione *S. Marci* primi Atinensis Episcopi a) edidit Ughellus tom. 6. pag. 426. aliosque duos in ejusdem Martyris laudem pag. 433. 444. et *Monumentum donationis*, An. 1056. Clericis Atinensibus concessum tom. 10. edit. novae parte 2 in Chronico Atinensi p. 44 46.

a) Leonis ipsius esse dubitat Papebrochius t. 3 Act. Sanctorum April. 28. pag. 553.

LEO *Bituricensis* (de Bourges) in Gallia Avaricum Episcopus qui A. C. 453. praefuit Concilio Andegavensi et An. 461. Turonensi interfuit, atque An. 454 cum Victurio et Eustochio Episcopis scripsit Epistolam *ad Episcopos et Presbyteros Ecclesiarum provinciae Tertiae Lugdunensis* sive *Turonicae*, ne praetermisso Ecclesiastico Judicia saecularia expetant. Prodiit saepe inter Leonis M. Epistolas, ante Quesnelli editionem nonagesima sexta, a Quesnello autem omissa, sed obvia etiam in Conciliorum tomis, et apud Sammarthanos tom. 1. Galliae Christianae pag. 143. et in Sirmondi Conciliis Galliae pag. 119. qui primus non modo hanc Epistolam Leoni Bituricensi restituit, sed etiam in notis p. 599. observavit scriptam non ad Episcopos Thraciae, sed Tertiae Lugdunensis. Adde ejusdem notas ad Sidonii IV. Epist. 18. t. 1. Opp. pag. 953. Scriptori Patriarchii Bituricensis apud Labbeum tom. 2. Bibl. novae MSS. pag. 15. 16 qui hunc Leonem ait praefuisse ab An. 431. ad 448. fidem merito denegat Tillemontius tom. XVI. memoriar. pag. 770.

LEO *Cardinalis*, infra *Leo Marsicanus*.

LEO Abbas *Casinensis*, circa An. 900 de quo Leo Ostiensis lib. 1. Chronici Casinensis c. 51 ubi memorat ejus libellum Adelario civi Romano oblatum de Ecclesia S. Benedicti.

LEO *Casinensis* circa An. 1087 infra *Leo Marsicanus*.

LEO Monachus *Haecmundensis*, cujus *breviculos majores* sive *elogia atque epitaphia Comitum Hollandiae* ab Anno 900. ad 1203. jussu Abbatis Joannis de Hilligom scripta edidit Antonius Matthaeus ad calcem Joannis GERBRANDI et Theodorici de LEYDIS, Lugd. Bat. 1692 4 p. 146 156.

Joannes LEONES tres, Africanus, Mutiensis, et Romanus de quibus supra p. 380.

LEO cognomine a patria *Marsicanus*, Monachus Casinensis Ord. S. Benedicti et ab An. 1101 ad 1115. Cardinalis Episco-

pus *Ostiensis*, scripsit in gratiam Oderisi, a) Abbatis An. 1087. Casinensis, eique dicavit *Chronici Casinensis* libros ab obitu S. Benedicti quem in A. C. 542. ait incidisse, usque ad Annum circiter 1078. Nam quae ab extremo capitis XXXIV. libri tertii sequuntur usque ad finem ejus libri, sive ad caput LXXIV. atque ad defunctum A. 1087. Desiderium Abbatem, qui idem Victor III. Papa, illa addita sunt a PETRO Diacono, quem Leone longe gravitate et auctoritate inferiorem notat Mabillonius. Ab eodem Petro adjunctus est *Liber quartus* et dicatus Rainaldo II. Abbati Casinensi atque Cardinali, Chroniconque illud perducit ab Oderisi Abbatis electione usque ad electum abbatem Raynaldum II. et mortem An. 1138. 7. Januar. anti Papae Anacleti secundi. In praefatione autem libri quarti Petrus testatur se quae scripsit, decerpsisse *ex registris Romanorum Pontificum*, GREGORII VII. et successorum eius, caetera partim ex ore *Abbatis Seniorecti* hausisse, partim oculis propriis vidisse, vel comperisse ex Priorum suorum vel aliorum fidelium relatione. Prodiit Chronicon Casinense Venetiis 1513 4 vulgatum a *Laurentio* Vicentino Monacho.

Paris. 1603 fol. cum Aimoino de gestis Francorum, edente Jacobo Breulio, Monacho S. Germani a Pratis.

Neapoli 1616. 4. cum notis *Matthaei Laurenti*, Hispani, b) ejusque diatriba de monachatu Gregorii M. et translatione atque existentia corporis S. Benedicti ibid. 1607 4.

Parisiis 1668. fol. ex recensione *D. Angeli de Nuce*, Neapolitani, Abbatis Casinensis centesimi trigesimi sexti, Examinatoris Episcoporum atque inde Episcopi Rossanensis, qui duobus MStis Codicibus usus notas addidit, et vitam S. Benedicti ex GREGORIO M. lib. secundo Dialogorum descriptam notisque illustratam praemisit, subjuncta ad calcem operis Appendice veterum monumentorum, in qua exstant MARCI Poëtae, discipuli S. Benedicti carmen elegiacum de situ constructioneque Coenobii Casinensis. Porro, 1) Capitulum Aquisgranense LUDOVICI Imp. A. C. 817. Abbatibus et Monachis observandos articulos LXIX, praecipiens. 2) Ritus electionis Abbatis Casinensis, et qua ratione Pontifex eam confirmet atque ordinato Abbati benedicat. 3) Officia S. Benedicti et B. Virginis a mille annis apud Casinenses celebrata, et Officium B. Virginis celebrari solitum quotidie. 4) LOTHARII III. Imp. Epistolae IV. et una RYCHYYZÆ, ejus uxoris. 5) Epistolae tres GUIBALDI, Abbatis Casinensis.

Romae 1670. fol. Appendix ad notas Angeli Nucci sive de Nuce, separatim vulgata de qua videndum Diarium eruditorum Romanum Anno 1670. pag. 109.

Mediolani denique 1723. fol. tomo quarto thesauri Italiae Muratoriani, recusum prodidit Chronicon hoc ita, ut editio Angeli de Nuce et appendix utraque integra exhibeatur, atque ex eo descriptio Montis Cassini, etiam auctior additis tabulis aere incisis ex Mabillonii tom. 2. Annalium Benedictinorum. Idem Mabillonius notat Leonem hoc in opere usum esse quodam *Chronico* JOANNIS Abbatis, qui primus in Capua nova Monasterium extruxit. De hoc Joanne, qui An. 934. obiit, videndus Leo lib. 1. cap. 53. 54. Joan. Baptista Marus ad Petri Diaconi cap. 30. de viris illustr. Casinensibus refert se apud Holstenium vidisse Chronicon Leonis collatum ad fidem plurium MSS. promittitque se cum aliis Sanctorum actis editurum *Vitam S. Mennatis* Confessoris: c) praeter quam Petrus Diaconus memorat etiam Leonis *Historiam Peregrinorum*: nec non *Sermones de Pascha* et *de Nativitate*. His Arnoldus Wion tom. 1. ligni vitae pag. 188. addit *Vitam S. Januarii.*

De LEONE, nobili *Beneventano* ejusque

a) Vide praef. ad librum 1. et librum 8.

b) Hic Lauretus, Abbas S. Salvatoris nimia licentia usus in illa editione omisisse alia. alia interpolasse ac mutasse, ab Angelo de Nuce arguitur. Vide tamen quae pro Laur. to Rich. Simonius lib. 3. Epist. select. 12.

c) De hoc Menna sive Mennate Gregorius M. III. 26. Dialog. et Martyrologia XI. Nov. De S. Januario 19 Sept.

chartula oblationis qua bona sua immobilia tradidit Monasterio Casinensi, videndus Leo Ostiensis lib. 1. cap. 10.

Ab hoc Leone Ostiensi, Petrus Diaconus cap. 31. scriptor. illustr. Casinensium diligenter distinguit LEONEM *Cardinalem Diaconum*, Monachum Casinensem, quem insignem studio et eloquentia testatur scripsisse ex nomine URBANI quam plures *Epistolas*, fecisse et *Registrum* ejus. Huic Petri testimonio tutius a) creditur, quam recentibus, praeclaris licet Viris, qui incauti Ostiensem cum illo eorundem temporum Cardinali eundem faciunt. Urbanus secundus Papa fuit ab An. 1088 ad 1099. de cuius Epistolis et Regesto infra suo loco.

* LEO *Marsicanus* S. Mennae seu Menatis vitam, quam vulgaturum se spopondit Holstenius, extare integram in Cod. MS. Bibl. Casinensis 413 monet Gattola Hist. Cassinensis Saec. VI. qui et praefationis partem longiorem recitat. Dirigitur Oderisio Abbati. Scripsit etiam Leo Historiam consecrationis ecclesiae Casinensis ab Alexandro II peractae editam primum a Caracciolo inter antiquos quatuor Chronologos, et a Muratorio in nova editione eorumdem Chronologorum Rer. Ital. t. V. p. 76. Uterque tamen auctoris opusculi nomen silet; legitur nihilio secius sub expressa Leonis Marsicani appellatione in MS. Cod. Bibliothecae Casinensis sign. n. 47. eodem Gattula testante.

Ambrosius LEO, *Nolanus*, Medicus et Philosophus a Leandro Alberto et a Vossio commendatur ob libros III. antiquitatum et historiarum Urbis et agri Nolani ac de montibus Vesuvio et Abella. Prodierunt dedicati Henrico Ursino Principi, Venetiis 1514 et 1594 fol. et in Andreae Schotti Italia illustrata, Francof. 1600 fol. et in tomo nono thesauri Italici Burmanniani, parte IV. De caeteris hujus Leonis scriptis Medicis ac Philosophicis. Quaestionum opere, versione Actuarii et libelli Aristotelis de virtutibus, castigatione Averrois, dialogo de Nobilitate rerum, vide Simlerum et Jacobi Gaddii t. 1, p. 272.

LEO *Ostiensis* idem cum *Leone Marsicano.*

LEO *Poëta*, infra LEONIUS.

LEO, a quo *Leonini* versus, quoniam illos si non invenit b) certe frequentavit variavitque non sine laude. Eberhardus Bethuniensis qui An. 1212 scripsit, in parte tertia labyrinthi, quae est de versificatione v. 113 c).

Sunt inventoris de nomine dicta Leonis
  Carmina, quae tali sunt modulanda modo:
Pestis avaritiae, durumque nefas Simonia
  Regnat in Ecclesia liberiore via.
Permutant mores homines, cum dantur honores,
  Corde stat inflato pauper, honore dato
Sunt et caudata, simili quae fine tenentur
  Carmina, quae tali sunt modulanda modo:
Non lignis flammae, nec rebus cor satiari
  Per cupidum poterit in ratione pari.
Quid prosit, non quid deceat, cupidus sibi quaerit,
  Sic in eo vitae regula justa perit.
Sunt medio quae conveniunt, et fine vicissim
  Carmina, quae tali sunt modulanda modo:
Si tibi grata seges est morum, gratus haberis,
  Si virtutis eges, despiciendus eris.
Criminibus mersos toto conamine vites,
  A vitiis tersos cordis amore cites.
Sunt et caudatis pariter conjuncta Leonis
  Carmina, quae tali sunt modulanda modo:
Virtutem sequere, virtutis praemia quaere,
  Omnia vana tere lucis amore merae.

a) Pagi ad A. 1088. n. 3. Caveus ad A. 1101. etc.

b) Quanquam ὁμοιοτέλευτα improbata fuisse olim et vitata a bonis Poetis constare potest ex Gellii XVIII. 8. et ex iis quae ad Juvenalis X. 122. viri docti annotarunt: tamen Poetas Latinos antiquissimos etiam optimosque ea non prorsus effugisse probat Casaubonus ad Persium pag. 155 seq. Rittershusius ad Ligurinum Guntheri pag. 65. Petrus Burmannus in sapientia hyperboreali pag. 87. seq. et D. Georg. Christianus Gebaver in diss. pro rhythmis Poëticis pag. 282. seq. anthologicarum diss. et 327 seq. ad diss. Eliae Majoris et p. 334. seq. Quamvis etiam a Leone Seculi XII. Poëta versus Leoninos repetunt Pasquierus disquisitionum lib. VII. cap. 2. Cangius in glossario, Menagius in Originibus Gallicis, Huetius p. 101. aliique: Tamen versuum in similes sonos desinentium usum jam pluribus ante seculis et non tantum X. et XI. ut notatur in Actis Sanctorum tom. 1 Junii pag. 23. seq. a nono jam atque octavo obtinuisse docet auctor observationum Criticarum de poësi et pictura editarum Gallice Paris. 1719. 12. cap. 36. Adde Renatum Morellum in prolegomenis ad Scholam Salernitanam c. 4. seq. et apud laudatum Gebauerum p. 341. atque Illustris Scipionis Maffei historiam diplomaticam pag 190. seq.

c) Leyseri hist. Poëtarum medii aevi pag. 328.

Virtus laudis emit pretium, bona res mala demit,
Hanc dum lingua fremit, pessima saepe premit.
Sunt, ad principia quorum fines referuntur,
Carmina, quae tali sunt modulanda modo:
Hoc moneo, nefas fore credas optima rerum
Ut carpas verum prodigiale nefas.
Est Domini donum puri devotio cordis,
Contemtus sordis initiale bonum.

Alia etiam genera versuum Leoninorum exhibui supra in BERNARDO Morlanensi tom. 1, pag. 215.

LEO *Ravennensis* Archiepiscop. qui etiam *Neo*, *Neomutus*, *Hermuthus* Anno 999. Gerberto Sylvestri II. nomine in Papam adscito successit in Archiepiscopatu Ravennensi, quo se An. 1001. cum iterum abdicasset diem obiit An. 1105. Ejus *Epistolam ad Durantem Monachum aliosque Eremitas* vulgavit Ughellus tom. 2. Italiae sacrae pag. 355 359.

LEO *Tuscus* Imperialium Epistolarum sub Emanuele Comneno, Imp. CPol. qui ab An. 1133 ad 1180. imperitavit, interpres, e Graeco Latine vertit *Missam S. Chrysostomi*, in cujus praefatione Praeceptorem suum vocat Hugonem Etherianum, de quo supra tom. 3. pag. 271. Edidit hanc Beatus Rhenanus, cum altera versione Erasmi, Colmariae 1540. 4. *Libros duos de praevaricationibus Graecorum*, et tertium contra errores Graecorum memorat Trithemius cap. 400.

LEOBIENSIS a) Anonymi Ord. Praed. *Chronicon* amplum libris VI. a nato CHristo incipiens sed praecipue ab An. 935. res Austriacas, Styricas, Carinthiacas aliarumque finitimarum regionum persequens usque ad An. 1343 lucem vidit in Hieronymi Pez tom. 2. scriptorum Austriacorum Lips. 1721. fol. pag. 751 subjuncta pag. 968 continuatione Annorum 1345. 1346. 1347. Hujus Chronici vestigiis editor observat instituisse MATTHÆUM *Pappenheimium* in Chronico Australi, ex illoque non pauca posse in editione Matthaei Freheriana tom. 1. scriptorum rerum Germanicarum etiam a Clariss. Struvio ope Codicis Neostadiensis recognita emendari. Sed et Leobiensem profecisse ex CLAUSTRONEOBURGENSI Chronographo Augustiniano in Austria inferiore, cujus Chronicon ab An. 978 ad 1348 eodem tomo p. 436. 492. laudatus Pezius vulgavit: et ex JOANNIS *de Victoria* Monachi Coenobii Vitring, Ord. Cisterc. in Carinthia, *Chronico Carinthiae* ab An. 1217. ad 1339. adhuc inedito, nisi quod praefationem ad Albertum II. Ducem Austriae exhibuit idem Pezius pag. 753.

LEODIENSE *Chronicon* breve ab A. 400. ad 1132 exstat apud Labbeum tom. 1. Bibl. novae MSS. pag. 334 339.

LEODRISIUS *Cribellus*, Praefectus Brixiensis circa An. 1257 cuius *Epistolae XXV* ad Bonifacium Canossam, Magistratum Mantuanum et ad R. Comitem Veronensem de tyrannide Ecelini, MStae Brixiae apud Fortunatum Vinacensium. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. XV. p. 311. seq.

LEODRISIUS *Cribellus*, Jovio *Leodorix* Patricius Mediolanensis, Francisci Philelphi discipulus a) scripsit Opus *de Vita rebusque gestis Sfortiae Ducis et filii ejus Francisci Sfortiae* primi Mediolanensium Genuensiumque Ducis, quod non integrum sed ab An. circiter 1369 ad Annum 1424. b) edidit celeberrimus Muratorius c) t. XIX. scriptorum rerum Italicarum, Mediolan. 1731. fol. Vertit et *Orphei* Argonautica, subjuncta Valerio Flacco Aldi Venet. 1523 8. et *S. Chrysostomi* Epistolam ad Cyriacum, quae versio cum Epistola Leodrisii ad Æneam Sylvium exstat inter Æneae Epistolas excusas Norimb. 1496 4. Ejus scriptum *de expeditione Pii II. Pontificis adversus Turcas* edere promiserat Allatius libro quarto συμμίκτων. *Oratio* ante Franciscum Sfortiam habita An. 1450. Modoetiae, et altera de eiusdem Francisci triumphali in Mediolanum ingressu, MSS. in Bibl. Cottoniana pag. 61. Traditur etiam scripsisse explanationes in librum primum atque secundum Decretalium.

a) *Leobium* civitas Stirae, *Leuben*, sive *Leoben*.
b) Giornale de' letterati d' talia tom. XV. pag. 505. seq.
c) Franciscus Sfortia post illum annum potissimum res magnas gessit obiitque An. 1466.
d) Acta Erud. 1733. pag. 551. seq.

* Opus *de expeditione Pii II Pontificis* in duos libros digestum produxit Muratorius Rer. Ital. t. XVIII. p. 21. De aliis nonnullis Lodrisii operibus vide Zeni Dissertationes Vossianas 1. 346. etc. *

LEONARDUS *Aretinus*, supra tom. 1, pag. 269.

LEONARDUS a *Bertepaglia*, (Bertopalea, Berutapalea, Bertapalia, Praedapalia) Patavinus, Medicinam et Chirurgiam docuit in Patria ab An. 1402 ad 1429 scripsitque *Chirurgiam* sive *recollectas super quartum Canonis Avicennae*. Venet. 1490. et 1519 fol. cum Guid. Cauliaci, Rolandi, Rogerii Chirurgicis scriptis. Ejusdem *de aquis conficiendis ad pellendas aegritudines maxime idoneis* laudat Nic. Comnenus Papadopoli tom. 1. de Gymnasio Pataviuo pag. 285. Bernardinus Scardeonius lib. 2. class. 9. pag. 209. Angelus Portenarius in Patavio sive opere de felicitate Patavinae Urbis pag. 261. Filii Joannis Michaelis de Berutapalea, publici Anno 1435. et 1436. Chirurgiae apud Patavinos Doctoris, meminit Jac. Philippus Tomasinus in Gymnasio Patavino p. 156 seq.

LEONARDUS *Brunus*, Aretinus, supra tom. 1, pag. 269.

LEONARDUS Justinianus *Chiensis* Lesbi Metropolita Mytilenensis, Ord. Praed. de quo Jacobus Quetif tom. 1, pag. 816 seq. Scripsit *Historiam* sive *Epistolam* ex Chio Insula 15. Aug. An. 1453 missam ad Nicolaum V. *de capta per Mahumedum II.* 29. Maj. ejus anni *Urbe CPoli*, quae saepius prodiit separatim ut Norimb. 1543 4. cum praef. Mich. Rottingi, et Argentor. 1551. Basil. 1556. 8. et in Abrahami Bzovii Annalibus ad an. 1453 n. VI. et in Turcicis Philippi Loniceri Francof. 1578. 8. t. 2. pag. 84. et 1584 tom. 1, pag. 315. Tractatum *de vera nobilitate*, Carolo Poggio Florentino, Eugenii IV. secretario oppositum, quem cum auctoris vita edidit Michael Justinianus, Abellini 1657 4.

LEONARDUS *de Chifano* sive Jovis fano, Campaniae oppido Minister Generalis Ord. Minor. ab an. 1273 et ab an. 1378 ad 1405. Cardinalis Presbyter, scripsit ingens volumen in cantica sive *in Canticum Canticorum*, in capita CXL. divisum laudatumque S. Antonino tit. 24. Hist. cap. 8. §. 2. pag. 773. et *in IV. libros Sententiarum*, praeterea *Summam* notabilem et *Sermones*. Vide Bergomensem ad A. 1355 et Trithemium cap. 645. Tractatum *de modo schismatis Pontificii extinguendi* MS. in Bibl. Minorum Toletana memorat Waddingus pag. 237. Vide Leonardi Nicodemi additiones ad Bibl. Neapolitanam Nic. Toppi pag. 152. seq.

LEONARDUS de Rubeis, *Giffonensis*, sive *de Giffono*, *Giphonensis*, idem cum superiore.

Hubertus LEONARDUS. Supra tom. 3, pag. 265.

LEONARDUS *Italicus* Ord. Praed. cujus *sertum fidei* sive *Quadragesimale* excusum circa initia nascentis typographiae, sine loco et anno. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 902. seq.

LEONARDUS *Justinianus*, Patricius Venetus de quo supra p. 484.

LEONARDUS *Justinianus* Archiep. Mytilenensis. Supra *Leonhardus Chiensis*.

LEONARDUS *Mansuetus*, Perusinus Magister Ord. Praed. obiit Romae 1480. Praeter *Literas encyclicas* et *Sermones*, traditur scripsisse *Summam de Vitiis*, et *Speculum humanae salvationis*. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 849.

Nicolaus de LEONARDIS Physicus clarissimus Tenetiis, tempore Eugenii quarti, laudatus a Georgio Trapezuntio responsione ad Guarinum.

LEONARDUS Episcopus *Passaviensis*, cujus et JOANNIS Abbatis Lembacensis Epistolas mutuas An. 1429 datas edidit V. C. Bernardus Pez in prolegomenis ad tom. 2. anecdotorum p. XXXVII.

LEONARDUS *Pisanus* Mathematicus non multum post An. 1400 primus recentiorum, Arabum legens vestigia, de Algebra commentatus. Ab hoc magnam partem accepisse Lucam Paciolum de Burgo Ord. Minor. quae in Arithmeticis, lingua Italica grandi volumine exaratis atque Venet. an. 1494 1523 editis sunt ab eo tradita, notavit Vossius cap. LI. de scientiis Math. §. 8. De Luca illo Joannes Wallisius

praef. ad tomum secundum Operum suorum et in tomo ipso p. 65.

* Insignis aetate sua Mathematicus, cuius librum de quadratis numeris laudat Lucas de Burgo S. Sepulchri in op. hic a Fabricio laudato Distinct. 1. tract. IV. art. VI. * (186 Vidend. Grimaldi G. Elogio in op. cui tit. *Memorie d' Illustri Pisani.* Guglielmini G. B. Elogio di L. F. Bologna 1812 8. Buoncompagni (D. Baldassarre) Della vita di L. Pisano. Roma 1852. 4. Intorno ad alcune opere di L. Pisano. Ivi 1854. 8. et eodem curante quae prodiere Leonardi. *Tre scritti inediti* Firenze 1854. 8. *Opuscoli.* Ivi 1856. 8. *Scritti inediti.* Roma 1857. 4. nec non Bonaini (Franc.) in op. Archiv. Storico.)

LEONARDUS *Pistoriensis* Etruscus ord. Praed. Theologus et Mathematicus circa A. 1280 (187 seu 1260 juxta Dondorium) praeter tractatus *de Arithmetica*, *de pratica Geometriae*, *et de computo Lunae secundum Doctores Ecclesiae*, (186 Qui e Bibl. D. Marci de Florentia nunc in Magliabechiana. Vide Zaccaria Bibl. Pistoriensi 215.) dicitur scripsisse *Summam Theologiae* tomis duobus distinctam. Vide Jacobum Quetif t. 1 p. 473.

LEONARDUS *Ragusinus* Ord. Praed. circa An. 1480 scripsisse traditur scholia sive commentarios *in S. Thomae summam Theologiam* universam, id. p. 857.

LEONARDUS *de Rubeis*, supra *Leonardus de Chifano.*

LEONARDUS *de Serubertis,* Ord. Praed. circa an. 1469 scripsit *vitam S. Antonini Florentini,* defuncti an. 1459 Exstat in Actis Sanctorum tom. 1. Martii 2. p. 326. Defunctus est hic Leonardus Anno 1481. Vide Jacobum Quetif t. 1, p. 859.

LEONARDUS de Datis, *Statius*, Florentinus Ord. Praed. Magister generalis, in Concilio Constantiensi inter examinatores Joannis Hussi, in quo et Anno 1415. *Orationem* habuit, et in Pisano An. 1409. Diem obiit an. 1425. Ex cujus scriptis praeter *Sermones* et *Epistolas* Jacobus Quetif. t. 1, p. 756 memorat *Commentarium in meteora Aristotelis.* (187 Diversus ab alio juniore de quo vide supra t. II. 431.)

LEONARDUS *de Valle Brixinensi* (Brixinthal in Comitatu Tirolensi) Ord. Praed. Professor Theolog. Viennensis circa A. 1457. scripsit tractatum *adversus Hussitas de Corpore CHristi. De communione laicali. De actibus elicitis et imperatis.* Commentarium *in HUGONIS* Cardinalis a) *epitomen Theologiae. Epistolam ad Acacium* capellanum Baronis de Walsec, de praedicanda Cruce et publicanda excommunicatione contra Hussitas in regno Bohemiae. MSS. in Bibl. Caesarea. Vide Jacobum Quetif tom. 1. pag. 816. et tom 2. pag. 823.

LEONARDUS Lector Conventus *Viennensis*, Ord. Praed. non diversus fortassis a superiore, Imperatori Friderico V. dicavit an. 1469. quos MStos in Bibl. Caesarea recenset Lambecius tom. 2. pag. 802. et Jac. Echardus tom. 1. de scriptis Dominicanorum pag. 823. et tom. 2. pag. 823. 1) *de modo mitigandi iratos. 2) de septem conditionibus viae Salutis in patriam Regni Coelestis*: 3. *de infidelibus orationibus et de virtute devotae orationis*, *4) de inductione Potentum ad libenter cogitandum de sua morte*, *occasione Alexandri magni. 5. de Imp. Vespasiani patientia*, ex *Jo Sarisberiensis* Policratico. *6. De Praesulum Ecclesiasticorum Germaniae conversatione seculari*, *exemplo Samuelis defensa*, ex Jordani *Chronico. 7) de indulgentiis. 8. de igne purgatorio* in homiliam *S. Augustini* quae incipit: *In lectione Apostolica quae* etc. *9) De indulgentiis inquisitiones XXV.* super tractatum Venerabilis *Antonini* Archiep. Florentini de eadem materia. 10.) *de Fide uxoria* ex Francisco Petrarcha. *11) Fabula de Griseldi* ex eodem Petrarcha, qui ex Jo. Boccacii Italico Latine reddidit. *12) Excerpta ex historia Barlaam. 13) Ex vita Henrici III. Imperatoris et Carolamanni Monachi. 14. Epistola qua imperatori agit gratias.*

LEONARDUS Matthaei *de Utino* Italus Ord. Praed. Theologiam docuit Bononiae, sacrasque Conciones habuit coram Eugenio IV. Florentiae an. 1435. deinde Romae atque aliis in locis, vitamque produxit

a) Imo HUGONIS Argentinensis. Vide supra t. 3. pag. 844.

usque ad an. 1470. Vide Trithemium cap. 803. ei Jacobum Quetif tom. 1. pag. 845. seq. *Sermones* ejus *de Sanctis* absoluti an. 1446, non illo anno excusi sed an 1466. Utini, et an 1473. et 1476. sine loco, Venet. 1475. 4. Ulmae 1475. Norimb. 1478. Spirae 1479. *Sermones de Dominicis et quibusdam festis*, Ulm. 1478. Vincentiae 1479 1480. et sine loco 1494. 4. Norimb. 1479. *Sermones Quadragesimales de Legibus animae fidelis, simplicis et devotae* Paris. 1477. Ulm. 1478. Norimb. 1478. Venet. 1473. Lugd. 1496. et 1501. *Tractatus de Sanguine CHristi in triduo mortis effuso, an fuerit Divinitati unitus* a) edente Marco Antonio Seraphino, Venet. 1617. 4. Tractatus *ad locos communes Concionatorum*. Ulm. 1478. *De inchoatione formarum* etc

* Vix credo tantam sermonum Monachi huius excusorum antiquitatem quantam hic obtinent. Nulla eorum editio antiquior mihi occurrit quam Veneta an. 1473. Nec alteram antiquiorem commemorat Maittaire in Annalibus Typographicis in Indice V. *Leon. de Utino.*

Nicolaus LEONICENUS Vicentinus, natus an. 1428. idemque Ferrariae ubi Philosophiam et artem Medicam per sexaginta amplius annos docuit: defunctus nonagenario major an. 1524. vir magni spiritus, et quem primum a barbarie in arte Medica revixisse et nugari desiisse ait Reinesius pag. 623. Var. lect. Hic rogatus qua ratione. nullo ciborum habito delectu, senectutis vitia eluderet? *vividum* inquit, *ingenium perpetua vitae innocentia, salubre vero corpus hilari frugalitatis praesidio facile tuemur*. Aphorismos Hippocratis, pluraque *Galeni* Latine vertit et interpretatus est. Scripsit praeter elegantes *Epistolas*, etiam de Plinii et aliorum Medicorum in Medicina erroribus, aliaque quae a Lindenio, Merklino et Mangeto in Bibliothecis Medicis recensentur. Videndus porro praeter Jovium Josephus Scaliger Epist. 19. Gesnerus in Bibliotheca et Nic. Commenus Papadopoli in Hist. Gymnasii Patavini t. 1. p. 297 seq.

* Inter claros Leonicenos et forte Venetos adiungendus et Bartholomaeus Leonicenus, qui saeculo XV floruit eiusque declamationes duae sunt in Cod. Latino 502 Venetae Bibl. S. Marci, in Iosephum de Alegris qui (scribit Zanettus in Indice MS. eiusdem Bibliothecae) *erat Catilinae temporum.* quando fuit facta coniuratio in civitate Venetiarum. Prior incipit *si quos humanarum.* Sunt etiam ibi carmina eiusdem in laudem civitatis seu potius, ut arbitror, gentis Atestinae, quorum primum

Stat inter celsos generosum nomen Atestes

Nicolaus LEONICUS *Thomaeus* Venetus, discipulus Demetrii Chalcocondylae, Bartholomaei Thomaei, de quo Pierius in infelicibus litteratis, frater, vir et ipse egregius atque elegantioribus imbutus litteris eandem *in Aristotele* illustrando industriam quam Leonicenus in Galeno posuit, unde factum quoque ut scripta utriusque passim confundantur et quae Leonici sunt tribuantur Leoniceno. Obiit Leonicus An. 1533. aetatis 76. Patavii, ubi per multos annos et Philosophiam Peripateticam primus docuit. Scripta ejus sut *Libri III Variae historiae* quos rebus jucundis scitu refertos compositosque a juvene a) edidit demum An. 1531. Basil. 4. recusos deinde Lugduni 1555. 12. *Dialogi X.* more Academico, Paris. 1520. fol. Lugd. 1532. et 1542. 8. 1) *Trophonius* sive de Divinatione. 2) *Bembus*, de animorum immortalitate 3) *Alvarotus*, de tribus animorum vehiculis. 4) *Peripateticus*, de nominum inventione. 5) *Sanutus*, de luctu compescendo 6) *Severinus*, de relativorum natura. 7) *Sadoletus*, de precibus. 8) *Phaebus* de aetatum moribus. 9) *Bonaminus* de alica tritici genere et cibarii confectione. 10) *Sanutus* de ludo talario ubi quaedam contra Gazam, Aristotelis interpretem. Exstant et dialogus undecimus de animorum essentia; et de intellectu quaestiones et naturalia atque amatoria problemata. Quae. porro hic Leonicus interpretatus est *Aristotelis*, *Procli*, *Michaelis*

a) Controversia agitata An. 1465.

b) Vide Vossium pag. 677. de Hist. Lat. B. G. Struv. Bibl. antiqua tom. 1 pag. 197.

Ephesii et Ptolemaei, apud Gesnerum videantur. Nam de morbo Gallico, scriptum et versionem Galeni de puero epileptico, Leoniceni potius esse duxerim quam Leonici, de quo Jovius, Nic. Comnenus pag. 302. Baelii Lexicon in *Thomaeus* etc.

LEONIDAS infra LEUCIUS.

LEONINUS de Porta S. Petri, scriptor *historiae Vicentinae*, circa an. 1354. non notus mihi nisi ex Cangio. Plura de eo dabit Michael Angelus Georgius, Eques Vicentinus, quem post. Jacobi Marzari, Barnabae Celsani et Jo. Baptistae Pajarini conatus parare vitas scriptorum Vicentinorum docuit me illustris Muratorius t. 13. historicorum Italiae pag. 1235. (189 Epigramma in fun. Cangrandis II. Mastini f. die 14. Dec. 1354 a fratre necati extat tantum. Vide *Ang. Gabb. di S. Maria gli Scrittori di Vicenza* Vic. 1772. I. 187.)

LEONIUS a) Presbyter Canonicus S. Victoris Paris. circa an. 1154. scripsit ad Abbatem S. Victoris, versibus Hexametris *Historiae Veteris et Novi testamenti*. Ex his libri XII. a Genesi ad Ruth, MSti in variis Bibliothecis b) Galliae. Caeteros libros an absolverit, non constat, certe adjungere ei fuit in animo, ita enim primam hanc operis sui partem concludit:

Sed cum propositi jam pars exhausta laboris
Sit non parva mei, pars major et altera restet,
Sintque satis magno bis sena volumina libro,
Bisque quater deni bis septem milia versus,
Ne tibi sint operis, Lector, fastidia longi,
Fessaque ne medio solvatur in aequôre navis,
Hic standum est; portuque licet figenda remoto
Anchora, cum pelagus et adhuc mihi grande supersit.

Habeo, inquit Oudinus, *ejusdem Leonii sive Leonis* Psalterium *quoddam non carmine sed metro pro more istorum temporum*, *constans*. centum et quinquaginta metris, in laudem beatissimae Virginis Deiparae, *MS. Buciliaci in Episcopatu Laudunensi*, *opusculum modicum*.

LEONOLDUS, infra LEOVOLDUS.

Thomas de LEONTINO, supra de LENTINO.

LEONTIUS *Arelatensis* Episcopus, qui Concilio Arelatensi an. C. 476. praefuit. Confer Henricum Noris lib. 2. Hist. Pelagianae cap. 15. Huic Leontio professionem fidei inscripsit Faustus Rhegiensis. Meminit et Sidonius VII. 6. Epist. et Ruricius lib. 2. Epist. 41. et lib. 1. Epist. 15. obitum ejus memorans. *Epistolam* ipsius *ad Hilarum* edidit Lucas Dacherius tomo. V. spicilegii pag. (edit. novae tom. 3. pag. 302) Plura de hoc. Leontio Tillemontius t. XVI. memor. Hist. Eccles. pag. 39. seq. Vide et tom. XV. pag. 77.

Potius LEONTIUS, *Burdelagensis* quem primum Aquitanorum vocat Sidonius VII. 12. Epist. Vide et Epist. 11. ejusdem libri et carmen 22. Ab hoc diversus Leontius *Episcopus Burdelagensis* Venantio Fortunato lib. 1. carm. 15. seq. et lib. 4. carm. 9. seq. celebratus, sui enim matrem *Liviam* vocat Sidonius lib. VIII. Epist. 11. et Fortunatus lib. 1. Carmine 17. et lib. 4. carmine 10. *Placidinam*. Sed fuit et alter Leontius Burdegalensis Episcopus anterior sive aetate prior, cujus Epitaphium exstat apud eundem Fortunatum lib. 4. carmine 9. S. Leontium Burdegalensem cujus vitam ad 15. Nov. exhibet Adrianus Bailletus circa An. C. 664. defunctum scribit Jacobus le Long. in Bibliotheca Gallica pag. 157. Quod vero Gabriel Lurbeus in Chronico rerum Burdegalensium hunc Leontium refert ad An. C. 485. alterum. ad 555. non magis certum est, quam quod Vinetus ad Epistolam 19. Ausonii, nomen integrum Paulini ad quem Ausonius scribit, putat fuisse *Pontium Paulinum Leontium*.

LEONTIUS, latinus *scriptor fabularum*, cujus meminit Jo. Alexander. Brassicanus notis ad Petronium pag. 572. editionis V. C. Petri Burmanni: *Marti gramen sacrum quod ex humano cruore procreatur. Memi-*

a) Ægidius Parisiensis libro V. Carolini sui, vocat *in sacris melico sermone LEONEM ludentem historiis*, apud Bulaeum tom. 2 hist. Academiae Paris. pag. 526.

b) Labbeus pag. 62. Bibl. MSS. Oudinus tom. 2. p. 1622. Cangius pag. 128. Jacobus Quetif. de scriptoribus Dominicanis t. 1. pag. 575. 576.

nit ei L. Apulejus de herbis, *et Leontius Mythographus*, *auctor minime malus*, *superioribus annis a nobis tantum non ab inferis excitatus, et aliquando cum Philologis communicandus.* Gesnerus in Bibl. *Leontii cujusdam librum in quo aliquot fabulae Poëtarum enarrantur, exstare, videor mihi alicubi legisse.* Nescio idemne sit *Leontius Grammaticus* cognomento *lascivus*, de quo Ausonius in professoribus Burdegalensibus Epigramm. 7.

LEONTIUS Episcopus *Forojuliensis* in Gallia Narbonensi circa A. C. 433. defunctus, cui Cassianus decem priores suas collationes dedicavit. Vide Henricum Noris lib. 2. Hist. Pelagianae cap. 3. el 15. Ludovicum du Four S. I. in Leontio Episcopo et Martyre suis Forojuliensibus Avenion. 1638. 8. Hadrianum Bailletum in vitis Sanctorum 1. Decemb. Sammarthanos tom 1. Galliae Christ. pag. 387. Vincentium Barralis in Chronologia sanctorum Abbatum Lerinensium pag. 126. seq. et Tillemontium tom. 12. memor pag. 468. seq.

LEONTIUS magister militum, ex praefectis praetorio, Consularis atque *Patricius*, quem Justinianus Imperator ad jus civile ordinandum et novum Codicem faciendum una cum Triboniano et aliis allegit An. C. 529. Videndum, idemne sit cum Leontio Scholastico et referendario, de quo tom. VII. Bibl. Graecae pag. 451. ubi de aliis Leontiis. Ad Theodebertum Francorum Regem legatus est ab eodem Justiniano, ut memorat Procopius lib. 3. de bello Gothico.

LEONTIUS *Nicopolitanus* apud Cangium ex Simlero vitiose pro *Neapolitano* in Cypro Insula. Sed is sub seculi septimi clarus initia, Graece scripsit non Latine, de cujus lucubrationibus dictum t. VII. Bibl. Graecae pag. 453.

LEONISTÆ sive Pauperes de Lugduno (*Leon* Lugdunum) ita describuntur a Reinero contra Waldenses Petri Waldi, Lugdunensis sectatores, cap. 4. t. XXV. Bibl. Patrum Lugd. 264. *Haec secta magnam habet speciem pietatis eo quod coram hominibus juste vivant*, *bene* omnia *de DEO credant*, *et* omnes *articulus qui in Symbolo continentur : solummodo Romanam Ecclesiam blasphemant et clerum, cui multitudo Laicorum facilis est ad credendum*, adde pag. 253. B. C. pag. 275. F. G. et 277. C. ubi *Leonista discipulus Juliani et Pelagi* appellatur. Vide etiam Edm. Martene tom. V. anecdotor. pag. 1761. Friderici I. Imp. constitutionem in Cherubini Bullario tom. 1. pag. 111. et Bzovium ad An. 1381. n. 9. Cangium glossario.

De LEOPOLDO Austriae Marchione, cognomento Pio an. 1136. 15. Nov. defuncto ejus genealogia, et gestis, vetera monumenta publicavit V. C. Hieronimus Pez tom 1. scriptorum Austriacorum pag. 575. seq. ubi etiam FRANCISCI *Patavi*, JCti, Advocati Consistorialis et Pauperum, Equitis et Comitis Oratio pag. 577. et Summarium Canonisationis Innocentio VIII. Papa an. 1485. factae, authore JOANNE *Francisco de Pavinis*, de Padua, S. Theol. et Juris utriusque Doctore et causarum S. Palatii Apostolici auditore pag. 593. Collectae in Missa, Sequentia et Hymnus de S. Leopoldo pag. 679. seq. ex Breviariis Ecclesiae Pataviensis an. 1509. 1514. 1517. 1522. Oratio illa exstat etiam apud Surium 15. Nov. et in Balthasaris Poltzmanni Compendio Vitae et miraculorum S. Leopoldi, edito an. 1591. ex quo itidem Summarium illud Pezius depromsit. Bullam Canonisationis habent etiam Cherubinus tom. 1. bullari pag. 463. et Bzovius ad an. 1485. n. XIV.

LEOPOLDI Ducis Austriae F. compilatio de Astrorum scientia, decem tractatibus typis exscripta Augustae 1489. 4. Ricciolo notante Leopoldus de Austria, Astrologus magnae famae floruit circa an. 1200.

Lupoldus a) *de Babenberg* sive LEOPOLDUS Decretorum Doctor et tertius hoc nomine Bambergensis ab an. 1352. ad 1363. Episcopus, Consiliarius Ludovici Bavari Imp. scripsit ad Baldevinum Lucemburgensem, Archiepiscopum Trevirensem *de jure Regni et Imperii Romani* librum editum an. 1508. 4. atque in Simonis Schardii sylloge de jurisdictione Imperiali b) Basil. 1566. fol. pag.

a) Aliis vitiose *Ludolphus* vel *Ludovicus de Rebenburg*. Vide Sandium ad Voss. pag. 367. edit. a me curatae.

b) Recus. Argentor. 1618. fol.

328. et ex Marquardi Freheri recensione Heidelb. 1603. 4. 1664. 4. cum Hieronymi Balbi libro de Coronatione, et Matthiae Flacii de translatione Imperii, et Argent. 1628. 4. curante Matthia Berneggero. Ejusdem Leopoldi librum *de Zelo Catholicae Fidei veterum Principum Germanorum* ad Rudolphum Ducem Saxoniae, post veteres editiones (de quibus Vossius pag. 460. Hist. Lat. et Hendreichius pag. 372. pandect. Brandenburg.) dedit idem Schardius pag. 410. unde recusus in Bibliothecis Patrum Colon. t XV. et Lugd. tom. XXVI. pag. 88. *Epistolas* hujus Leopoldi laudat Trithemius de luminaribus Germaniae cap. 106 De aliis ejus gestis Martinus Hofmannus in Annalibus Bambergensibus, editis a Jo. Petro de Ludewig pag. 205.

LEOVIGILDUS Cordubensis Presbyter secundum Cangium Anno 716. vixit: sed a Nicolao Antonio lib. 1. Bibl. veteris Hispanae pag. 344. docetur fuisse aequalis Samsonis qui Abbas Cordubensis fuit ab an. 863. ad 928. Scripsit Leovigildus *libellum de habitu clericorum atque ejus significatione.* Ut ab eodem Antonio cognoscimus, *Superest hic adhuc non publici juris factus, malo antiquitatum nostrarum fato, in libro magnae vetustatis, Gothicis characteribus exarato qui Regia in Bibliotheca Laurentina exstat teste Ambrosio Morale lib. XIV, cap. 3. Atque hunc eundem esse cum eo Leovegildo, qui in SAMSONIS apologetico laudatur, idem Morales prudenter existimavit. Ego autem nullus dubito quin ad hunc spectent versus ALVARI Cordubensis, qnos sub hoc lemmate habet Codex meus*: Versus in Bibliothecam Leovigildi, ejusdem Alvari. *Initium hoc*: Sunt hic plura sacra etc. *Abstinuerunt certe ab hoc manus logodaedali Toletani.* Haec laudatus Nicolaus Antonius.

LEOVOLDUS a) a Northa Westphalus Eques Marcanus, Canonicus Leodiensis et Abbas Visetensis. Leodicensis dioecesis, in gratiam Engelberti, Archiepiscopi Coloniensis, scripsit an. 1358. ipse Annos natus jam octoginta, Chronicon Comitum de Marca et Altena (a quibus descendunt Duces Juliacenses, Clivenses et Bergenses) a temporibus Ottonis III. ad an. 1358. cum alterius continuatione ad an. 1390. Primus edidit Henricus Meibomius avus cum notis Francof. 1623. 4. deinde Meibomius nepos t. 1. scriptorum rer. Germanicarum p. 377. 410. b) cui etiam Leovoldi *Catalogum Episcoporum Coloniensium* debemus a Materno usque ad Wilhelmum de Genope, an. 1349. et continuatum deinde ab alio usque ad Maximilianum Henricum an. 1650. tom. 2. pag. 13-16.

De LEPORIO Gennadius cap. 59. de S. E. *Leporius adhuc Monachus, postea presbyter*, c) *praesumens de puritate Vitae, quam arbitrio tantum et conatu proprio, non DEI se adjutorio obtinuisse crediderat*, Pelagianum *dogma* d) *coeperat sequi Sed a Gallicanis Doctoribus admonitus*, e) *et in Africa per* Augustinum *a DEO emendatus scripsit* emendationis suae libellum, f)

a) *Liebbold,* inde aliis *Lippoldus, Leonoldus* etc.

b) Viri Clariss. Justi Christophori Dithmari promissum in Ephemeridibus Paris. Ai 1728. Decembr. pag. 687. Scriptorum rerum Germanicarum Volumen, nondum quod sciam lucem vidit, quo contineri debebant *Levoldi, a Northof. Cronicon Marcanum ex authentico MSto multo quam antea accuratius, aliique Scriptores ad res praecipue Westphalicas pertinentes hactenus inediti, una cum supplemento ad Werneri Teschenmacheri Annales Cliviae.*

c) Apud Gallias, teste Facundo.

d) Non Pelagianum modo, sed Nestorianum quoque de quo idem Facundus, et Gennadius infra et Cassianus. Confer Jo. Pearsonium in Symbolum pag 421.

e) Circa An. 419. Vide Sirmondi Opera tom. 1 pag. 545 quanquam aliis aliud persuasum. Vide Pagium ad A. 420. n. 9. seq. Cardinalis Norisii Opera tom. IV. pag 889. Tillemont tom. XIII. pag 878. seq. et 1059. seq. ubi etiam LEPORIUM presbyterum Hipponensem ab altero Gallo distinguit, sicut etiam Qxesnellus pag. 508. diversum esse observat LEPORIUM Episcopum, qui ante S. Ambrosium memoratur in libello supplice Basilii Diaconi aliorumque ad Theodosium Aug. parte 1. Act. Concilii Ephesini capite. 50.

f) *Palinodiam* appellare possis *Epistolae* quae intercidit, et quae auctor scandali et offendiculum charitatis ipsi audit Leporio. Joannes II. Papa epist. ad Avienum et alios etiam palinodiam hancce *Epistolam* vocat. Joan. Cassianus lib. 1. de incarnatione cap. V. *flebiles confessionis et planctus litteras*, Facundus lib. 1. (tom. 2 Opp.

in quo et satisfacit de errore, et gratias agit de emendatione. Simul et quod male senserat de incarnatione CHristi, corrigens, Catholicam sententiam tulit, dicens manentibus in CHristo duabus Naturis, unam credi Filii DEI personam.

Hermannus de LERBEKE, supra, tom. 3. pag. 223.

LETALDUS sive LETHALDUS Miciacensis apud Aurelianenses, Monachus Ord. Bened. scripsit *de miraculis S. Maximini* a) Miciacensis Abbatis et confessoris, cujus memoria celebratur in martyrologiis 15. Decembris Edidit Jo. Mabillonius Sec. I. Sanctorum Ord. Bened. pag. 598. Auctor inter alia feriam quandam Episcoporum Aurelianensium et Abbatum Miciacensium referens, mentionem facit Lethaldi senioris Miciacensis Abbatis, seque notat vixisse temporibus Episcoporum Aurelianensium, Ermentei et Arnulphi, hoc est seculi decimi medium. Vide Sammarthanos tom. 2. pag. 240.

LETHALDUS idem fortasse cum superiore, quanquam Jo. Molano, Possevino, Bollando diversus, Monachus Cenomanensis, qui ad Avesgaudum Episcopum circa Annum 990. Cenomanensem scripsit sive expolivit, *vitam S. Juliani* Cenomanorum in Gallia Celtica Apostoli et primi Antistitis. Exstat in Actis Sanctorum tom. 2. Januar. 27. pag 762. 767. Apud Surium, a quo etiam ait Oudinus tom. 2, pag· 513. eam non reperio. De Avesgaudo Episcopo vide Sammarthanos tom. 2, pag. 514. Lethaldus *de delatione corporis S. Juliani* ad Synodum Karrofensem an. 588. habet Mabillonius Sec. IV. Benedictin. parte 1 p. 434.

LETHBERTUS, *Lietbertus*, Augustinianus, Canonicus Insulensis, postmodum S. Rufi Abbas prope Valentiam in Gallia Narbonensi. Scripsit *explanationes* sive *Flores Psalmorum*, quos ab ipso collectos ad Robertum Praepositum Insulanum deinde misit WaltherusMagalonensis Episcopus. Vide supra in GUALTERO *de Insulis* tom. 3, pag. 338. MStos memorat praeter Oudinum tom. 2, pag. 1081. Sanderus pag. 154. Waltherus sive Galterus Episcopatum Magalonensem gessit ab an. 1108 ad 1129. itaque fallitur Pitseus, qui secutus Baleum XIII. 32. hunc Letbertum pag. 275. refert ad an. 1210.

* Virum hunc doctum non superasse an. 1101 vel saltem 1114 tradunt ac demonstrant auctores historiae literariae Gallicanae t. IX. Vide de aliis eius scriptis eosdem pag. 577. *

Galvanus de LEVANTO Januensis sive Genuensis, Medicus Benedicti XII. ac deinde Presbyter circa an. 1340 Hujus tractatus quidam ascetici MSti in Bibl. Regis Christianissimi, quorum primus incipit: *Sanctissimo in CHristo Patri et Domino, Domino Benedicto, DEI gratia sacrosanctae Romanae Ecclesiae summo Pontifici, Galvanus de Levanto, Januensis, olim Medicus corporis solo nomine, nunc autem vermis terrae JEsu, osculum ante pedes. Qui regis Israel, intendis, et qui corporis mystici regimine* etc. Vide Oudinum tom. 3, pag. 895.

Sirmondi pag. 422.) *libellum satisfactionis.* Trithemius cap. 141. *Correctorium adversus haeresin* Honorius· II. 58. ex Gennadio *librum emendationis suae* Fragmenta ex Cassiano sola dederat Sirmondus t. 1 Concil. Galliae pag. 52. praemissa *Epistola Episcoporum Africae* Aurelii, Augustini Florentii et Secundini ad Proculum Massiliensem et alios Galliae Episcopos; Deinde integrum Leporii libellum nactus vulgavit tom. 1 Opusc. dogmatic. cum Capreolo et aliis, Paris 1550. 8. recusum inde in Conciliorum tomis tom. 2 Labbei pag. 1678. et Harduini tom. 1 pag 1263. et Coleti Veneta tom. III. et in Bibl. Patrum Lugd. tom. VII. pag 14. atque in Joannis Garnerii Mario Mercatore tom. 1. pag. 225. et cum Garnerii emendationibus t. 1 Opp. Sirmondi Paris. 1696. Venet. 1729. pag· 545. Paschasius vero Quesnellus in notis ad Leonis Magni Epist 154. non dubitat, Epistolam Episcoporum Africae, et similiter hunc Leporii libellum, ex Leporii sensu tamen, dictatum ab AUGUSTINO putatque se hoc non temere opinari sed praeter conjecturas quasdam non improbabiles, ductum auctoritate Synodi Chalcedonensis et Leonis M. in collectione testimoniorum pro asserenda veritate duarum in CHristo naturarum, et Codicis Grimanici fide.

a) Ejusdem Maximi vitam scripsit BERTOLDUS Monachus Miciacensis, quam ex Codice Petaviano sicut Letaldum ex Codicibus Regiis 541. et 627. edendum laudavit Labbeus pag. 19. Bibl. MSS.

Andreas LEUCANDER. Supra t. 1 p. 89.

LEUCIPPUS citatus a Galvaneo Flamma in manipulo Florum.

LEUCIUS Photio Cod. 114. LUCIUS *Charinus*, Pseudo Hieronymo in Epistolis ad Chromatium et Heliodorum SELEUCUS, Manichaeus, cujus *Actus* sive *Periodos*, apocryphae *Apostolorum* Petri, Joannis, Andreae, Thomae et Pauli, Jacobi minoris et Matthiae a veteribus memorantur ac rejciuntur. Loca ex iisdem citat non uno loco S. Augustinus, usus Latina versione, vel Photius (quod tamen minus verisimile) Graeca. Vide quae in Codice Apocrypho Novi Testamenti, ubi etiam de apocrypho Leucii *Evangelio*, quod Latine MStum Oxoniae in Bibl. Collegii Corporis CHristi evolvit Clariss. Grabius ad Irenaeum lib. 1. c. 17. Diversus ab hoc LEUCIUS quem inter hostium Divinitatis CHristi adversarios laudat Epiphanius haeresi LI. 6· pag. 427 et a quo animatos se, Montanistas falso affirmare ait Pacianus Epist. 1.

LEVOLDUS, supra LEOVOLDUS.

Coenobita Crucis S. LEUTFREDI scripsit *vitam S. Leutfredi* Abbatis in Ebroicensi Normanniae dioecesi, defuncti Anno 738. Exstat in Actis Sanctorum tom. IV. Junii 21. pag. 105 112 post editionem Jacobi Brulii in supplemento Antiquitatt. Paris. et Vincentii Barralis in Chronologia S. Insulae Lerinensis, Surii ad 21. Jun. edit. an. 1618 et Mabillonii Sec. 3. Benedictin parte prima. Vide et Vincentium Bellovac. speculi historialis XXIII 128.

LEVUTIUS de *vita* nescio cuius *S. Joannis* Episcopi MS. Cantabrigiae teste Thoma Jamesio apud Vossium p. 712.

LIBERATUS Archidiaconus Carthaginiensis, et defensor trium Capitulorum scripsit circa An. 553. *breviarium causae Nestorianorum et Eutychianorum*, res annorum 135. succincta narratione percurrens. In utraque Conciliorum Petri Crabbe editione huic breviario subjungitur appendix, quam deinde praetermisere Binius, tom. IV. sive tomis parte 2. Regia t. XII. Labbeus tom. V. et Venet. Coleti tom. VI. Harduinus Liberatum ipsum etiam omisit, quia separatim editus fuit cum notis Jo. Garnerii, Paris. 1675 S. Longe magis emendata est haec Garnerii editio; Appendix autem, quae in hac quoque abest, continet varia Epistolia apud Facundum et alibi obvia, Joannis CPol. et Gregorii Naz. ad Theodorum Mopsuestenum, Isidori Pelusiotae ad Cyrillum Alex. Defensionem fidei factae a Cyrillo, ejusdem epistolam: nec non testimonia Cyrilli ex lib 22. thesaurorum, ex interpretatione Levitici, et ad Theodosium Imp. et epistola 2 ad Successum et lib. de Trinitate: Athanasii lib. 4 contra Arianos, Gregorii Nysseni ex lib. 4. in beatitudines, Gregorii Naz. in Epiphania, Anastasii Papae ad Ursinum, Gelasii Papae ad Episcopos per Dardaniam constitutos, Theodoreti de SS. Trinitate et contra Sabellium. Postremo loco ponitur S. Quintiani Episcopi Asculani ad Petrum Antiochenum fides, cum Anathematismis XII. obvia in tomis Concilior. ad An. 484. Indiculum scriptorum et haereticorum a Liberato memoratorum dedi Bibl. Graeca t. XI. p. 443.

LIBERATUS *Gerundensis*, Monachus Benedictinus et Abbas Pampilonensis, An. 614 ut ajunt Pampilone defunctus, commentitius scriptor *Chronici*, ad Dextri, Maximi, Juliani, Hauberti commenta stipanda, ne perpluerent, in lucem producti et pseudo Hauberto subjuncti a Gregorio Argaizio, Benedictino. Madrit. 1667 fol. quod ab ipsis sagacioribus Hispanis exploditur ut nominatim a Nic. Antonio t. 1. Bibl. vet. Hispanae p. 210 316 400 etc.

LIBERIUS Episcopus Romanus ab An. 352. Maji 24 ad An. 366. Sept. 23 quanquam metu compulsus Arianis communionem aliquo tempore non denegavit, professionique a Demophilo sibi oblatae. sive posteriori, ut Petavius a) in notis ad Epiphanium et Blondellus b) contendunt, sive priori, ut Baronio c) et recentioribus quibusdam d) novo rationum praesidio in-

a) Pag. 316. ad Epiphan. confer Valesium ad Sozomeni IV. 15. et Pagium ad A. 357. n. 12.

b) In Opere de primatu in Ecclesia, Gall ce edito pag. 480. 484.

c) Ad an. 357. n. 46. seq. Matthaeus Larroquanus diss. de Liberio Romano, Genev. 1670. 8. p 192. seq.

d) Tillemont tom. VI. memoriar. pag. 419. seq. 772. seq.

structis placet, subscripsit, ut reditum ab exilio impetraret. Tamen lapsum hunc suum pulchre deinde visus est reparasse, ita ut S. Ambrosius lib. 3. de Virginibus cap. 1. praecepta *beatae memoriae Liberii* dicat se revolvere, *ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior.* Non absimiles honoris ac venerationis titulos meruit a) a Basilio Magno Epis. 74. ab Epiphanio haeresi 75. cap. 7. a Siricio demum Epist. ad Himerium Tarraconensem. Itaque et nomen eius in additionibus ad Usuardum et Bedae martyrologio nec non in eo quod a Wandelberto versibus scriptum tom. V spicilegii Dacheriani editum est, Sanctis adscribitur. In Petri Coustant Epistolis Romanorum Pontificum pag. 421 seq. haec Liberii, quorum pleraque in tomis Conciliorum et apud Baronium exstabant, novo studio recensita atque illustrata leguntur: 1) Epistola *ad Osium* Episcopum Cordubensem quam exhibet etiam Agvirrius tom. 2. Concil. Hispan. pag. 77. 2) *ad Caecilianum* Spoletinum Episc. 3) *ad Eusebium* Vercellensem. 4) *ad Constantium Imp.* missa per Luciferum Calaritanum 7) *ad Eusebium, Dionysium et Luciferum*, in exilio constitutos. 8) Liberii *dicta ad Eusebium spadonem*, et 9) *colloquium* Liberii *cum Constantio Imp.* ex Athanasii hist. Arianorum ad solitarios b) Graece et Latine. 10) Epistola *ad Orientales.* 11) *ad Urfacium, Valentem et Germinium.* 12) *ad Vincentium*, Episcopum Capuanum. 13) *ad Catholicos Episcopos Italiae.* 14) Legatorum Lampsacenae Synodi An. 366. ad Liberium, Graece et Lat. ex Socratis IV. 12. et Sozomeni VI. 11. Graece et Latine. 15) Liberii *ad universos Orientis orthodoxos Episcopos* Graece et Latine ex Socratis IV. 12. 16) Notitia *Epistolarum* non exstantium aut suppositiarum quae Liberium Papam spectant p. 463. seq. Censura *Decretorum* trium Liberio apud Ivonem et Burchardum atque in Conciliorum tomis adscriptorum pag. 468. 17) *Gesta Liberii Papae* apocrypha quorum initium: *Anno regni Constantini regis*, cum censura exhibentur a Constantio in appendice p. 89. 18) Epistola Liberio supposita licet jam memorata in Hilarii fragmentis *ad Coepiscopos per Orientem constitutos,* cujus initium: *studens paci et concordiae Ecclesiarum* pag. 95. 19) *ad Athanasium* Liberii, et Athanasii ad Liberium Epistolae mutuae c) suppositiae, Graece et Lat. p. 97. Aliae Latine apud Blondellum in Pseudo-Isidoro pag. 482. Athanasii ad Liberium et p. 485. Liberii *ad Athanasium* et *ad universos Episcopos* pag. 477.

D. LIBERIUS Poeta, cujus et BELISARII acrostiches sive versus hexametri quorum primae pariter, nec minus postremae litterae reddunt verba: SEDULIUS ANTISTES, exstant in quibusdam Sedulii poetae Codicibus MStis, atque inde in Bibliothecis Patrum, et Sedulio B. Cellarii pag. 111 nec non in Georgii Fabricii notis ad Poetas Christianos pag. 68.

Lilius Ægidius LIBERIUS Tifernas, Gregorii Tifernatis de quo supra tom. 3, p. 96. civis et discipulus, praeceptor Raphaëlis Volaterrani, scripsit Epitomen *Herodoti*: et *Philonis* Judaei opera vertit Latine, quas Sixto IV. et Innocentio VIII. dicavit; nec non *Dionem* Chrysostomum de regno, atque alia quaedam sive hujus sive Joannis Chrysostomi scripta. Vide Gesnerum, Frisiumque

LICENTII d) *ad Augustinum praeceptorem carmen quo eum ad edendos de Musica libros hortatur,* quod incipit: *Arcanum*

a) Benedictini not. ad S. Ambros. t. 2 p. 173.

b) Athanas. tom. 1 edit. Montfauconianae pag. 363. adde Theodorit. II. 14. Hist.

c) Tom. 2 Athanas. pag. 668.

d) Hunc Licentium loquentem inducit S. Augustinus libris de Ordine, et Christianum fuisse docet lib. 1. cap. 8. poëticaeque admirabiliter deditum lib. 1. cap. 2. et 3. qui Pyrami et Thisbes et alios hujusmodi amores carmine cantasset cap. 3. et 8. Academicae defensor Philosophiae cap. 4. De eodem lib. 2. contra Academicos cap. 3. *quam totam fabulam, nam subito Æsopus factus sum, Licentius tibi* (alloquitur Romanianum Licentii parentem) *carmine suavius indicabit, poeta est enim paene perfectus.* Cap. 4. ait. Augustinus, tractatione librorum Virgilii quos Licentio interpretatus fuerat, illum ita fuisse inflammatum in poeticum studium, ut reprimendus aliquantum videretur. Adde lib. 3. cap. 1. et 4.

Varronis a) *iter scrutando profundi mens hebet.* Occurrit in Epistola Augustini XL. quae vigesima sexta est in t. 2. novae edit. quam Parisiis curavit Thomas Blampinus aliique Benedictini congregat. S. Mauri. Exstat quoque inter poematia vetera a Petro Pithoeo racensita editaque Parisiis 1590 12. p. 535. et Lugd. 1596 8. Porro falluntur Gyraldus, Vossius, Borrichius Bailletus, Brietius, Cangiusque qui *Hipponensem* fuisse affirmant Licentium, cum fuerit *Tagastius* civis Augustini. Plura de hoc vide sis apud virum doctissimum Ægid. Menagium cap. 98. Anti. Bailleti.

LICHFELDENSIS Canonici *Historiam Archiepiscoporum Cantuariensium*, ab Augustino, quem Gregorius Papa An. 596. in Angliam misit, usque ad Simonem Mepham An. 1333. defunctum, habuit MStam Henricus Warthonus, seq. noluit edere, quoniam nihil haberet quod non ab aliis uberius esset traditum. Vulgavit tamen ejus *Chronologiam* sive *Indiculum de successione Archiepiscoporum Cantuar.* ab eodem Augustino usque ad Wilhelmum Warham, qui An. 1532. diem obiit. tom. 1. Angliae sacrae pag. 89-124. atque additamenta XVIII. ad Veterem Historiam Lichfeldensem ab An. 703. ad Annum 1321. pag. 444. ad 447. et continuationem ab An. 1359. ad 1559. pag. 448-459. ex Historia ejus Lichfeldensi An. 1575. scripta. Nomen Angli hujus Canonici, GVILELMUS *Withloche.*

Conradus a LICHTENAU. Supra tom. 1. pag. 384.

LICINIANUS sive LUCINIANUS Spartariae Carthaginis in Hispania circa An. 584. Episcopus, in Scripturis doctus, cujus *Epistolas* nonnullas legisse se testatur Isidorus Hisp. cap. 29. de S. E. ipsumque occubuisse CPoli, veneno ut ferebant ab aemulis extinctum. Epistolam *de Sacramento baptismatis*, quam ex Isidoro memorat etiam Honorius III. 35. de S. E. hodie desideramus. Desideramus etiam Epistolas quas plures eum Isidorus ait scripsisse ad *Eutropium* Abbatem, Valentiae postea Episcopum: quem idem Isidorus cap. 32. ait ex Liciniano rogasse *pro qua re baptizatis infantibus, Chrismatis unctio tribueretur* Seq. exstat *Epistola ad Gregorium M.* qua ejus librum Regularum sive Pastoralem. et Moralium opus in Jobum commendat, edita a Dacherio tom. 2 spicileg. pag. 368. atque inde in Agvirri Conciliis Hispaniae tom. 2 pag. 427. atque emendata a Baluzio in edit. nova spicilegii Dacheriani tom. 3 pag. 313. Nec non Epistola *ad Vincentium* Episcopum Ebusitanum contra eos qui credunt epistolam sub nomine CHristi factam ut dies Dominicus colatur, de coelo cecidisse super altare in memoria sive templo Petri Apostoli: quae cum Luitprando Ramiresii prodiit pag. 529. et in Bivarii notis ad pseudo Maximi Chronicon pag. 581. et in Agvirrii Concilior. Hispaniae tom. 2. pag. 428. Alteram vero quae sub ejusdem Liciniani nomine apud Ramiresium et pag. 582. apud Bivarium sequitur, ad eundem Vicentium Epistolam de eo quod Epistola Jacobi sit filii Zebedaei, suppositam probat Nic. Antonius tom. 1 Bibl. vet. Hispanae IV. 2. 34. pag. 212. seq.

LICTARDUS infra LISIARDUS.

LIETBERTUS infra LITBERTUS.

Joannes Philppus de LIGNAMINE, Messanensis, Eques Siculus, pater Antonii de Lignamine, an. 1514. Messanensis Archiepiscopi: ipse Medicinam Perusii docuit, deinde Romae Sixti IV. Archiater, typographiam in suis habuit aedibus, Sixtoque dicavit compilationem Chronologicam, sive epitomen *Pomarii* RICOBALDI Ferrariensis, sine auctoris nomine editam Romae 1474. fol. continuavitque ab an. 1316. ad 1469. Emendatiorem utramque vulgavit Joannes Georgius Eccardus tom. I. scriptorum medi aevi pag. 1225. et 1299. Lipsiae 1733. fol. et integriore etiam Codice usus illustris Muratorius thesauri scriptorum Italiae tom. IX. Mediolani 1726. fol. Librum *de Sibyllis* Romae 1481. 4. editum, scriptaque Medica de conservatione Sanitatis 1475. 4. et de cibo ac potu salubri nocivoque ibid. Laudat Antoninus Mongitor tom. I. Bibliothecae Siculae pag. 362.

a) Puto IX. libros Varronis de disciplinis signari a Licentio.

Joannes de LIGNANO, supra p. 380.

LIGURINUS, supra in GUNTHERO, 3. 163.

Joannes LINDNER, sive *Tilianus*, a patre sartore *Sartorius*, Monachus Pirnensis Ordinis Praedicatorum, natus Monachimonte, oppido Franconiae, Magister Lipsiensis, scriptor *Chronici Universalis* ordine nominum alphabetico digesti et an. 1529. dicati Georgio, Duci Saxoniae, atque adhuc inediti, quod MStum servat Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis. De eo consuleudi Viri clarissimi Christianus Schoetgenius et G. Christoph Kreysig in Analectis diplomaticis et curiosis histor. superioris Saxoniae, Germanice editis, parte 1. pag. 150. seq.

Hubertus LINDSEY, supra, CIMBERTUS, tom. 1. p. 352.

Guilelmus LINDWOODUS, supra t. 3. 142.

Nicolaus de LINNA, Nordfolciensis Anglus, Carmelita, Theologus Oxoniensis, Mathematicusque insignis, qui vitam produxit usque ad Annum 1390. De eo videndus Oudinus tom. 3, pag. 1157. seq. ubi scripta in Bibliothecis Angliae servata memorat. *reductorium morale*, *expositiones*, *sive capita in Sacram Scripturam*, exceptis Epistolis. *Canones super tabulas* GVILELMI *Read*, de quo supra tom. 3. pag. 153. *Tabulam conjunctionum Solis ac Lunae cum veris planetarum locis: tabulam eclipsium solis*: et *Calendarium antiquum*. Longe plura aqud Pitseum pag. 505 video memorari: *Pro ordine Carmelitano. Pro aegrotantibus. De variis genituris. De figuris et signis. De sphaera judiciali. De natura Zodiaci. De Planetarum domibus. Astrologorum dogmata. De mundi revolutione. De usu astrolabii. De astrorum judiciis.*

LINTBERTUS, Trithemio LUTBERTUS, ex Monacho Fuldensi Abbas primus Hirsaugensis ab an. 838. ad 853. cujus pulchrum *in Cantica Canticorum* tractatum legisse se scribit Trithemius, qui multa de hoc viro in tom. primo Chronici Hirsaugiensis.

Joannes LINTURIUS, supra p. 381.

S. LINUS, primus, ut ferunt, post Petrum Papa, *scripsit*, teste Sigeberto cap. V. de S. E. *Graeco sermone Martyrium Petri et Pauli una die passorum, et Ecclesiis orientalibus destinavit.* Eadem legas in vita Nerei et Achillei apud Surium 12. Maj et in Actis Sanctorum tomo I. Maji pag. 10. Ac Labbeus quidem tomo. 2 libros Graece et Latine in monumentis Orthothodoxographis Basileae editos esse A. 1550. Labbeum sequitur Clarissimus Caveus in Chartophylace: Sed in Historia literaria hoc recte omisit. Nam ne latine quidem in Micropresbytico An. 1550. vulgato aut in ulla Orthodoxographorum editione comparent sive Heroldi An. 1555. sive Gesneri An. 1559. sive Grynaei denique An. 1569. Graece vero nunquam hactenus editi sunt, ut adversus Labbeum recte notat Rev. D. Ittigius dissertatione de Patribus Apostolicis pag. 47. seq. Latine primus vulgavit Jacobus Faber ad calcem sui in Epistolas Paulinas commentarii, Parisiis 1512. fol. Neque hic e graeco in latinum illos transtulit; ut tradit Ulricus Velenus libro, quod Petrus Romae non fuerit, persuasione 16. et Andreas Saussaeus de mysticis Galliae scriptoribus pag. 187. seq. quales in codice Bibliothecae majoris Monasterii in Gallia invenit, latine protulit, et post eum Laurentius Barre in Historia veterum Patrum, Parisiis 1583. fol. ut Bibliothecas Patrum universas, et Acta Sanctorum tomo. V. Junii 29. pag. 424. omittam. Utrum Vesontione sinceri et a Manichaeorum fuligine liberi hi duo Lini libelli reperiantur, veluti post Joannem Jacobum Chifletium parte 2. Vesontioni pag. 9. tradit Ludovi-Jacobus a S. Carolo Biblioth. Pontific. part. 1. pag. 153. et Andreas Saussaeus de Mysticis Galliae scriptoribus pag. 187. apud ipsos, qui haec testantur fides esto. Nondum certe in lucem prolati sunt. Ili vero, qui publice extant omnium propemodum confessione fabulosi, supposititii et Episcopo Romano ejus aetatis cujus Paulus 2 Timoth. IV. 21. meminerit, plane indigni. Ut paucis quibusdam Jacobo Fabro, Sixto Senensi, Salmerone, Coccio, Lipsio, qui judicio suo usi non sunt exceptis, agnoscunt plerique omnes, etiam e Pontificiis Baronius ad annum CHristi 44. § 45. An. 68. §. 6. An. §. 4. Bellarminus de scriptoribus Ecclesiast. et lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 9. Espenaeus libro 7. de continentia

cap. 2. Joannes Maria Brasichellensis in indice librorum expurgandorum, Possevinus in apparatu sacro, Raynaudus pag. 119. de bonis et malis libris, Lorinus, Miraeus, Labbeus, Elias du Pin, Tillemontius ec. Georgius Henschenius in Actis Sanctorum, Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana veteri t. 1. lib. 1. cap. 8. p. 30. Richardus Simon lib. 3. Historiae Criticae N. T. p. 465. et qui prae caeteris diligentissime hos libellos examinavit, et tanquam imperiti nebulonis opus, cujus scripta aeternis tenebris sepeliri debuissent, rejecit Nurritus in apparatu ad Bibliothecam Patrum parte 1. dissertat. 6. testatur pag. 74. varios se MStos horum Actorum Cod. 300. 400. et 500. annorum lustrasse. E Doctoribus Reformatis Robertus Cocus in Censura Scriptorum, Andreas Rivetus in Critico sacro, Gerhardus Joannes Vossius de Historicis Graecis lib. 2. cap. 9. Hottingerus in Elencho scriptorum supposititiorum, Hoornbeckius pag. Miscell. Caveus etc. Ex nostratibus denique Lutheranis Caspar Barthius libro 43. Adversariorum cap. 13. Augustus Varenius rationario Seculi primi pag. 139. seq. B. t. Ittigius loco laudato, et Wilhelmus Ernestus Tentzelius in dialogis vernaculis anni 1692. pag. 669. seq.

LIOS, fortasse ELIÆ Monachi, inquit Cangius, *libellus Sacerdotalis*, heroico, sed rudi carmine compositus MS. in Bibl. Sangermanensi, Cod. 634.

LIPSIENSE Chronicon breve ab. Anno 1301. ad 1498. editum a Clarissimo Joanne Burchardo Menckenio, tomo tertio scriptorum rerum Germanicarum pag. 55-63 et Chronicon Lipsicum Thomanum, sive Chronicon terrae Misnensis in Anno 1486. desinens, tomo secundo pag. 315-376. (ex editione Celeberrimi Struvii, Jenensi A. 1720. et ad illud Supplementa t. 3. pag. 166-168.

LISIARDUS, *Lixiardus*, sive *Lictardus*, Turonensis Clericus, et ab Anno 1153 ad 1168. Decanus Laudunensis, a) scriptor *Ordinarii*, sive cerimoniarum et officii Divini in illa Ecclesia Eidem Barthius libro CLXVII. Adversariorum cap. 7. b) et in notis ad illud scriptum c) tribuit *Historiam Hierosolymitanam*, quam sine nomine auctoris publicavit Bongarsius in gestis DEI per Francos pag. 594 621. et in qua res ab An. 1100 ad 1124. Auctor. persequitur.

LISIARDUS, Episcopus Svessionensis ab an. 1108. ad 1127. qui HARIULFO de vita *S. Arnulphi* appendicem *de ejus miraculis* adjunxit. Vide supra tom. 3. p. 179 et Vossium p. 380 408. Sandiumque.

LITBERTUS, supra, LETHBERTUS, pag. 554.

LIUDGERUS, sive *Ludgerus*, natione Frisius, Episcopus Mimigardensis, sive Monasteriensis in Westphalia, circa annum 809. defunctus, atque inter Frisiorum Saxonumque Occidentalium celebratus Apostolos. Vide Hermanni Hamelmanni opera genealogica pag. 146 et 549. sed praecipue Acta Sanctorum tom. 3. Martii 26 p. 626. seq. ubi praeter Vitam ab Alfrido scriptam est quoque altera vulgata pridem a Browero, et tertia apud Surium 26. Mart. Vide, quae dixi in ALFRIDO tom. 1, pag. 65. ac quae in UFFINGO, Monachi WERTHINENSIBUS, atque OTHELGRIMO sum dicturus. *Erat Liudgerus*, Alfridi verba sunt libro 2. vitae cap. 2. 7. *in Scripturis sacris non mediocriter eruditus*, *sicut in* libro *ab eo composito* de vita *venerabilium Doctorum*, Gregorii *scilicet et* Albrici *aperte probatur. Sed et* primordia S. Bonifacii adventus et ordinationis, *quae fuerant in alio opusculo praetermissa, pulchro sermone ipse descripsit* Hanc *vitam Gregorii Trajectensis*, qui S. Bonifacii discipulus fuit, editam habemus a Christophoro Browero statim in limine siderum illustrium Germaniae, Moguntiae 1616. 4. et apud Mabillon. tom. 4. Act. SS. Benedictin. pag. 319 et excerpta de S. Bonifacio ex illa vita in Actis Sanctorum tom. 1. Junii V. pag. 483. Fallitur vero Baronius ad Martyrolog. Rom. 25.

a) Dacherius ad Huibertum Novigentinum pag. 820.

b) Caput illud editum in Diario Theologico *Unschuldige Nachrichten* A. 1709. p. 580.

c) In Joannis Petri Ludewig. reliquiis veterum monumentorum t. 5. p. 523.

Augusti, ubi Gregorii hujus memoria recolitur: ait enim vitam Gregorii exstare apud Surium 26. Martii, ubi modo vita Ludgeri a Werthinensibus Monachis scripta legitur. Caeterum *Epistola ad Rixfridum de canonizatione S. Sviberti*, supposita esse ostenditur in Actis Sanctorum tom. 1. Martii 1. pag. 81. et tom. 3, pag. 638. seq. Exstat cum Rixfridi commentitia ad Ludgerum Epistola apud Surium 1. Martii.

S. LIVINUS, natione Scotus, ab Augustino, Anglorum Apostolo, susceptus e sacro fonte et sacerdotii ordine decoratus, inde Archiepiscupus Hiberniae, sive silvestris Scotiae, Gandavum venisse cum tribus discipulis traditur circa annum 633. longiusque profectus ad Hescam Flandriae, CHristum ibi praedicasse et martyrium subiisse. Ita vetus narratio ex breviario Gandensi apud Surium ad 12. Novembris, et ex Christiani Massaei libro 3. Chronicorum Mundi, Baleus XIV. 16. et Jacobus Waraeus de scriptoribus Hiberniae p. 21. Vitam Livini a BONIFACIO scriptam edidere Serarius et Mabillonius, ut dixi tom. 1, pag. 241. Livini *elegiam ad Florbertum*, Abbatem monasterii S. Bavonis, de imminente sibi a Brabantis palma martyrii, et *epitaphium S. Bavonis* itidem versibus elegiacis, edidit Usserius in Epistolarum Hibernicarum sylloge, Dublin. 1632 4. Parisiis 1665 4. pag. 19 et 21 et Mabillonius tom. 2. Sanctorum Ordinis Benedictini pag. 404. *Homiliae* a Baleo memoratae nusquam exstant. Reliquias Livini Gandavum translatas tradunt An. 1007. unde Possevini hallucinatio, Livinum illo anno vixisse.

LIVINUS Gallus, Ordinis Minorum, in Palaestina Martyr An. 1345 de quo Waddingus tom. III. Annal. ad illum Annum. Ex scriptis ejus idem in Bibliotheca p. 238 memorat opuscula de *CHristi Infantuli et B. Genetricis elogiis.*

T. LIVIUS, Ferrariensis, Orator et Poeta circa annum 1430 dictus etiam *de Frulovisiis*, (al. *de Filonistis*) scripsit *Vitam Henrici V.* Angliae et Galliae Regis ab an. 1422. ad 1460 MStam in in variis Bibliothecis Angliae, notavit Oudinus tomo 3. pag. 2309. Ex ejus *libro de de Orthographia* Adamus Rechenbergius in dissertatione de ineptiis Clericorum Romanorum litterariis § 7. affert hanc notationem nominis ancillae: *Ancilla ex Graeco an, h. e. circum, et cilleo, h. e. moveo, quod circummovetur ad servitium.*

S. LIUTBIRGIS Reclusae, *Vitam* scripta ab Anonymo Benedictino circa seculum decimum, editaque a V. C. Bernardo Pezio tomo 2 Anecdotorum parte 3. pag. 146-178. Capite XVIII. pag. 176. S. Ansgerus sive Anscharius noster traditur ibi ad eam misisisse pullas eleganti forma, *quas illa et in Psalmodiis et in artificiosis operibus educavit, et edoctas libertate concessa seu ad propinquos, sive quo vellent, ire permisit.*

LIUTBRANDUS, infra, *Luitbrandus.*

LIUTOLFUS, infra, LUDOLPHUS.

LOBARDUS *Sirichius*, infra, LOMBARDUS.

Michaël LOCHMAIER, Germanus, Canonicus Pataviensis, sive Passaviensis Theologiae ac Juris Canonici Doctor, scripsit *Parochiale*, sive *Directorium Curatorum*, Lipsiae 1497. Haganoae 1498. Basileae 1514. et Parisiis 1513. 4to. Ejusdem *Sermones de Sanctis*, Hagnaoae 1497. et Argentorati 1500. fol. Vide Oudinum tom. 3. pag. 2369.

LODRISIUS, supra, LEODRISIUS.

LOGOTHETA Neapolitanus circa annum 1303.

LOISELIANI Annales Regum Francorum ab anno CHristi 741. ad 814. quibus usus Regino et Bertinianorum scriptor Annalium: editi ab Andrea du Chesne tomo. 2 scriptorum rerum Francorum p. 24-49. ex MS. Antonii Loiselii.

Gvalterus a) sive *Nicolaus* b) LOLLHARDUS a quo c) *Lollardorum* nomen sub ini-

a) Vide Natalem Alex. tom. 7 Hist. Eccles. pag. 105. edit. in fol. Hottinger tom. 6 Hist. Eccle. pag. 9. Gvil. Saldenl Otia pag. 552. seq.

b) Jacobi Lenfant Hist. Concilii Pisani tom. 2 pag. 289.

c) A *lolio* dictos argutantur Bzovius ad A. 1387. n. 10. et Petrus Maria Grassi, de ortu ac progressu haeresium Jo. Wiclefi, cap. V. Giornale de' letterati d' Italia tom. 17. pag. 115.

tia seculi XIV. ante Wiclefum dari coeptum iis qui postea Wiclefistae, in Anglia atque deinde aliis in regionibus. Vide celeberr. C. D. Jo. Georgii Walchii diss. de Lollardis, Seculi XIV. testibus Veritatis in Anglia. Jen. 1732. 4. Lollardorum adversarii *Thomas* LOMBE, ROGERUS *Dimocus* STEPHANUS *Anglicus* etc. de quib. suo loco.

LOLLIUS Urbicus Historiam sui temporis scripsit post Antonium Diadumenum, teste Lamprido in Diadumeno cap. 8. distinguendus adeo a Lollio Urbico, per quem legatum suum Britannos ab Antonino Pio victos scribit Julius Capitolinus in Pio cap. V. Diadumeno A. C. 218. Heliogabalus successit: Antonino Pio Philosophus A. 161.

LOMBARDIÆ et *Marcae Trevisanae Cronicon* ab A. 1207. ad 1270. auctore Monacho Paduano sive Patavino S. Justinae Ord. Bened. editam in Christiani Urstisii scriptoribus, Basil. 1584. et Francof. 1570. fol. pag. 577. et deinde a Felice Osio cum Mussati Historia atque mantissa de Civitate Paduae, Venet. 1636. fol. atque a celeberr. Petro Burmanno in tomo sexto thesauri Italiae, ac denique emendatius a laudatissimo Muratorio scriptorum Italiae tomo octavo.

LOMBARDICA Historia, supra JACOBUS *de Viragine*, pag. 310.

Petrus LOMBARDUS Novariensis, Magister Sententiarum. Infra, PETRUS.

LOMBARDUS Placentinus Romanae Ecclesiae *subdiaconus* et domesticus exiliique socius S. Thomae Catuariensis, vero nomine *Heribertus de* BOSHAN sive *Bosianensis*, postea Cardinalis et Archiepiscopus Beneventanus ab An. 1171. usque ad 1179. quo Archiepiscopatu se abdicavit. Hunc cum Petro Lombardo eundem facit Baronius ad A. 1167. n. 61 quod refellit Pagius ad eundem annum n. XXII. Refert ibi Baronius n. 59. Lombardi hujus Subdiaconi *Epistolam ad Alexandrum III.* quae inter epistolas Thomae Cantuar. a Christiano Lupo Bruxellis editas est CLXVI. Ughellus quidem tom. VIII. pag. 123. ubi *duo diplomata* Lombardi et unum Alexandri ad Lombardum exhibet, eum ab Heriberto illo, quem Anglum facit, praeter rem distinguit: verum in Catalogo eruditorum Thomae Cantuariensis familiarium, qui a Lupo, quadrilogo de vita Thomae subjunctus est pag. 158. diserte probatur idem fuisse. Alia ejus scripta, *Vita ejusdem Thomae*, quam in Gallicos rhythmos etiam transtulit Petrus Longatesta, Canonicus Augustinianus, teste Lelando cap. 190. *Epistolarum volumen. Liber de suis peregrinationibus. Glossae in Psalmos, in quatuor Evangelia, et in Pauli Epistolas.* Vide quae supra tom. 1 pag. 33. et 245. Baleum III. 15. Pitseum p. 244. et Oudinum tom. 2 p. 1517. seq.

LOMBARDUS *Sericus*, a) Italus Patavinus, vitiose *Lobardus Sirichius* An. 1379. supplevit ultimamque manum addidit libro Petrarchae de viris illustribus, ad Franciscum Carrariensem Principem. Exstant et mutuae hujus Lombardi et Petrarchae Epistolae. Scripsit itidem de quibusdam memorandis mulieribus. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. IX. pag. 158. seq. * In MS. Cod. Latino n. 601 Taurinensi extat Lombardi huius dialogus *de dispositione vitae suae ad Franciscum Petrarcham.* Vide Catalogum MSS. Codicum Taurin. II. p. 160. Vide PETRARCHA.

Thomas LOMBE sive LOMBÆUS Anglus, Carmelita, Theologus Oxon. circa A. 1400. scripsit *Lecturas in S. Scripturam. Super IV. libros Sententiarum. Contra Lollardos* sive ut Lelando *contra Vicoclivienses* (Wiclefistas.) *De incarnatione Domini. Sermones. Determinationes Theologiae. Quaestiones Ordinarias.* Vide Trithemium cap. 663. de S. E. Lelandum cap. 462. Baleum VI. 91. Pitseum pag. 544. Alegrium pag. 319.

Joannes LONGINUS, supra DLUGOSSUS tom. 2. pag. 455.

Joannes LONGUS idem qui supra *Joannes Bertinianus*, pag. 345. *Iperius* sive *Iprensis* pag. 373 et *Sithivensis* pag. 427. De versionibus ejus Gallicis Itinerariorum BICULTI, ODORICI Forojuliensis et Guil. BOLDENSLEVII aliisque scriptis Gallice, videndus Oudinus tom. 3, pag. 1097.

Oliverius LONGUS Prior ad S. Bavonem,

a) *da Serigo.*

Ord. Bened. prope Gandavum circa an. 1450. scripsit *vitam B. Caletae*, sed Belgice, de qua Acta Sanctorum tom. 1. Martii 6. pag. 533. Caetera Latine, opinor, de quibus Oudinus tom. 3, pag. 2564. *De Sacramento Eucharistiae et de tenendis ac credendis circa illud Sacramentum. De defectibus circa Missam. De vitio Simoniae in religione. De reditibus ad Vitam.*

Theodoricus LONGUS Sup. LANGEN 526.

Joannes LOPEZ sive *Lupius*, Salmanticensis Hispanus Ord. Praed circa an. 1464. scripsit contra *superstitiones Judaeorum*. Vitam S. Dominici, Vitam S. Vincentii Ferrerii Valentini. Sermones. Vide Jacobum Quetif tom. 1, pag. 826. qui etiam de juniore Joanne Lopez itidem Hispano celebri Dominicani Ordinis Historico an. 1632 aetatis 108 defuncto videndus t. 2 p. 474.

LOTHARIUS I. Imperator ab an. 840 ad 855 quo Monasterium Prumiense in Arduenna ingressus diem obiit. 3. Cal. Octobr. vide Launoji partem 4. Epist. 8. p. 354. atque infra, NITHARDUS.

De LOTHARII II. Imp. Saxonis electione Moguntiae an. 1125. *narratio* apud Hieronymum Pez tom. 1 scriptorum Austriacor. pag. 570 seq. Ejusdem *Diplomata* quaedam in tomo primo Chronici Gotwicensis p. 326. seq. Idem in sigillis et diplomatibus etiam vocatur LOTHARIUS III. respectu Lotharii cui an. 855. Austrasia sive Lotharingia contigit. Erat is Lotharii I. ex Hermingarde filius. Vide Sirmondi Opera tom. 3 pag. 287 et Jo. Mich. Heineccium de sigillis p. 100. Lotharii III. *Epistolae IV.* atque una Rychyzae Conjugis ad Monachos Casinenses, leguntur ad calcem Casinensis Chronici ab Angelo a Nuce illustrati n. 2121. Hic est Lotharius a quo Juris Romani usus foris Germaniae suasu Irnerii restitutus traditur. *Epitaphium* ejus in Lotharia Caesarea an. 1139 sepulto obvium in Jacobi Tollii Epistolis itinerariis p. 8 atque alibi.

LOTHARIUS frater Caroli Regis, cujus diploma Ecclesiae S. Stephani Lugd. datum circa an. 865. edidit Baluzius tom. 2. Misc. pag. 149

LOTHARIUS Ludovici IV. filius, Galliae Rex ab an. 954 ad 983. Hujus diploma Compendiense an. 975. apud Dacherium notis ad Guiberti Novigentini Opera p. 649.

LOTHARIUS JCtus Cremonensis an. 1189. aemulus Azonis, jus Bononiae docuit, glossisque Leges illustravit. Vide Pancirollum II. 26. idem deinde Vercellensis Episcopus, et an. 1207. Archiepiscopus Pisanus ac denique an. 1215. Patriarcha Hierosolymitanus. Vide Ughellum tom. 3. pag. 422. tom. 4. pag. 796. Alius etiam LOTHARIUS Cremonensis JCtus junior an. 1215. De utroque Arisius tom. 1. Cremonae litteratae pag. 93 et 100. * Apud Muratorium Antiquitt. III legas praestitum ab eo juramentum nullo alio in loco, quam Bononiae se publice jus civile professurum. Signantur tabulae illae an. 1189. *

Fundatio Parthenonis sive Monasterii puellarum, sororum Ord. Praed. in LOTHEN, Mindensis dioecesis an. 1265. post modum in oppidum Lemgo translati, exstat in Meibomii tom. 3 scriptorum rerum Germanicarum pag. 535. *Chronicon* ejusdem Parthenonis ab an. 1265 ad 1447. t. 1. ejusdem Meibomii pag. 526-532.

LOTSALDUS S. Sylviniacencis Monachus Ord. Bened. scripsit ad Stephanum Episcopum *Vitam S. Odilonis*, Magistri sui Abbatis quinti ab an. 994 ad 1049. Cluniacensis. Compendium sine nomine auctoris edidit Andreas du Chesne in Bibl. Cluniacensi pag. 1814 seq. adde notas pag. 73 integriorem Bollandus in Actis Sanctorum tom. 1. Januar. 1. pag. 65-71. Sed nondum integram, nam ea quam in compendium misit *Petrus* DAMIANUS (quod etiam hodie extat Compendium) tribus libris constabat. Vide supra in JOTSALDO, (idem enim est) pag. 526. ubi etiam de *planctu* super Odilonis transitu, versibus scripto hexametris, qui incipit: *Ad fletus voces extendat chorda sonoras* in Bibl. Cluniacensi pag. 329-332.

LOVATUS JCtus et Poëta Patavinus circ. an. 1310. Urbem Patavinam descripsit, ac quaedam de Guelfis ac Ghibellinis in litteras retulit. Laudant Albertinus Mussatus, et quem proxime a C. V. Jo Erhardo Kappio exspectamus, Xicco Polentonus. Vide Vossium pag. 794.

LUCAS *Abbas* Montis S. Cornelii Leodio vicini a) Ord. Praemonstratensis b) circa an. 1140 praeter Sermones et Epistolas scripsit ad Milonem Tarvanensem sive Morinorum Episcopum, Commentarium *in Cantica Canticorum* inde ubi desinit APONIUS, de quo supra tom. 1. pag. 124 continuatum a versu octavo capitis quarti, editumque cum Aponio, Friburgi, 1538 f. atque inde in Bibliothecis Patrum, et postrema Lugdunensi tom. XIV. p. 128-139.

LUCAS *Assisias* Ord. Minor. Regens Studii Parisiensis, atque inde custos magni Conventus suae patriae circa an. 1440 scripsit opusculum *de CHristi incarnatione*, laudatum Waddingo pag. 238.

LUCAS *Bosdenus*, Anglus, Carmelita an. 1340. Doctor Oxoniensis scripsit Quaestiones *in sex principia Gilberti Porretani.* Vide Lelandum cap. 368. Hisce Baleus V. 24 eumque secutus Pitseus pag. 439. addunt commentarium *in VIII libros Physicorum Aristotelis*: et *Quaestiones Theologiae.*

LUCAS Ord. Cisterc. B. Joachimi Abbatis, qui Ordinis Florensis fundator fuit et an. 1202 obiit, scriba et familiaris, inde *Consentinus* in Calabria citeriore regni Neapolitani Archiepiscopus ab An. 1204. ad 1224. scripsit *synopsin virtutum B. Joachimi* editam ab Ughello tom. IX. Italiae S. pag. 205· atque inde in Actis Sanctorum tom. 7 Maji 29. p. 93. Exstat et apud eundem Ughellum pag. 203. seq. Lucae diploma insertum bullae Honorii III. et datum A. 1215. et aliud pag. 212. A. 1223.

LUCAS *S. Cornelii.* supra, *Lucas Abbas.*

LUCAS *Legionensis*, infra *Lucas Tudensis*

LUCAS *Mannellus*, nobilis Florentinus Ord. Praed. ex Ziconensi et A. 1345. Auximano Episcopus An. 1360. Fanensis, de quo Ughellus tomo 1 pag. 593. et 666. Jacobus Quetif de scriptis Dominicanorum tom. 1 pag. 652. et Julius Niger in scriptorum Florentinorum historia pag. 384. Praeter *sermonem*, quem anno 1343. coram Papa Clemente VI. et Cardinalibus Avenione habuit, scripsit *Compendium Moralis Philosophiae* ad Brutium Vicecomitem et *expositionem Epistolarum Senecae ejusque moralis Philosophiae.*

(190 Vid. Pelli (Gius.) *Elogio* in Op. *Serie d' illustri Toscani. Firenze* 1766. t. 1.)

LUCAS *Manzolus* Pontormitanus, Florentinus, Ordinis Humiliatorum, ex Episcopo Fesulano, an. 1408. Cardinalis, defunctus an. 1411. 14 Septembris. Scripsit *Summam Casuum Conscientiae*, tractatum *de augustissimo Sacramento*, et sub nomine LAURENTII de Ridulphis *Consilium pro Collegio Cardinalium contra Pseudopontifices.* Vide Julium Nigrum pag. 385. et G. Josephi Eggs purpuram doctam t. 1, pag. 514. seq. Ughellum t. 3 p. 258 sq. (191 Lastri (Marco) *Elogio* in op. *Serie d' Illustri Toscani* t. 1.)

LUCAS *Patavinus*, Monachus Ordinis Minorum, de quo Trithemius cap. 501. et Waddingus pag. 238. qui testatur diem obiisse an. 1245 atque scripsisse *Sermones in Evangelium et Epistolas*, et *Sermones de Sanctis*

LUCAS patria Legionensis Hispanus, et ex Canonico Regulari coenobii Legionensis S. Isidori, et Diacono Tudensi Episcopus *Tudensis* ab an. 1239 ad 1288. de quo praeter Jo. Marianam praef. ad libros Lucae adversus Albigenses et libro XII. 12 de rebus Hisp. Oudinum tom. 3, pag. 153. aliosque, Prudentius Sandoval in antiquitatibus Ecclesiae Tudensis pag. 148. seq. et Nicolaus Antonius Bibl. veteris Hispanae lib. VIII. cap. 3.

Scripsit adhuc Diaconus ut ipse ait, *praecepto gloriosissimae Hispaniarum Reginae Berengariae*, sive potius continuavit interpolavitque *Chronicon* ab Origine Mundi ad aeram Hispan. 1274 sive A. C. 1236 et distinxit in *libros quatuor*, quod ISIDORUS Hisp. de quo supra pag. 464. seq. rebus Hispanicis potissimum illustrandis deduxerat ad A. C. 631. HILDEFONSUS de quo supra tom. 3, pag. 241 usque

a) Non Benedictinus ut Trithemio cap. 189. de S. E. et illustr Benedictin. II. 98. visum et Sixto Senensi. Vide Oudinum tom. 2 p. 1262.

b) Vide Miraeum ad appendicem iunctam Henrico Gandavensi de S. E. cap. cap. IX.

ad an. 672 et JULIANUS Toletanus de quo supra pag. 474 usque ad anno 680. Quae sequuntur libro tertio et liber totus quartus Lucam auctorem habent. Edidit Andreas Schottus tomo quarto Hispaniae illustratae Francof. 1608. folio. De hoc opere et de Hispanica ejus versione, mantissam ad an. 1252 sive mortem Ferdinandi III. usque adiunctam habente, videndus Nic. Antonius tom. 2. Bibl. vet. Hispanae pag. 41.

De altera vita, fideique controversiis adversus Albigensium errores libri III. primum An. 1609 ab eodem Schotto cum Joannis Marianae prolegomenis, vulgandi missi ad Jacobum Gretserum: qui edidit cum REINERO et aliis Ingolstadii 1613 4 recusos nuper inter Gretseri opera tomo XII. et in Bibliothecis Patrum Paris. tom. IV Coloniens. t. XIII et Lugd. t. XXV p. 188.

In Bibliotheca Jesuitica tum Alegambii pag. 258 tum Sothwelli pag. 477 ubi horum librorum fit mentio, auctor per errorem typorum Lucas *Tridentis Episcopus* pro Tudensi appellatur.

S. Isidori Hispalensis vita et miracula et *Historia translationis*, transmissa a Nic. Antonio prodiit in Actis Sanctorum tom. 1. April. 4. pag. 330 351 cum notis Henschenii, et sine illis in Mabillonii Seculo secundo Sanctor. Ord. Bened. ut Caveo notatum et Oudino.

LUCENTIUS tempore Concilii Chalcedonensis Episcopus Æsculanus, cuius *epitomam Chronicorum* laudat Liberatus cap. 2 breviarii. Hujus esse Chronicon sive continuationem Chronici quae sub PROSPERI nomine legitur, persuasit sibi Joannes Garnerius in notis ad Marium Mercatorem t. 1. pag. 242. seq. et ad Liberatum pag. 7. et 59. Vide infra in PROSPERO.

Alvarus de LUCIA *et Mendoza*, infra, LURIA.

LUCIANUS *Bellovacorum* Apostolus et Martyr. Infra, ODO Episcopus.

LUCIDUS Presbyter in *Synodo Arelatensi* circa an. 475. habita revocare coactus plura capita quae ad Praedestinatianorum haeresin videbantur accedere, quamquam pleraque commodam interpretationem admittere non diffitetur Patavius, qui de hoc Lucido ejusque scriptis consulendus lib. XIII. cap. 7. de Verbi incarnatione. FAUSTI Rejensis Episcopi Epistola Synodica ad Lucidum cum Lucidi libello emendationis legitur in tomis Conciliorum et in Sirmondi Conciliis Galliae tom. 1, p. 148 150. Confer Lud. Thomassinum tom. 1. ad Concilia diss. XIII. pag. 435 seq.

LUCIFER Calaritanus, sive, ut veteres hoc nomen efferunt, Caralitanus, καραλων in Sardinia Episcopus, qui anno Christi 371. diem obiit. Latine non Graece scripsit, quanquam scripta ejus Graece transferenda curavit S. Athanasius, sive ut in Marcellini et Faustini libello precum pag. 38 traditur, ipse transtulit. *Dicant nunc quid Lucifer novum docuerit. Et bene quod libros scripsit ad Constantium, non ut plerique, gloriam captans ingenii, sed Divina testimonia aptissime congerens contra haereticos* (Arianos) *et contra ipsum Patronum haereticorum* (Constantium.) *Quos quidem libros cum per omnia ex integro ageret, suspexit et Athanasius ut veri vindices, atque in Graecum stylum transtulit, ne tantum boni Graeca lingua non haberet.* Ad hunc Luciferum duae Athanasii Epistolae exstant Latine inter Luciferi opera et inter Athanasii tom. 2. edit. novae pag. 965. Earum alteram emendatiorem quoque dedit Chiffletius ad Vigilium pag. 109. De Lucifero quem Zelus incredibilis et constantia confessoribus, asperitas in Episcopos poenitentes horumque receptores, Schismatis reis adscripsit, videndi Salvator Vitalis praef. ad Annales Sardiniae, tom. 15 thesauri antiquitatum Siciliae, post editionem Florentinam 1639 fol. recusis: Godfridus Hermantius in vita Athanasii, libro praecipue IX. cap. 11. Tillemontius t. VII memoriar. pag. 514 seq. et tom. XII. p. 50. ubi de Hieronymi Dialogo adversus Luciferianos, qui Luciferum ipsum tamen beatum vocare non dubitat, et bonum pastorem. Paschasius Quesnellus dissertatione XIV. ad Leonem M. e qua repetitae notae quae Faustini et Marcellini libello precum in editione Oxoniensi subjiciuntur. Benedictini notis ad S. Ambrosium

tom. 1, pag. 1127 et Papebrochius tom. V. Actor. Sanctorum Maji 20 pag. 197 a) ad 225. qui pag. 205. laudat Ambrosii Machin, Archiepiscopi Calaritani defensionem sanctitatis Luciferi, ad Urbanum VIII editam Carali an. 1639. fol. Pro eadem pugnat Antonius Macedo in libro de Diis tutelaribus Orbis Christiani pag. 215 seq. licet contra eandem multi, ut Natalis Alexander in selectis capitulis Historiae Saeculi IV. parte 1. pag. 245 seq. Apostolicus vir dicitur in libello precum a Luciferianis composito pag. 10. *Sed et Apostolicus vir Lucifer, ob hoc quod bene esset agnitus per contemtum saeculi, per studium sacrarum litterarum, per vitae puritatem, per constantiam fidei, per gratiam Divinam, a Romana Ecclesia missus est legatus ad Constantium: et ob hoc quod fidem venerabilem vindicavit, quod detexit et convicit haereticos, ductus est in exilium cum omni atrocitate injuriarum.* In scriptis eius familiam ducunt *libri duo pro Athanasio ad Constantium Imp.* in quibus totam S. Scripturam ordine percurrit ex singulis libris ordine repetens quae ad Constantium applicet et quibus persecutionem ejus detestetur. Liber secundus a Jeremia incipit. Quoniam vero alia versione usus est Lucifer, loca pleraque aliter leguntur quam in Latinis nostris Bibliorum Codicibus, ut apparet ex collatione qua J. Lodovicus de la Cerda cap. CLXIII. Adversariorum sacrorum pag. 404. 414. dicta in priore Luciferi libro allegata cum interpretatione Vulgata contulit. Caetera Luciferi scripta non minorem Zelum spirantia sunt: *De Regibus Apostaticis. De non conveniendo cum Haereticis. De non parcendo delinquentibus in DEum. Quod moriendum sit pro Filio DEI.* Quibus denique *Epistola* brevis *ad Florentium* subjicitur. Nonnullae Latini Latinii castigationes ad editionem Luciferi curatam a Joanne Tilio, Paris. 1568. 8. b) atque in editionibus Patrum Colon. et Lugd. repetitam exstant in ejus Bibliotheca sacro profana pag. 157. 163. Sed merito doleas cum Caveo et Colomesio (in paralipomenis paa. 255 et Observatt. sacr. pag. 139) non vidisse lucem editionem Luciferi quam parare se professus est Cotelerius ad Constitutt. Apostol. II. 57. his verbis: *Caeterum hic ubi locum Luciferi illustrare conatus sum, Auctoris omnium (quod nemo nescit) depravatissimi,* c) *utilissimi tamen ad cognitionem Scripturarum, admonitum te velim, Lector candide, me in purgando eo Augiae stabulo plurimum laboris impendisse, paratumque esse ad procurandam editionem, si librum aliquem MS. nactus fuero. Ut si forte in manus tuas, aut notitiam venerit, mecum communicare non dedigneris, hominem non ingratum singulari beneficio tibi devicturus.* Post Cotelerii mortem nihil inventum esse, ex Baluzii fide notat Rich. Simon. tom. 1, pag. 60. Observatt. in Dupinium. Sunt qui suspicantur consilium illud deinde Cotelerium abjecisse, ne Luciferi verbis Regem suum, Hugonottis tunc gravem pulsare videretur. Qui vero Luciferi in Constantium, Imperatorem suum lacessentis acerrime scripta laudant, facilius excusabunt quae Lutherus externi Regis scripto respondens paullo asperius scripsit. Sicut autem Lucifer verbis licet vehementior, quod ipse pluribus Prophetarum exemplis in Reges apostatas defendit, tamen alienissimus semper fuit ab omni violentiae d) vel rebellionis consilio, ita ut paratum ubique Martyrio ferendo animum ostendat: idem etiam de Luthero nostro, jure dixeris.

* Quod ortodoxi Luthero crimini vertunt non est utique spiritus seditionis in saeculares principes; sed reum perduellionis in Fidem et Catholicam Ecclesiam postulant. Quanquam nec laudandum censent quod Sacram Regis majestatem indignis adeo modis traduxerit. Nec est cur exem-

a) Hinc colligas falli Natalem Alex. qui Luciferum solitum coli inter sanctis a Sardis non putat hunc antiquiorem esse Luciferum, sed alterum juniorem in persecutione Vandalica exulem, de quo Ruinartus pag. 594.

b) Hanc editionem cum MSto bonae notae collatam evolvi in Bibl. Joannea hujus Urbis.

c) Adde Millii praef. ad Novum Test. n. 772. seq.

d) Confer Samuelis Parkeri Religion and Loyalty tom. 1 pag. 560. seq.

plo Luciferi Calaritani Episcopi excusetur, cum impar sit utriusque causa; ille enim pro bona, hic pro mala laboravit. Quin et Lucifer quanquam Constantium Imp. lupum appellavit, quod Athanasii insontis et inauditi damnationem ab Episcopis exigeret, se tamen paratum in obsequium eiusdem, dummodo nihil contra fas mandaret professus est. Lutherus vero summum Regiae majestatis contemptum ubique in eo scripto praetulit ut et fatuum illum dicere non est veritus, eique in faciem exprobraverit quod *Majestatem Anglicam luto suo et stercore conspersit, quod damnabilis putredo sit et vermis*, et id generis alia permulta. Id equidem in magistro suo probare non est ausus insignis ille Lutheri Apologista Seckendorfius, quare commen. Luther lib. 1. Sect. 46 pag. 185 scripsit *Duo aut tria forte loca ubi cum familiaribus liberius jocatus omitti potuissent.* *

S. LUCIUS I. Romanus, Papa ab anno 252. Octobris 10 ad annum 255. Martii 4. De quo Acta Sanctorum tom. 1. Martii pag. 301 seq. ubi etiam pag. 304. Vita ejus scripta a GUAIFERIO, sive GAUFERIO (Lud. Jacobo, GWIFERO) Monacho Cassinensi, de quo supra tom. 3. p. 25. addita pag. 308. appendice ex Breviario Slesvicensi. Ad hunc Lucium ab exilio reversum Epistola *S. Cypriani* circa initium anni 253 data legitur inter Cyprianicas, edit Oxon LXI. Pamelii vero et Baluzii LVIII. Sed Lucii Epistolae interciderunt, quarum idem Cyprianus Epist. LXVIII. Oxon. (Pamel. et Baluz. LXVII.) et cum notis Petri Coustant in Epistolis Pontificum pag. 207. ad Stephanum Papam: *Servandus est antecessorum nostrorum beatorum Martyrum* Cornelii *et* Lucii *honor gloriosus. Illi enim pleni Spiritu DEI et in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem constituerunt, et poenitentia acta fructum communionis et pacis negandum non esse*, litteris suis *signaverunt.* Epistolam sub Lucii nomine *ad fratres in partibus Occidentalibus tam in Galliis quam in Hispaniis*, venditatam ab Isidoro Mercatore, exhibet rejicitque Blondellus in Pseudo-Isidoro pag. 321. *Tria decreta* apud Gratianum Lucio supposita notat Petrus Coustant in Epistolis Pontificum pag. 208.

Alius LUCIUS cujus Epistola An. 257. scripta in exilio inter Cyprianicas est Oxon. LXXVIII. Pamel. et Baluz. LXXIX.

LUCIUS II. antea *Gerardus Caccianimicus*, Bononiensis, ex canonico Lateranensi et Cardinali S. Crucis Presbytero Papa ab anno 1144. Martii 10. ad annum 1145. Februarii 13. Ejus. *Epistolae decem* in Conciliorum tomis. ALPHONSI, Regis Hispani, ad Lucium, cum Lucii responsione, in Baluzii tomo. 2 Miscell. pag. 220. seq. et tomo. 3 Conciliorum Hispaniae Aguirrii pag. 353. Lucii ad Raymundum, Episcopum Toletanum, idem pag. 351 et ad Archiepiscopos et Episcopos Hispanos pag. 352. ULGERII, Episcopi Andegavensis, Epistolae quae ad hunc Lucium apud Andream du Chesne tomo. 4 scriptorum rerum Germanicarum pag. 769. 770. Lucii Bulla An. 1144. confirmans Concordiam initam inter Canonicos Ruthenenses et Monachos Massilienses apud Baluzium tomo. 2 Miscell. pag. 218. Epistola ad Conradum, Romanorum Regem, non integra tamen apud Albericum in Chronico ad annum 1144. pag. 303.

LUCIUS III. Lucensis, ante Hubaldus sive Ubaldus Allucingolus, ex Ostiensi et Veliternensi Episcopo et Cardinali Decano Papa ab anno 1181. Augusti 29. ad annum 1185. Novembris 25. In tomis Conciliorum ejus *Epistolae*: 1) ad Episcopos et Clericos Scotiae de absolutione Wilhelmi, Scotiae Regis, ab excommunicatione. 2) ad Henricum II. Angliae Regem pro subventione facienda terrae Hierosolymitanae. 3) Decretum contra haereticos Catharos, Patarinos et eos, qui se Humiliatos vel Pauperes de Lugduno vocant, Passaginos item, Josepinos et Arnoldistas, promulgatum in Concilio sive Conventu Veronensi, de quo vide Pagium ad Annum 1185. Epistola ad Abbatem Montis S. Quintini apud Dacherium in appendice ad Gviberti Abbatis Novigentini Opera p. 620. Decreta plura Lucii Papae exstare in Codice MS.

apud Carmelitas Lugdunenses, testatur Ludovicus Jacobus pag. 155. Bibliot. Pontificiae.

LUCIUS *Charinus*, sup. LEUCIUS, 555.

LUCIUS *Dexter*, de quo t. 2 p. 441.

LUCIUS *Collutius Pierius Salutatus de Stignano*, de quo supra t. 1 pag. 369.

LUCTATIUS *Placidus*, certe a *Lactantio*, de quo supra p. 503. et ab antiquiore *Q. Lutatio Catulo et Q. Lutatio* altero historico utroque (de quibus Vossius pag. 38. et 54.) diversus, Grammaticus Christianus, Sedulio junior et Boethio a) quorum testimoniis utitur, Hujus exstant scholia *in Statii Thebaidem*, obvia in antiquis Venetis Statii editionibus et in Lindenbrogiana: tum in libros duos primores *Achilleidos* quoque, primum edita in Frid. Lindenbrogii Statio Francof. 1600. 4. *Argumentum metamorphoseon Ovidianarum*, alii ad Tiberium Donatum referunt. De utrisque dixi in Bibliotheca Latina lib. 2. c. 16. et lib. 4. cap. 15.

LUCULENTUS, cujus Varii Sermones MSti in Bibl. Vallicellana teste Mabillonio tom. 1 musei Ital. p. 69. fortasse elogium potius quam proprii nominis appellatio.

LUDIGERIUS Cellae Veteris Abbas tertius in Misnia Ord. Cisterc. circa A. 1220. Ejus *sermones festivales per diversa anni tempora, liber azymorum et Oratio de S. Bernardo* MSS. Lipsiae in Bibl. Paulina. Vide Oudinum t. 3. p. 84. seq.

S. LUDGERUS, supra LIUDGERUS, 559.

LUDOLPHUS, sive LUITOLPHUS, LUITHOLDUS Episcopus Augustanus ab anno 900. ad 996. In Concilio Romano A. 993. legendum obtulit libellum *de vita et miraculis Udalrici*, Episcopi ab anno 923. ad 973. Augustani, illum ipsum nempe, qui extat in M. Velseri operibus p. 573. sq. et in Actis Sanctorum tomo. 2 Julii IV. pag. 125. seq. et in Mabillonii Actis Benedictin. sec. V. Æthereos inter proceres exinde, sanctumque Senatum adscriptus Udalricus. Vide Joannis XV. Pontificis bullam Canonisationis apud eundem Mabillonium, et in tomis Conciliorum, ut Labbei tom. IX. pag. 741 et Harduini tom. VI. pag. 727. et apud nobilissimum Lunigium tom. 2. spicilegii Ecclesiastici statim in limine: Prima etiam haec in Viri illustrissimi Justi Fontanini Codice Constitutionum solennis Canonisationis Sanctorum ab An. 999. ad 1729. edito Rom. 1730. fol. Vide laudati Mabillonii praef. ac Sec. V. Benedictin. §. 101. Dan. Papebrochium diss. de solennium Canonisationum initiis ac progressibus insertam propylaeo. ad Acta Sanctor. Maji p. 552. seq. et tom. 1. Junii 95.

LUDOLPHUS *de Babenberg*, supra LEOPOLDUS pag. 552. et tom. 3. 341.

LUDOLPHUS *Carthusianus*, infra, *Ludolphus Saxo*.

LUDUVICUS *Pinella*, Anno 1497. rector Gymnasii Navarrei, et Anno 1505. Cancellarius Parisiensis, inde Meldensis Episcopus ab Annno 1505. ad 1516. Jacobo Fabro Stapulensi judice *perspicacissimus litterariae palestrae censor et dux, omniumque in eo legitime decertantium praemiator aequissimus*. De eo Launojus in historia Gymnasii Navarrei pag. 614 seq. et Sammarthani tom. 3. Galliae Christianae pag. 705. Scrpisit *brevem annotationem injunctionum quae factae sunt Sacerdotibus curam animarum habentibus in Synodo Meldensi an. 1511*.

LUDOLPHUS, sive LUITOLFUS, Presbyter, scripsit post Rabanum Archiepiscopum Moguntinum, qui an. 856 obiit, duobus libellis ad Erlarium Diaconum *Vitam S. Severi* Episcopi Ravennatensis, qui an. 347. Concilio Sardicensi interfuit. Edita est a Bollando tom. 1. Februarii p. 88 91.

LUDOLPHUS, aliis *Leutholfus*, vel corruptius *Landulfus, Saxo*, Bergomensi Alemannus, hoc est, ut Trithemio et aliis Teutonicus sive Germanus: quanquam familiae nomen contendat esse V. C. Urbanus Gothofredus Siberus libro de illustribus Alemannis pag. 109 seq. ubi digno Ludolphi hujus ingenium ac virtutem elogio celebrat. Dominicanis ille primum no-

a) In indice auctorum in Scholiis ad Statium allegatorum notatur etiam *Marcianus*. Sed Martialis Poetae ibi non Marciani Capellae verba afferuntur.

men dedit circa an. 1300 deinde ad Carthusianos cum accessisset circa an. 1326 post aliquot annos Prior Argentinensium Carthusianorum, diem obiit supremum: scriptor judice H. Wartono *vere pius et supra seculi sui morem elegans*. De scriptis ejus praeter Theodorum Petraeum aliosque Carthusianos accurate Jacobus Quetif tom. 1 de scriptis Dominicanorum pag. 568. Ejus opus praecipuum *Vita Christi*, manu exaratum auctoris, veneratione non parva adservabatur in Carthusia Moguntina teste Arnoldo Bostio de illustribus Carthusianis c. XI. Editiones extant praeter antiquas sine loco et anno,

Argentinenses 1474. 1483. 1537.

Noribergenses 1478. 1483. 1493. 1499. 1522.

Venetae 1498. 1504. 1516. 1529. 1536. 1564. 1568. 1572. 1578. et cum Joannis Datragi sive Dadraei annotationibus 1581. 1586. 1604.

Parisienses 1509. 1529. 1534. 1534. 1580. 1584. 1589.

Lugdunenses 1519. 1530. 1641. fol.

Antwerpiensis 1618. fol.

Versio *Italica*, Venet. 1576 et 1607. f. Francisco Sansovino interprete.

Versio *Gallica* absque anno et loco et 1488 et Paris. 1490. Lugd. 1493 fol. et Paris. 1582 fol. ex versione Joannis Langlois, et Niorti 1605. 8.

Commentarius in Psalmos Davidicos juxta spiritualem sensum, ex Hieronymo, Augustino, Cassiodoro et Petro Lombardo. Post editiones sine loco et anno prodiit Spirae 1491 fol. Paris. 1500. 1506. 1513. 1521. 1528. Lugd. 1518. 1541. 1542. 8. Venet. 1521. fol. Lugd. 1645. 4.

LUDOLPHUS *Saxo*, Abbas Saganensis, Augustinianus in Silesia, qui Concilio Pisano interfuit an. 1409 et dixit scripsitque adversus schisma, atque in S. Scripturam commentarios, obiitque an. 1422 de quo Mich. Joseph. Fibiger ad Jo. Henelii Silesiographiae cap. 7. tom. 1. p. 450. seq.

LUDOLPHUS *de Suchem*, Suchensis Ecclesiae *parochus*, sive *parochiae Rector*, ad Balduinum Episcopum Paderbornensem an. 1336. scripsit librum de terra sancta et itinere suo Hierosolymitano, mirabilibus in illo per quinquennium conspectis. Prodiit sub typographiae initia, ac deinde cum scriptis ejusdem argumenti, Joannis Mandevillii et Marci Pauli Veneti.

LUDOVICUS Pius, post Carolum M. patrem an. 814 defunctum, Imperator usque ad an. 840 duplici, quam vivus an. 817. et 829. inter filios fecit regni divisione, filiisque adversus ipsum atque inter se rebellantibus exemplum magnum praebuit miseriae et vanitatis rerum humanarum. *Vitam* ab ANONYMO coaetaneo scriptam vulgavit inter XII. scriptores Pithoeus, recusam deinde saepius, ut videre est apud Jacobum Longum in Biblioth. Historicorum Galliae n. 6789 seq. ubi Ernoldus NIGELLUS et longe plures de rebus Ludovici Pii scriptores laudantur. *Diplomatum* ejus notitiam ordine temporum digestam exspectamus ab illustri Henrico de Bunau, qualem Caroli M. pridem et Friderici I. gestis, utrisque Germanice an. 1732 et 1722 4. editis subjunxit. Quamplurima edita constat post Pithoeum et Lindenbrogium a Steph. Baluzio in Capitularibus Regum Francorum, Paris. 1677 fol. de quibus tom. XI. Bibl. Graecae pag. 498, seq. Vide etiam p. 490. et 521 ubi de Conventu Parisiensi *contra imagines* An. 824. De Capitulis et Constitutionibus in gratiam *Cassinensis* Coenobii, videndus Leo Ostiensis lib. I. Chronici c. 16. Praecepta *pro Hispanis* exhibet Baluzius in Marca Hispanica pag. 297 seq. Alia idem tom. 4. Miscel. pag. 420. 324. et t. 3. in vita Aldrici Episcopi Cenomanensis. Dacherius ad Guibertum Novigentium p. 623 647. etc.

LUDOVICUS, Ludovici Pii Filius, Rex Germaniae, cuius *formula foederis cum fratre Carolo Calvo* Galliae Rege an. 842. initi *lingua Theotisca* et *Romana*, sive Gallica cum Freheri notis prodiit Heidelberg. 1611 4. et tomo primo scriptor. rerum German. pag. 71 et apud Andream du Chesne tom. 2. pag. 385 rerum Francor. adde H. Warthonum ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis p. 343 et de usu linguae rusticae Romanae sive Gallicae, et Theotiscae, Concilium Turonense an. 813.

canone 17. atque anonymi diss. de tempore quo Gallica lingua vulgaris esse coeperit in libro: Singularites historiques et litteraires, Paris 1724 12 pag. 114.

LUDOVICUS II. Lotharii F. Imperator ab An. 856 ad 871. Huius Constitutiones quaedam apud Goldastum. Epistola apologetica ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum, apud Baronium ad A. 875 n. 51. et apud Andream du Chesne tom. 3, pag. 551.

Coronatio LUDOVICI Regis, Caroli Calvi filii an. 877. apud Andream du Chesne tom. 2. pag. 473.

LUDOVICUS IV. Bavarus, ab a. 1314 ad 1346. Imperio praefuit, eius diplomata quaedam apud Joannem Petrum Ludewig in reliquiis veteris aevi tomo secundo, et apud Annalium scriptores Bzovium, Raynaldum, Baluzium tom. 2. Miscellan. etc. sed et apud Goldastum, Freherum, et in Joannis Georgii Herwarti ab Hohenburg Ludovico IV. contra Bzovii iniurias defenso, Monachii 1618 4. Erardi Nigellii bona opera Ludovici IV. prodiere Ingolstad. 1628. 12.

LUDOVICI VI. Galliae ab an. 1108 ad 1137. Regis Vita. infra, SUGERIUS.

LUDOVICUS IX. cognomine Sanctus, Galliarum Rex ab An. 1226. ad A. 1270. De huius rebus *Jo. Joinvillius*, de quo supra p. 373. *Galfredus De bello loco* et *Guil. de Nangis*, de quibus t. 3, pag. 8 et 146. et Scriptores de gestis DEI per Francos aliique a Jacobo Longo pag. 355. seq. Bibl. Historicorum Galliae, magno numero laudati. Sanctis adscriptus a Bonifacio VIII Pontifice est Rex An. 1298. de quo plura proxime in Actis Sanctor. 25. Augusti. Bullam Canonisationis habes apud Laertium Cherubinum tom. 1. bullarii p. 202. atque ibi. Officium Ecclesiasticum in festo S. Ludovici composuit Arnaldus de Prato, Ord. Praed. de quo Jac. Quetif t. 1, pag. 498. Philippi Pulchri Regis Francorum Epistola ad Abbatem Mossiacensem pro translatione reliquiarum S. Ludovici, exstat apud Edmundum Martene tom. 1. anecdotorum pag. 1807. Joannis Gersonis sermones de S. Ludovico tom. 3. Opp. edit. novae pag. 1427 1440 1449 1457. Quae autem supra pag. 567 in Ludolpho Augustano notavi, ostendunt admitti temere non posse, Regem hunc primum fuisse, qui solennibus cerimoniis Sanctis adscriptus fuerit, ut traditur in Menagianis tom. 2. pag. 169 et tom. 4. pag. 153 *Pragmatica Sanctio* de libertatibus Ecclesiae Gallicanae an. 1268. in Bibliothecis Patrum, ut tom XIII. Colon, subjuncto *foedere cum Raymundo VII. Comite Tolosano*, patrono Albigensium ideoque dicto Ariano: et in tomis Conciliorum et apud Edmundum Richerium lib. 3. hist. Concil. general pag. 625. adde lib. 4 pag. 119. Plures *epistolae, constitutiones*, *Testamentum* apud Andr. du Chesne tom. 4 scriptor. de rebus Francorum.

LUDOVICI IV. transmarini Regis Francorum diplomata quaedam A. 943. 950. leguntur in Baluzii appendice ad Marcam Hispanicam pag. 855. 862. 863. 870.

LUDOVICUS *Alemannus*, nobilis Burgundus, Canonicus Regularis ex Episcopo Macloviensi Archiepiscopus A. 1421. Arelatensis et A. 1426. Cardinalis S. Caeciliae: fecit cum Felice V. contra Eugenium VI. cui in Concilio Basileensi acriter restitit a) et ab eo exauctoratus, sed postea restitutus a Nicolao IV. diem obiit An. 1450 6. Sept. et in bulla Clementis VII. A. 1527. data pro Beato coli permissus fuit. Exstat illa apud Andream Victorellum in auctario ad Ciacconium de Vitis Pontificum pag. 1108. Plura de eo Sammarthani tom. 1 pag. 63. seq. et Urbanus Gotfrid Sieberus de illustribus Alemannis §. XLVI. seq. Multorum opusculorum auctorem laudat Joannes Chenu in historia Episcoporum Galliae: Concilii supra Papam auctoritatem in Concilio Basileensi omnibus viribus defendit, atque auctor fuit Decreti de conceptione B. Virginis immuni ab omni peccati labe, quod edidit V. C. Tobias Eckarin notitia MStorum Bibl. Quedlimburgensis 1723. 4. pag. 86. (192. Vide supra ALEMANNUS).

LUDOVICUS *Barbus* Nobilis Venetus,

a) Vide Raynaldum ad An. 1439. n. 10. seq.

ex Abbate S. Justinae de Padua Ord. Bened. Episcopus ab An. 1437. ad 1443. Tarvisinus, de quo Ughellus tom. V. pag. 563. Ejus librum *de initio et progressu Congregationis Benedictinae S. Iustinae de Padua*, nunc Cassinensis, edidit Bernardus Pez Tom. 2. anecdotorum parte 3 p. 267-307. Augustae Vindel. 1721. fol.

* Praeter opusculum, cuius hic meminit Fabricius, scripsit etiam *formulam orationis et Meditationis*; quae dein excusa est Romae an. 1605 iterumque ad calcem Caeremonialis Benedictini Panormi 1676. Extant pariter in MS. Codice olim P. Constantini Cajetani eiusdem *epistolae duae* altera ad PP. Benedictinos Annualis Capituli; alia vero ad futurum successorem suum abbatem S. Justinae, quas ambas ex Concilio Basileensi nuncius et orator ab Eugenio missus dedit. Denique scripsit *Declarationes quasdam in regulam S. Benedicti pro congregatione Vallisolitanae in Hispania*; quae prodieruot adiunctae libro Privilegiorum Congregationis S. Benedicti Vallisolitani Madritii an. 1595. Eius vita a Lud. Mahembra descripta servatur in MS. Cod. Bibl. S. Georgii Maioris Venetiarum. Vide Armellini Bibl. Benedictino Cassinensem p. 2. pag. 81.

LUDOVICUS *Brunus* ex Marchionatu Montisferratens. Italus, utriusque Juris Professor et Poëta laureatus, superstes adhuc Ao. 1494. scripsit in coronationem Maximiliani Regis A. 1486. carmen heroicum laudatum Trithemio c. 956. a Frehero, qui tot alia de Maximiliano edidit, quantum memini omissum.

LUDOVICUS *de Caërleon* (Kaërlion) Guallensis sive e Wallia Angliae, Theologus, Philosophus, Mathematicus, defunctus A. 1369. scripsit Priceo pag. 503. teste et Baleo VI. 38. in Magistrum Sententiarum et Lecturam Theologiae: in Tabulas eclipsium RICHARDI Wallingsori: De eclipsi Solis et Lunae: Canones eclipsium. Tabulas umbrarum atque alia fragmenta astronomica.

LUDOVICUS *de Castilione Aretino* Provinciae Tusciae, Ord. Minorum, Theologus Oxon. circa A. 1320. cujus tractatum *de paupertate CHristi* memorat Waddingus pag. 241.

LUDOVICS *Coelius*, Rhodiginus, supra tom. 1 pag. 367.

LUDOVICUS *Donatus* Patricius Venetus Episcopus ab A. 1465. ad 1484. Bergomensis, de quo Ughellus tom. IV. pag. 483. Scripsit praeter *Orationes* varias Trithemio cap. 859. laudatas, *Commentarium in IV. libros Sententiarum* ad Paulum II. Pontificem.

* Quandoquidem Trithemius scriptas ab hoc Ludovico orationes non distinguit, unam ego indico editam incerto loco et tempore: forte tamen Romae: *Panegyricum de S. Augustino coram Cardinalibus* habitus.

LUDOVICUS *Helianus* Senator Vercellensis, et Gallorum Regis ad Germanos et Hungaros Orator An. 1510. habuit Orationem in Comitiis Augustanis de bello suscipiendo adversus Venetos et Turcas, editam Augustae Vindel. in 4. atque in Freheri tom. 2. pag. 264. (522.) et in Goldasti Politicis Imperialibus pag. 978. Exstat et fere integra in Trithemii Chronico Hirsaug. ad An. 1510. t. 2 p. 651. seq.

LUDOVICUS Senior, Monachus et Diaconus *Leodiensis*, Ord. Bened. cujus scriptum *de adventu reliquiarum B. Laurentii Martyris Roma Leodium* A. 1056. translatorum edidit Bernardus Pez tom. 4 anecdotorum parte 3. pag. 14. Augustae Vindel. 1723. fol.

LUDOVICUS *Marchentius*, infra *Ludov. Merchentus*.

LUDOVICUS sive *Luisius de Marsiliis*, Florentinus, Augustinianus cui An. 1450. defuncto patria Civitas sepulchrum publico sumtu fecit. Interfuit Concilio *Florentino* An. 1438. in eoque fortiter *adversus Graecos* decertavit. *Vetus et Novum Testamentum carmine* explicavit *hexametro*, quod MS. Florentiae in Bibl. Augustinianorum S. Spiritus servari notat Philippus Elssius in encomiastico Augustiniano pag. 441. et Julius Niger in historia scriptorum Florentinor. pag. 389. qui praeterea memorant ejus *Sermones*,

Commentarios diversos et *quaestiones Theologicas.*

* Ludovicus de Marsiliis an obierit A. 1450 res est in obscuro. Gandolfo in Dissertatione de CC. Augustinianis censuit mortalem ortum exuisse illum an. 1436. at si vera sunt, quae idem Gandolfo, aliique scribunt de asserto ab hoc Aloysio de Christiano dogmate in Conc. Florentino adversus Graecos, cum Synodus illa non prius an. 1438. cojerit, profecto patet Ludovicum ultra an. 1436. aliquandiu vitam prorogasse. Librum epistolarum ejus unum servari in Bibl. Magliabechii idem Gandolfo testatur. (192. De hoc eloquentissimo viro de cuius praestantia Petrarcha praedixit, Poggius et Leonardus Bruni memoriam in scriptis reliquerunt, qui et Nicolao Niccoli praeceptor fuit; sufficiat Senatum Florentinum eum pluribus Legationibus adhibuisse, in rebus gravissimis consulere consuevisse (ut anno 1387 de Pontifice ex duobus praeferendo) et in Ecclesia Cathedrali, ut rarissime accidit, elato condecorasse monumento. Vid. Fr. Bocchii Elogia Florentinor. Florentiae 1609. et Ibid. 1847. in 4.)

LUDOVICUS *Merchentus* (Vossio minus emendate *Marchentus*) scripsit ad Marium Philelphum, Francisci Philelphi filium, carmen epicum cui titulus, *Benacus*, quo celebrat pugnam et victoriam Stephani Contareni, classi Venetae praefecti super lacu Benaco A. 1438. contra Philippi Mariae Vicecomitis Duces. Vide Diarium eruditorum Italiae tom. X. pag. 473. et tom. XI. pag. 282. seq. ubi de Codice MS. hujus poëmatis Historici.

LUDOVICUS *Monachus* in Tzynna Ord. Cisterc. dioecesis Brandenburgensis circa An. 1354. collegit *auctoritates de rebus Theologicis*, partibus quinque divisas, atque MStas in Bibl. templi Petrini hujus Urbis. Vide B. Staphorstii historiam Eccles. Hamburgensis tom. 3. pag. 271. et pag. 271. seq. ubi de Szynna, sive Cinna Monasterio, et vico non procul Witeberga sito, in quo Comitia An. 953. celebravit Otto I. Imperator.

LUDOVICUS *Pontanus* natus Spoleti et educatus Romae, inde dictus *Romanus*: JCtus Senensis et Protonotarius Apostolicus, cujus *Consilia* et *allegationes* prodiere Papiae 1485. fol. Ejus *singularia notabilia* laudat Trithemius cap. 782. Hic est quem *JCtorum sua aetate memoriosissimum* vocat Æneas Silvius in pentalogo, tom. 4 anecdot. Clariss. Pezii parte 3. pag. 683. Ejus *Commentarios in Pandectas et Codicem*, *et Responsorum librum* memorans Gvido Pancirollus, testatur decessisse in Synodo Basileensi A. 1439. Vide lib. 2. de Interpretibus Juris cap. 94.

* Eius orationes et scripta plura pro Conc. Basileensi contra Romani Pontificis authoritatem exhibentur in MS. Codice Bibl. Imp. Vindobonensis, quem cum mihi excutere licuerit, idcirco eorum lucubrationum catalogum hic texere pronum fuit. Codex iste inter Juris Canonici volumina signatur num. 68. pag. 226 sese offerunt *Allegationus RP. Ludovici Pronotothari Apostolici de authoritate Universalis Ecclesiae super Papam.* Incipit *Metuendissimi* etc. *operae praetium diligenter* pag. 244. *Responsio nomine Concilii ab eodem data Oratoribus S. Rom. Imperii.* Incipit: *Venerabiles* etc. *Oratio vestra.* In fine habetur orationem hanc peroratam fuisse die Veneris XII. Januarii an. 1438. pag. 263 *Propositio facta coram Duce Sabaudiae ad quem Legatus Concilii venerat*, *per Rev. P. D. Ludovicum de Roma* Incipit: *Illustrissime* etc. *Sancta Universalis* etc. p. 287. *Propositio* R. P. D. Lud. De Roma Sed. Apostolicae Protonotharii ad Rev. P. et Illustrem Principem D. Archiepiscopum Coloniensem facta, dum ad ipsum orator accederet *nomine S. Basileensis Concilii.* Incipit *Reverendissime* etc. *Sancta Catholica* etc. p. 290. *Propositio* facta per eundem S. Concilii Basileensis Oratorem apud Ill. Principem D. Philip. Ducis Burgundiae an. D. 1438. in oppido Bruxellis Ducatus Brabantiae. Incipit *Illustrissime* etc. *Sancta Catholica* etc. pag. 294 *De potestate Ecclesiae Universalis super Papam brevissima exhortatio* facta per eumdem in generali congregatione Concilii *Basileensis.* Incipit *Omnipotentis Dei* p. 297

Quaestio per eundem facta ad depositionem Papae incorrigibilis procedi possit. Incipit *Quaestio discutienda.*

In MS. Codice Felini, quem Bibl. Canonicor. Majoris Ecclesiae Lucensis servat extat huius Ludovici *repetitio* in lib. ff. *de conditione indebiti*, quam nondum lucem vidisse arbitror. Eius lectura *super prima parte Digesti novi* Papiae an. 1496. Eiusdem in secunda parte Codicis a titulo *Qui non admitti* usque ad tit. *de haerede ab intestato* Papiae an. 1496. Haec duo opera extant inter Felinianos Codices.*

LUDOVICUS *Tarvisinus*, supra *Ludovicus Barbus.*

LUDOVICUS Vartmannus (*Bartema* seu *Varthema*), *Patricius Romanus, patria Bononiensis, sub initium Sec. XVI. lustravit Æthiopiam Ægyptum, Arabiam, Syriam, Indiam intra et extra Gangem. Quam* peregrinationem *suam An.* 1508. *in f. edendam curavit, postea recusam cum aliis ejusdem argumenti libris.* Haec de eo Miraeus in auctario c. 531. Sed Ital. scripsit hic Ludovicus non Latine, narrationemque itineris sui *sex libris* digessit, quos Latine vertit Archangelus Madrignanus, cum aliis vulgatos Basil. 1537. f.

(193 Italice scripsit opus pluries editum et est mihi pulcherr. Codex (heu mutilus) membranaceus, (olim Arretinae Bibliothecae Bacci. Vid. Fantuzzi in Op. *Scritt. Bolognesi.*)

LUDOVICUS *Vicentinus*, Ordinis Minorum ab An. 1461. Generalis scripsit *Vitam S. Bernardini Senensis.* An. 1444. defuncti et Sanctis annumerati An. 1450. Hanc ipsam puto quam ex Waddingi Codice edidit Henschenius t. 4. Act. Sanctor. Maji 20. pag. 262. *Constitutiones Ordinis Minorum* in breviorem ac magis commodam rationem redegisse testatur Waddingus pag. 246.

* Constitutiones Ord. Minorum ab hoc authore in commodiorem ordinem atque in epitomen redactas fuisse nullibi Waddingus scribit. Vitam S. Bernardini Senensis a Bollandistis productam sine nomine authoris huic Ludovico deberi compertum est. Deest ibi praefatio ad Cardinalem Agriensem (Gabrielem Rangonum Minoritam Agriensem Episcopum) quam in MS. Cod. nactus P. Amadeus M. Luzo in vita S. Bernardini produxit A. 1744 Venetiis. Haec animadvertenda dedit notis cl. Zeno in Dissert. Vossian. 1. 371. *

LUGDUNENSIS Ecclesiae *liber contra Joannis* Scoti *Erigenae* (vide supra pag. 421.) *erroneas definitiones* ex Gilberti Maugrini editione in vindiciis Gratiae et Praedestinationis Paris. 1650. 4. recusus in Bibl. Patrum Lugd. tom. XV. pag. 611-662. cum notis Andreae du Vallii pag. 662. seq. et *liber de tribus Epistolis* Episcoporum HINCMARI Rem. et RABANI p. 669-693. *Absolutio quaestionis de damnatione per Adam omnium, et per CHristum electorum ereptione* p. 693-699. Liber *de tenenda immobiliter Scripturae S. Veritate et sectanda auctoritate Patrum Orthodoxorum* p. 701-718. Vide supra in FLORO, t. 2. 580.

Ægidius de LUGNACO, sive LUNIACO supra tom. 1 pag. 22.

LUISIUS supra LUDOVICUS.

LUITBERTUS (*Liudbertus*, *Ludibertus*, aliis mendosse *Lambertus*, *Hubertus*, *Wibertus*, *Luithobius* ec.) Archiepiscopus Moguntinus ab An. 863. ad 889. cui OTFRIDUS dicavit Metaphrasin Theotiscam Evangeliorum. Praefatio hujus ad Luitbertum exstat in Otfrido Flacii et Jo. Schilteri tom. 1 thesauri pag. 10. et t. 16. Bibl. Patrum Lugd. pag. 764. ubi etiam Luitberti *Epistola ad Ludovicum.* Ludovici Pii filium *Regem* Francorum. De hoc Luitberto Serarius lib. IV. rerum Moguntiacarum pag. 409. seq. et Sammarthani t. 1 Galliae Christianae pag. 351.

LUITBRANDUS, aliis *Liutprandus*, *Litobrandus*, *Eutrandus* etc. Trithemio cap. 362 ex Papia civitate oriundus: aliis minus probabiliter Hispanus, certe a Luitbrando Toletano, si quis fuit, Diacono diversus, atque ex Diacono Ticinensi sive Papiensi Episcopus Cremonensis et duabus legationibus CPolin perfunctus, una a Berengario II. Marchione ad Constantinum Porphiogenitum Imp. A. 946. et altera ab Othone I. Imp. ejusque filio ad Nicephorum Phocam An. 968. De eo satis diligenter Labbeus t. 2. p. 33. de S. E. Caveus ad An. 946. Franciscus Arisius

in Cremona litterata tom. 1 pag. 58. seq. atque inprimis Nicolaus Antonius VI. 16. Bibl. veteris Hispanae. Scripsit Sigeberto cap. 126 laudatam *Historiam de gestis Regum et Imperatorum sui temporis*, *quam attitulavit antapodosin*, id est *retributionem* a) luculento et alterno b) stylo, ad Regimundum c) Episcopum Eliberitanae Ecclesiae Hispanorum. Idem opus Trithemius memorans *septem libris* ait constitisse, sed *sex* tantum *libri* in editis conspiciuntur, nec sexti libri capita sex posteriora sunt ab ipso Luitbrando, sed ab alio deinde addita, ut Vossius pag. 345. Baronius ad An. 963. n. 3. Miraeus c. 270. auctarii, aliique monuerunt. Fortasse historiam legationis posterioris, de qua infra, Trithemius pro septimo libro habuit. Libri illi sex scripti inter An. 957. et 960. d) et res utriusque Imperii ab An. 891. ad 946. perstringentes prodiere inter scriptores Justi Reuberi pag. 86. et tom. 3 Andreae du Chesne pag. 562 et inter Luitprandi opera Antwerp. 1640. fol. et in thesauro scriptorum Italiae Muratoriano, tom 2 pag. 417 ubi etiam Varias Lectiones ex tribus MSS. Codicibus Bibl. Caesareae reperies pag. 1078.

Legationis ad Nicephorum Phocam An. 968. susceptae *descriptio* dedicata Othonibus Augustis et Adelheidae Imperatrici, edita primum ab Henrico Canisio cum Chronicis Victoris Tunnunensis ac Joannis Biclariensis, et Synodo Bavarica An. 772. sub Tassilone Duce, Ingolstad 1600. 4. et apud Baronium ad An. 968. n. XI. seq. et in Luitprando Ramiresii, Antwerp. 1640. fol, et tomo secundo thesauri scriptorum Italiae Muratoriani. In hac descriptione prioris suae legationis meminit Luitprandus pag. 115. edit. primae his verbis: *Temporibus beatae memoriae Constantini Imperatoris huc* (CPolin) *veneram, non Episcopus sed Diaconus: nec ab Imperatore aut Rege, sed a Berengario Marchione missus* etc.

Sola haec duo genuina et lectu digna Luitbrandi opuscula. Caetera supposititia, *Chronicon* ab A. C. 606- ad 960. et *adversaria* e) in quibus pag. 464. mentio Chronici *ad Heronium* Bracarensem Episcopum, subjuncta etiam ad eundem *Epistola*. Haec cum prioribus in lucem data atque illustrata notis ab Hieronymo de la Higvera S. I. et Laurentio Ramiresio de Prado Antw. 1640. fol. falsitatis convincuntur a Labbeo, Caveo aliisque: sed maxime a Nicolao Antonio t. 1 Bibl. veteris Hispanae p. 585. seq.

Etiam *Vitas Pontificum Romanorum* a S. Petro usque ad Formosum Papam An. 895. defunctum, quas cum Anastasio per Abbonem Floriacensem excerpto edidit Joannes Busaeus, Mogunt. 1602. 4. alium quam Luitbrandum et potius Germanum habere auctorem, et ipsas quoque ex Anastasio excerptas notarunt Vossius aliique.

LUITBRANDUS Langobardorum Rex ab An. 713. ad 744. cujus *Leges* quas prioribus ROTHARIS ab An. 638. et GRIMOALDI. ab An. 663. Regum edictis adjunxit, exstat in antiquis Legibus a Jo. Heroldo Basil. 1557. fol. editis pag. 108-252. tituli CXX inde in Codice Legum antiquarum Frid. Lindenbrogii Francof. 1613. fol.

* Codex legum Luitprandi multo integrior ac locupletior extat vulgatus a Muratorio Rerum Ital. tom. 1 p. 2. a quo MSS. Codices plures consulti sunt, eorumque in notis variantes exibentur; addita etiam, nonnulla, ut Praefatio ad librum I. Legum eiusdem Luitprandi ex Sigonio Regni Italiae Lib. 3 et lib. 2 ex Cod. Estensi; ad lib. 5. ex Cod. pariter Estensi desumpta. *

LUITOLPHUS, supra, LUDOLPHUS.

Joannes LUKAWITZ, Bohemus, cum Waldensibus faciens circa Annum 1431.

a) Proprie librum tertium ἀντίδοσιν inscripsit, Luitbrandus, in Berengarium a quo offensus fuerat ejusque conjugem Willam invehens ac vicissim celebrans bene de se meritos.

b) Partim soluta. partim stricta oratione.

c) Al. *Raymundum*, al. *Tractemundum*.

d) Pagi ad An. 963. n. 5.

e) In his Adversariis Fuldae se Bibliothecarium fuisse ait pag. 473. 483. 484 490.

scripsit *Confessionem Taboritarum* contra *Rokenzanam* et alios Theologos Pragenses, distinctam capitibus LV. Edidit Balthasar Lydius tomo priore Waldensium scriptorum pag. 1-303. Roterdami 1616. 8. Vide Oudinum tom. 3 pag. 2376

S. LULLUS, sive LULLO, qui et JULIUS, Anglus, post S. Bonifacium Magistrum suum Archiepiscopus Moguntinus ab An. 753. ad 787. de quo Surius 16. Octobr. Lelandus cap. 103. Beleus XIII. 56. Pitseus pag. 156. Serarius lib 4 pag. 361. seq. *Aliquot ejus Epistolas videre nobis contigit*, inquit Flacius in Centuriis Magdeburg. Sec VIII. pag. 453. *ut ad Osoitam*, *ad Leobgytham*, *ad Gregorium*, *ad Denehardum ad Thuringos*, *ad Coenam*. Ex illis deinde nonnulla profert, quae ibi videantur.

Raymundus LULLUS, ex majore Balearium insula, Majoricensis, tertii Ord. S. Francisci: ingenio, linguarum peritia, peregrinationibus et gratia apud Viros principes inclytus, zelo etiam pro adducendis ad CHristum hominibus et promovendo linguarum artiumque studio apprime commendabilis, denique in Africa multa et gravia a Mahumetanis passus occubit an. 1315. major octogenario. De hoc praeter Vincentium Mutum in continuatione Johannis Daneti historiae Balearis, sive in Majoricarum historia, Hispanice edita 1650. fol. Bzovium, Natalem Alex. Jac. Gaddium de scriptoribus non Ecclesiasticis pag. 285. seqq. Jo. Imperialem in museo pag. 12. et Isaacum Bullartium Tom. 2 Academiae pag. 150. qui ambo etiam effigiem ejus aere descriptam offerunt: Matthiae Berneggeri Orationes pag. 55, seq. laudatosque in Nic. Hier. Gundlingii historia eruditionis tom. 2 pag. 1775. consulendi inprimis Lucas Waddingus Tomo secundo et tertio Annalium Ord. Minor. Nicolaus Antonius IX. 3. Bibl. veteris Hispanae tom. 2 pag. 81. a) et Joannes Baptista Solerius in Actis Sanctorum tom. V. Junii 30. pag. 633. seq. ubi etiam vita a coaevo scripta pag. 661. et Caroli Bovilli de Lullo hocce Epistola p. 668. et Nicolai de Pax, Patricii Majoricensis pag. 674. ex editione Complutensi Anni 1519.

Contra *Nicolaum* EYMERICUM, qui *errores* ejus *quingentos* Avenione a Gregorio XI. damnandos obtulit b) defenditur a multis, ut ab Alphonso de Zepeda, qui Lulli vitam Hispanica lingua composuit: et in dissertationibus de cultu Raimundi Lulli: c) atque in sententia definitiva in favorem pietatis et doctrinae Lulli edita, Paris. 1676. 4. ut adeo non sit opus *duos Raymundos Lullos* fingere cum Odorico Raynaldo ad an. C. 1315. tom. XV. Annal pag. 140. seq.

Memoria ejus sancte colitur inprimis à Majoricensibus, ubi *Academia Lulliana* magnis ornata privilegiis Regum Hispaniae Alphonsi primi, Ferdinandi V. Catholici, Caroli V. Philippi II. Philippi III. et Caroli II. Octobr. 16. A. 1697.

Pro commendanda *arte Lulli*, et de iis qui illi vel detraxere, vel illustrandam eam sumserunt, operae pretium est adire D. Morhofium libri secundi Polyhistoris capite quinto, et Jacobi Bruckeri historiam Philosophicam quaestionibus docte illustratam Tomo quinto pag. 1352. seq.

Ex ter mille amplius, quae scripsit Raymundus, opusculis tituli propemodum quadringenti, philologici, philosophici, Theologici argumenti recensentur a Waddingo in Bibl. Ordinis Minor. pag. 296. seq. et plures etiam a Nicolao Antonio tom. 2 Bibl. Hispan. pag. 84. sq. Satis mihi fuerit notare novam operum Lulli editionem jam a pluribus annis promissam et Dusseldorpi parari a V. C. Joanne Buchlefio auspiciis serenissimi Electoris Palatini, excudendam Moguntiae. Vide Diarium eruditorum Italiae Tom. XIV. p. 393. et Tom.

a) Acta Eruditorum An. 1697. pag. 504. An. 1710. pag. 597. Memoires de Trevoux An. 1711. p. 587. Journal des Savans 1715. Juillet pag. 27. seq.

a) Vide Jacobum Quetif de scriptis Dominicanorum tom. 1. p. 711. seq. qui p. 714. etiam exhibet tria Gregorii XI. adversus Lullum decreta.

b) Jo. Mariana XV. 4. Tho. de Pinedo pag. 216. ad Stephanum Byz. Miraeus auctar. c. 395.

c) Memoires de Trevoux An. 1702. pag. 50. dissertationes historicas del culto immemorial del B. Raimondo Lullo. a Majorque 1700. 4 pag. 750.

XXXIII. p. 33. Memorias Trevoltinas An. 1722. p. 2023. De *Chymicis* ejus scriptis consulendi Bibliothecarum Medicarum scriptores Lindenius, Merklinus, Mangetus: tum Olaus Borrichius in conspectu scriptorum Chemicorum postumo §. XXIII. sq. De RAYMUNDO *de Terraga*, qui ex Hebraeorum Rabbino Neophytus Christianus librorum de secretis Naturae, de alchymia, et de invocatione daemonum et errorum illis contentorum auctor a multis inhabetur, videndus Natalis Alex. Tom, VII. edit in fol· p. 115. Praeter ea, quae contra Judaeos, Muhamedanos et Averroistas, composuit etiam librum disputationis intellectus et Fidei, et utrum fidelis possit solvere omnes objectiones, quas infideles possunt facere contra sanctam fidem Catholicam. Librum Quaestionum super quatuor libris sententiarium, et solutionem quaestionum Magistri THOMAE Atrebatensis. Dialogum cum Homerio Saraceno.

De scriptis Lulli, quae typis impressa exstant, vide H. Warthonum ad Caveum.

Paulus LULMAS, seu *Lulmius*, rectius *Ulmius*, (Olmi) Bergomensis, Augustinianus defunctus Cremonae An. 1484. de quo Franciscus Arisius in Cremona litterata et Diarium eruditorum Italiae Tom. XVI. pag. 471. sq. Edidit Augustinum Triumphum de potestate Ecclesiastica Rom. 1479. et ipse scripsit *Vitam B. Monicae*, Rom. 1479. 4. *Vitam et miracula B. Magdalenae de Como*, Rom. 1474. et in Actis Sanctor. Tom. 3. Maji 13. pag. 253, atque inedita adhuc *Vitam B. Helenae de Utino* ad Paulum II. et *Vitam ac miracula B. Mariae de Genua* ut Viridarium sponsarum Christi, compositum Italica lingua praeterceam. * De scriptis viri huius docti paulo diligentius agit P. Gandolfo in Dissertatione de CC. Augustinianis. Addit ille supra libros a Fabricio hic indicatos *Apologiam pro Eremitis contra* Dominicum Tarvisinum Canonicum *Regularem editam Romae* an. 1479. *De floribus heremiticis* simul cum apologia ordinis vulgatum opus Romae 1604. *De laudibus praesentis vitae* dialogorum librum unum. *De vita et miraculis B. Mariae de Genua. De spiritali ascensu ad Deum.* Haec pariter postrema opera typis excusa in lucem prodiisse ex aliorum inspectione P. Gandolfo affirmat. *

LUMEN *Animae*, supra, tom. 1 p. 351.

LUNEBURGENSE *Chronicon* in Corpore scriptorum medii aevi Jo. Georgii Eccardi t. 1 p. 1315-1412. sed Germanice scriptum non Latine ab A. 741. ad 1241. De Monasterio Luneburgensi infra, OTTO *Kultzing.*

LUPARIUS *descendens in avernum*, titulus Satyrae versibus elegiacis vetere auctore anonymo, quam ex Codice Helmstadiensi edidit V. C. Polycarpus Leyserus in Historia poematum medii aevi pag. 2093. 2099. Incipit: *Forte lupus quidam per pascua lata vagantes.*

LUPATUS Patavinus JCtus, Petrarchae laudatus, qui ait eum Poëtarum suae aetatis facile Principem futurum fuisse, nisi novem Musis XII. tabulas miscuisset: Diem obiit A. 1399. Vide Nic. Comnenum in Gymnasii Patavini historia Tom. 2 pag. 11. qui ejus *tractatum de poësi*, et *XII. tabularum effata versibus leoninis exposita* apud Pignorium MSta fuisse testatur. Sepulchro ejus inscripti etiam hi leonini versus:

Id quod es, ante fui: quid sim post funera, quaeris?
Quod sum, quicquid id est, tu quoque, lector eris.
Ignea pars Coelo, caesae pars ossea rupi,
Lectori cessit nomen inane Lupi.

(194. Idem ac LOVATUS seu *LOVATTUS* ideoq. non circa a. 1310. Vide supra p. 562. et *Mehus Vita Ambrosii* p. 333. seq.)

S. LUPUS, infra *Lupus Trecensis.*

LUPUS *Catalaunensis*, Episcopus subscripsit privilegio Monasterii S. Remigii in Synodo Senonensi A. 845. habita quod edidit Dacherius Tom. 1 edit novae pag. 595.

LUPUS Eboracensis et Vigorniensis a A. 1002. Episcopus: infra, WULFSTANUS.

LUPUS Abbas *Ferrariensis.* Infra *Lupus Servatus.*

LUPUS *Lindisfarnensis* Monachus, supra ETHELWOLFUS Tom. 2. pag. 522.

LUPUS *Londinensis* ab A. 981. Episcopus infra, WULFSTANUS.

LUPUS *de Oliveto* rectius *de Olmeto* sive *Ulmeto* Hispanus, Ord. eremitarum S. Hieronymi Prior Generalis circa Annum 1419. ad 1423. Scripsit *Flores S. Patris Hiero-*

nymi, sive *Regulam Ordinis sui* capitulis XXXII. confirmatam a Martino V. An. 1424. variisque scriptis declaratam a Lupo defensamque. Capitibus deinde XLI. edidit Pius Rubeus, Novi Comi 1621. 8. Praeterea *Sermones* de tempore et de Sanctis, *Sententias Patrum et in Esaiam Prophetam* Commentaria. Vide Trithemium cap. 758.et Nic. Antonium X. 3. Bibl. Hispanae T. 2 pag. 143. seq.

LUPUS Apulus *Protospatharius*, sive primipilus Palatinorum militum regni Neapolitani scripsit Chronicon breve rerum in regno Neapolitano gestorum ab A. 860. ad 1102 quod cum apendice incerti auctoris usque ad A. 1519. cum HEREMBERTO et FALCONE edidit Antonius Caracciolus, Neapol. 1626. 4. inde illustris Muratorius Tom. V. thesauri scriptorum Italiae, additis Camilli Peregrini castigationibus ex ejus historiae Principum Longobardorum libro primo. Mediolan. 1724. fol. Exstat etiam in Jo. Baptista Carusii tom. 1. Bibliothecae historiae regni Siciliae, Panormi 1720. fol. et in tomo nono thesauri Italiae Burmanniani.

Servatus LUPUS Presbyter, et ab A. 838. a) Abbas Monasterii S. Petri quod Bethlehem sive Ferrarias dicitur in dioecesi Galliae Senonensi Ord. Bened. Rabanum Maurum praeceptorem suum vocat Epist. 40. qui ejus adhuc Diaconi rogatu collectarium in Epistolas Pauli fecit. Abbas Lupus A. 853. Concilio Suessionensi interfuit, et superstes adhuc fuit post A. 861. ut a Caveo bene notatum. Scripsit A 849. b) *librum* et *collectaneum* testimoniorum c) *de tribus quaestionibus*: de libero arbitrio, de praedestinatione bonorum et malorum, et de sanguine CHristi effuso pro omnibus, ut omnes vult salvos DEUS, quanquam culpa propria non omnes salvantur. Edidit post mancam in Belgio Anno 148. Donati Candidi editionem Sirmondus A. 1650. unde recusa in Sirmondi operibus Tom 2 pag. 1227. et Gilbertus Manguinus Paris 1650. 4. in parte altera tomi primi scriptorum Seculi IX. de Praedestinatione et Gratia, sub titulo commentitio *LUPI Servati, presbyteri Moguntinensis*. Consulendus etiam Lud. Cellotius in historia Gotheschalci, Paris. 1655. fol.

Capitula XII. Concilii II. in Verno palatio A. 844. *habiti*, quae stylo suo comprehensa ad Hincmarum se direxisse scribit Lupus Epist. 42. edita in tomis Conciliorum et in Sirmondi Conciliis Galliae Tom. 3. pag. 17. et apud Carolum le Cointe Tom. VIII. annal. Francor. pag. 732.

Liber Epistolarum CXXX. d) ex Papyrii Massoni editione Paris. 1588. 8. et in Bibl. Patrum edit. Colon. tom. IX. sed ad MS. Codicem emendata, in Andreae du Chesne t. 2 scriptor. de rebus Francor. p.726.

Vita S Maximini Episcopi Treverensis A. 839. scripta ad Waldonem: edita a Surio 29. Maji sed omissa ab Henschenio t. 7. Maji, quoniam antiquiora Acta ait se nactum Anonymi Sanmaximiensis ex quo Lupus sua expresserit, qui a scriptore miraculorum Maximini, LUPUS *Episcopus* appellatur. Ex hac vita quaedam de Carolo Martello affert Baronius ad 741. n. 15. unde factum ut *Caroli Martelli gesta* a Lupo tradita quidam scripserint. De Maximino illo adeundus Tillemontius tom. 7. memoriarum pag. 247. 694. seq.

Vita S. Wigberti, Abbatis Fritzlariensis in Hassia, ad Bunum, sive Brunum, e) Abbatem Herveldensem sive Hirsfeldensem edita a Joanne Busaeo S. I. ad calcem Epistolarum Hincmari Remensis, et Constitutionum Caroli M. Moguntiae 1602. 4. p. 339. Scripta A. 836.

Homiliae duae in solennitates S. Wigberti, et *hymni totidem* vulgati sub Lupi no-

a) Baronius ad An. 858 num. VI.

b) Sigebertus cap. 94. de S. E.

c) Caelestini Papae, Augustini plura, tum Hieronymi, Philippi in Jobum, Gregorii Papae, Fulgentii Ruspensis, Joannis Diaconi Rom. Isidori. Episc. Bedae, et Joannis CPolitani sive Chrysostomi, reiectis iis quae in contrariam sententiam Faustus Regensis scripsit.

d) In his 128. et 129. sunt illae duae Epistolae ad Carolum Calvum et Hincmarum Remensem quas cum libro de tribus quaestionibus Sirmondus vulgaverat.

e) Vide Vossium II. 35. pag. 517.

mine ab eodem Busaeo in paralipomenis Opuscolorum Petri Blaesensis, Jo. Trithemii, aliorumque, Mogunt. 1604. 8. Haec Lupi scripta recensuit atque eruditis notis illustravit Stephanus Baluzius Paris. 1664 8. quae editio recusa in Bibl. Patrum Lugd. 1672. Tom. XV. statim in limine. Sed prodiit deinde iterum Lupus Lipsiae (licet titulus Antwerpiam praeferat) 1710. 8. ex secunda laudati Baluzii recensione. Vide Acta Erudit. 1715. pag. 205.

* Vitam S. Maximini Balutius scriptori huic tribuit; reliqui tamen omnes Lupo alteri Catalaunensi Episcopo, qui cadente saeculo IX. florebat, adscribendam esse censent. Vide authores historiae litterariae Gallicae t. V. p. 267. Ita pariter homilias geminas in solemnitate S. Wigberti alterius esse scriptoris ex styli diversitate viri illi docti diudicant; opinanturque insuper unicam esse homiliam in geminas dissectam: altera enim ex illis incipit: *Restat*, quod sermonis continuationem non ambigue demonstrat. *

Sermonem LUPI (sed certe junioris, WULFSTANI forsan a) de quo infra, Archiep. Eboracensis et Episcopi Vigorniensis, *super incursu Dacorum* sive Danorum An. 1094. edidit Anglo Saxonice et Latine Georg. Hickesius in diss. Epistolari Tom. 2 thesauri septemtrionalis pag. 99-106. Oxon. 1703. fol. et Alterum *in festum S. Jodoci* MStum in Bibliothecis Angliae exstare Caveus annotavit.

S. LUPUS, Vincentii Lirinensis Presbyteri frater, Episcopus per annos duos et quinquaginta *Tricassinus*, sive *Trecensis*, ab Anno 429. ad 479. qui *cum B. Germano ad expugnandam Pelagianorum haeresin* (circa An. 429.) *in Britanniam* (atque iterum A. 447. cum S. Severo Trevirensi) *perrexit, urbemque Trecas a furore Attilae* (circa A. 451.) *Galliam omnem devastantis assidua oratione defendit*, ut est in Martyrologio Rom. 29. Julii. De eo Surius et Acta Sanct. ad illum diem, et diligenter atque accurate Tillemontius T. XVI. memoriar. pag. 126. sqq. Vide et Miraeum c. 107. auctarii de S. E. et Savaronem ac Sirmondum ad Sidonii VI. 1. Epist. Scripsit suo et S. EUPHRONII Augustodunensis nomine post An. 443. *Epistolam ad Talasium* Episcopum Andegavensem, sive ad commonitorium ejus responsionem de Vigiliis Natalis Domini et Paschae, et clericorum bigamia non ultra ostiarios permissa et de iis qui conjugati assumuntur. Exstat in tomis Concilior. Labbei T. 4. p. 1048. Harduini Tom. 2 pag. 791. et in Sirmondi Conciliis Galliae Tom. I. pag. 122. *Epistola ad Sidonium* vulgata a Dacherio T. V. spicileg. pag. 579. (edit. novae t. 3. pag. 302.) qua illi Episcopatum Arvernensem A. 472. gratulatur.

Ad LUPUM *Valentiae* Regem, Alexandri III. Pontificis Epistolas, refert Radulfus de Diceto in Chronico ad An 1174. et 1179.

Alverus de LURIA, a) *et Mendoza*, Miles Calatravensis in Hispania, Jacobi II. Aragonaiae et Valentiae Regis jussu et auspiciis circa An. 1240. consignavit *Constitutiones Militum Montesiae*, sive *S. Mariae de Montesa* in regno Valentiae Ord. Cisterc. quae cum aliis ejusmodi Militarium Ordinum Constitutionibus et Privilegiis Ordinis Cisterciensis excusae sunt Antwerp. 1630. fol.

Ægidius LUSCINUS, supra tom. 1 p. 22.

Joannes de LYDGATE supra ubi *de Joanne Govero*, pag. 367.

Radulphus de LYNHAM, Mathematicus Anglus circa An. 1256. auctor expositionis Calendarii Ecclesiastici, sive computi de embolismorum ratione, quem inter BEDÆ Opera editum dixi supra tom. 1. pag. 174. Vide Oudinum tom 3. p. 236.

a) Vide Humfredi Wanleji Catalogum librorum Veterum septentrionalium pag. 140. seq. in tomo secundo thesauri Hickesiani.

b) Villose *de Lucia* apud Oudinum tom. 3 pag. 179.

JOANNIS SARESBERIENSIS

DE

MEMBRIS CONSPIRANTIBUS

Concilium celebrant humani corporis artus
Inter se, de se plurima verba serunt.
Incidit in ventrem sermo, de ventre queruntur,
Quod gravis is dominus, et nimis urget eos.
Tandem rhetorico pingens sua verba colore,
Aggreditur fratres LINGUA superba suos.
Quis furor, o cives, quae tanta licentia Ventris,
Audeat ut nobis ponere turpe jugum?
Turpe jugum certe, quando servus dominatur,
Et dominus servit: hic jubet, ille facit.
Certe nos servi turpes, digni cruce, cunctis
Ludibrium, miseri, degeneresque sumus.
Nam ventrem dominum nobis elegimus ipsi,
Omnia colligimus, quae sibi grata putat.
Nulla quies nobis, movet hunc, jubet huic, vocat illum:
Surge piger, somnos excute, tolle moras;
Quaere cibos epulasque para, vinumque propina,
Mensam pone, dies praeterit, hora fugit.
Ecce duo veniunt hostes, mortemque minantur,
Imminet inde fames, imminet inde sitis.
Ergo deficiam, nisi subvenias mihi velox,
Praeveniasque famen, praeveniasque sitim.
Sic me, sic alios, pulsat lascivia ventris,
Et me plus aliis turgidus ille premit.
Me quasi praeconem causarum, jurgia saepe
Exercere jubet, parvaque dona sequi.
Et modo patronus, modo judex, et modo testis
Clamo, jura Patrum contero, falsa loquor.
Sub specie veri curans inducere falsum
Fallo, perjuro, praetereoque fidem.
Fasque nefasque simul aequali pondere librans,
Per licitum pariter, illicitumque vagor.
Si lateri vel Pontificis vel Principis adsto,
Tunc unguenta paro blanda, placere volens.
Ungo blanditiis, ut delicias sibi venter
Accumulet, ac me distrahit ille nocens.
Nonne manus nostrae ventri servire laborant?
Nonne minas ejus imperiumque timent?
Furantur, rapiunt, operantur, et omnia venter
Suscipit, et sorbet omnia Scylla vorax.
Huic Oculus servit venator, currit ubique,
Nunciat hic domino, quae meliora putat.
Heu pedibus quantos induxit saepe labores,
Quos nimis affligit, quos sine lege premit.
Inde dolor nostri consumit corporis ossa,
Membra quatit, vires haurit, aratque cutem.
Est ad servitium nobis studiosa voluntas,
Gratia nulla tamen: Conqueror inde magis
Nam cum servitio respondit gratia, multum
Temperat, immo facit dulce laboris onus.
Huic vero cum multa damus, cum multa paramus,
Non cessat querulus dicere: pauca datis.
Si dederis hodie nisi cras dederis, nisi rursum
Et rursum dederis, perdere prima potes.
Et si forte suis dicit: satis est, satis illud,
Post modicum tempus incipit esse parum.
Dicite, quid tantam possit satiare charybdin?
Dicite, quanta cupit? Quis dare tanta potest?
Hic etiam nostros auget cumulatque labores,
Et gula nos nimium pessima saepe premit.
Illi gustus adest, hic portam servat, et ille
Vilis leno, procax garcio, scurra vagus.
Hi duo per mundi currunt elementa; quid aër,
Quid pariat tellus, quid freta, scire volunt.
Non volucris penna, non evadit fera cursu,
Non cetus toto gurgite tutus erit.
Novernnt varios hi dispensare sapores,
Ut magis alliciant, illiciantque cibis.
Gustus discernit, quod transmittit gula, venter
Abscondit; probat hic, haec rapit, ille capit.
O venter, quanto deturpas crimine mundum,
Immundumque facis, turpia quaeque movens!
Propter te fiunt homicidia, furta, rapinae,
Insidiae, strages, jurgia, bella, doli.
Currit ad ecclesiam monachus, miles gerit arma,
Navita sectatur lucra, colonus arat.
Ex te virtutum casus, animaeque ruina,
Membrorum pestes, luxuriaeque lues.
Tu Nabusaradan princeps, dominusque cocorum,
Namque tibi fero et mane coquina strepit.
Tu follis tumidus, vas plenum sordibus, immo
Plenus faece locus: non locus, immo lacus.
Vos ergo fratres, mecum discernite qualis
Hic dominus, mecum cernite, quale jugum.
Turpe jugum credo, quando servus dominatur
Et dominus servit, hic jubet, ille facit.
Turpe jugum vere, quando ratione sepulta
In nobis venter imperat, illa silet.
Vivere debemus, non ventri, sed rationi:
Vir bonus hanc, non hunc, captat habere ducem.
Paulus ait: Venter escae datur, escaque ventri:
Sunt duo juncta sibi, perdet utrumque Deus.
Nos ergo pudeat tali servire Patrono,
Gloria nostra per hunc nobilitasque perit,
Surgite, state, precor, animo pugnate virili.
Magna parit nobis praemia, pugna brevis.
Æternum pereat, qui ventri serviat ultra:
Sit procul a nobis qui sua regna feret.
Sit sine fine labor, sit naufragium sine portu,
Continuus sit ei perpetuusque labor.
His socios animat Verbis facundia linguae,

Et movet et munit, et docet esse viros.
Ergo simul junctos confoederat una voluntas,
Adstringitque sibi, quos ligat unus amor.
Indicunt ventri bellum, jurantque quod ejus
Vincula dissolvet, discutientque jugum.
Sic statuunt et sic confirmant, foedere facto
Ventrem destituunt, nec famulantur ei.
Jam pes, lingua, manus, et caetera membra quiescunt,
Pes negat ire, loqui lingua, juvare manus.
Prima dies illis tranquillo tramite currit,
Nec quicquam poscit ille, nec illa ferunt.
Altera jejunum nescit compescere ventrem,
Latrantemque gulam pacificare nequit,
Tertia consumptos macie vix sustinet artus,
Namque maligna nimis urget ubique fames.
Pes torpet, manus aegrotat, languet caput, ora
Pallent, suspirant pectora, lingua tacet.
Omnia turbantur in corpore, nullus in illo
Est Vigor, aeger ibi luctus, ubique dolor.
Rursus post longos gemitus conamine multo,
Vix hos balbutit languida lingua sonos.
Quid facimus, Nil proficimus, magis et magis omnes
Deficimus, premimur, conficimurque fame.
A ventris rabie venit haec injuria nobis,
Hoc ejus nobis parturit ira malum.
Sentio grande malum, sed causa mali mihi clausa.
Quod nocet, ecce patet; cur nocet, ansa latet.
Nunc igitur, Fratres, vobis praesentibus, ipsum
Conveniam, quaeram, quae sit origo mali.
Tunc se convertens ad Ventrem Lingua; Quid, inquit,
Tam male nos laedis? Hic furor unde tibi?
Respice, nonne tuos concives perdere curas?
Quando vides casum, non relevare paras?
Hostis es et civis, haec recta fronte repugnant;
Juncta sibi melius, civis, amicus erunt.
Et vacuum et plenum te semper habebimus hostem,
Semper erit nobis tristis uterque status.
Quando tumes plenus, nimia de mole gravatus,
Tunc semper tecum nos facis esse graves.
Ergo praecor, miserere tui, miserere tuorum,
Ne tecum pereant, teque tuosque juva.
Exponas, cur non quereris, vel quid tibi quaeris?
Et ne quaeso noce, sed facienda doce.
His verbis claudit sermones Lingua, vicemque
VENTER ei reddens, incipit ista loqui:
Audivi linguae strepitus, et eos sapienter
Sustinui; fratres, laedimur inde parum.
Lingua quidem membrum modicum, sed molle, citoque
Labitur, et loquitur saepius absque modo,
Nam de scintilla magnum fovet et movet ignem,
In fornace sua fabricat inde dolos.
Inde nimis nostros agitat discordia Cives,
Nam pacem turbat, et mihi tela jacit.
Me dominum, fratres, vobis ostendit et hostem:
Sed scio, quod vobis servio, vosque colo.
Cum nos de massa rerum natura vocavit.
Et nobis formam materiamque dedit.
Corpore compegit uno, conjunxit amico
Foedere, nos semper jungeret unus amor,
Omnia praecepit fieri communia nobis
Omnibus, ut proprium nullus habere velit.
Omnibus officia distinxit: meque ministrum
Constituit vobis, et dedit esse cocum.
Inde paro vobis escas, alimenta ministro,
Vitam conservo, pauca reservo mihi.
Quod datis, accipio, susceptum decoquo, coctum
Distribuo vobis, fercula quaeque gero.
Si vos ingeritis, ego digero. quod nocet, illud
Egero. quod prodest, hocce cuique gero.
Pauper sum servus, nil possum ponere vobis,
Si nil confertis, nam mea bursa vacat.
Nec nimium curo, nec ego minimum mihi quaero,
In medio positus opto tenere modum.
A nimio veniunt fastidia, crimina, morbus,
Crapula, luxuriae fax, laterisque dolor.
A minimo veniunt infestae mortis imago,
Frons tristis, facies pallida, laxa cutis.
A Medio veniunt mens semper sobria, corpus
Robustum, felix vita, serena quies.
Ergo sibi caveat dives, ne devoret ultra
Quam satis, et pauper curet habere parum
Et vos, si sapitis, servate modum mihi dando,
Dispensator ero pro ratione dati,
Saepe mihi dabitis, quia vultis saepe cibari:
Namque per hoc vobis vita salusque datur.
Surgite. ne mortis inducat inertia somnum.
Somno desidiae judico saepe mori.
Turpiter occumbit, quem torpor vulnerat. Ergo
Surgite, mors properat: sentio, vita fugit.
Ventris ad has voces, membrorum turba resumit
Vires, et rediens induit arma vigor.
Surgunt, officiis insistunt. debita solvunt,
Invigilant operi singula membra suo.
Quos socios vitae fecit natura, laboris
Atque oneris socios mutua cura facit.
Sic litem sepelit laeto concordia fine,
Hic quoque vult FINEM Carmen habere suum

FINIS LIBRI XI.